CONS NAZ
PROV BIBL
161
F
3.
BIB NAZ NAPOLI

BIBL NAZ
161
F
3

ARCHIEPISCOPALE BONONIENSE

SIVE

DE BONONIENSIS ECCLESIÆ ADMINISTRATIONE

Auctore

GABRIELE PALÆOTO
S. R. E. CARDINALI

Continet hic Liber non ſolum præcipuas, ac neceſſarias Epiſcopalis officij functiones, ſed etiam continuatam quandam praxim Bononienſis Eccleſiæ gubernandæ, Ex Sacri Tridentini Concilij Decretis.

OPVS SEPTEM PARTIBVS DISTRIBVTVM.

Ad vſum Cleri, Populique Bononienſis.



CVM PRIVILEGIO, ET SVPERIORVM PERMISSV.

Apud Iulium Burchionum, & Ioannem Angelum Ruffinellum.

ROMAE, Excudebat Aloyſius Zannettus. M D L X X X X I I I I.

Digitized by Google



Digitized by Google

CLEMENS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CVM ſicut accepimus dilecti filij Iulius Burchionus, & Ioannes Angelus Ruffinellus in Alma Vrbe noſtra Bibliopolæ, de licentia, ac conſenſu Venerabilis Fratris noſtri Gabrielis Epiſcopi Sabinenſis Cardinalis Palæotti nuncupati, opus ab eodem Gabriele Epiſcopo Cardinale compoſitum, Archiepiſcopale Bononienſe, ſiue de Eccleſiæ Bononienſis adminiſtratione typis cudifacere intendant, ſed vereantur, ne poſtquam in lucem prodierit, alij etiam ex alieno labore lucrum quærentes, illud ipſum opus in eorum damnum, & præiudicium imprimant, ac propterea nobis humiliter ſupplicari fecerunt, vt eorum indemnitati in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictos Iulium, & Ioannem Angelum ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem Iulio, & Ioanni Angelo, vt decennio proximo, à primæua dicti Operis impreſſione computando, durante, nullus, tam in Alma Vrbe noſtra, aut alibi in toto ſtatu Eccleſiaſtico nobis, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ immediatè, vel mediatè ſubiecto, quàm vbicunque in tota Italia opus prædictum, quòd vt accepimus, iam à Magiſtro Sacri Palatij noſtri fuit approbatum, aut illius partem aliquam ſine ſpeciali dictorum Iulij, & Ioannis Angeli, aut eorum hæredum, & ſucceſſorum, vel ab eis cauſam habentium, licentia imprimere, vel ab alijs ſine huiuſmodi licentia impreſſum vendere, ſeu venale habere, vel proponere valeat auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, concedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea vniuerſis, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, præſertim librorum Impreſſoribus, & Bibliopolis, ne in Vrbe videlicet, aut alibi in ſtatu Eccleſiaſtico prædicto ſub quingentorum ducatorum auri de Camera, pro vna prædictæ Cameræ; pro alia accuſatori, ac Iudici exequenti; ac pro reliqua tertijs partibus, eidem Iulio, & Ioanni Angelo, vel eorum hæredibus, & ſucceſſoribus, aut ab eis cauſam habentibus applicandis, necnon amiſſionis

Digitized by Google

librorum,& typorum omnium eiſdem Iulio, & Ioanni Angelo, vel eorum hæredibus,& ſucceſſoribus, aut ab eis cauſam habentibus pariter applicandis. Alibi verò vbicunque in tota Italia commorantes,ſub excommunicationis latæ ſententiæ eo ipſo incurrendis pœnis decennio prædicto durante,opus prædictum, aut aliquid ipſorum quomodocunque,aut qualitercunque ſine ſpeciali prædictorum Iulij,& Ioannis Angeli, aut cauſam habentium licentia imprimere,vel ab alijs,præterquam de licentia huiuſmodi,impreſſa habere,tenere,vendere,vel venalia proponere audeant, ſeu præſumant. Mandantes propterea dilectis filijs noſtris,& Apoſtolicæ Sedis de latere Legatis, Vicelegatis, Præſidentibus,Gubernatoribus,Prætoribus, & alijs Iuſtitiæ miniſtris, necnon quibuſcunque locorum Ordinarijs;quatenus quicunque ipſorum, & quotieſcunque pro parte dictorum Iulij,& Ioannis Angeli, aut ab eis cauſam habentium fuerint requiſiti; eis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes,pœnas prædictas in contrauenientes irremiſſibiliter exequantur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis;& conſuetudinibus etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque,indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum, quomodolibet conceſſis,confirmatis, & approbatis,cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis etiam impreſſis,manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis,ac ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis,eadem quæ ipſiſmet præſentibus in Iudicio,& extra fides adhibeatur. Datum Romæ, Apud Sanctum Marcum, ſub Annulo Piſcatoris die iiij. Auguſti M. D. LXXXXIIII. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

M. Veſtrius Barbianus.

Digitized by Google

GABRIEL
PALAEOTVS
SANCTAE ROM. ECCL. CARD.
Et Bononiæ Archiepiſcopus.

CLERO, POPVLOQVE EIVSDEM CIVITATIS, ET DIOECESIS.

EX quo tempore placuit Pio Quinto felicis recordationis, Bononienſis Eccleſiæ adminiſtrationi nos præficere, atque gregis iſtius ad æterna paſcua ducendi nobis curam committere; agnouimus altera ex parte eximiam erga nos ſummi Dei benignitatem, quæ tàm præclaram occaſionem, ſpatioſumq. campum in eius gloriam proficiendi, atque ciuium noſtrorum ſaluti conſulendi præbuiſſet: Ex altera verò parte, cum tanto oneri impa-

Digitized by Google

res eſſemus, vidimus detegendi infirmitatem noſtram, & manifeſtandi omnibus, quàm parum vſu valeamus, oſtium ſine dubio magnum aperiri.

Cum tamen nobiſcum cogitaremus, vocationis huius noſtræ auctorem illum extitiſſe, per quem infirmi robur ſuſcipiunt, & qui adminiſtrat ſemen ſeminanti, & ſpiritum bonum dat petentibus ſe; ſingulari illius freti auxilio, animum ſumpſimus ad ea, quę curæ noſtræ crederentur, ſummo ſtudio, atque animi ardore amplectenda. Sperantes per eiuſdem gratiam nos, ipſa non modo officij aſsiduitate, ſed omni etiam, quam vires noſtrę paterentur, induſtria, quantum de veſtra ſalute ſoliciti eſſemus, atque ex animo vobis prodeſſe cuperemus, non obſcurè declaraturos.

Noſtis, filij chariſsimi, quo primum tempore Epiſcopi renuntiati fuimus, nullam ferè nos moram interpoſuiſſe, quin ad deſponſatæ nobis Eccleſiæ complexum, paſtoraliſque illius curæ functiones obeundas, properaremus: cumquè ſingulari Dei benignitate nobis licuerit, viginti quinque ferè annorum ſpatio apud vos libenti animo permanere,

varia

varia interim munia, pro tenui virili noſtra, ex ipſius Epiſcopalis officij ratione exercentibus, erat ſanè illud animo prorſus defixum, reliquum peregrinationis noſtræ curſum vobiſcum abſoluere.

Factum eſt tamen, vt cum ſuperioribus annis inter ſex ſeniores Cardinales ſummo Pontifici aſsiſtentes, ex vetere Sanctæ Romanæ Eccleſiæ inſtituto, cooptati eſſemus, & Sedi Apoſtolicæ operam noſtram qualemcunque nauare iuberemur; inde vitæ noſtræ curſum mutare coacti ſimus; ita vt modo in Vrbe, modo Bononiæ, quantum oporteret, permittente ſummo Pontefice, ex eo tempore nobis fuerit commorandum.

Verùm cum multa, & grauia incommoda animo noſtro ſæpè obuerſarentur, quæ ex Paſtorum abſentia, gregi ſolent imminere; cognouimus ſimul etiam; eò acriorem à nobis ſolicitudinem adhibendam, mentiſque aſsiduam, vt ita dicamus, reſidentiam præſtandam omnino eſſe. Sed & amplius cogitantibus nobis hanc vigilantiam haud vſquequaque, cum paulò longior eſt abſentia, ſolere ſufficere; placuit eximiæ Gregorij xiiij. fel. me. ſapientiæ, ad vberiorem Eccleſiæ vtilitatem, gregiſque totius

ſolatium, eum nobis Coadiutorem in Archie-piſcopali munere adiungere; cuius virtus, & diſciplina ipſimet non ignota, vobis pariter (Dilectiſsimi) ob veterem eiuſdem in iſta Ciuitate, & Diœceſi conſuetudinem, diu ſpectata, atque explorata eſſet.

Nos verò, præter hæc, optantes, abſentiam hanc ipſam ampliore aliquo, ac diuturniore fructu, qui non ſolum ad vos, ſed ad poſteros etiam veſtros, Deo aſpirante eſſet peruenturus, compenſare; de multorum prudentum virorum conſilio, opus hoc nobis in præſenti edendum eſſe exiſtimauimus. Nam cum multa olim ex Tridentini Concilij decretis, ad mores reſtituendos, pietatemque inducendam, à nobis olim conſtituta, ob temporis longinquitatem, ac varietatem, non ita plenè omnibus cognita, ſparſimque diſiecta iacere animaduerteremus; ac nouiſsimè ſuperioribus menſibus Bononiam reuerſi, vt quæ oporteret, plenius conſtitueremus, idem ex Synodo Diœceſana tunc habita, & ex clericorum ſcrutinio deprehendiſſemus; iudicauimus, totam hanc Epiſcopalis muneris molem, paulò diligentius eſſe euoluendam, atque in ſua capita, certumque ordinem cuncta digerenda; & quæ

potio-

by Google

potiora eſſent, & vtiliora, ſiue aliàs tradita, ſiue poſtea adiecta, recentiùſque excogitata, nunc in vnum colligenda, ac certo volumine quaſi in promptuario includenda; vt eadem literis mandata, quocunque tempore, ſiue me abſente, ſiue præſente, ſiue etiam, quando Deo placuerit, è vita ſublato, mentis noſtræ ſenſum vniuerſis patefactum, omni ex parte relinquerent.

Quod quidem cum in primis ad muneris mei rationem, ac tranquilliorem conſcientiæ meæ ſtatum pertinere viſum fuerit, tum etiam Cleri, & Populi noſtri vſui appoſitum valde futurum exiſtimaui; cùm hinc, quaſi à nobis ipſis, ea quæ in rem eorum erunt, Canonici, Parochi, Presbyteri, Clerici, Moniales, tum Magiſtratus, Patresfamiliàs, Mercatores, Artifices, & reliqui cuiuſcunque ordinis haurire commodè valeant.

Amplius verò Archiepiſcopis etiam, & ſucceſſoribus noſtris, & ijs præſertim, qui fortè aliunde oriundi huic adminiſtrationi aliquando præficientur, eadem non inutilia fore iudicauimus: quandoquidem, ſicut qui per alienas prouincias, ignotaque loca peregrinaturi, ſolent ducem aliquem itineris ſibi libenter adſciſcere: Sic illi, qui morum, inſtitutorumque hu-

ius Eccleſiæ minus interdum periti erunt, non leui, vt ſperamus, ſibi commodo futurum eſſe intelligent, has qualeſcunque diſciplinæ noſtræ ſemitas, ſibi ante oculos propoſitas habere; quibus ad muneris ſui metam non ſolum facilius dirigantur, ſed etiam cura aliqua, & moleſtia, noua quotidie promulgandi decreta, liberentur. Fit enim perſæpe, vt non ſecus ac valentia corpora pharmacorum multitudine exagitantur: ſic populi, legum copia, ac varietate opprimantur.

Hæc ſunt (Dilectiſsimi) quæ vobis pro paſtorali noſtro officio, dum in Vrbe apud Sedem Apoſtolicam detinemur, ſignificanda eſſe duximus; cupientes conſilia hæc noſtra veſtris rationibus ſalutaria euadere, atque omnipotenti Deo in primis probata eſſe; rogantes eundem patrem miſericordiarum, vt cæleſtem vobis ſuam benedictionem impartiatur; atque poſt breuis huius æui curriculum, nos ſimul in æterna ſecum patria coniungere dignetur, vbi ſempiterna cum eo gloria perfruamur, eiuſdem gratia, & benignitate, qui viuit, & regnat in ſæcula. Valete in Domino. Ex Vrbe Roma. Die xxv. Nouembris M. D. LXXXXIII.

GABRIEL CARDINALIS PALAEOTVS

ALPHONSO PALAEOTO

BONONIENSIS ECCLESIÆ COADIVTORI.

IN Epiſcopalis officij gubernatione, præter virtutis, ac doctrinæ commendationem in Præſule neceſſariam; cum ſingularis quædam, & propria vniuſcuiuſque Prouinciæ, Regionis, Eccleſiæ, loci notitia, ac præſertim populi illius cognitio requiratur, qui paſtorali diſciplina excolendus eſt: viſum fuit nobis, pro muneris noſtri ratione, ea quæ longo annorum ſpatio, vſus ipſe in Bononien. diœceſi nos docuit, ne fortè cum ætatis noſtræ occaſu prætetlabantur, nunc quoad tempus patitur, ad diuturniorem Eccleſiæ noſtræ fructum, literis commendare.

Quæ quidem vt plenius innoteſcant, ac tenacius animis inhæreant, exiſtimauimus ex re eſſe, nonnulla de hac Epiſcopalis officij origine, neceſſitate, difficultatibus, & fine, paulo altiùs à primordijs attingere; cum principia naturam cuiuſque rei maximè aperiant, & homini ratione prædito conſentaneum valde cenſeatur, rerum quas geſturus eſt, cauſas prius inueſtigare; ne alioquin ea, quæ illi proponuntur imitanda, quaſi oculis clauſis, atque authoritate magis, ſeu conſuetudine, quàm ratione, & ſcientia amplexus fuiſſe videatur.

Quibus accedit, quòd cum permulta, & magna impedimenta, ac variæ perturbationes in adminiſtratione Epiſcopali ſe frequenter ingerant, quæ Epiſcopos nonnullos fortaſſe in medio curſu deterrere poſſent; hoc quoque ad Eccleſiæ noſtræ vtilitatem pertinere duximus, ſi ea, cum cautionibus, quas his difficultatibus, ſeu omnino tollendis, ſeu ſaltem moderandis conducere experti ſumus, in vnum, quantum rei natura patitur, ſummatim colligerentur; vt Bononiæ Archiepiſcopus (ſi hunc noſtrum laborem aliqua ex parte vtilem exiſtimauerit) vno propemodum aſpectu, ante oculos habere poſſit, quis ſibi finis ſtatuendus, quæ media tenenda, quæ præſidia ſectãda, quæ pericula metuẽda, vnde auxilia petenda, & alia huiuſmodi, ad id quod præ manibus habet officium, ſanctè, ſalubriterq. exequendũ.

Nec verò quiſquam fortaſſe exiſtimet, ad hæc ipſa initia Epiſcopalis muneris reſpiciens, ſimulque eas inſtructiones, ſeu præcepta animaduertens, quæ in aliis operis huius partibus ſubſequentur, propoſitum id nobis fuiſſe, vt perfectum aliquem Epiſcopum formare conaremur, cui muneris ſui exer-

cendi

Digitized by Google

cendi rationem indicaremus; non enim id facultatis, aut conſilij noſtri vllatenus vnquam fuit, qui id tantum egimus, vt ea quæ ad propriam Bononienſis Eccleſiæ adminiſtrationem ſpectant, ac populo nobis commiſſo fructum aliquem afferre poſſe, & ſucceſſoribus etiam noſtris, vt ſaltem facilius meliora adderent, vſui futura eſſe iudicauimus, hoc libro complecteremur.

Cum igitur tot annorum curſus, quibus Eccleſiæ Bononien. præfuimus, aſſiduaque in ea conſuetudo, atque in Diœceſi viſitanda frequentia, tùm anniuerſariæ ſynodi, crebrique cum Canonicis, Clericis, Parochis, Monialium monaſterijs, ac permultis ſodalitatibus, & collegiis congreſſus, plurima oculis, & auribus noſtris ſubiecerint, quæ alioquin ignota fuiſſent: exiſtimauimus hoc præcipuè tempore, quo abſentia maiorem vigilandi curam nobis adiunxit, eadem literis mandare: non tam vt hæc tibi Coadiutori noſtro (quamuis optimè Epiſcopalibus functionibus inſtructo) notiora, & magis in promptu redderentur; quàm vt tuo hæc ſtudio, & vigilantia, in mores Cleri, & Populi Bononienſis faciliùs, & ſuauiùs inducerentur; atque ad Reuerendiſſimos etiam alios ſucceſſores noſtros (ſi ita res eo tempore illis poſtulare viſa fuerit) quaſi per manus tradita, propagarentur.

Quod ſanè, vt eò commodiùs, ac vberiùs aſſequeremur, negocium dedimus Auguſtino Bruno familiari noſtro, qui nobiſcum diù in Synodis, Congregationibus, ac Viſitationibus verſatus fuit: vt ex multiplici decretorum, inſtitutionum, ſermonum, aliarumq. formularum congerie, diuerſis tēporibus à nobis edita, ea quæ potiora eſſent, ac rebus præſentibus magis accommodata, ſeligeret; latineque reddita, atque, vbi opus eſſet, adnotationibus etiam illuſtrata, ordine, perſpicuè, diſtinctèque emitteret, pro vt ex iis quæ ſequentur, non obſcurum futurum eſſe in Domino confidimus.

Quæ quidem omnia qualiacumque ſint, cum ad Eccleſiæ noſtræ tantùm fuerint vtilitatem conſcripta; non erit mihi idcirco excuſatio aliqua adhibenda, ſi minus perfectè vniuerſa, quæ in hoc genere afferri poterant, fuerim complexus; aut ſi ab aliorum Epiſcoporum adminiſtratione, qui diuerſa ratione munus ſuum magno cum fructu, ac nominis ſui exiſtimatione obire ſolent, noſtra hæc nonnihil diſcrepare inuenta fuerint; non enim eadem pharmaca iiſdem morbis vbique locorum ſunt ſalutaria. Itaque legimus in hiſtoriis Eccleſiaſticis per multa viuendi inſtituta, olim etiam florente Eccleſiaſtica diſciplina, pro regionum varietate, aliter atque aliter ſine offenſione obſeruata fuiſſe. Nos igitur rationem gubernandi alias Eccleſias, ſuorum Præſulum ſapientiæ, & dexteritati relinquentes, ac memores, quòd ſapiens dixit, ATTENDE TIBI ſatis eſſe duximus, ſi nobis id aſſequi licuerit, vt Eccleſiæ Bononien. cuius curā gerimus, & Deo ſumus rationē reddituri, aliqua ex parte nō inutiles hac ſcriptione fuiſſe iudicemur.

Quibus conatibus, vt incrementum det Deus, atque cælesti ſua gratia aſpirare dignetur, optamus tam tuis, quàm chariſſimorum filiorum noſtrorū precibus, piiſque actionibus, accedente glorioſæ eius genitricis interceſſione, ab eiuſdem miſericordia auxilium impetrari. Vale in Domino.

AVGVSTINVS BRVNVS
IVR. VTR. DOCT.
AD LECTOREM:
De ratione ordinis in toto hoc Collectionis opere obſeruati.

CVRAM hanc ab Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Domino meo Cardinali Archiepiſcopo mihi iniunctam, nonnulla colligendi, atque in ordinem redigendi, quæ Illuſtriſſima Amplitudo ſua decreuerat, & promulgauerat, à primo ferè tempore, quo Bononien. Eccleſiam ad hunc vſque diem adminiſtrauit; quamuis viribus meis imparem, ea tamen qua decuit humilitate, & reuerentia, ac læto in primis animo ſuſcepi; ſciens me operam meam qualemcunque, nulla in re aptiùs, aut vtiliùs collocare poſſe, quàm in eius iuſſis exequendis, quæ ſemper ad Dei gloriam, & commune bonum excogitari, ac dirigi, experientia ipſa comprobauit.

Huius autem Collectionis cauſæ cum plurimæ ſe obtulerint, tum verò illa neceſſaria quodammodo viſa eſt; quoniam cum aliàs, ipſo Illuſtriſſimo Archiepiſcopo quaſi inſcio, plura in librum quendam qui inſcribitur, Epiſcopale Bononien. Ciuitatis, & Diœceſis, congeſta confusè admodum fuerint, & per multorum manus, non ſolum Bononiæ, ſed etiam alibi ferrentur; nunc eadem ad congruentem methodum diſpoſita, multiſq. aliis etiam poſtea adiectis, quæ idem Illuſtriſſimus Archiepiſcopus denuo ſanciuit, aut reformauit, quemadmodum neceſſitas, & occaſio poſtulabat, locupletata, atque in lucem edita, faciliùs in poſterum à Parochis, & Clero legi poterunt, & ab omnibus maiori ſtudio ſeruari.

Et ſi verò hæc omnia ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo partim latino, partim vulgari ſermone, prout rerum, & perſonarum cõditioni conſentaneum erat, varijs temporibus fuerint prolata; tamen ad ampliorem Eccleſiæ Archiepiſcopalis Bononienſis dignitatem, tum ad aptiorem rerum Eccleſiaſticarum tractationem, denique ad maiorem vtilitatem Academiæ Bononienſis,

nienſis, ad quam multæ exteræ nationes, ſtudiorum cauſa confluunt; placuit eidem Illuſtriſſimo Domino, vt vniuerſa latino, quo Eccleſia Romana vtitur, eloquio ederentur: cum facile ſit Parochis Ciuitatis, & Diœceſis Bononien. eadem, vbi opùs erit, in popularem ſermonem vertere, atque ad ipſius populi captum conformare.

Similiter quamuis ex ipſis pleraque, prius quàm antiquiſſima Eccleſia Bononienſis, Archiepiſcopali dignitate à Gregorio XIII. fel. record. inſigniretur, ab eodem Illuſtriſſimo Cardinali Epiſcopo confecta fuerint, in longo Epiſcopalis adminiſtrationis ſuæ progreſſu; tamen ne hoc Epiſcopi, & Archiepiſcopi nomine multis in locis ſæpiùs repetito, lectori ambiguitas aliqua oboriretur, Collectionis huius præſens tempus tantummodo ſpectantes, non autem præteritarum rerum, quæ in ea continentur, promulgationem; Archiepiſcopi nomine, vt plurimum vtendum eſſe cenſuimus.

Cum autem in titulis, aut alijs in locis, Fides, Sacramenta, & reliqua huiuſmodi nominari contigerit; conſilij Illuſtriſſimi Archiepiſcopi fuit, vt non tamquam de fide, de baptiſmo, de confirmatione, aliiſque Sacramentis hic ex propoſito agendum ſit, ea referantur; ſed aliqua tantum colligantur, quæ praxim indicant illorum adminiſtrandorum, ab Illuſtriſsimo eodem Archiepiſcopo, olim populi ſui vſui accommodatam, & varijs inſtructionibus, edictis, formuliſque conceptam, prout contingentium caſuum neceſſitas ſuis temporibus requirebat.

Sed antequam ad operis ingreſſum accedatur, de rerum, quæ ſequuntur, tractandarum ratione; & de ijs diſtinguendis, atque locis ſuis aptè diſtribuendis, paucis lector videtur præmonendus; ne ordo, qui ad intelligentiam excogitatus eſt, obſcuritatem, & difficultatem pariat; cum ea vt plurimum obſcura, & difficiliora reddantur, quorum cauſas, & rationes ignoramus.

Itaque primum ſciendum eſt, in hoc ordine inſtituendo, ſacra Concilia, & aliquot grauiſſimos Chriſtianæ diſciplinæ libros, viam præmonſtraſſe; ſimplicem verò ſtylum, ac planum de induſtria quæſitum fuiſſe, relicta methodo ſcholaſticæ diſciplinæ. Data eſt tamen opera, cum opus fuit, vt res rei, quantum fieri poſſet, connecteretur; rationeſque afferrentur, quibus, & de rerum continuatione, & de ipſis rebus, quæ traduntur, lector inſtrui poſſit.

Porrò hæc ordinis eſt ratio, vt totum opus in ſeptem partes diuidatur.

PRIMA PARS.

HAEC eſt caput reliquarum partium, quo niſi rectè conſtituto, cæteræ partes aptè cohærere minime poſſunt: nam in ea Illuſtriſsimus Archiepiſcopus complexus eſt generales animaduerſiones, & theoriæ præcepta; quibus totum corpus, quaſi compagibus colligatum, aptiùs, & faciliùs ſua membra exercere poſsit. Continet autem plura capita, & præcipua ipſorum argumenta hæc ſunt.

Cap.

1. *Quod humanæ conditionis imbecillitas, indiget alterius gubernatione, tum quoad corpus, tum quoad animam.*
2. *Leges ſcriptas ſatis non eſſe ad regendos homines, ſed viua vnius voce eos indigere, qui cæteris præſit.*
3. *Poteſtatem ſæcularem non ſufficere ad gubernandum, dirigendumque hominem ad debitum, & vltimum finem; ſed neceſſario requiri Epiſcopalem.*
4. *De inſtitutione Epiſcopalis officij, & quiſnam primus incæperit hoc munus adminiſtrare.*
5. *De aliorum Epiſcoporum ſucceſſione, atque eorum poteſtate.*
6. *De præcipuis Epiſcopalis muneris obligationibus, atque difficultatibus; ac primum de ijs, quæ ad cauſam efficientem, ſiue ad perſonam Prælati ſpectant.*
7. *De ſecunda difficultate, proficiſcente à cauſa, quæ dicitur inſtrumentalis, per quam Epiſcopalis poteſtas eſt exercenda.*
8. *De tertia difficultate Epiſcopalis officij, quæ à cauſa materiali proficiſcitur.*
9. *De quarta difficultate, quæ ad cauſam pertinet formalem, dum Epiſcopus populi vitam bonis perficere moribus contendit.*
10. *De quinta difficultate, quæ ex cauſa finali oritur.*
11. *Excuſationes nullas Epiſcopo ſuffragari, vbi ſuſcepto à ſe muneri qua oportet fide, & diligentia non reſpondet.*
12. *Superiores muneris Epiſcopalis difficultates examinantur, atque oſtenditur eas eiuſmodi non eſſe, quin poſsint ſuperari.*
13. *Oportere Epiſcopum præcipua quædam capita ſibi in animo defigere, ad vtilem officij ſui adminiſtrationem.*
14. *Quis debeat Epiſcopo propoſitus eſſe finis in ſuo munere.*
15. *Quæ media, quæuè rationes Epiſcopo ineundæ ſint, vt officio ſuo bene perfungatur.*

De vir-

16 *De virtutibus, ſeu earum officijs, quæ potiſſimum in Epiſcopo requiruntur, vt benè Eccleſiam ſuam adminiſtret.*
17 *Quodnam ſit illud virtutis, aut officij ſtudium, in quo debeat Epiſcopus præcipuè elaborare.*
18 *An Epiſcopalis vigilantia aliquo extrinſecus præſidio ad pleniorem eius fructum indigeat.*
19 *An Epiſcopalis officij ſolicitudo terminum aliquem admittat, vltra quem non ſit amplius Epiſcopo vigilandum.*
20 *Vigilantiam ab Epiſcopo potiſſimum erga ſe ipſum, & res proprias exercendam, tum in vita, tum in morte, vt munus ſuum ſalutari fine concludat.*
21 *Epilogus, quo concluditur, quid maximè Epiſcopo ſit procurandum, ad paſtoralem curam non ſolum vigili ſolicitudine, ſed etiam cum iucunditate exercendam.*

SECVNDA PARS.

POST hæc theoriæ præcepta ab Illuſtriſsimo Archiepiſcopo tradita, incipit ipſa Collectio, quæ ad praxim, vt ſupra dictum eſt, ſpectat. Cumque primum Chriſtiani hominis fundamentum ſit fides, & accedentem ad Deum oporteat credere, quia eſt, & quòd inquirentium ſe remunerator ſit, viſum eſt ab ijs, quæ ad fidem pertinent, exordiendum eſſe, atque idcirco in ea collocabuntur hæ res præcipuæ.

Cap.

1. *De his quæ pertinent ad profeſſionem fidei, & qui teneantur eam emittere.*
2 *Forma iuramenti profeſſionis fidei.*
3 *Inſtitutio Doctrinæ Chriſtianæ.*
4 *Monitiones, & formulæ plures ad eiuſdem Doctrinæ vſum in Ciuitate Bononiæ.*
5 *Ordo ſeruandus in Diœceſi Bononienſi in eadem Doctrina Chriſtiana edocenda.*
6 *De prædicatione Verbi Dei.*
7 *Inſtitutio generalis pro prædicatoribus verbi Dei.*
8 *Monitiones ad eoſdem pro monialibus.*
9 *Formulæ aliarum monitionum pro prædicatoribus tempore Aduentus, Quadrageſimæ, & cæt.*

Sermo-

10 *Sermones duo pontificales Illuſtriſſimi Card. Archiepiſcopi.*
11 *Plura ad Sanctum Officium Inquiſitionis ſpectantia.*
12 *De Societate Sanctiſſimi Nominis Dei, ad tollendas blaſphe-mias, & periuria.*

TERTIA PARS.

QVIA fidei adiuncta ſunt Sacramenta, quæ ſi fructuosè ſumantur, eam gratia, & charitate informant; ideo poſt fidem, ad Sacramentorum adminiſtrationem, atque alia ad ipſa Sacramenta ſpectantia erit progrediendum, & diſtinctè ponenda plurima, tùm ad Parochos adminiſtrantes, tum ad eos, quibus Sacramenta adminiſtrantur, pertinentia: videlicet.

Cap.
1. *De Sacramento Baptiſmi.*
2 *De Sacramento Confirmationis.*
3 *De Sacramento Pœnitentiæ.*
4 *De Sacramento Euchariſtiæ.*
5 *De Sacramento Ordinis.*
6 *De Sacramento Matrimonij.*
7 *De Sacramento extremæ Vnctionis.*

In his ſunt Inſtructiones ad Parochos, Ritus adminiſtrationis, exempla Monitionum ad Parochorum vſum. Sermones nonnulli Illuſtriſsimi Archiepiſcopi, & plura alia.

QVARTA PARS.

POST Sacramenta, quoniam in Eccleſiis ipſa aſſeruantur, ſeù adminiſtrantur; plura ad ipſas Eccleſias pertinentia tractanda occurrent, quæ omnia huc non afferemus, ſed quædam inſigniora tantum: quæ verò ob multiplicitatem librum augere nimium viſa ſunt, omittentur. In hac autem parte collocabuntur hæ res præcipuæ.

Cap.
1. *De Synodo Diœceſana.*
2 *Concilium Prouinciale primum Bononienſe.*
3 *Tranſlationes quatuor ſacrarum Reliquiarum.*

De Sa-

4 *De ſacris Imaginibus.*
5 *De Sancta Orationis vſu multiplici.*
6 *De Iubilæo Anni Sancti vbi proceſsiones, & peregrinationes inſignes afferuntur.*

In his omnibus comprehenduntur plura etiam alia, quæ ad cultum Eccleſiarum pertinent: & ſuis locis nonnulli Sermones Illuſtriſsimi Cardinalis Archiep. ſunt interiecti.

QVINTA PARS.

ECCLESIIS vt plurimum, piorum locorum, atque operum inſtitutiones adiunguntur; atque idcirco hoc loco ſubſequentur alia de huiuſmodi pijs locis, & operibus in Ciuitate, & Diœceſi Bononienſi inſtitutis, aut reformatis diſtinctè recenſenda: nempè

Cap.
1. *De Clericis Seminarij Bononienſis.*
2 *De Conuictoribus eiuſdem.*
3 *De Clericis interuenientibus Eccleſia Metropolitana.*
4 *De Congregatione Perſeuerantia.*
5 *De Congregatione Oratorij in eadem Eccleſia Metropolitana.*
6 *De Congregatione caſuum Conſcientia.*
7 *De Congregatione pro cæremonijs ſacris obſeruandis.*
8 *De Hoſpitalibus.*
9 *De Congregatione Infirmariorum.*
10 *De prouiſionibus circa eleemoſynas colligendas & diſtribuẽdas.*
11 *De congregatione pro regimine domus Cathecumeni.*
12 *De Congregationibus extraordinarijs, & illa præſertim qua instituta fuit ab Illuſtriſsimo Archiepiſcopo dum inſtaret peſtis periculum.*

SEX-

SEXTA PARS.

HIS omnibus poſitis, vt decretis, præceptiſque debita ſtatuatur obedientia, cum neceſſaria ſit alicuius Magiſtratus auctoritas; ideoque plurium miniſtrorum opera requiratur, in hac parte de Tribunali, ſeu foro Eccleſiaſtico; eius miniſtris, aliiſque rebus ad ipſius curam ſpectantibus plura proponentur, veluti.

Cap.

1. *Regulæ generales de adminiſtratione fori Archiepiſcopalis ad Vicarium pertinentes.*
2 *Conſtitutiones fori Archiep. vbi de Notarijs, aliiſq. miniſtris.*
3 *Taxa mercedum eiuſdem fori.*
4 *Congregatio pro regimine eiuſdem fori Archiepiſcopalis.*
5 *Congregatio Reformationis; vbi plura Edicta, prouiſiones, decreta, & inſtructiones ad varias res pertinentes.*
6 *Congregatio pro œconomia Archiepiſcopali.*
7 *De Viſitatione, tam ipſius Illuſtriſsimi Card. Archiep. quàm aliorum Viſitatorum ab eo deputatorum.*

SEPTIMA PARS.

Quemadmodum initium dedit huic toti collectioni prima illa pars, quæ præcepta continet, quibus inſtruitur Epiſcopus; ita etiam æquum erat, vt poſtrema pars, inſtructiones ad varios ſtatus hominum complecteretur, quas Illuſtriſsimus Archiepiſcopus ſermonibus, tùm ſolemnibus, tùm priuatis populo ſuo præbere ſolitus fuit; quæ quidem praxis Bononienſi Ciuitati præſertim neceſſaria eſt, in qua Archiepiſcopo multiplicis conditionis homines, & exteri etiam ſunt regendi. Continet igitur hæc ſeptima pars quindecim Sermones ex plurimis excerptos, videlicet.

Cap.

1. *Ad Clerum vniuerſum Ciuitatis, & Diœceſis Bononienſis.*
2 *Ad Canonicos, & Capitulum Metropolitanæ Eccleſiæ.*
3 *Ad generalem Congregationem Archipresbyterorum Diœceſis Bononienſis.*

Ad Pa-

4 *Ad Parochos Ciuitatis Bononienſis.*
5 *Ad presbyteros non curatos, de sacro Miſſa celebrando.*
6 *Ad Senatores, & Magiſtratus qui adminiſtrant Rempublicā.*
7 *Ad Doctores, & publicos Gymnaſij lectores.*
8 *Ad Medica artis profeſſores.*
9 *Ad Scholares Academia Bononienſis.*
10 *Ad Societatem ſtudioſorum Perſeuerantia.*
11 *Ad Optimates & Primarios Vrbis Bononia viros.*
12 *Ad Aduocatos & Patronos cauſarum.*
13 *Ad diſceptantes litibus in iudicio.*
14 *Ad Moniales triplici voto obſtrictas.*
15 *Ad diuerſorum Ordinum ſtatus ſimul collectos.*

Huic ſeptimæ parti finem imponet catalogus Epiſcoporum Bononienſium à Carolo Sigonio Hiſtorico grauiſsimo, iuſſu eiuſdem Archiepiſcopi diligenter collectus. Itemq. catalogus Martyrum, Confeſſorum, Beatorum, & Beatarum Bononienſium.

ARCHIEPISCOPALE BONONIENSE

Siue

DE BONONIENSIS ECCLESIAE ADMINISTRATIONE

Pars Prima.

INDEX OMNIVM CAPITVM quæ in hac prima parte continentur.

Cap.

1 An humana natura indigeat alterius gubernatione, tum quoad corpus, tum quoad animam.

2 An leges ſcriptæ ſufficiant ad regendos homines: vel potius viua vnius vox requiratur, qui cæteris præſit.

3 An præter ſecularem poteſtatem neceſſaria ſit Epiſcopalis, ad gubernandum dirigendumque hominem, ad debitum & vltimum finem.

4 De inſtitutione Epiſcopalis officij: & quiſnam primus incœperit hoc munus adminiſtrare.

5 De aliorum Epiſcoporum ſucceſſione, atque eorum poteſtate.

6 De præcipuis Epiſcopalis muneris obligationibus, & difficultatibus: ac primum de ijs, quæ ad cauſam efficientem, ſiue ad perſonam Prælati pertinent.

7 De ſecunda difficultate proficiſcente à cauſa, quæ dicitur inſtrumentalis, per quam Epiſcopalis poteſtas eſt exercenda.

8 De tertia difficultate Epiſcopalis officij, quæ à cauſa materiali proficiſcitur.

9 De quarta difficultate, quæ ad cauſam formalem pertinet, dum Epiſcopus populi vitam bonis perficere moribus contendit.

10 De quinta difficultate, quæ ex cauſa finali oritur.

11 An excuſationes aliquæ Epiſcopo ſuffragentur, vt ſuſcepto à ſe muneri, qua oportet fide, & diligentia non reſpondeat.

12 An difficultates muneris Epiſcopalis ſint eiuſmodi, vt ſuperari non facile poſſint.

13 Oportere Epiſcopum, præcipua quædam capita ſibi in animo defigere, ad vtilem officij ſui adminiſtrationem.

14 Quis debeat Epiſcopo propoſitus eſſe finis in ſuo munere.

15 Quæ media, quæue rationes Epiſcopo ineundæ ſint, vt officio ſuo bene perfungatur.

16 Quæ virtutes, ſeu virtutum officia ex multorum ſententia potiſſimum in Epiſcopo requirantur, vt bene eccleſiam ſuam adminiſtret.

17 Quodnam ſit illud virtutis, aut officij ſtudium, in quo debeat Epiſcopus præcipuè elaborare.

18 An Epiſcopalis vigilantia aliquo extrinſecus præſidio, ad pleniorem eius fructum, indigeat.

19 An Epiſcopalis officij ſolicitudo, terminum aliquem admittat, vltrà quem non ſit amplius Epiſcopo vigilandum.

20 Vigilantiam ab Epiſcopo potiſſimum erga ſe ipſum, & res proprias exercendam, tum in vita, tum in morte, vt munus ſuum ſalutari fine concludat.

21 Epilogus, quo concluditur; quid maxime Epiſcopo ſit procurandum, ad paſtoralem curam non ſolum vigili ſolicitudine, ſed etiam cum iucunditate exercendam.

AN HV-

AN HVMANA NATVRA *indigeat alterius gubernatione, tum quo ad corpus, tum quo ad animam.* *Cap. I.*

IN vniuerſo hoc opere, licet ea tantum, quæ ad Bononiẽſis Eccleſię adminiſtrationem pertinent, complecti nobis ſit propoſitũ: quia tamen muneris huius principia, ac fundamenta, omni Epiſcopali gubernationi cõmunia ſunt; quæ niſi in primis pateſiãt, poſſent curſum ad reliqua minus planum reddere. Ideo nemini mirum eſſe debet, ſi à generalibus officij huius primordijs, hac prima parte exordiendum eſſe duximus, cum id materiæ pertractandæ ratio, immo & neceſſitas ipſa poſtulare videatur. Et eo magis, quod cum in operis huius progreſſu, ea præcipuè quæ ad praxim ſpectant, nobis perſequi ſit conſtitutũ; propterea quod eadẽ vſu ipſo ſatis populo noſtro accommodata, & ſalutaria eſſe deprehẽdimus; expedit maxime vnumquemque intelligere, hæc non euentu quodam, aut arbitrio olim à nobis excogitata, ſed à ſuis principijs per legitimas ſemitas in hominum mores inducta fuiſſe.

Incipimus igitur ab Epiſcopi nomine, quod cum græcum eſſe conſtet, & ſpeculatorem, ſiue inſpectorem, aut obſeruatorem, & quod dicimus ſuperintendentem ſignificet [a], varijs ideo vitæ inſtitutis olim à gentilibus auctoribus attributum fuiſſe legitur. Vnde Arcadius Iuriſconſultus recenſens munera perſonalia ait [b]: *Epiſcopi qui præſunt pani, & cæteris venalibus rebus, quæ Ciuitatum populis ad quotidianum victum vſui ſunt, perſonalibus muneribus funguntur.* Et Cicero ſcribit [c]: *Vult me Pompeius eſſe, quem tota hæc Cãpana, & maritima ora habeat ἐπίσκοπον, ad quem delectus, & ſumma negocij referatur.* Hodie verò vocabulum iſtud factũ eſt quodammodo proprium Chriſtianæ Religionis, veteri penè ſenſu obſeruato: Eccleſiaſticumq. ſignificat munus, quod in gubernandis ex diuinæ legis præſcripto, & canonum diſciplina populis, atque animarum cura adminiſtranda poſitũ eſt, prout omnes norunt.

a. S. Aug. de ciu. Dei lib. 19. c. 19.

b. in l. fin. de muner. & honor.

c. Cicer. lib. 7. ad Attic. epiſt. 10.

Cuius quidem officij, cũ multiplices functiones in præſenti à nobis explicandæ ſint: poſſet aliquis exiſtimare, argumenti huius tractationem non admodũ eſſe neceſſariam. Neque enim euidẽs aliqua ſe prodit ratio, cur teneantur homines aliorum ſubeſſe gubernationi: immo cum rerum omnium poteſtatem Deus, & procurationẽ habeat, regatq; ſua prouidentia etiam auiculas, & formicas; non videtur poteſtate alia, & cura ratione nobis opus eſſe: & ſi quando aliud imperium fortè deſideraretur, ſibi quiſque deberet imperare; cum mente ideo prædıtus ſit homo, vt ſeipſum tueri, & regere queat.

Verùm quoniam res ſecus ſe habet, atque eſt perſpicuum, nõ ſolùm alterius imperijs homines vt plurimũ contineri debere, verùm etiam Epiſcopali oportere eos poteſtate regi; ideo priuſquam Epiſcoporum officij partes explicentur, hunc locum, qui ſubditos populos reſpicit, confirmari neceſſe eſt: vt cum intellectum fuerit, genus humanum, ob maximas illius vtilitates, in Præſulũ cura, & tutela eſſe oportere; eò facilius ſubditi, cognoſcentes hanc ſubiectionẽ ſibi maxime ſalutarẽ eſſe, permoueãtur, ac vehementius incitentur ad Præſules audiendos, & ad parendum eis ſumma cum alacritate, cum in rem ſuam, atque vtilitatem, totum hoc negocium verti perſpiciant. Epiſcopi item eò libentius animum inducant ad munus hoc ſuſcipiendum, cum viderint tantũ ex eo fructum poſſe proficiſci.

Multa enim argumenta afferunt, tùm philoſophi ſolo naturæ lumine ducti, tùm Chriſtiani, fidei etiam ſplendore illuſtrati, varia ratiocinantes, ac demũ

inter ſe conuenientes, neceſsarium eſſe in vita degenda, hominum multitudinē alicuius gubernationi, atq; imperio ſubeſſe. Illi[a] rationis ducti lumine conſiderarunt, quemadmodum omnia animātium genera varios à natura motus, inſtinctuſq. habent, tum ad viuendum, tùm ad tuendum ſe ipſa: cum alia ſyluas incolant, alia montes, alia valles, in aquis alia degant, ſolitaria alia, alia cum vno tantum, alia cum pluribus congregata habitent. Sic à conditore ſapientiſſimo Deo eſſe prouiſum, vt creatus homo prę alijs omnibus in ſocietate viueret, ac cœtus, conciliaq. hominum coleret; idq; non ſolum ob voluptatem, quam ſocietas ipſa, ac conſuetudo inuicem affert: ſed præcipuè, quòd mutuis indigeant homines auxilijs.

a. Ariſt. Politic. lib 1. c. 2. Cic. de offic. lib. 1.

Nam, vt ait Sāctus Baſilius[b]: *Natura noſtra nihil eſt tam peculiare, quàm mutua inter nos communicatio, mutuaq. alijs aliorum opera indigentia.* Quod quidem quadruplici de cauſa factum eſſe aiunt ipſimet philoſophi, qui naturam hominis infirmam, atque imbecillam conſiderant, licet lapſam è ſtatu innocentiæ non agnoſcant. Primò propter alimoniam, & victum. Secundò ob veſtitum, & tectum. Tertiò ratione diſciplinæ. Quartò præſidii cauſa, vt incolumis ab aliorum iniuria homo protegatur.

b. In Regul. fuſius diſputatis. Interrog. 3.

Quod enim ad primum attinet, & corpus ipſum reſpicit: cum nudi homines naſcantur, infirmi, & delicati, non poſſunt cibis quibuslibet rudibus, & agreſtibus tantum ſuſtentari: ſed ſæpè elaborato indigent alimento, atque induſtria aliqua purgato, & decocto, vt humanæ naturæ, quæ ita conſtituta eſt, conueniat[c]; cumq. cibos omnes per ſe homo quærere ſibi nequeat, ideo aliorum opem, atque artificiorum varietatem deſiderat.

c. Plin. in proem. lib. 7. nat. hiſt.

De ſecundo, notum eſt, illum veſtitus tegumento omnino indigere, quod priuſquam vſui ſit, manu, & arte multorum parandum eſt. indiget etiam ſupellectili, domeſticoque inſtrumento, atque inter cætera tecto, & habitatione, nam abſque his ſuſtentare ſe ille nequit; ſed præterea mūdati illum corpore oportet, lauari, medicamina ſumere, calefieri, refici, atque alijs huiuſmodi inſtaurari, quæ omnia aliorum labore, & induſtria comparantur. Vnde S. Gregorius Nyſſenus ſcripſit: *Nemo ſolus ſibi ipſi ad vniuerſa ſufficere poteſt*[d].

d. Lib. 1. Philoſoph. c. 2.

Tertio maximè omnium neceſſaria eſt ei diſciplina vitæ: hanc enim potiſſimum ob rem homini eſt ſermo datus: vt alij alios edocerent, informarentq. moribus: ac quid iuſtum, aut iniuſtum, quid malum, bonumuè habēdum eſſet, inſtruerentur[e].

e. Polit. lib. 1. cap. 2. Xenophon. de dict. et fac. Socr. lib. 1. & 4.

Quarto, poſt illa omnia comparata, cum varia deinde ſe incommoda, & neceſſitates obijciant, quæ hominem his perfrui impediunt; ideo eò magis fuit illi aliorum ſocietas adhibenda: vt eſsent, qui ab illo arcerent iniurias, ac vim inimicorum propulſarent, atque illum in eius neceſſitatibus adiuuarent[f].

f. Aegid. de regim. Princip. lib. 2. par. 1. c. 1.

Hoc igitur poſito fundamento, dixerunt ſapientes, conſequens eſse, hominum vniuerſitatem præſtanti aliquorum auctoritate, & poteſtate egere, qua communi vtilitati proſpiceretur: cum enim ſinguli homines longè inter ſe differant, ac plerique rudes ſint, & imperiti, leues, & imbecilli, ſtatum ſuum tueri non poſſunt, ſi ab optimatum cura deſerantur[g]. Vnde Salomon dixit[h]: *Vbi non eſt Gubernator, populus corruet*. Et in Exodo[i]: *Prouide de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deum, qui iudicent populum omni tempore*.

g. Polit. 1. c. 1. S. Tho. de regim. Princip. lib. 1. c. 1. & cōtra Gēt. lib. 3. c. 81.
h. Prou. 11.
i. Exo. 18.

Videmus enim, cum Deus admirabilem hanc mundi machinam condidit, non omnibus rebus idem genus, non eandem vim, ac poteſtatem indidiſse; ſed differre inter ſe eas voluiſſe, aut materia, aut forma, aut qualitate, ac proprietate, ſeu etiam vtilitate; vt hac varietate, rerumq. diſcrimine, illuſtrior ipſius ſapientia, ac vniuerſitatis ordo, & perfectio eniteret[k]. Atque hac ratione, mirabilique diſſimilitudine magnarum rerum, & paruarum, æqualium, atque inæqualium.

k. S. Tho. in 1. par. q. 47. art. 1. & 2.

parium,

parium, & imparium, omniumq. inter ſe proportione conuenientium, ita terreſtria omnia, ac elementa, & ipſum etiã cælum, cæteraq. vniuerſa diſpoſuit, & moderatus eſt; vt mentes noſtræ hæc intuentes, admiratione afficiantur: animaduertentes ſuperiora fuiſſe inſtituta, vnde inferiora penderent; ac minora maioribus, imbecilliora robuſtioribus ſic ſuppoſita fuiſſe; vt hæc in illorum vtilitatem, & adiumentum ſe exercerent; ſicq. connexa, & cõſociata omnia permanerent [a].

Quare ſi nexus hic ita à natura in rebus etiam imperfectioribus fuit inſtitutus; æquum erat, in parte illa totius vniuerſi, quæ cæterarum præſtantiſſima eſt, multo magis obſeruari. Vnde dubitare neminem oportet, quin hominum quæuis ſocietas eximiam aliquam poteſtatem requirat, qua regatur, ac tueatur ſtatum ſuum.

a. Cic. lib. 2. de Natur. Deorum. Minutius ī Octauio. S.Th. in 1. q.22.art.2 ad 3.

Nam cum creata omnia ſint, vt conſeruentur, finemq. aſſequantur pro ſuo quodque genere: hoc a uxilio, ac præſidio conuentus hominum carerent, niſi eſſent, qui præpoſiti cæteris, toto pectore vniuerſitatis procurationem ſuſciperent, eiuſq. ſalutem ad officium ſuum propriè pertinere arbitrarentur. Hæc philoſophi, ac ſapientes viri, naturæ lumine ducti attigerunt.

Verùm Chriſtiani, multo ſublimius hæc omnia perpenderunt, vtpotè qui ſuperna cognitione, ac diſciplina, quam ſanctiſſimæ fidei attulit lux, rerum primordia cognouerunt; ac præter communem illam generis humani cõditionem, quam diximus poſtulare, homines ab alijs regi (propter ſcilicet ſocialem vitam, quæ multos diu continere non poſſet, niſi aliquis omnibus præſideret, qui bonum commune eis procuraret) intellexerunt etiam, aliam longè maiorem neceſſitatẽ accedere, à primorum parentum culpa ortam: qui cum à creatore ſuo defeciſſent [b]; propter inobediẽtiam, ipſorum mens, quæ Deo ſubiecta eſſe debuit; & ſenſus, qui ad inſeruiendum rationi creati fuerant, iuſtitia originali labefactata calcitrarunt: ac voluntatem ad illicita trahentes, velut vinculis ſoluti, hominem licentia, turbis, ac tumultu ſolicitarunt. Itaque eũ nimia facilitate ſua, protoplaſtus in has miſerias, ærumnaſq. inciderit; quemadmodũ ex Aethiope naſcitur Aethiops, ſic ille filios ſui ſimiles, quoad naturæ labem, procreauit; atque humani generis vniuerſitatem transfuſo ſemine propagatam vitians, illam congrui ordinis, debitæque ſubiectionis norma deſtitutam, ac expoliatam reliquit.

b. S. Thom. 1. 2. q. 82. artic. 3.

Quapropter viribus internis debilitatis, ac langueſcentibus, factum eſt, vt ſenſus, & cogitatio humani cordis, quæ in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua [c], indiguerint, præſertim in communi ſocietate viuendi, alicuius cordatioris, & prudentioris viri opera, & auxilio; qui publica, legitimaq. auctoritate his ſpiritalibus damnis proſpiceret; cœtuſq. hominum in gratuita Dei ſubiectione continere curaret; eoſque Eccleſiaſticis legibus regeret, & ſuppliciorum metu à ſcelerum noxa auocaret; quemadmodum ijs, qui rem ſuam gerere, patrimoniumq. adminiſtrare non poſſunt, à legibus curatores dantur.

c. Genes. 8.

Ita præter ſingularem opem, & maximum præſidium, quod Præſules ſuo regimine afferunt: præbet etiam populis hæc poteſtas teſtimonium, ac argumentum primæuæ arrogantiæ, & procacitatis. Deinde verò ex eo intelligunt, ſe fræno, verberibus, diſciplinaq. egere: facilè enim præcipites ruerent, niſi Magiſtratuum ope, quaſi manu à Deo informata, ſuſtentarentur.

Nam vt S. Chryſoſtomus ait [d]: *Talis hominum natura eſt, vt ſi quando peccans non refrænatur, ſed ſecure agit, vlterius procedat, & in praeceps feratur.*

d. Homi. 26. in Geneſ.

Hac quoque ratione agnoſcunt homines imperitiam ſuam, temeritatem, infirmas vires: ſubmittunt animos, Deum metuere diſcunt: qui perenni miſericordia ſua motus, non ceſſat pro eorum meritis, ac prout opus eſt, communicare illis modò bonos Magi-

 ſtratus,

ſtratus, qui eos demulceant, & conſolentur: modò ſeueros, ac duros, qui in eos animaduertant, pœniſq. coerceāt: alios acres, & vehementes, qui eos extimulent: alios ſedatos, qui pacem, & quietem inter illos tueantur: lumineq. Præſules ſuo colluſtrat, ac vigorem eis addit, vt idonei ſint, qui ad ſummum bonum populos ducant: populos verò, vt per eorum obſequia, & obſeruantiā erga Magiſtratus, vitam æternam promereantur.

Quod igitur obijciebatur, diuinam prouidentiam ſatis eſſe ad homines regendos. Hoc loco reſpondere ſolent ſacri Theologi [a], mundi quidem gubernationem à diuina prouidentia pendere, qua Deus omnia ad ſuum quodq. finem dirigit, ac ducit: verùm quoad exequenda adminiſtrationis huius opera, ipſe vt bonitatem ſuam creaturis à ſe conditis vberius impartiatur, vult eaſmetipſas tamquam diſcipulas à ſe edoctas, loco cauſarum, quæ ſecundæ dicuntur, & inſtrumentorum ad id electorum eſſe: cum hæc peculiaris cura, atque exequutio hominibus commiſſa, eius æternæ, vniuerſaliq. prouidentiæ minimè aduerſetur.

Atque hinc refellitur, quod ſecundo eſt obiectum loco, ſibi quemque tuendo, ac regendo ſatis eſſe, nihilq. præterea deſiderari.

Nam reſpondetur, quòd etſi rationalis anima naturaliter quodammodo capax eſt gratiæ, & charitatis [b], & homo quandam habet à natura ad virtutem propenſionem [c]; virtutis tamen perfectionem adipiſcitur per alterius diſciplinam [d]: quoniam virtutis perfectio in eo primum ſita eſt, vt homines ab illicitis retrahat delectationibus, ad quas cū ipſi ſint maximè proni, præſertim iuuenes, idcircò Prælatorum indigent præſidio: vt accedentibus ingenitis naturę ad bonum igniculis, tum virtutum exēplis, tum denique, quod caput eſt, diuini muneris beneficentia, in dies magis ad proficiendum in virtutum curriculo incitentur.

Impij verò, atque in ſcelera procliues, quibus emendandis nullatenus cohortationes ſufficiunt [e]; legum ſanctionibus à ſceleribus perpetrandis cohibeantur, ac pœnæ metu reſipiſcere incipientes, Præſulum ipſorum exemplo, ac doctrina, ad virtutem animum conuertant, Deo auxiliante: ſine quo neque, qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat.

a. S. Tho. in 1. part. q. 22. art. 3. & lib. 3. cōtra Gent. cap. 77.

b. S. Augu. lib. 3. de prædeſtin. ſanct. c. 5. & S. Tho. 1. 2. q. 113. art. 10.

c. S. Ioann. Dama. lib. 3. de fide Orthodoxa c. 14. in fi. S. Augu. in Pſal. 57. in princ.

d. Clemēs Alex. lib. 1. Pædag. per tot.

e. c. non fruſtr. 23 q. 5 S. Chryſoſt. in epiſt. ad Ro. hom. 23

An leges ſcriptæ ſufficiant ad regendos homines: vel potius viua vnius vox requiratur, qui cæteris præſit. *Cap. II.*

Vamnis ſupra declaratum fuerit, ad homines in officio continendos, & quò oportet dirigendos, neceſſariam eſſe præſtantiorem aliquam auctoritatem, quæ illos moderetur; adhuc tamen non ſatis explicatū relinquitur, cuiuſmodi debeat cenſeri hæc auctoritas: an ea ſcilicet, quæ ſcriptis legibus: an quæ viua voce conſtat; itemq. ſi viua voce, an debeat tunc plurium ſimul collectorum, an vnius tantum, vel Principis, vel Prælati hæc eſſe iuriſdictio, & poteſtas.

Nam quod ad leges ſcriptas attinet, cum illę nullo affectu de rebus humanis decernant, non prece, non pretio corrumpi queant, & ad ius, æquitatemq. immobiliter dirigātur [f]: videtur aliquibus, illarum præſidio, hominum neceſſitati abundè conſuli poſſe, abſque alterius Iudicis, Magiſtratus, Principis, ſeu Prælati etiam interuentu.

Quòd ſi eadem auctoritas, viua potiùs voce ſumenda eſſet; tunc aiunt, ſalubrius multò fore, eam plurium, grauium, prudentumq. virorum imperio inniti, quàm vnius tantum Magiſtratui; eo quòd quæ plurium iudicio, & conſilio decernuntur, ſalubriora multo, ac ſolidiora euadere ſolent [g]: cum plus videant, vt dici ſolet, oculi, quàm oculus, difficiliuſq. ſit multos errare, quàm vnum [h].

Nos tamen, quibus id oſtendere eſt propo-

f. Ariſt. lib. 1. Rhet. c. 1. & lib. 3. Pol. c. 11.

g. c. fin. diſt. 20.

h. l. dubium. C. de repud. c. eſſet. 1. q. 1.

ptopoſitum, ad dirigendos Chriſtianos populos in viam, ſalutis æternæ, Epiſcopalem auctoritatem maximè ſuffragari: nec apriùs, aut commodiùs, iuxta communes traditiones, eorum neceſſitatibus conſuli poſſe: hoc eapite demõſtrare curabimus, nec leges ſcriptas ſufficere; nec plurium virorum imperium, imperio vnius comparandum eſſe, ram in ciuium procurãdis commodis, quàm propulſandis periculis, ac damnis, quæ eiſdem aſſiduè impendent.

Nam primùm, quod ad leges ſcriptas attinet, rametſi non negamus eas, quæ iuſtæ ſunt, atque ad ciuitatum vſum accommodatæ, magnam rebus publicis vtilitatem afferre; immò quo pluribus poſſunt rerum euenribus proſpicere, ac pauciora arbitrio iudicis relinquere, eò maiori laude dignas cenſeri [a]: non ramen ideo ſequitur, illas populorum vſui ſufficere; tùm quòd multa incidere poſſunt, quæ legibus non ſint comprehenſa, propter multiplicem humanarum actionum conditionem, & maximam, & infinitam rerum, quæ contingunt varietatem: ex quibus factorum ſpecies murantur, nec ſcripto vllo ſatis comprehendi poſſunt [b]; rùm quòd leges ipſæ, quantumuis bonæ, atque egregiæ, ſtabilitatem ſuam, ſeu normam, ac vim nequeunr immutabilem perpetuò tueri; ſed pro caſuum, rerumque diſcrimine ad publicam vtilitatem, rationis regula ſunt aliter, atque aliter dirigendæ.

a. Ariſt. lib. 1 Rhet. c. 1. & S. Tho 1 2 q. 95. art. 1 ad 2. vbi Medina.

b. Leon poſſunt. ff. de legibus. & Ariſt. Ethic. lib. 5. c. 10. & Polit. 3. c. 7. & 11.

Quòd ſi nunquã à ſcripto ad id, quod bonum, & æquum eſt, atque quod præſenti rerum ſtatui conducir, inflecteren tur; inuiolabilis hæc regula, atque rigida nimis ſeueritas, perniciem rebus afferret [c]. Earum ergo moderatio, Magiſtratuum prudentiæ, atque æquitati eſt permittenda.

c. Ethic. li. 5. c. 10. in fin.

Denique patum leges proſunt, vel potiùs ſunt inutiles, niſi eas Magiſtratus auctoritas ſanciat, interpretetur, & exequatur, vires illis, ac vitam miniſtrans; vt veluti animantia, morum exerceant, ac munere perſungantur ſuo [d].

d. l. 2. §. poſt origin. ff. de orig. iur.

Vnde conſequens eſt; ad leges ſapienter latas, legem aliam animatam, quæ Magiſtratus auctoritate nitatur, adiungi oportere, qui ad communem vtilitatem omnia referar. Rectè enim Cicero [e]: *Magiſtratus hac eſt vis, vt præſit, præſcribatque recta, & vtilia, & coniuncta cum legibus: vt enim Magiſtratibus leges, ita populo præſunt Magiſtratus: vereque dici poteſt, Magiſtratum legem eſſe loquentem: legem autem, mutum eſſe Magiſtratum.*

e. In lib. de leg. 3.

Quòd verò hæc auctoritas, & rerum, ac populorum adminiſtratio non multis æqualiter ſe habentibus, ſed vni ſit committenda, ſapientum ſententia cõprobatur [f].

f. Plat. de Regno, non longè à fine. Iſocr. in oratione, quæ inſcribitur Nicocles.

Cũ enim ciuitates regere nihil aliud ſit, quàm ſubditos ad debitum finem dirigere; cumque finis in eo potiſſimum conſiſtar, vt multitudo ad vnitatem quandam redigatur, quæ pax dicitur [g]. Vnde Apoſtolus ad Epheſios ſcribit [h]: *ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Quod etiam Plato affirmat, dum ait [i]: *Nihil ciuitati melius, vtiliuſvè eſſe, quàm id quod ipſam coniungit, & vnam efficit*; Sequitur, faciliùs eſſe per vnum multa in vnũ copulari, quàm per plures: vnus enim vnitatem per ſe facir, quod plures non poſſunr, niſi per accidens, vnitate, vt aiunt, ordinis, vel aggregationis [k]: ita vt ſit neceſſe prius multos in vnum coire, deinde per eos vnitatem in alijs procreati.

g. S. Th. contra Gentil. lib. 4. c. 76

h. Ad Epheſios 4.

i. Plato li. 5. de Republ.

k. S. Th. in 3 part. q. 2. art. 1.

Hæc uerò circuitio nequaquam eſt neceſſaria, quando unus tantùm coniunctionis huius auctor eſſe debet: eo ſemper poſito, in utraque adminiſtratione, publica in primis cõmoda, non priuata ſpectanda eſſe [l]. Idque etiam ex fine gubernationis patet [m], qui eſt pax: pax enim, & unitas ſubditorum, eſt finis regentis.

l. S. Tho. de Regim. Pri. lib. 1. c. 2.

m. S. Tho. in 1 p. q. 103 artic. 3. & lib. 4. contr. Gent. c. 76.

Quod quidem in animantibus etiam, quæ inter ſe congregantur, uſu uenire uidemus: quibus natura unum Ducem, quem ſequantur, præponir. Quod exẽplo apum, & gruum, cæterorumq; eiuſmodi animalium omnes confirmant. Nam, ut dicunt S. Cyprianus, & Minutius [n]: *Rex vnus eſt in apibus; & Dux*

n. S. Cyprian. tract. de Idol. vanit. & Minutius Fel. in Octauio.

vnus

vnus in gregibus; & in armentis Rector vnus. Et S. Hieron.[a]: *Grues vnam ſequuntur ordine literato, Imperator vnus, Iudex vnus Prouinciæ. Roma, vt condita eſt, duos fratres ſimul habere Reges non potuit, & parricidio dedicatur.* Et paulo poſt: *In naui, vnus gubernator: in domo, vnus dominus: in quamuis grandi exercitu, vnius ſignum expectatur.*

a. Epiſt. 4. ad Ruſtic. monach.

Præterea, vt docti philoſophantur[b], non eſt multitudo, quæ non ſit vnius particeps; ſed id quidem, quod multa eſt partibus, toto vnum eſt: quod multa eſt accidentibus, vnum eſt ſubiecto: quodque multa eſt numero, vel poteſt eſſe, vnum eſt ſpecie: & quod multa eſt formis, genere vnum eſt.

b. S. Dionyſ. c. vlt. de diuin. nomin.

In cælorum itidem vniuerſitate, à primo mobili ducuntur inferiores[c]. In corporibus mixtis, vnum ſemper elementum eſt, elementariſque qualitas præpollens. In multitudine membrorum, vnum cor cætera mouet[d]. Potentiarum animæ vna eſt princeps, nempe ratio[e]. Denique ut ait Apoſtol.[f]: *vnus Spiritus, vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptiſma, vnus Deus, & pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Cuius exemplo etiam ſi nullæ alię ſe offerrent rationes, dubium non eſt, quin rerum humanarum adminiſtratio, quando penes vnum ſunt omnia, longe melior, potiorque ſit habenda[g].

c. Ariſt. 2. de Cal. tex. 35

d. Ariſt. de part. anim. lib. 2. c. 1.

e. S. Aug. l. 2. de liber. arbitr. c. 3.

f. Ad Ephes. c. 4.

g. S. Cyprian. Tract. 4. de Idol. vanit. Auguſt. de Anc. q. 35 art. 8.

Quod verò dubitari poſſe videbatur, vnius imperium minus ſtabile eſſe, quàm multorum: pluſque periculi habere, quòd facilius errare poſſit, & corrumpi vnus, quàm multi; pluſque multi videant, quàm vnus: ac multorum conſilia, quàm vnius prudentiora eſſe ſoleant.

Reſpondetur, quandocunque non alius finis huic vni, quam illis multis ſit propoſitus, videlicet cõmune bonum: tunc ſecuturum eſſe, vt hic vnus, qui aliorum omnium Dux erit, ac Princeps; cum prudentiam ad res gerendas, pro vt debet, adhibeat, multos ſapientes viros, probos, magnoque præditos rerum vſu, in conſilio ſit habiturus, quos curarum, ac negociorum participes efficiet; ita vt dici queat, eum multis aſſiduè oculis, multis auribus, & manibus vſurum eſſe.

Nam *Reges*, inquit Xenophon[h], *multis oculis vident, & multis auribus audiunt.* Qua ratione adeo cẽſebitur virtute cæteris anteire, vt multorum inſtar ſit habendus. Vnde nec quiſquam turpe ſibi eſſe ducet, ei ſingularem habere honorem, eumque reuereri, atque ei ſoli tanquam plurimorum in ſe collectas virtutes referenti obedire. Itaque non facile corrumpetur, nec deprauabitur, cum ei Reipublicæ vtilitas, præ omnibus, ſemper ante oculos propoſita ſit.

h. Xenophon. li. 8. de Pædia. Cyri.

Ex quibus ea, quæ initio obijciebantur, nunc ſatis ſoluta relinqui videntur.

An præter ſecularem poteſtatẽ, neceſſaria ſit Epiſcopalis, ad gubernandum, dirigendũq; hominem, ad debitum & vltimum finem.

Cap. III.

CVM iam demonſtratum ſit, humanum genus imperijs regi oportere, neque ad id ſatis eſſe leges ſcriptas: ſed animatam prætera requiri legem, eamque vnius auctoris, ac Principijs magis quàm complurium eſſe debere; reſtat, vt id quod maximè ad rem facit, explicetur: vtrum ſecularis poteſtas ſufficiat ad gubernandum, dirigendumque hominem, ad debitum & vltimum finem, vel neceſſario requiratur altera ſuperior, & eminentior, quæ ſit Epiſcopalis.

Poſſet enim forte alicui prima fronte videri, ſeculare imperium per ſe ſufficiens eſſe. Nam ſicuti lex membrorum eſt[l], quæ repugnat legi mentis noſtræ: & concupiſcentia appetitus ſenſitiui præcipua portio[k] eſt illa, quæ cum conceperit, parit peccatum[l], & à qua ortum ducunt omnes prauæ affectiones, quibus caro concupiſcit aduerſum ſpiritum[m], quærens quæ ſua ſunt, non quæ

i. ad Rom. 7.

k. S. Tho. 1. 2. q. 30. art. 1.

l. Iacob. c. 1.

m. ad Gala. c. 5.

Chriſti;

Chriſti; & propterea quando corpus ratione temperatur, ſenſuſque aptè cōponuntur, tunc mens in diuino obſequio facile continetur. Sic cum ſæcularis poteſtas verſetur tota, in moderandis illicitis ſenſuum illecebris, & in refrænandis concupiſcentiæ prauis affe-ctibus, vt hominis actiones cum æquitate, ac iuſtitia conformentur, ſatis hoc eſſe videtur, ad interiorem hominem cum Deo vltimo fine noſtro coniungendum.

Præterea, cum regnum cælorum vnū ſit, vnus Deus omnium Dominus, vnus vniuerſorum hominum vltimus finis, vnus deniq; legum omnium ſit ſcopus, nempe ad vnam veritatis agnitionem homines perducere: ſatis etiam ad gubernandos homines, eoſque in finem ſuum dirigendos, vna imperialis poteſtas cenſeri poteſt, abſque vlla alia Epiſcopali.

Nos tamen fidei orthodoxæ documentis inſtructi, omnino aſſerimus, ſecularem huiuſmodi poteſtatem per ſe ſolam minus ſufficere: & vnum hunc, quicunque tandem ſit, ſiue Princeps, ſiue Rex, aut Monarcha, ac quantauis ſapientia, & potentia cæteros omnes antecellat, qui tamen poteſtate tantùm politica, ſeu temporali fungatur, ea omnia Chriſtiano populo minimè præſtare poſſe, quæ illi ad eius finem ſunt neceſſaria: quod ſic oſtenditur.

Nam cum cauſæ nequeant potiores, quàm ipſæ ſunt effectus gignere [a], ciuilis poteſtas in eo tātum verſatur, quod ad præſentis vitæ morales actiones, & commoditates pertinet; idque ciuilis eſt felicitas, huius ſcilicet vitæ finibus circunſcripta. Sed homines qui ad Dei imaginē, & ſimilitudinem cōditi ſunt [b], finem longè præſtantiorem ſequuntur, ipſam nempe beatam Dei viſionem, quæ vires humanas, atque adeo naturam ſuperat: ideoque ductu ſupernaturali indigent, quo ſummum hunc finem adipiſcantur [c].

a. S. Th. in 1. 2. q. 66. artic. 1. & 6. ad 3.

b. Geneſ. c. 1.

c. S. Th. 1. 2. q. 5. art. 5.

Quòd ſi hic vnus eſſet homini propoſitus finis, vitæ commoda conſectari, ac tueri: ſat ei fuiſſet ad valetudinē curandam medicorum auxilium: ad rem familiarem adminiſtrandam, Oeconomi cura, & diligentia: ad cognitionem aliquam phyſicæ veritatis, doctoris diſciplina: ad mores vtcunque informandos, ſapientis magiſterium: atque itidem ad cætera vitæ humanæ præſidia, & ornamenta, iuſti Principis imperiū. Verùm cum homo ſublimiorem finem ſpectet, ſummi nempe boni in cæleſti patria adeptionem, ſublimioribus etiā indiget auxilijs [d].

d. S. Aug. lib. 5. hypog. & lib. de ſpir. & litera. c. 27. & ſeq. & S. Th. 1. 2. q. 109. art. 5. vbi Medina concl. 1. & 5.

Quare cum temporalis Principis gubernatio ad hunc finem [e] non dirigatur, eadem etiam minimè poterit ſubiecto ſibi populo ea media ſuppeditare, quibus ad illum finem perueniat. Vnde ſequitur, ab alio hæc petenda eſſe, qui miniſter ſit potior, atque perfectior. Nam vt rectè admonent ſapientes, rerum adipiſcendarum via, & ratio ex fine ſpectanda eſt, oportetque media congruam cum fine proportionem ſemper habere [f].

e Caiet. 2. 2. q. 63. art. 2. Abbas in proam. Decret. nu. 15. Sander. de viſib. Monar. lib. 2. c. 1.

f. S. Thom. 1. 2. q. 96. art. 1.

Nec verò quiſquam offendatur, quaſi imminuamus excelſam Principum, Regumque auctoritatem, ac poteſtatem, paruique eas vtilitates pendamus, quæ è iuſto illorum imperio exiſtunt. Vt enim medicamenta quædam ſalutaria quidem dicuntur, ſed imperfecta: eo quòd licet ægroto opem ferant, valetudinem tamen non omnino reſtituant: quædam verò bona, & perfecta ſunt, quod vires redintegrent, valetudiniſque firmitatem præſtent. Sic cum hominibus in hac vita multa ſint neceſſaria, vt penitus iuſti, ſanctique efficiantur; Deus, pro ſumma prouidentia ſua, varia poteſtatum, & officiorum munera diſpertitus eſt, vt per ea homo aliorum opere adiutus expurgetur, & ad perfectum finem conſequendum perducatur.

Nam cum ille è duabus ſubſtantijs ſit compoſitus: quarum altera corporea eſt, altera ſpiritalis: altera caduca, & fluxa: altera incorruptibilis, & immortalis, per quā homo ſit capax bonorum æternorum, & diuinorum, quæ ſuperant omnem naturæ facultatem; propterea

pterea Deus præter res terrenas, quibus corporis neceſſitatibus abunde cõſuluit; volens etiam diuina quædam, & cæleſtia bona ad animarum ſalutem transferre; conſtituit, vt non promiſcue, ſed per certas perſonas, & proprias quaſdam cauſas, earumdem cæleſtium rerum miniſteria conferrentur, quas ipſe peculiari ratione ſibi delegit.

Hinc factum eſt, vt duplicem poteſtatem in hoc mundo præſcripſerit: vnã temporalem, quæ ad bona mortalis huius vitæ dirigeretur: alteram ſpiritualem, quæ addicta, & occupata eſſet in diſtribuendis illis ſupernaturalibus gratijs, quæ animam in hac vita beare, & tandem ad cæleſtia regna poſſent tranſferre.

Itaque temporalia bona, iuſto, ſapientique Principum, ac Magiſtratuum ſecularium imperio commiſſa ſunt, qui in Republica eſſent iuſtitiæ, paciſque cuſtodes; moreſque exteriores hominum diſciplina formarent, & ad politicam viuendi rationem deducere niterẽtur: quod indicat Apoſt.[a] dum iubet orare pro Regibus, vt quietam & trãquillam vitam agamus.

a. 1. ad Tim. c. 2.

Altera pars ſpiritualis, & æterna, gradu altiore, præſtantioreque conſiſtens, & ſecularem, ac politicam ſub ſe continens, poteſtati Eccleſiaſticę potiſſimum tradita eſt: vt diuino cultu humanum genus imbueretur, ſummumq; adipiſceretur bonum. hincque quoſdã ordine, & charactere ſpirituali, & indelebili voluit eſſe ſingulariter inſignitos, qui à rerum infimarum, fluxarumque ſemoti, & ob ſacram vnctionem ad hoc fungẽdum munus longe aptiores, id ſtuderent: atque omni ex parte ſatagerent, vt exquiſitis ſtudiis, ſanctiſque exercitationibus, ad veram erga Deum religionem, iuſtitiam, & charitatem, populum, quoad fieri poſſet, informarent: vnde ei vltimi finis expeditior via muniretur.

Quæ quidem cum S. Chryſoſtomus egregiè in quadam homilia ſua fuerit complexus, nolumus eius verba præter mittere, quæ ita ſe habent[b]: *Rex*, inquit, *ex quæ ſunt in terris, ſortitus eſt administranda; cæterum Sacerdotij ius è cælo deſcendit; quæcumque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælo* (& paulo poſt) *Regi ea, quæ hic ſunt, commiſſa ſunt, Sacerdoti cæleſtia: Regi corpora cõcredita ſunt, Sacerdoti animæ: Rex maculas corporum remittit, Sacerdos autem maculas peccatorũ: Ille cogit, hic exhortatur: Ille neceſſitate, hic conſilio: Ille habet arma ſenſibilia, hic arma ſpiritualia: Ille bellum gerit cum Barbaris, Sacerdoti bellum eſt cum dæmonibus. Maior hic principatus; propterea Rex caput ſubmittit manui Sacerdotis, & vbique in veteri ſcriptura Sacerdotes inungebant Reges.*

b. S. Chryſoſt. hom. 4. de ver. Iſa.

Quamobrem non eſt profectò dubitandum, quin populi ex magiſtratibus ſecularibus innumerabiles vtilitates capiant, non ſolum in externis rebus ad vitam tuendam neceſſariis; ſed etiam quòd illos, ſuppliciorum comminatione, ac metu, à ſcelere, iniuriaque abſterrent, vt ſenſuum illecebris refrænatis, virtuti conuenienter viuant. Quo fit, vt remotis per poteſtatem ſecularem, prauorum affectuum externis impedimentis, morbiſque vitiorum extrinſecus ſublatis: tunc hoc aditu patefacto, facilius fit eccleſiaſtico Præſuli ad cæleſtia paſcua gregem ducere, & ſubditorum mentes diuino amore inflammare.

c. Homil. 4. de verb. Iſa.

Quare S. Chryſoſtomus[c]. *Si vis videre diſcrimen, quantum abſit Rex à Sacerdote: Expende*, inquit, *modum poteſtatis vtrique tradita, & videbis Sacerdotem multo ſublimiùs Rege ſedentem. Quanquam enim nobis admirandus videtur thronus Regius, ob gemmas affixas, & aurum quo obcinctus eſt: tamen rerum terrenarum adminiſtrationem ſortitus eſt, nec ultra poteſtatem hanc præterea quidquam habet auctoritatis. Verum Sacerdotis thronus in cælis collocatus eſt, & de cæleſtibus negotijs pronunciandi habet auctoritatem; cum Sacerdotium à ſupernis deſcendat, eiuſque uinculum animam contingat, atque ad cælos uſque peruadat.*

Ex quibus ſatis colligitur, ſecularem pote-

poteſtatem eccleſiaſticæ eſſe inſeruientem, ac quaſi ſubminiſtrantem. Quemadmodum enim qui egregius Philoſophus eſt futurus, literarum doctrina prius imbuatur oportet, deinde Rhetorum diſciplinis, tùm præceptis Dialecticęs, ac demum Philoſophiæ inſtitutis; ſic ad vitæ Chriſtianæ faſtigium vt quis perueniat, opus eſt, vt per inferiores gradus politicos, ſecularis eum poteſtas deducat. Inde verò Eccleſiaſtici magiſtratus imperio, & ope, idem cæteros ſuperiores omnes charitatis, & virtutum ſupernaturalium ordines conſcēdat. Atque, vt qui nauim conſtruit, eam parat, concinnat, ac ſtatum eius componit: gubernator autem curſum dirigit, ac eam in portum feliciter ſubducit; ita ſeruit Eccleſiaſtico Politicus: iſte enim populum pacis, iuſtitiæq; ſtudijs, & honeſtis moribus inſtitutum, quaſi politam materiam vel tabulam primis lineamentis adumbratam illi tradit, vt in ea imaginem pingens, egregijs hanc fidei, & ſpei coloribus, & auro charitatis tanquam Dei miniſter exornet, manumq; vltimam imponat, prout officii ſibi à Domino traditi ratio exigit: & quæ virtutum moralium ornamenta Politicus, tanquam finem in ſuis ſubditis habebat; ea tanquam media Eccleſiaſticus aſſumit; vt illos inſtrumentis ſpiritalibus, quæ ſui ſunt muneris, ac gubernationis propria, ad æternam ſalutem, & gloriam extollere conetur. Quod quidem etiam omnibus artibus commune eſſe ſolet, quarum aliæ aliis ſubordinantur [a].

a. Ariſtot. 1. Eth. ic. cap. 1 S. Tho. in 1. q. 1. art. 2.

Hæ autem inter Politicum, & Eccleſiaſticum principarum differentiæ, à finium, quos ſibi vterque proponit diuerſitate, & ſubordinata quadam ſubiectione haud dubiè promanant; tametſi alter alteri ad proprium finem adipiſcendum, aliquid conferre, atque auxiliari videatur, nempè Politicus vt ſubminiſtrans, Eccleſiaſticus vt dirigens.

Nam cum gubernatori Reipubl. hoc maximè propoſitum ſit, vt exteriorem inter homines pacem bonumque publicum tueatur [b], atque ad eum finem probis populum moribus exornari ſtudeat: operamque etiam dare contendat, vt is bonus, integer, rectus, ac iuſtus moraliter euadat, quo ad externas, ac politicas actiones: tamen hæc eo tantum conſilio Politicus exequitur, vt finem practicum, & operabilem, quæ eſt felicitas politica, adipiſcatur, qui quidem finis proprius muneris ſui eſt.

b. Caiet. 2. 2. q. 63. art. 2

Itaq; grauioribus peccatis ſupplicia proponit, quòd ea communem tranquillitatem perturbare poſſint, leuiora autem diſſimulat, & patitur; itemque multa fert, quaſi nihil publicæ pacis interſit, committantur an non [c], nec ſubtiliter perſcrutatur, quo quæque res conſilio fiant [d]. Illa enim omnia finem, ad quem ipſe pergit, non tollunt; quietem nempè publicam, & huius vitæ bona.

c. S. Tho. 1. 2. q. 91. articulo 9.
d. S. Th. 1. 2. q. 100. ar. 1. c. 9.

Quo circa qui contra Regem inſurgit, damnatione dignus eſt, vtpotè qui tranquillitatem, & pacem communem diſſoluat, vt inquit S. Ignatius [e]. At Eccleſiaſticus, cui propoſitum eſt, homines ad claram & æternam Dei viſionem, & fruitionem ducere [f], cum ſciat in illam feliciſſimam patriam nihil coinquinatum ingredi, omniaque delicta, & vitia inde ablegari: de eo ſemper ac vigilanter laborat, vt populus quoad fieri poteſt, ab omni culparum macula, tum grauium, tum leuium purus ſit.

e. S. Ignat. ad Smyrnenſ. epiſt. 7.
f. S. Thom. par. 3 q. 8. ar. 6 in cor. & ad 2. & 3.

Et quoniam bonis operibus palmam hanc aſſequimur, non fert ignauiam, ac ſocordiam, ipſaſque hominum actiones, quas Græci ἀδιαφόρως quaſi indifferentes, & ſecundum ſpeciem promiſcuas vocant, ille ſciens, cum ad ſingulares res exercendas rediguntur, non amplius rationem indifferentium habere, ſed ſi his homo benè vtitur, ſeruatque ea omnia, quæ recta ratio poſtulat, tunc bonas eſſe: ſi autem non ſeruat, tunc malas reddi; ideo diligenter curat quicquid geritur, debitæ rationi eſſe conforme: quinimo cum ipſemet intelligat, ad Regnum Dei aſpirandum eſſe interna perfectione animorum, & conſiliorum noſtrorum, quæ factorum omnium

nium bonitatem à Deo hauriunt : in hoc potiſſimum verſatur ſtudio, vt facta hominum ab infuſa per Dei gratiam bonitate, tanquam à puriſſimo fronte oriantur[a].

a. s. Aug. in lib. de natura, & gratia. c. 26. circa finē. s. Tho 1. 2. q. 109. art. 9.

Tantum autem hoc puritatis, ac perfectionis ſtudium Chriſtianæ animæ inſerendi debet Præſuli cordi eſſe : illiuſque adeò ſe oportet præbere ſolicitum, propter vndique impendentia pericula; vt ſi in Republica permiſſu ſecularium magiſtratuum, quædam impunè fieri poſſint, quæ ratio oſtendat curſum ad cæleſtem felicitatem impeditura, aut retardatura eſſe, Præſul eccleſiaſticus auctoritate diuinitus ei data intercedat, corrigat, hominemq. ab eo dimoueat, q fini quoquo modo repugnat æterno.

Vt ergo dux belli[b], opifici frænorum imperat, & armorum fabro, vt hac, illauè ratione inſtrumenta iſta conficiantur, quatenus ea belli, præliorumque vſui futura ſint, quorum poteſtas penes ipſum eſt : ita cum Politici officium, officio Eccleſiaſtico ſubditum, ac ſubordinatum ſit, nihil aliud ille, rectam adminiſtrandi rationem ſequens, ſpectare debet, nihilque aliud exequi, niſi vt populum aptum reddat, ad eam ſuſcipiendam formam, quam Eccleſiaſticus Dux ad æternæ vitæ bona perfruenda ei præſtituet. Cuius rei aperta ratio inde colligitur, quòd ſcilicet nullo ex loco melius, aut aptius intelligi poteſt, quàm ex diuina lege, tanquam cæterarum omniū certa, & tutiſſima regula, quænam ſit diſciplina, qua populus inſtrui debeat : tum vt affectionum, ac ſenſuum effrænes motus, & impetus reprimat : tum ne à curriculo chriſtianæ vitæ, & felicitatis æternæ vnquam aberret.

b. Ariſt. Eth. l. c. 1.

Ex quo ſequitur, vt à ſolo Prælato doctrina hæc potiſſimum petenda ſit : cuius proprium hoc munus eſt, diuinam legem interpretari, & per actus Hierarchicos finem æternum populo ſibi ſubiecto oſtendere, ad quem curſus ſit dirigendus.

Ipſe igitur, cuius ars architectonica eſt, & ad quem ſpectant omnia vitæ humanæ officia, ac miniſteria ad ſcopum ſibi propoſitum perducere, cum edoctus ſit, quid in quibuſcunque rebus gerendis ſalutem adferat, debet omnibus magiſtratibus, officijſque inferioribus normam ſtatuere, qua eum ducem ſequētes, tanquam cæleſtem magnetem, ad Eccleſiaſticam quaſi Cynoſuram aſſiduo ſpectent ; ita muneribus fungentes ſuis, ne fini repugnent ſummo, ad quem Chriſtiani omnes contendere debemus.

Quod vt perfectius ab eodem Eccleſiaſtico fiat, ac ſine vlla Reipublicæ perturbatione, cæleſtem inſuper adhibet auctoritatem, quæ illi in foro interiore à Deo conceſſa eſt : vbi ſacratiſſimo ſilentio ea omnia expenduntur, ac prouidentur, quæ animam exonerare, & vt in cælum feratur, ſubleuare poſſunt.

Quapropter præclara illa Gelaſij Papæ ad Anaſtaſium Imperatorem ſententia celebrari ſolet, qua dicitur[c] : *Duo ſunt Imperator Auguſte, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas ſacra Pontificum, & Regalis poteſtas : in quibus tantò grauius pondus eſt Sacerdotū, quantò etiam pro ipſis Regibus hominum in diuino ſunt reddituri examine rationem*. Et Sanctus etiam Ambroſius reſpondit[d] : *Honor & ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari ; ſi Regum fulgori compares, & Principum diademati, longe erit inferius, quàm ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares*. Et ſicuti Ss. Chryſoſt.[e] & Nazianzenus[f] affirmant, quantum cælum terra pretioſius eſt, quantumque anima corpori, ſpiritus carni, diuina humanis præſtant; tantùm Epiſcoporū principatus omnia ciuilia Regna, & poteſtates antecellit, & quanta eſt differētia inter Solem & Lunam, tanta inter Sacerdotium, & Imperium[g]; cum ex hoc ad terrenum, & practicum tantum quoddam æternæ quietis, & pacis bonum; ex illo ad intelligibile æternum, & ſupernaturale, quæ eſt ſanctæ Trinitatis viſio, & fruitio introducamur.

c. c. duo ſunt diſt. 96.

d. s. Ambroſ. de dignit. ſacerd. c. 2.

e. lib. 3. de ſacerdot.

f. in Orat. 17. ad Ciu. Nazianz. Caramuel. Varm. de Hæreſib. noſtri temporis lib. 1.

g. c. ſolitæ de maio. & obe.

Quæ omnia eò magis memorabili illo Cōſtantini Imperatoris exemplo illuſtrantur,

Digitized by Google

ſtrantur, qui in Concilio Nicæno vltimum locum poſt Epiſcopos omnes ſibi ſumpſit, quod inter cæteros Greg. vii. pont. max. clarè teſtatur[a]. Quin cum apud eundem Conſtantinum nonnulli Epiſcopi de alijs Epiſcopis conquererētur, ille reſpondit: *Deus conſtituit vos Sacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, & ideo nos à vobis rectè iudicamur, vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari*[b].

a. Greg. 7. in lib. 4. regiſt. epiſt. 2.

b. In Cōc. Pariſien. ſub Ludouic. & Lothario lib. 3. c. 8. & in Conc. Aquiſgrā. 2. ſub Ludouico Pio §. 4. c. 5.

Quod verò initio obijciebatur, ad cōtinendam mentem in Dei obſequio, ne in hoc, vel illud peccatum labatur, ſatis eſſe, ſenſuum impetus ratione moderari. Reſpondemus, præter alia multa quæ adduci poſſent, beatitudinem, quæ ſupernaturalis eſt, & humanæ naturæ finis, nequaquam poſſe ab homine, niſi per ſupernaturalia media comparari: ſiquidem certum eſt, agentis facultatem, atque eius inſtrumenta proportionem cum mediis, & fine habere debere. Quare cum Magiſtratus ſecularis non poſſit niſi ea, quæ inferiora ſunt tractare, & perficere; indiget homo ad beatitudinem quæ humanas vires excedit, aſſequendam, neceſſariò illis ſupernaturalibus auxiliis, quæ nobis ab ipſomet Deo conceſſa ſunt. Inter quæ primum obtinet locum Epiſcopalis ordo, ſeu poteſtas, ſine qua nullum ſacramentum perfici, hoc eſt, ſolemni eccleſiæ ritu, adminiſtrari poteſt[c].

c. Aegid. Rom. tract. de renūc. Papat. c. 9. par. 2.

Non obſtat item quod dicebatur, non plures, ſed vnum tantum rerum gubernationi aptiorem videri: nam cum homo conſtet corpore, & anima, duplex ei etiam quodammodo finis cōſtitutus eſt. Alter qui dicitur practicus, & naturalis, qui eſt tranquillus, ac pacificus conuictus, ac ſocietas, quem quidem adipiſcitur per actiones rectas, atque iuſto officio congruentes, quæ morales dicuntur. Alter ſpeculatiuus vocatur, ac ſupernaturalis, qui in ſola Dei viſione, ac fruitione conſiſtit, ad quem perueniēdi curſus per opera cōſtitutus eſt, quæ diuina gratia ſint informata.

Idcirco, vt ad priorē illum naturalē finem dirigeretur, indiguit rectore, & gubernatore propriæ illi naturæ conformi, qui eſt magiſtratus ſecularis. At verò, vt inſtitueretur ad alterū illum eminentiorem finem, ita vt eū obtinere poſſet, fuit illi opus ſuperiore poteſtate, per quam ad eum deduceretur, quæ eſt Epiſcopalis. Ex quo conſtat expediens maxime fuiſſe, vt vnus Deus ad hos non quidem omnino diuerſos, ſed ſubordinatos fines humanæ huius naturæ fragilitati, atque imperfectioni conſuleret, duplicis quodammodo pædagogi præſidio, ac diſciplina: quorum alter vocatur magiſtratus ſecularis, alter magiſtratus Epiſcopalis.

De Inſtitutione Epiſcopalis officii: & quiſnam primus inceperit hoc munus adminiſtrare. *Cap. IIII.*

Poſtquam Epiſcopalis gubernationis neceſſitas ſuperioribus capitibus ſatis cōmode variis rōnibus, & argumentis patefacta fuiſſe videtur: operæpretium duximus, nunc ſubiicere, quiſnam primus ille Dux, ſeu antesignanus fuerit, cui vniuerſi orbis conditor, huius ſpiritualis militiæ onus impoſuerit. Siquidem de rerū gerendarum aut grauitate, aut tenuitate ſolet nō leue iudiciū fieri, ab illorum virorum conditione, qui rebus iiſdem initio præficiūtur; ſimili enim ferè argumēto vtitur Apoſt. ad Hæbr. dum ait[d]: *Intuemini quantus ſit hic, cui decimas dedit de præcipuis Abrahā Patriarcha.* Et s. Bernar.[e] magnificat aduentum Dñi à cōditione perſonę Chriſti, dicens primo loco cū Apoſt. ſtupente, & admirāte: *Intuemini & vos, quantus ſit iſte qui ingreditur.* Sic & Orig.[f] elegāter Ruben, & Gad hiſtoriam, à præſtantia, & nobilitate auctoris commendat.

d. s. Paul. ad Hebr. c. 7.

e. S. Bernar. de aduentu Domini ſermo. 1.

f. Orig in lib. Numer. homil. 26.

Opinabitur igitur forte aliquis, Epiſcopale officium nunquam incœpiſſe, nullumque habiturum finem; tum quòd Apoſtolus aſſerat[g], ſacerdotium Chriſti eſse æternum, ſecundum illud pſalmi[h]: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum.* Quod

g. ad Heb. 7.

h. Pſal. 109

autem æternum eſt, caret omni ſucceſſione, nec principium, aut finem admittit: tum, quod præfiguratum fuiſſe idem Apoſtolus dicit in Melchiſedech, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, nullum neque initium dierum, neq; finem habente.

Attamen ſi quis ex ſeculorum decurſu, veteres inueſtiget rerum origines; reperiet poſt primos homines cōditos, populis regēdis præſtantes aliquos virtute viros omni ætate præfectos fuiſſe, qui illos ad huius Epiſcopalis muneris, & officii figuram, ac ſimilitudinem, quatenus ea ferebant tempora, moderarentur, & gubernarent.

Nam vt omittamus, in lege naturæ hoc ad primogenitos filios pertinuiſſe, qui gerebant officium Sacerdotum [a], & propterea fruebantur prærogatiua duplicatæ portionis [b]: legimus, modò Patriarchis munus hoc mandatum, modò Prophetis, modò ipſis Sacerdotibus, alijſque miniſtris huiuſmodi, qui gentes erudirent, corrigerent, & in obſeruantia, diſciplina, obſequioque diuino continerent.

a. S. Hier. ep. 126. ad Euagrii. & gloſſ. & Lyran. in il lud Gen. 27 & veſtibus Eſau. S. Tho. 1. 2. q. 103. art. 1. ad 2.

b. Gloſ. c. quā periculoſum 7. q. 1.

Sic enim dictum olim fuit ad Abrahā [c]: *Vade in terram viſionis*. Sic ad Moyſem [d]: *Veni & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum*. Sic ad Ierem. [e] *Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna: vt euelles, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes*.

c. Gen. c. 22.

d. Exod. c. 3.

e. Ierem. c. 2.

Verùm quia per aliquot ſeculorum ætates, homines caligine errorum miſerabiliter obtenebrati fuere, & à recto itinere diù aberrarunt, propter primorum parentum infelicem labem, quæ ſe in genus vniuerſum hominum effudit, prout Apoſtolus ad Romanos ſcribens ait [f]: *Per vnius delictum in omnes homines in condemnationē*. Ideo rantas tenebras exigua hæc illorum ſacerdorum, ſeu miniſtrorum lux non poterat diſpellere: cumque ſcelera, flagitiaque gliſcerent, non deſtiterunt pij, ſincerique Diuinæ Maieſtatis cultores, ad diuinam miſericordiam mœſtas emittere voces, de quibus apud Iſaiam [g]: *Emitte agnum Domine dominatorem terræ*. Et: *Mitte quem miſſurus es*. Et illas: *Vide afflictionem populi tui*. Et: *Veni ad liberandum nos Domine Deus virtutum*.

f. ad Ro. c. 5. & S. Cyril. Alex. cont. Iul. lib. 8. reſpon. 3. incip. Adiecta enim.

g. Iſai. c. 16.

h. Exod. 4.

Si quidem, vt tantis miſeriis finis ſtatueretur, planè agnoſcebant humana auxilia ſatis non eſſe; ſed oportere aliquem è cælo demitti, qui Pontifex ſecūdum ordinem Melchiſedech factus, in viam reduceret populos, eoſque manſuefaceret: ac genus humanum peccatorum exutum vinculis, in verum iter virtutis, iuſtitiæque reuocaret.

Quare exactis iis annorū ſpatiis, quibus melius homines ægritudinem ſuā, ac ſuperni auxilii neceſſitatē intelligere potuerūt; placuit infinitæ clementiæ Dei noſtri, è cęlo in terras vnigenitū Filium ſuū mittere, qui ipſemet officium Pōtificis generi humano tàm optabile, tàmque neceſſarium ſuſciperet: quod nec initio, nec medio temporis, vt ait s. Bernardus, ſed cum magis congruum foret, ſuperueniēte plenitudine temporis, ab eius prouidentia effectum eſt [i].

i. S. Ber. ſer. 1 de Aduen. & S. Tho. in 3. q. 1. ar. 5 & 6.

Hoc igitur Epiſcopale officium, de quo nobis eſt inſtitutus ſermo, cum partim ad Præſulem, qui cæteris præeſt, partim ad eos, qui illius reguntur imperio, referatur: certum eſt, feliciſſimum Domini noſtri Aduentum abundè vtriſque proſpexiſſe.

Ipſe ſiquidem vti Legiſlator [k], & Magiſter ea omnia tùm præcepit, tùm docuit, tùm exemplo ſuo monſtrauit, quæ ſatis eſſe poſſunt, ad vniuerſos Præpoſitos inſtruendos, vt modo oſtendemus: idem etiam æterno patri, vt homo ſubiectus, atque in aliorum auxilium à cælo demiſſus, talem ſe geſſit, omnibus miniſtrando; vt ſuo ſubditos vniuerſos doceret exemplo, quàm alacriter, promptequè Præſulum ſuorum iuſſa excipere, & exequi deberent.

k Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 22

Nam etſi aduentus iſte adeò nouus, & admirandus, neceſſarius ſimpliciter non fuerit, quaſi abſolutæ Domini poteſtati alia infinita auxilia ad ſalutem hominū reſtituendā defuerint: ſummæ tamen eius ſapientiæ, iuſtitiæ, ac miſericordię nullum aliud cōuenientius [l] viſū fuit, ad primęuum chirographū delendum, cæliq; fores hominibus aperiendum,

l. S. Iren. lib. 3. c. 20. S. Damaſc. lib. 3. fidei orthod. c. 1.

dum, quàm hoc ipſum, de quo loquimur; vt ſcilicet, ipſemet Deus munus id ſubiret, infirmam humanitatem noſtrã induens, atque in terram deſcendens, vt inter homines naſceretur, viueret, exteriora quæque pateretur mala; ac demum cruci ſuffixus, mortem turpiſſimam ſubiens, ad glorioſam, & immortalem vitam nos reuocaret.

Cuius myſterij cum variæ, inſignesq; rationes à ſacris Theologis afferantur [a]; nos tamen vna tantum in præſenti contenti erimus, quæ propoſito noſtro maximè conuenit, eaque eſt; quòd cum ſacratiſſimum iſtud ſalutis noſtræ præſidium, ita eſſet ab æterna ſapientia prouiſum, vt in primis quidem tanquam proprium, ac præcipuum Chriſti Redẽptoris beneficium ab hominibus agnoſceretur [b], quos ille hac ratione ſummo iuſtitiæ rigore à peccatis liberaſſet; præterea etiam, vt hoc tanquam pharmacum ſalutare ſingulis eſſet applicandũ, qui ſacratiſſimę eius paſſioni, per fidem, charitatem, & ſacramenta communicarent. Propterea, cum ægro ad ſanitatem recuperandam non ſufficiat ſolùm ſumere medicamentum ex artis præſcripto; ſed etiam opus ſit, eundẽ moderari ſibi in cibo, ac victus ratione, tum etiam reliquis medici præceptis obedire: nam vt S. Auguſt. ait [c]: *Ipſe ſe intermit, qui medici præcepta obſeruare non vult*. Hinc ſequebatur, difficile valdè, & periculoſum eſſe, in re de qua agitur, id conſequi; quoniam laborantem populũ vera latebat ſui ipſius medendi ratio, & quo pacto hæc ſibi ſalutaria pocula eſſent haurienda: deinde exiſtimare potuit, pleraque ex iis, quæ illi præcipiebãtur, eſſe vel ſuperuacanea, vel ad obſeruandum nimis moleſta, quippe qui nullum tantarum rerum vſum haberet.

Quemadmodum igitur amans, ac peritus medicus, non ſatis habet ſingulari induſtria, & labore medicamenta tẽperaſſe, quæ valetudini ægroti opẽ ferant: ſed etiam illi vult adſiſtere, vt eum inſtruat, quo pacto pharmacum ei ſit ſumendum, quæ victus ratio ei ſit obſeruanda, quod genus ciborum ſectãdum, quod fugiendum, quæ ſuſcipiendæ corporis exercitationes, cæteraque huiuſmodi, quibus medicinæ vis adiuuetur, quæ alioquin inutilis, aut fortè noxia redderetur. Sic [d] cæleſtis noſter Medicus, cum proſpiceret medicinæ vtilitatem, ſi ipſe in terras non veniſſet, eamque vulneribus, plagiſque noſtris homo factus non applicaſſet, magna ex parte inutilem euaſuram, propter ingenium hominis durum, moroſum, & contumax; voluit pro eximia pietate ſua, exemplum ſanctiſſimæ vitę ſuæ cum medicina coniungere, vt ab vtroque mundus perfectam ſalutem adipiſceretur, ſicut dicit S. Leo [e]: *Niſi eſſet verus Deus, non afferret remedium: niſi eſſet uerus homo, non præberet exemplum*. Et S. Auguſtin. [f] *Vt non ſolum doctrinæ auxilio, & gratiæ; ſed etiam exemplo ſuo, ad ſtudium ſanctitatis accenderet: vt nos non ſolum præcipientem dominum, ſed etiam exemplo ſuo, ad virtutis faſtigia prouocantem, maiore alacritate ſequeremur*. Quod ipſum per Oſeam eſt expreſſum, cum ait [g]: Et *ego quaſi nutritius Ephraim, portabam eos in brachijs meis: & neſcierũt, quòd curarem eos. In funiculis Adam trahã eos, in vinculis charitatis; & ero eis quaſi exaltãs iugum ſuper maxillas eorum: & declinaui ad eum, vt veſceretur*.

Itaque ſe nobis ſalutis auctorem præbuit, doctorem, medicum, vt ex viuis eius exemplis ſapienter homo ſe quauis in re inſtrueret, ac mores ſuos componere diſceret: ac quo pacto tùm in loquendo, tùm in tacẽdo ſe gerere deberet, ab eo edoceretur; & quomodo vtendum amicis, quomodo inimicis, quomodo maioribus, quomodo minoribus: quid in ærumnis tùm propriis, tùm alienis agendũ: quid in ſecundis, vel aduerſis rebus, in iniuriis, fame, ſiti, paupertie, cæteriſque huiuſmodi: tum etiam vt ſanctiſſimæ vitæ ſuæ exemplo nos doceret, modò patientiam, modò ſobrietatẽ, modo conſtantiam, tùm fortitudinem, tùm prudentiam, ſinceritatem, iuſtitiam, zelum Dei, & deſpicientiam humanarum rerum, omniumque maximè charitatem, cæteras denique omnes virtutes amplecti [h]. Idque vt eſſemus in

a. Quas refert ſanctus Thomas in 3 p. q. 46. art. 3. & 5.

b. S. Tho. in 3. part. q. 48. art. 4. 5. & q. 49. art. 1. in reſpon.

c. S. Augu. in c. 3. in 5. Ioan. tract. 12.

d. Granatẽ in Symb. lib. 3 cap. 1.

e. In 1. ſer. de Natiu.

f. S. Auguſt. ſermo. de tẽpore.

g. Oſeæ. c. 11.

h. S. Nazian. Oratio. 39. quæ eſt 3. de Theologia. S. Augu. de ſanctis. ſermon. 19.

in

in quouis rerum ſtatu, periculo, trepidatione, in quouis rerum motu, ac progreſſu perfectè edocti, quid vel appetendum, vel loquendum, vel agendum, vel patiendum eſſet: vt fide illuminati, gratia purgati, & charitate perfecti, integram ſanitatem conſequeremur, quæ deinde nobis cæleſtem beatitudinem afferret.

Hæc ſumma eſt Epiſcopalis officij, de quo differere inſtituimus: quod eò potiſſimùm ſpectat, vt non ſolum regenerentur homines per Baptiſmum; reficiātur, & recreentur per Euchariſtiam; purgentur, per pœnitentiam; roborentur, per extremam vnctionem; multiplicentur, & propagentur per coniugium; confirmentur ſacrochriſmate, ad profitendam intrepidè fidem; & ordine inſtituātur, ac perficiantur ad vſum poteſtatis ſpiritualis, per Hierarchicos Eccleſiæ gradus, accedentibus tandem Epiſcopi prædicationibus.

Quoniam autem munus hoc ſummopere arduum eſt, maximique momenti, Deus proprium filium ſuum, ac Redemptorem noſtrum primum id ſubire voluit; vt Eccleſia Catholica ab eodem inſtituta, exemplar perfectiſſimum haberet [a], quod cæteri tàm Præſules, quàm ſubditi imitarentur. Hincque ſæpè ipſemet ſancto ore ſuo, in ſacro Euangelio id monet dicens [b]: *Ego ſum paſtor bonus: ego cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ: ego animam meam pono pro ouibus meis*. Et alibi [c]: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*. Eundemque ſenſum ſæpè inculcarunt sancti viri dicentes [d]: *Omnem Domini noſtri actionem, noſtram eſſe inſtructionem: eumque nobis reliquiſſe exemplum, vt ſequamur veſtigia eius*. Et S. Gregor. ait [e]: *Ipſa acta Domini præcepta eſſe; quia dum aliquid tacitus facit, quid agere debeamus, innoteſcit*.

a. S. Th. in 3 par. q. 1. artic. 2.
b. Ioann. 10.
c. Ioan. 13.
d. 2. Petr. 2.
e. S. Greg. homil. 17. in Euang.

Ex his ergo manifeſtum relinquitur; vſque à mundi primordio, cum primum homines à Dei obedientia deſciuerūt, ac per generationem ſuam ipſorum ſobolem propagarunt; ſicuti nunquam defuerunt ſacrificia aliqua, ſeù oblationes, quibus peccata per fidem Mediatoris poteſtatam expiarentur [f], & ſic in Dei gratiam homines reſtituerentur; ita ſemper aliquos extitiſſe, qui paſtorale officium adumbrarent, ac populum doctrina in primis, & exemplo erudirent. Poſt legem verò ſcriptam, fuiſſe Moyſem primum ad hoc munus à Deo delectum [g], tum alios Prophetas, & Sacerdotes, qui illi ſucceſſerunt. Inde lege Euangelica Saluatorem noſtrum Chriſtum Deum, & hominem excellentius multò, atque perfectiùs præ alijs Pontificem à Deo Patre inſtitutum, ita Epiſcopales functiones admirabili virtute adminiſtraſſe; vt hoc idem officium in Chriſtiana Republica continua Præſulum ſucceſſione duraturum reliquerit [h].

f. Geneſ. c. 4. Iræn. lib. 4. c. 34. S. Th. 1. 2. q. 103. ar. 2
g. Pſ. 98. & Dion. Areopag. de eccl. Hierar. c. 9.
h. Pſal. 44. Pro patribus tuis nati. & S. Iræneus lib. 3. c. 3. & lib. 4. c. 43. cum annot.

Nec obſtat quod initio adducebatur: fatemur ſiquidem Chriſti ſacerdotium fuiſſe æternum, tùm quoad remedium, quia ſaluandi per ipſum ſempiternam vitam conſequuntur; tùm quoad perſonam offerentem, quia eſt verus, & æternus Dei filius: tum quoad rem oblatam, quia eadem res eſt offerens, & oblata, idem ſacerdos, & hoſtia: tum quoad effectum oblationis, quæ eſt gratia, & alia bona ſpiritualia in vita ſempiterna perficiēda, prout à ſacris Doct. eſt declaratum [l].

l. Aegid. R. tract. de Renun. papali. cap. 17.

Non obſtat etiam quod ſecundo loco obiiciebatur de Melchiſedech, cuius nec pater, nec mater in ſacris literis commemoratur; non quia re uera parentibus caruerit, ſed quia in eo præfiguratus fuit Chriſtus, qui licet patrē verè ſecundum diuinitatem habuerit, & matrem ſecundum humanitatem: quia tamen, prout fuit homo, caruit patre; & prout Deus, caruit matre; ideo dicitur Sacerdos in æternum, ſine Initio, & ſine fine, eo ordine, & modo, quo fuit præſignatus in Melchiſedech [k].

k. Aegid. R. loco ſupra.

De aliorum Epiſcoporum ſucceſſione,atque eorum poteſtate. Cap. V.

EXpoſita iam neceſſitate, qua tenẽtut, qui in populo ſunt,maiotibus ſubeſſe,& eximia vtilitate,quę à ſuperiorũ poteſtate in eos detiuarut; cum clarum reddatut, ſummam officij eotum qui ſubditi ſunt,eo potiſſimum contineri, vt præſulibus libentet pareant, ſeque ab iis regi benignè patiantur[a]: itemque cum oſtenſum fuerit, tàm Præſulis officium, quàm populorum obedientiam, Chtiſtum Dominum exemplo ſuo docuiſſe:nunc opus à nobis ptæcipuè inſtitutum aggrediemur; vt de Epiſcopotum, qui populis præſunt, officio, atque animatum cutatione diſſeramus. Id autem caput bipartitum eſt; primum enim de illorum ſueceſſione;deinde de eorum poteſtate, ac dignitate agemus.

a. Ariſtot. 3. Polit. c. 3.

Quod ad ptimum attinet: quemadmodum in veteti lege ſapientet populus in duos ordines diſtributus fuiti quorum alter ciuilibus officiis inſeruitet,videlicet rei familiari, ſeu publicæ adminiſtrandæ,tùm tebus militiæ,agricultutæ,opificiis,cætetiſque huiuſmodi,quæ vitam hanc inſttuunt,atque ornant. Alter eſſet diuino cultui deditus, ſacrificiis,templo, intetpretationi legis, diuinis laudibus, cæteriſque actibus religioſis. Sic etiam Chtiſrus dominus noſter tempore grariæ,rationem eandem conſeruauit[b], quamuis ſublimioribus myſteriis ſoeiatam,ae mediis longè præſtãtioribus,ac venerabilioribus munitam.

b. c. quoniam 10. diſt. 1. c. cũ ad verũ. 96. diſt.

Quare cotpotei coniugii exẽplo,olim ad ſobolem ptocteandam a b eo inſtituti,& deinde per gratiam sãctificati,quæ naturalem illum amorem petficetet, & indiſſolubili vnitate confirmaret, coniugesq. ad prolem genetandam conſecraret,vt cæli hæredes, filii per baptiſmum abluendi naſcetentur: Voluit quoque hos, qui diuino cultui dicandi erãt, per Epiſcopum ſacro,& ſpiriruali, quaſi connubio deuinctum, ſolemnibus cæremonijs, legitimaq. manuum impoſitione initiari,ac veluti prolem Eccleſiaſticeam propagari,qua ſanctæ ipſius eccleſiæ, ſucceſſione perpetua ſeruirenr. Ad quod ſatis pettinere poteſt,quod s. Aug. tradit dicens[c]: *Nec illi, qui virginitatem Deo vouent, ſine nuptijs ſunt; nam & ipſi pertinent ad nuptias cum tota eccleſia, in quibus nuptijs ſponſus eſt Chriſtus.* Quocirca poſtquam ipſe ſummam auctoritatem illam exercens, quam Theologi excellentiæ poteſtatem vocant[d], nullo certo extrinſecus ſigno præfinitam, vel poſtquam cæleſtibus manibus ſuis epiſcopos inſtituit[e], iiſque Principem s. Petrũ Apoſtolũ præfecit: ſtabilita ſimul tatio eſt, quæ in legitima miniſttorum eccleſiaſticotum ſucceſſione ſetuaretur: ſancitũque, ne quiſquam abſque hac auctoritate, tã ſublime,fotmidandumq. officium ſponte inuaderet: ſed vnuſquiſq; pet initiationem otdinum, veluti diuina inſpiratione vocatus,adhibitis ritibus, otationibus,cæteriſque præpatationibus,quæ ſunt tegulis eccleſiaſticis definitæ, tunc demum ab ipſis epiſcopis,eorumq; ſucceſſotibus admitteretur,ac ptobaretur: cæteri qui ab eccleſiaſtica poteſtate ritè otdinati non eſſent, neutiquam vt legitimi miniſtri haberentur.

c. s. Aug. in S. Ioan. tra cta. 9.

d. S. Tho. in addi 3 p. q. 19. art. 2

e. S. Aug. in s. Ioan. tracta. 124. et in c. ita Dominus 19. diſt.

Quam quidem epiſcoporum ſucceſſionem perpetuam in Eccleſia à Chtiſto Domino inſtitutam fuiſſe, ſolent ſacri Doct. deducete tum ex vetbis eiuſdem dicentis[f]: *Ego uobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſumationem ſaculi*: tum ex Apoſtolo Paulo, cum ait[g]: *Et ipſe dedit quoſdam quidẽ Apoſtolos, quoſdã autem prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſumationem ſanctorum, in opus miniſtery, in ædificationem Corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis fily Dei in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.*

f. S. Math. c. 28. in fi.

g. ad Eph. 4.

Itaque hoc ordinis Sacramentum ex ipſa vocis alluſione aliqui dictum uolunt,quod rectè,& otdine,certaque ſingulati notma, ac menſura diſpenſetur.

Qui autem illum recipiunt, clerici dicuntur, vt potè in partem, hæreditatem, ſortemque Domini vocati [h].

h. c. cleri. nos. 12. q. 1.

Præterea, vt in hominis corpore varia membra, variaq; eorum officia ſunt; ita iuſsit Deus, ac Redemptor noſter in ſancta Eccleſia, quæ myſticum eius corpus vocatur, graduum & functionum Eccleſiaſticarum eſſe varietatem: quæ ideo à ſacro Concilio dicitur ordinatiſſima diſpoſitio [a]: vt ex hac diſtinctione, graduumque diuerſitate, multò præclariùs ſapiētia diuina eluceret, validiuſq. auxilium humanæ infirmitati importaretur: vix enim vnus tantum miniſter quantumuis induſtrius, & ne vix quidem, potuiſſet omnia munia, ac myſteria ſacra, quæ in Eccleſia Dei ſunt neceſſaria, obire [b]. Quamobrem cum omnia hæc officia, pro ſuo quodque gradu, ad conſecrationem ſanctiſsimæ Euchariſtiæ reſpiciant [c], quã S. Dionyſius τελετὴν τελετῶν appellat [d], id eſt myſterium myſteriorũ, vel Sacramentum Sacramentorum; Sacerdotium inſtitutum eſt omnium ordinum caput & finis: hincq. conſecrationis Euchariſtiæ poteſtas omnis ſacerdoti eſt tradita.

a. Cōc. Trid. ſeſſ. 23. c. 2

b. c. ſingula 89. diſt.

c. Cōc. Trid. ſeſſ. 23. c. 1 & can. 1.

d. S. Dionyſ. Areopag. de eccl. hierar. cap. 3.

Cum verò, præter has poteſtates, in Dei Eccleſia maior adhuc auctoritas neceſſaria eſſet in actibus hierarchicis, quoad myſticum fidelium corpus, quę illos tueretur, inſtrueret, regeret, moderaretur, & ad cæleſtem beatitudinem dirigeret, & ne vnquam in Eccleſia miniſtri deeſſent: ſed eos vt decet ipſa conſecratione inſtitueret, ac prædicatione inſtrueret; ſapienter ab eo dignitas, & auctoritas, quæ Epiſcopalis dicitur, conſtituta eſt: cui tum inferiores miniſtri, tum ipſi etiam ſacerdotes parerẽt. Atque vt in bellis gerendis, omnibus militiæ ordinibus Dux vnus præficitur; ita ſacerdotum vnus Princeps legitur, & conſecratur; iſque appellatur Epiſcopus [e] cęteris ſacerdotibꝰ poteſtate ſuperior, qui hãc ob cauſam non ſolùm veſte vtitur cum alijs Eccleſiaſticis miniſtris communi: ſed alijs etiam ornamentis, quæ maiorẽ eius auctoritatem oſtendunt, alijs in functionibus, ad quas ſimplex ſacerdotum poteſtas minimè extenditur.

e. Alphōſ. de Caſtr. cōtra hæreſ. ver. Epiſcopus.

Itaque Epiſcopalis auctoritas, vt eaput ſecũdum explanemus, bipartita eſt; poteſtas enim eſt vel ordinis, vel iuriſdictionis. Ordinis ea eſt facultas, vt ſciat, & poſſit omnia Sacramenta conferre, Chriſma conſecrare, Prædicationis munus exercere, alios ordinare, ad Euchariſtiam ſumendam præparare, & ſacerdotes creare. Finis verò vnus eſt illi cũ ſacerdotibus communis, qui eſt ſanctæ Euchariſtiæ conſecratio [f], & offerre Domino verum Sacrificium, in quo vniuerſi presbyteri pares ſunt: quandoquidem eorum auctoritas à Deo ipſo pendet, eſtque eiuſmodi, vt cuiuis poteſtati humanæ præcellat: ob quam rẽ modo Angeli, modo Dij in terra vocantur, vt ait s. Gregorius [g]. Epiſcopalis tamen Ordinis poteſtas ad hunc Euchariſtiæ conſecrandæ, & offerendæ finem non ita proximè ordinatur, ac ſacerdotium: ſed remotiùs, quatenus hoc perficit, & poteſtatem conſecrandi per ſacerdotum inſtitutionem confert [h].

f. Sotus in 4. ſen. diſt. 24 q. 2. art. 2. & 3. & ad 1. & 2.

g. S. Gre. lib. 4. epiſt. 31. ſiue c. 75.

h. Sotus vbi ſupra.

Iuriſdictionis autem poteſtas ad myſticum fidelium corpus ſpectat, quibus toto orbe terrarũ diffuſis, oportuit pro locorum amplitudine, Regnorumq. frequentia, illis aſſignari Antiſtites, ac Prę fectos: quorum alij maiorem, alij minorem iuriſdictionis poteſtatem ad leges condendas, excommunicationes ferendas, & alia iudicia eccleſiaſtica exercẽda haberent, pro vt neceſſitas, aut vtilitas poſtulare videbatur. Hoc igitur adminiſtrationis genus in eccleſia militanti receptum, oſtendunt ſacri Doctores inſtar triumphantis eccleſiæ eſſe inductum: quæ cum varijs ordinibus diſtincta ſit, Archangelorum, Thronorũ, Principatuum, reliquorumq. cæleſtium Spirituum, ſimilis ordinum diſtinctio in militanti eccleſia conueniebat, vt hæc eccleſiaſtica Hierarchia, quatenus fieri poſſet, illius cęleſtis imaginem referret.

Quinimo diſtributio hæc graduum, ac miniſteriorum ita accepta, probataque fuit: vt quemadmodum in ſeculari ordine ſunt multæ vniuerſita-

tes,

tes, ac collegia, quorum alia in aliis inſunt: (ex multis enim hominibus, exempli gratia, conſtat domus; ex multis domibus fit vicus; ex multis uicis conflatur ciuitas; ex pluribus ciuitatibus conſtituuntur regna; & ex regnis monarchia [1]: adeò quòd vnaquæque vniuerſitas ſuos haber Præfectos, ſeu Poteſtates, quibus obtẽperat); ita olim ad ſpiritualem fidelium gubernationẽ Parochiæ inſtitutæ ſunt; ex multis Parochijs, pleriſque in locis, Plebanatus, ſiue Archipresbyteratus, & qui alibi Decanatus vocantur; multis verò Archipresbyteris, plebiumq. Rectoribus Epiſcopi præfecti fuerunt; Epiſcopis, Archiepiſcopi; Archiepiſcopis, Patriarchæ; Patriarchis denique Papalis dignitas tanquam omnium eminẽtiſſima præpoſita fuit, atque in graduum omnium poſita faſtigio, vt ſuprema illius in omnem gregem Chriſtianum, cunctoſq. eius gradus, ac ordines poteſtas haberetur.

[1] Ariſt. Polit. lib. 1. c. 1. & 2.

Nam ſicut neceſſe eſt, vbi peculiaria officia ſunt, & certæ adminiſtrationes ad communem vtilitatem inſtitutæ, poteſtatem aliquam vniuerſalem præcellere, quæ cæteras omnes regat: & ex qua cæteræ pendeant, ad ruendam pacem, concordiam, vnitatem [a]. Sic cum vniuerſa Eccleſia corpus vnum ſit, hæc vniuerſalis, ſummaq. auctoritas à Domino noſtro Ieſu Chriſto in ſancto Petro Apoſtolorũ Principe collocata eſt: hunc Vicarium ſuum in terris reliquit, ac poſt eum ſucceſſores eius in Pontificatu, & gubernatione eccleſiæ ſuæ; ita vt in eo plenitudo omnis poteſtatis Eccleſiaſticæ vigeret, & perpetuo conſtãs permaneret, quam ipſe alijs Eccleſiaſticis gradibus communicaret, ac diſtribueret, prout iudicaret populorum vrilitati, fideliumq. ædificationi conducere [b]. Vt enim in corpore naturali per maiores in minores venas alimenta diſpenſantur; ita ab vno, qui in Eccleſia apicem tenet, in ſingulas vrbes, & diœceſes, vt à capite, per membra maiora, vel minora, influxus chariſmatum deſcendit [c].

a. S. Thom. cont. Gent. lib. 4. cap. 76. in fi. Auguſt. de Anc. de poteſt. eccl. q. 71. art. 4.

b. S. Leo epiſ. 84. ad Anaſt.

c. c. ita Dominus 19. diſt.

Vt etiam eò melius, quæ vniuerſo Chriſtiano populo opus ſunt prouiderentur, vtque perturbatio omnis, & confuſio tolleretur, multis abhinc ſeculis præſcripti ſunt fines, diſtinctæq. eccleſiæ horum Pręſulũ adminiſtrationi ſubiectę [d]: vt cũ ex fidelibus aliquis crearetur Epiſcopus, illicò ſciter quatenus facultas ſua, iuriſdictioq. porrigeretur; vni illi tantum qui caput omnium vniuerſale eſſet, omnimoda, plenaq. ſeruata auctoritate, ac poteſtate, in inferiores omnes gradus, & eccleſias nullis finibus circũſcripta, nullaq. exceptione, aut diſtinctione in ijs, quibus Chriſto ſucceſſit, aut quæ Chriſtus dominus illi donauit, reſtricta.

d. 80. diſt. per totum, & c. prouincia. 99. diſt.

Itaque ſicuti Sol, & homo in generatione hominis ſe habent, quorum vtrũque cum ſit agens principale; Sol tamẽ vt cauſa vniuerſalis, homo verò, vt cauſa particularis cenſetur [e]. Eodem modo, licet non quoad omnia, in Eccleſiaſtico ordine, ſolent diiudicari Papa, & quilibet Epiſcopus [f]: ſiquidem vtrique illorum conuenit animarum cura, tanquam agentibus principalibus: ſed Papæ, vt vniuerſali agenti: Epiſcopo autem, vt particulari, & quatenus capitis vniuerſalis adiutor eſt, vocatus in partem ſolicitudinis [g]: atque illa in prouincia, aut diœceſi, ac ea iuriſdictionis poteſtate, quæ iuxta ſacros Canones illi data eſt, ad gubernandos populos, ducendoſq. in felicitatem æternam.

e. Ariſtotel. Phyſic. lib. 2. tex. 26.

f. Caieta. 2. 2. q. 184. art. 8. ver. quoad 1.

g. c. decreto 2. q. 6. S. Leo epiſ. 84. c. 1.

Plebanis etiam, Archipresbyteris, & Parochis [h] animarum cura tributa eſt, quã tamen non gerunt, vt agentia principalia, & perficientia: ſed vt ſecundaria, & tanquam finem alienum adiuuantia. Quandoquidem ſunt Epiſcoporum in animarum cura adiutores tantum, & cooperarij; atque in Sacramentis aliquibus adminiſtrandis, & populis diuina lege erudiendis auxiliatij, pro ea, quæ vnicuique eorũ data poteſtas eſt.

h. Caieta. 2. 2. q. 184. ar. 6. & 8.

Cum enim ad abſolutam, & perfectã animarum curã requiratur collatio omnium Sacramentorum Eccleſiæ, Parochus autem aliquam Sacramentorum partem nequeat perficere, neque multa

alia

alia quæ ſacramentis deſeruiunt peragere; quippe qui non poteſt clericum ordinare: nec Chriſma ad Baptiſmum neceſſarium conficere; nec Confirmationis ſacramentum miniſtrare: nec calicem ad Euchariſtiæ vſum conſecrare: nec oleum ad extremã vnctionem perficere; nec eccleſias Chriſti ſponſas, & in quibus animarũ cura exerceetur, conſecrare: nec prædicationis officium, tãquam propriæ ordinationis ſuæ actum exercete, aut mandare; quæ tamen omnia ab Epiſcopo ex vi ſuæ inſtitutionis efficiuntur, & perficiuntur. Idcirco animarum cura propriè tantum Epiſcopo tanquam agenti principali, & fini primario incumbere dicitur; alijs autem inferioribus curatis, nonniſi vt agentibus ſecundarijs, & vt cauſis coadiuuantibus adſcribi [a].

a. S. Thom. & Caiet. 2. 2. q. 184. ar. 8. ad 4.

Hæc ſummatim ſatis ſint de ſucceſſione, & de auctoritate Epiſcopalis dignitatis.

De præcipuis Epiſcopalis muneris obligationibus, atque difficultatibus; ac primum de ijs, quæ ad cauſam efficientem, ſiue ad perſonam Prælati ſpectant. Cap. VI.

POST enarratam inſtitutionẽ, ſucceſſionem, ac poteſtatem Epiſcopalis officij, primũ omniũ conuenit ante oculos Epiſcopi ponere, quæ ſint eiuſdẽ officij onera, quibuſque difficultatibus inuolui ſoleat, ac impediti; vt facilior deinde pateat aditus ad modos indicandos, quibus eædem explicentur, atque tollantur.

Quamuis autẽ ex ijs, quæ ſupra, tum de huius dignitatis neceſſitate, tùm de auctoris præſtantia, qui primus vexilla huius militiæ explicuit, diſſeruimus, intelligi ſatis poſſit, quàm ſublimi gradu munus hoc ſit collocatum: ac proinde quàm arctis obligationibus, & grauibus difficultatibus ſit circumſeptum, cum labores, & pericula rebus arduis ſe adiunganr. Tamen, ſicut qui ad maris litus accedit, quamuis longè, lateq. patentem aquarum amplitudinem videat, & vndarum ſibi mutuo ſuccedentium concurſum; non tamen eius aſpectus in profundos maris gurgites penetrat, nõ latentia ſub vndis ſaxa contuetur, non marina monſtra, non flexuoſos ſinus, nec ventorum procellas, nec piratarum inſidias, aliauè impendentia pericula colluſtrat; ita non vno obtutu poſſunt omnia officij Epiſcopalis tùm munia, tum incommoda, ac difficultates conſpici.

Quocirca operæpretium videtur, vt regionis huius latè patentes campos, à longe ſaltem detegere conemur, & loca explorare, proximaq; litora omnia attingere contẽdamus: vt qui iter hoc ingreſſuri ſunt, procul ſaltem imminentia pericula proſpicientes, tempeſtiuè ſibi caueant, tutiuſq; itineri ſe committere poſſint.

Quoniam autem intelligimus, non omnino poſſe nos omnia, quæ infeſta, aſperaque, & impedita loca ſint, demõſtrare: propterea quòd, vt ſanctus ille dixit [a]: *Difficultates Epiſcoporũ omnes recenſere, nihil aliud eſt, quàm maris altitudinẽ emetiri*; ideo animaduertentes huiuſmodi impedimenta, atque incommoda per varia auctorum volumina ſparſim vagati: nec certo aliquo (quem nouerimus) collecta loco, facile ſe Epiſcopis, quibus hæc ſcire expedit, oſtendere; imo multa tanquam occultiora ſeorſum deliteſcere; alia verò poſtea temporũ malitia emerſiſſe: exiſtimauimus, non inutiliter nos laboraturos, ſi diuina ope potius, quàm proprijs viribus freti, nodos adminiſtrationis huius colligere, eoſq. certo aliquo ordine quantum licebit, dirigere conaremur; vt ſaltem ea, quæ potiora ſunt, tanquam in tabula, Præſulum oculis exponerentur.

a. S. Io. Chryſoſt. lib. 6. de ſacer.

Itaque ad clariorem intelligentiam, ſummam illorũ ad quinque cauſas redigendam duximus: quæ à multis [b], efficiens, inſtrumentalis, materialis, formalis, & finalis appellantur: non quidẽ, vt hæc ſcholaſtico more, aut valde

b. Ariſt. 2. Phyſic.

ſubti-

ſubtiliter accipiamus: ſed tātum ad cōmodiorem explicationem, hæc ita partientes, vt ad ea tanquam præcipua huius molis fundamenta, reliqua omnia impedimenta referantur.

Igitur à prima cauſa exordiētes, quæ efficiens dicitur, Epiſcopiq. ipſius perſonam attingit; dicimus magna ratione, Epiſcopū in ſacris literis, à ſanctisq. Patribus varijs titulis, ſeu nominibus appellari; quæ prout de diuinis nominibus dicitur [a], non vt ſynonima, ſed vt maximè diſiuncta, ac ſecundum varias rationes accipiuntur: ac proinde multiplicē illius ſolicitudinem, officijq. varietatē, ac magnitudinem oſtendunt.

Nam Præco dicitur; *vt annunciet populo ſcelera eorum*, prout Iſaias dixit [b]. Dicitur Paſtor [c]; vt oues paſcat verbo, & exemplo, & ſacramentis: ponatque, ſi id neceſſitas exegerit, animam ſuam pro ouibus ſuis. *Sal terræ* [d]; vt condiat aliorum mores ſapientiſſimis inſtitutis, ac præceptis. *Lucerna ſuper candelabrum poſita*; vt omnibus luceat probitatis, & doctrinæ radijs [e]. Habet officium Ducis, vt rectū iter ſubditis oſtendat: nec (quod verendum eſt) cæcus cæco ducatum præbeat, atque ambo in foueam cadant [f]. Medici, vt norit attemperare vinum oleo in curandis vulneribus [g]. Militis armati, Cuſtodis, Leonis, Angeli, & aliorum [h], quæ à Sancto Gregorio enumerantur: vt ſua inſuperabili poteſtate dæmonum impetus infringat; & in ſumma, quot ſunt neceſsitates hominū, tot ferè nomina attributa ſunt Epiſcopis, ex earum ſimilitudine, vt norint ſe totidem officia obtinere: quæ ne ſingula perſequamur, cum ſe in omnes ferè cauſas, actiones, tempora, perſonas, ac diœceſis ſuæ neceſſitates effundant: nūc quædam tantùm in vniuerſum quidem, ſed diſtinctè magis, quoad eius fieri poteſt, attingemus: ex quibus clariùs, grauiſſimum quod ei impēdet pondus, perſpici queat.

a. S. Tho. in 1. q. 13. ar. 4.
b. Iſai. 58. c. ſi rector 43. diſt.
c. S. Ioā. 10. c. Ne pro defectu. de elect.
d. S. Matt. 5.
e. S. Matt. 5.
f. c. poſt trāſlationē ver. item ſi quis de renunc. c. cum ſit de ætate, & qualit.
g. c. diſciplina 45. diſt.
h. S. Gregor. Nazian. in carmine, ad epiſcopos.

Ac primum quidem à perſona illius incipiemus, quæ omnes curæ ſuæ ſubiectos doctrina, & exemplo cum expurgare, ac perficere debeat; oportet eā omni non ſolum mortifero vitio, ſed illius etiam ſuſpicione prorſus carere. Nam, vt notum eſt; *Cuius vita deſpicitur, fieri vix poteſt, vt etiam prædicatio non contemnatur* [i]; cum ſcriptum ſit: *Ab immundo, quis mūdabitur* [k]? Et ideo Apoſtolus Paulus, verus Epiſcoporū formator, ad Timotheū ſcribens dicebat [l]: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, non vinolentum, non percuſſorem, non litigioſum, non cupidum* [m]. Et ad Titū idem inculcat, cum ait [n]: *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum.*

Nec hoc ſatis eſt: ſed hanc etiam innocētiam, eo quo decet modo, in familia, ac domo ſua, quæ veluti pars ſui ipſius cenſetur, æquè præſtare debet. Cuius rei exemplo eſt Heli, qui quamuis bonus eſſet [o], tamen Deo, quòd in maximis filiorum ſceleribus conniueret, probatus non eſt [p].

Cum autem vitij hæc ſit natura (præcipuè quando in locum eminentem ſerpit, qui tanquam ſpecula omnium oculis proponitur) vt facilè, quamuis leue ſit, alterum inficiat, atque exiguo momento, vel totas ciuitates corrumpat [q], ſicuti pauxillum veneni poteſt liquorē multum magno infuſum vaſe inficere; propterea nemo nō videt, quàm arduū, ac difficile ſit hoc Epiſcopo ab hoc morbo vniuerſam familiam integram, atque incorruptam ſeruare.

Quinimò, cum illius domus ad exemplum omnibus debeat eſſe conſtituta, non ſatis erit domeſticos, & familiares eius vniuerſos à quibuſuis ſordibus, & maculis integros eſſe: ſed & cætera omnia, quæ in eius domo ſunt, quæuè ibi exercētur, nihil prorſus redolere, quod aliorum oculos, aut aures poſſit offendere: nam vt olim Carthagin. Concilio [r], & nouiſſimè in Tridentino cautum eſt [s]: *Epiſcopi, modeſta ſupellectili, menſa, ac frugali victu contenti; caueant ne in tota eius domo aliquid appareat, quod non ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ ſe ferat*; præſertim cū populus in his perſcrutandis nimium perſpicax,

atque

i. S. Gregor. Nazian. in apolo. ante medium & ibi Elias.
k. Eccli. 34.
l. 1. Timoth. c. 3.
m. 1. ad Titū c. 1.
n. c. legant. 37. diſtin. c. licet Heli de ſimon.
o. 1. Reg. c. 2 et 1. Ephræ. tit. de Heli.
p S. Chryſoſ. lib. 3. et 6. de Sacerd. auctor operę imperf. homil. 38. in S. Matt.
q. Concil. 4. c. 15.
r. Seſſ. 25. c. 1. de reform.
S. Greg. Nazīā. in ora. in præſentia 150. Epiſcoporum habita, & quæ eſt 32.

Digitized by Google

atque oculatus eſſe ſoleat.

Sed præterea nec ſatis eſt huiuſmodi culpis, ac ſuſpicionibus Epiſcopum caruiſſe: ſed etiam oportet eum omnibus virtutibus ornatum eſſe, quas Apoſtolus ad Timotheum, & Titum ſcribens commemorat[a]: videlicet, fide, ſpe, charitate, humilitate, veritate, ſinceritate, honeſtate, atque alijs, quibus non illæ tantum continentur, quæ regendis ouibus in ſalutem ſunt neceſſariæ, verum etiam modus quidam eaſdem illas virtutes multo ſublimius, perfectiuſque à Prelaris, quàm à cęteris hominibus obtinendi, & exequendi pro ordinis ſui præſtantia, ac ſtatus dignitate, & perfectione.

a. 1. ad Timot. cap. 3. 1. ad Tit. c. 1.

Sed præter ipſas virtutes omnibus communes, alias etiam in eo elucere neceſſe eſt, quæ dignitatis Epiſcopalis ſunt propriæ: ſapientia in regendo, in erudiendo doctrina, in audiendo patientia, iuſtitia ad corrigendum, manſuetudo ad ignoſcendum, vigilantia ad prouidendum, ad exequendum ſolicitudo, zelus animarum in conquirendis, comparandiſque ijs, quæ ad earum ſalutem ſunt neceſſaria, aliæq. innumerabiles penè virtutes[b]: vt eius mens quaſi publicum horreum ſit, omnium bonorum commeatu ad communem vtilitatem refertum: ac veluti inſtitoris officina, margaritis, gemmis, omniq. pretioſarum veſtium genere abundè inſtructa: vt ſingulis è populo non ſolum neceſſaria miniſtrare, verùm etiam quæcumque ad cultum, & ornamentũ pertinent, addere poſſit.

b. Multa apud Gratianũ. diſt. 37. & 38.

Ac demum, vt compendium quoddã meritorum, ac veluti balſamum aromatizans omnis virtutis, ac bonitatis mixtione conflatum, ita ſe publicè prodat; vt quæcunque populo inciderint, ſiue ſint res iucundæ, aut aduerſæ, ſiue lætæ, aut triſtes, ſeu morbi, lues publica, perſecutio, damna vel rei familiaris, vel honoris, ac ſtatus, alijq. humanæ vitæ caſus; & denique quicquid graue contigerit, de quo dubitari poſſit, quæ ratio ineunda, quæuè cautio adhibenda ſit: ſic vnuſquiſque poſſit in Præſulem ſuũ oculos conijcere, ab eoque veram in omnibus petere diſciplinam, rectamq. rerum gerendarum rationem. Ob id enim docet S. Paulus Timotheum, his verbis[c]: *Eſto exemplum fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate*. Et S. Petrus[d]: *Forma facti gregis ex animo*.

c. 1. ad Timot. 4.
d. 1. Pet 5.

Verùm quia longum eſſet nimis, ac ferè infinitum, alia ſigillatim recenſere, quæ in Epiſcopo, ob ſingularem ſtatus ſui perfectionem, & ſummam oneris grauitatem requiruntur. duplicem illã poteſtatem alibi etiam a nobis ſignificatam repetemus, qua eum ſacri canones præditum eſſe ſæpè monent: alterã, quæ dicitur ordinis: alteram, quæ dicitur iuriſdictionis.

Nam illa, quæ ordinis dicitur, cum duas partes habeat, vna quæ ad Sacerdotiũ pertinet, ſecunda quæ in Epiſcopalibus functionibus verſatur. Quòd ad primam attinet, nempè, panem & vinum ſupernaturali auctoritate tranſubſtantiare, Patri æterno ſacrificium viuificum offerre; hominum peccata dimittere, aut retinere, quod tamen ſine ordinis Sacerdotalis iuriſdictione non fit; inter Deum, & homines mediatorẽ eſſe: cæteraq. eiuſmodi, quæ ſimul, nec Angelis, nec Arcangelis, nec vlli alteri naturæ, quàm humanæ conceſſa ſunt[e]: hæc proculdubio talem, tãtamq. in eo, qui eiuſmodi munera eſt ſuſcepturus, puritatem, ſanctitatem, ac religionem requirunt, ac ſi è terris elatus, cum ipſis cælorum virtutibus verſaretur.

e. Sess. 4. diſt. 1. q. 5. ar. 7

Altera ordinis functio propria Epiſcopi eſt, clericalem militiam ad ſanctas functiones ordinare; indelebili charactere eccleſiaſticos milites ſignare; conſecrare virgines Dei ſponſas; & ad diuinum cultum Eccleſias, Altaria, Calices, Olea, cæteraq. omnia Pontificalia miniſteria, tãquam hierarcham adminiſtrare. Quænam igitur lingua, quæ verba, quæ manus, qui ſpiritus, ac vita deſiderantur, vt ille dignè exequatur tam alta, veneranda, atque tremenda myſteria?

Iuriſdictionis verò poteſtas, multo latius

tiùs pater, ac ferè periculoſius geritur. Nam cum eius officium ſit, leges eccleſiaſticas condere, vota relaxare, indulgentias conferre, excommunicationis vinculo nunc ligare, nunc ſoluere, ſacram ſcripturam explanare, hiſq. omnibus populum ſibi ſubiectū perficere; ponendum id tanquam neceſſarium videtur, eum iam omni virtutū ornamento circumſeptum, veram ac ſolidā adeptum eſſe perfectionem, quæ eum inſtructiſſimum omnibus reddat. Vnde in ſeptima Synodo dicitur: *Definimus omnem, qui ad Epiſcopatus prouehēdus eſt gradum, modis omnibus pſalterium noſſe; & vt in promptu habeat, & non tranſitorie tam ſacros canones, & Sanctum Euangelium, quàm diuini Apoſtoli librum, & omnem diuinam ſcripturam, & docere populum ſibi commiſſum*[a]. Et S. Auguſtinus referens multa Sacerdotibus neceſſaria ad diſcendum, cum dicat: *Si vnum ex ijs omnibus defuerit, Sacerdotis nomen vix in eo conſtabit*[b]; quo magis in Epiſcopo hoc erit præcipuè neceſſarium?

a. c. Omnes 38. diſt.

b. c. Quæ ipſis. diſt. 38. Iuo. par. 6. c. 22.

Oportet etiam inter cætera, vt nota ſint ei, quoad fieri poteſt, & prudēs adminiſtrationis ratio poſtulat, omnia populi curæ eius ſubiecti vitia, defectus, incommoda; ſciat quibus rebus opus ſit, perinde ac ſi non ſolùm apud eundē populum, ſed ferè in eiſdem domibus natus, atque educatus eſſet, ac cum ſingulis diuturnus ipſi vſus, & conſuetudo interceſſiſſet.

Nam cum muneris eius obligatio, non tantum eum bonum, ac probum eſſe requirat, ſed ampliùs etiam (huius enim rei cauſa ſummum hoc munus inſtitutum eſt) per eum bonos alios fieri; inde efficitur, vt quemadmodum morbi cognitio anteire curationem debet, cum dicat S. Auguſt: *Si tu erubeſcēs vulnera tegere tua volueris, medicus non curabit*[c]. Ita oportet ad ſanitatem animę ſubditorum procurandam, eius vitia, & mala noſſe; & corruptelas, quibus obſita, oppreſſaque eſt, expurgare: alioquin, quemadmodum ſi quis horologiū videat, quod horas perperam deſignet, culpam præcipuam in eum conferet, cuius curæ, & cuſtodiæ commiſſum eſt; ſic errata populorum Rectori attribuūtur, nam ipſius erat, eos in officio continere. Quod quàm difficile ac arduum ſit, non indiget probatione, cum euidens ſit in frequētibus vrbibus, ac in diœceſi paulò ampliore, perpaucos admodum eſſe præ reliqua multitudine, qui è facie dignoſcātur, nedum vt omnium peccata, non dicam ſecreta, ſed etiam publica, quæ tamen Paſtorali correctione indigent, cognita haberi poſſint.

c. S. Aug. in Pſal. 31.

Ad quæ clarius dignoſcenda, ſatis erit in præſens, ea commemorare pericula, quæ adijſſe ſe ſanctus ipſemet Paulus affirmat, dicēs[d]: *Periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere &c.* Quæ cum itidem Antiſtiti, de quo agimus, imminere poſſint: ex ijs conſideret quæſo, qua induſtria, qua cautione, vigilantia, ſolicitudine ſibi opus ſit. Cuius rei egregium exemplum S. Gregorius[e] Nazianzenus affert, Epiſcopum cum ijs comparans, qui in pendulo, præcelſoq. fune ambulant, quibus haud tutum eſt huc, vel illuc inclinare, quòd vel exiguum momentum non paruam ruinā facere poſſit.

d. 2. ad Corint. 11.

e. In Apologetico 1.

Iam verò his, quæ expoſita ſunt, aliud accedit, quod longe ab alijs officiorum generibus, quæ in actione conſiſtunt, & relatiua dicuntur, diuerſum eſt: veluti magiſtri, ac diſcipuli, patris, & filij, domini, & ſerui; in his enim alter vicem amborum ſubire non poteſt, ſed vtriuſque diſtincti ſunt actus, & officia; veluti medicus medicamētū præſcribit, ægrotus ſumit, Rex ſubditis imperat, illi parent. Epiſcopi autem huiuſmodi eſt munus, vt licet perſona eius ſit multum diuerſa à populo ſuo, attamē omnia quæcumque ferè alijs præcipit, ipſum eadē exequi oporteat. Nam vulgare illud eſt, & in prouerbium ferè tranſijt: *Patere legem, quam ipſe tuleris*[f]. Et Claudianus præclarè ſcripſit[g]:

In cōmune iubes ſi quid, cenſeſuè tenendum,
Primus iuſſa ſubi, tunc obſeruantior æqui
Fit populus: nec ferre vetat, cū viderit ipſum
Auctorem parere ſibi.

f. c. cum omnes de conſtit.

g. Claud. de quarto conſul. Honorij. Cic. lib. 3. de legib. Plin. in Panegyr. Liu. lib. 26

Ieiunia alijs indicit, defungi illis ipſemet

ſemet debet; vult alios largiri pauperibus, vult celebrari miſſas, iniurias condonari, vitari ignauiam, & murmurationem, leges vetantes luxum ſeruari; ipſe præire debet, ipſe idem iuris in ſe, familiamque ſuam ſtatuere; exemplo denique ſuo præcepta omnia ſancire, & cõfirmare. Ex his intelligi poteſt, oportere ipſummet, cuius eſt præcipere populis opera bona, atque à malis, & prauis illos reuocare; harum omnium actionum quaſi curriculo eſſe perfunctum, vt ordinis, locique ſui muneri reſpondeat.

Poſtremò ne longiores ſimus, reſtat, vt in memoriam redigamus veterum cæremoniarum, arcanorumque ſacramentorum myſteria, tùm ſacrarum vnctionum, benedictionum cæleſtium ritus, quos in Epiſcoporum conſecratione Eccleſia ſancta obſeruat [a]. Nam ea cõſecratio cum ſit ſpiritualis coniugij, quod Epiſcopus cũ fideliſſima ſua ſponſa contrahit, ſolemnis celebratio; in more veteri eſt poſitum, conſuetudineque eccleſiæ, vt hæ cæleſtes nuptiæ maximo apparatu altiſſimorum myſteriorum, religioſiſſimorumq. rituum exornentur: in quibus ſignificatio eſt fidei, vigilantiæ, doctrinæ, grauitatis, honeſtatis, fortitudinis, charitatis; quæ nouus ſponſus ſanctiſſimis verbis, ſolemnique voto, ac iuriſiurandi religione ante altare, ſacraſque Imagines Deo benedicto ſpondet, inſpectante populo, & Reuerendiſſimis aliquot Præſulibus auctoribus, ipſam accipientibus ſponſionem. Quæ ſanè actio, ſi benè æſtimetur, memoriaque, & mente recolatur, ſatis ſuperque eſt, ad declarandam eius oneris, quod ſuſcipit Epiſcopus magnitudinem, difficultatem, & grauitatẽ; ne cætera, quę plurima eſſent, ſigillatim recenſeamus.

a. Sacerdot. in Epiſcbal. oruat. 4. de cõſec. Epiſc.

De ſecunda difficultate proficiſcente a cauſa, quæ dicitur inſtrumentalis, per quam Epiſcopalis poteſtas eſt exercenda. Cap. VII.

CAETERVM ponamus modò Epiſcopum, tùm perfectè ſcire, tum cumulatè præſtare poſſe quæcunque in munere ſuo obeundo ſunt perſonæ ſuæ neceſſaria: alia nihilominus adhuc reſtat difficultas ſuperioribus haud forraſſe leuior: eaq. ex inſtrumentis oritur, quibus in hoc eodem munere eſt vtendũ: ea ſiquidem ſi accommodata non ſunt ad deſtinatum opus, omnem perire laborem, vniuerſamq. fructus ſpem irritã fieri neceſſe eſt. Sculptor, faber, opifices cæteri, ſint quantumuis egregij, artiſq. ſuæ periti, niſi tamen ſcalprum, forcipem, limam, aliaq. inſtrumenta apta operi, quod præ manibus habent, antea compararint, fruſtra eorum induſtria, & opera impendetur.

Epiſcopi verò cum ſit officium, obduratos vitiorum multitudine, atque aſperos hominum mores expolire, malitiæq. æruginem ab eis abſtergere, vt notum eſt ex verbis Apoſtoli ad Timotheum dicentis [b]: *Argue, obſecra, increpa, opportunè, importunè*. Quod & Innocentij Tertij decreto cautum eſt [c], & Tridentino Concilio ſæpè repetitum [d]. Idcirco id inſtrumentorum vſu, quæ ad munus ſibi propoſitum exequendũ idonea ſint, eum adipiſci oportet: cum alioquin incommoda multa, eorum occaſione, aut vitio oriantur; ſiue quòd non ſufficiant operi vniuerſo, ſiue quod nonnunquam minus apta, & accommodata ad illud perficiendum: ſunt enim obtuſa, vel fragilia, vel ad id, quod agitur, minus idonea.

b. 2. ad Timoth. 4.

c. c. qualiter, & quã do. li. 2. de accuſ.

d. Seſſ. 6. c. 3 & ſeſſ. 23. c. 1. de reform.

Quamobrem, cum horum inſtrumentorum duplex ſit genus: alterum proximum, quo per ſe ipſe Epiſcopus vtitur: alterũ remotum, in quo exercẽdo opera vtitur

vtitur aliorum, in vtriſque fine dubio magnæ difficultates exiſtunt. Cum enim quæ proximè hærent Præſuli inſtrumenta, bipartita ſint; altera ad dicendum, altera ad agendum accommodata; illa ad ſacras conciones, ad doctrinam ſalutarem, qua imbuantur populi, ad priuata item colloquia pertinent; iſta ad exempla vitæ ſpectant, atque ad actiones quotidie manantes ab ipſo Epiſcopo. In vtriſque igitur dubium nō eſt, vel propter magnum numerum populi, cui hæc inſeruiūt, vel propter alias cauſas, ea neceſſariis muneribus ſufficere nequaquam poſſe.

Nam ſi de eo genere loquamur, quod in verbis poſitum eſt, & in iis præſertim, quæ in conſecrationibus adhibentur, vbi cælorum virtutes adſiſtunt, vt ait S. Chryſoſtomus[a]; quantam quæſo attentionem, vigilantiam, venerationem præſtari oportet, ne quid per imprudentiam, aut inconſiderationem, aut irreuerentiam peccetur? ac ne vlla quidem litera à præſcripta forma prætermittatur? nam tùm ob hanc, tùm alias ob cauſas myſteria hæc tremenda à ſanctis Patribus appellantur[b]. Qui verò ad populum dicturi ſunt, quam prudentiam, induſtriam, facultatem afferre debent, vt aptè, & vtiliter exprimant quæcunque oportet; cum triplex in prædicando verbo Dei, vt ait S. Nazianzenus[c], difficultas verſari ſoleat, videlicet intellectus, ſermonis, & auditoris? ſed hæc loco ſuo copioſiùs explicabuntur.

a. S. Chryſ. lib. 6. de ſacerd.

b. S. Chryſoſt. lib. 3. de ſacerd.

c. S. Nazian. oratio. 26. S. Chryſoſt. lib. 5. de ſacerd.

Verùm vt demus nihil vtrobique errari; quis non videt in vrbe, ac diœceſi vel mediocri, vix exiguam multitudinis partem, Antiſtitis vocem audire poſſe? ſiue ille in Sacerdotij functionibus, ſiue in adminiſtratione Sacramentorū, aut in ſacris concionibus, priuatiſue, ac quotidianis ſermonibus occupetur? Itaq; licet is parochias aſſiduè obeat, & vniuerſam perluſtret diœceſim, Pontificalia opera exequendo, docendo, monendo, præcipiendo omnibus, & quoad fieri poteſt nunquam ab hoc opere ceſſando; tamen vix multis annis hæc completur periodus; & præterea plerique dum hæc fiunt, ipſi non interſunt; nonnulli etiam haud ſatis intelligunt, quæ dicuntur.

Quòd ſi pro viua voce, quæ in omnium aures peruenire non poteſt, ſcribat ad populum Epiſcopus paſtoralem epiſtolam, aut alium quempiam ſermonem mittat, ne hoc quidem ex ſententia procedit: propterea quòd plerique literas neſciunt, ac breuis epiſtola, vel ſermo tranſmiſſus, parùm prodeſt, præ innumerabilium rerum mole, quibus populum informari oportuerat; longæ verò literę tædium afferūt, earumque ſubtepit obliuio, niſi quotidie ferè in memoriam redigantur: vnde & moleſtæ ſunt, neque omnia quæ neceſſaria ſunt, complectuntur.

Huc accedit, quòd cum Antiſtitis mens haud omnibus nota eſſe poſſit; procliue eſt, vt eius actiones, quantumuis in ſpeciem probæ, ad varias, ac multiplices trahantur interpretationes: ita vt non niſi multorum ſpatio annorum, ac poſtquam diuturno vſu conſtiterit, perpetua laudabilium illius actuum ſeries, ſibi ipſa in omnibus rebus conſentiens, incipiat populus de Antiſtite ſuo bene exiſtimare; propterea quòd antea idem deſidia, ſiue imprudentia, aut præcipitatione nonnunquam lapſus fuerit, ac virtutis imagine, & ſimulatione circumuentus errarit. Siquidem vt ait S. Auguſt.[d]: *Omnibus virtutibus quadam vitia quodammodo ſunt vicina: nec veritate, ſed quadam ſpecie fallente ſimilia: ſicuti prudentia non temeritas, & imprudentia, ſed aſtutia*: & alia huiuſmodi[e].

d. S. Aug cōtra Iulian. lib. 4. c. 3. tom. 7.

e. Idem pulchrè docet. S. Greg. in paſtor. par. 2. c. 9.

Cæterum ex inſtrumentis paulo remotioribus, quæ ad ſecundum genus pertinere diximus, quibus Præſul per alios vtitur, maior etiam difficultas videtur exiſtere. Nam cum ipſe Canonicorum ordine fretus, aut Parochorum, ſiue Monachorum, ſiue Theologorum, aut Iuriſconſultorum, ſiue etiam Magiſtratuū, Patrumfamiliàs, aut aliorum, quibus aliquas officij ſui partes mādat; maximè confidit, populos vel ſermone, ac doctrina, vel vitæ exemplorumq. diſciplina poſſe imbuere; nemo non videt

illum armis, ac machinis inſtructum eſſe, parum ad arcem expugnandam accommodatis. Hic enim ipſius exercitus eſt, hi milites ad hoc facinus aggrediendum; atque vtinam interdum non magis inde detrimentum caperet, quàm adiumentum, & commodum: præterquàm quòd huiuſmodi adminiſtri in vrbibus plurimũ degunt, ac ſibi ipſis quandoq; viuunt: vnde remanent reliqui in populo penè deſtituti præſidio, vna cum vniuerſa diœceſi longè lateque patente, cui tantummodo pauci parochiarum Rectores, ijque ſæpe nec literis, nec prudentia ſatis exculti opitulantur.

Etſi verò magnus numerus, alacritaſque miniſtrorum ita ſuppetat Epiſcopo, vt vniuerſæ multitudini ſufficiant; grauiſſima tamen difficultas ſubeſt in omni inſtrumentorum vſu, ſiue ad verba ſpectes, ſiue ad facta præſtanda: vtraque enim hæc, adeo præſtantem, atque peritam vtentis artificis manum deſiderant, ad opus ipſum cum laude, & fructu perficiendum, vt tanto muneri perquàm rari homines pro dignitate reſpondere poſſint. Videmus opifices inſtrumenta diuerſa parata habere, quę ad opus ſibi propoſitum ſint accommodata: quare alia ad ſculpturam marmoris vſui ſunt, alia ad ligna dolãda; aliorum vſus in veſtibus puniceo colore, aut purpureo, aut hyacinthino inficiendis, aliorum item ad textrinam ſtaminis, aurei, ſerici; denique, vt concludamus, perſpicuum eſt vniuerſis, inſtrumentum perquàm aptum eſſe debere materiæ, ad quam adhibetur.

Verùm inſtrumenta, quibus vti Epiſcopus debet ad officium ſuum exercẽdum, quod eſt Dei veram cognitionẽ, & amorem verbo, & exemplo humanis mẽtibus inſerere, multiplicia, ac ferè innumerabilia ſunt; idque propter varietatẽ, inſtabilitatemq. humanę naturę: exempli cauſa, iracundiæ furor quamuis eandem ob cauſam concitatus, alia rõne ſedãdus eſt in patritio viro, alia in plebeio, ſeu in ſacerdote, aut bellicorum ordinũ ductore. Quod s. Greg. ſæpè monet, cum dicat [a]; *aliter admonendi ſunt inopes, atque aliter locupletes, aliter manſueti, aliter iracundi*; & ſic de alijs loquitur; moderanda ſæpè auaritia eſt, libido, ingluuies, arrogantia, cæteraque huiuſmodi vitia, quæ pro ingeniorum humanorum diſcrimine, ac locorum, ſeu conſuetudinis, prauorumque habituum diuerſitate, curationem variam deſiderant [b]: erga nonnullos adhibẽda reprehenſio, atq; obiurgatio: erga alios manſuetudo ac lenitas, cum ſcribat S. Nazianz. [c] *Vtendum aliquoties pedo, vt plurimum autem fiſtula*. Quod Elias Cretenſis ibi exponit: *Sæpè doctrina, rarò obiurgationibus agendum*; immò eidem homini, nunc facilitate, & clementia plus proficitur; nunc acerbitate, ac terrore.

a. S. Greg. in paſtor. p. 3. admonit. 3. 5. 6. & ſeq.

b S. Greg. in paſtor. admonit. 20. 21. 22. 28. & ſeq.

c. S. Naz. in apolog. 5. poſtrema cauſa.

Hæc verò omnia, quę iam expoſuimus, leuia profectò ſunt, & exigua præ hac prope inextricabili, quæ ſequitur, difficultate: qua res eò adducitur, vt nihil profici, nihil vllo conſilio quodammodo perfici poſſe videatur. Nam quamuis ea inſtrumentorum copia præſto ſit, quæ omnium morborum curationi ſatis eſſe poſſit, ſimulque medicus in eorundem vſu, prudentia, ac ſcientia valeat ſingulari; attamen multa accidere poſſunt, quæ vim huiuſmodi inſtrumentorum impediant, ita vt artifex propoſitum ſibi finem minus conſequi valeat. Qua in re vnicum afferamus exemplum.

Fac ſtatuarium velle ſcalprum ferreum in lanam defigere ad ſtatuas exculpendas, ac fabrefaciendas; quàm ridiculè omnem operam perdet? illa ſi quidem natura ſua ita cedit, vt nec leuem mallei ictum ſuſtineat, ſed ſtatim elabatur, ac ſuccumbat. Sic humana voluntas cum à Deo libera, ſuique arbitrij condita ſit, ita vt nullis vinculis poſſit aſtringi, ſed adiuuante quidẽ Dei gratia excitari [d]; eo ipſo tempore, quo tibi eam retinere viſus fueris, ſtatim more auis euolat, aliòque ſe confert, eatenus vt nullo verborum apparatu, nulla operationum vi, nullis bonorum exemplorum copijs eam expugnare, ac in poteſtatem redigere valeas. Quin ne

d. S. Aug. lib. 5. de ciuit. Dei c. 10.

miracu-

miraculis quidem neceſſariò ducitur [a]: ſed poterit tantummodo allici, & inuitari, ac conſilijs inſtrui, præceptiſq. dirigi, & vrgeri, ſed non omnino compelli.

Quid? quod eadem ſæpè inſtrumenta, quæ tum vi ſua, tum impetu, ac vehementiſſimo impellentis conatu videbantur vel ſaxa, ferrumque emollire poſſe; in ipſo operis actu ſæpè ita mutantur, vt momento temporis vim illam omnem concidiſſe, ac perijſſe dixeris? eo quòd, vel imbecilla eſt eorum natura, vel vrentis manus minus firma; veluti ijs accidit, qui interdum ducti charitate, alteri prodeſſe ſtudent: nam ſi id parum conſideratè aggrediantur, ſubita inſtrumentorum facta mutatione, ea quæ charitatis officia inſtituta erant, confeſtim in terræ libidinis aculeos conuerſa ſentiuntur: & animas, quas Chriſto lucrifacere ſibi initio propoſuerant, in æternam damnationem ſecum miſerrimè trahunt.

Vnde Sanctus Iſidorus ait [a]: *Contra ſerpentem poſitus, non eris diu illæſus; & propè ignem conſiſtens ferreus licet ſis, combureris.* Et Sanctus Hieronymus [b]: *Nulla ſecuritas vicino ſerpente dormire: poteſt fieri, vt me non mordeat; tamen poteſt fieri, vt aliquando me mordeat:* quò etiam vergunt quæ eleganter, & copioſe ſcripſit S. Auguſtinus [c].

a. S. Iſid. lib. de contẽptu mundi.

b. Epiſt. 93. aduerſus Vigilant. prope finem.

c. S. Aug. in lib. de honeſt. tom. 9.

Sed præter hæc, aliud eſt inſtrumenti genus; cuius, quod inanimatum ſit, vſus, tanquam à ſola Epiſcopi voluntate pendens, mirificè deberet Epiſcopi munus adiuuare, eumque apud populum maximè commendabilem reddere; ſæpe tamen id illum in oculis ciuium ſuorum culpabilem, atque odioſum reddit. Hi ſunt fructus eccleſiaſtici, ac redditus, & prouentus bonorum menſæ Epiſcopalis.

Nam cum hi olim Epiſcopis fuerint permiſſi, tum ad ſeipſos, & eorum familiam ſuſtentandam, tum ad eccleſiæ fabricam, ad hoſpitalitatem ſeruandam, ad pauperes ſubleuandos [d], atque ad alia pia opera, quæ illorum ſtatus, & paſtoralis cura expoſcere videtur; difficile eſt tamen, ne in eorum vſu grauiter ab Epiſcopo aliquando peccetur: non ſolùm quòd hæc diſtributionis ratio, prout oportet minimè obſeruatur; ſed etiam quòd magnum eſt periculum, magna eſt difficultas, vt pecuniæ ab ipſis hominibus, qui prudentes habentur, qua decet Chriſtiana menſura exerceantur.

d. c. quatuor 12. q. 2.

Aut enim in ijs erogandis nimium parci, & tenaces ſunt: aut nimium profuſi, & prodigi; aut etiam, quamuis in eorum vſu moderati eſſent, adhuc tamẽ non earum rerum comparãdarum delectum habent, quibus præcipue opus eſſet. Etenim noſſe pecunia vti, quomodo, quando, atque vbi oportet, non leue, ſed magnum eſt negocium: proſpicere namque quid domui ſuæ magis, minuſue neceſſarium, quid augendum, quid minuendum, quantum in vitæ huius ſubſidijs, in ſupellectili, in apparatu, alijſque domeſticis rebus ſit inſumendum; quæ portio eleemoſynis, eccleſiæ fabricis, ac pijs operibus ſit applicanda; quid inter pauperes ſit diſtribuendum, & qui ſint hi vere pauperes, ne conſanguinitatis, aut beneuolentiæ affectu præuaricemur, & alia huiuſmodi: indigent hæc omnia magna prudentia, magna circumſpectione, ac rerum vſu. Cumque hæc ſingulis diebus, ac ferè horis deliberanda ſeſe offerant Epiſcopo, qui bonorum iſtorum non eſt omnino, atque ad arbitrium dominus [e], ſed is à quo in nouiſſimo die ſingulorum erit ratio repoſcenda; proptetea quantum hinc ſolicitudinis, & periculi quotidie Epiſcopo impendeat, quiſque poteſt intelligere.

e. Nauarr. lib. de red. de eccleſiaſ. q. 1. monit. 21. qui aſſerit hãc eſſe cõmunem opin.

De tertia difficultate Epiſcopalis officij, quæ a cauſa materiali proficiſcitur.
Cap. VIII.

SUperiore difficultate leuior ea non eſt, quæ ex materia hoc in munere exercẽda naſcitur. Nã cum verſetur hæc in actionibus hominũ regendis, atque in ſuum finem adducendis; idque tùm per ordinis, tùm per iuriſdictionis poteſtatem, de qua ante actum fuit; ita vaſta, diſperſa, atque pene inſcrutabilis res eſt, vt ſana mens, ſummoque acumine, & alacritate prædita, quãtumuis ſolicita, atque ingenti etiam adhibito conatu, ſe immenſa tam ardui, atque impediti itineris ſpatia metiri poſſe, interdum quodammodo deſperet.

Quod vt melius intelligatur, ſciendũ eſt, hominem pro actuum ſuorum bonitate, vel malitia, aut in cælum tandem aſcendere, aut in inferni barathrum præcipitari: quod ſatis notum eſt, ex variis ſacræ ſcripturæ locis; cum apud ſanctũ Ioannem legatur [a]: *Procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerũt, in reſurrectionem iudicij.* Et apud Apoſtolum [b]: *Vt referat vnuſquiſque propria corporis pro vt geſſit, ſiue bonum, ſiue malum,* Quo fit, vt induſtria, ac vigilantia paſtoralis in eo maxime enitere debeat [c]; vt conſilia, factaque omnia populi ſibi cõmiſſi, quoad fieri poteſt, eiuſmodi ſint, quæ recta illum ad præmia ducant æterna. Plurimum enim res hæc in vtranque partem momenti habet, cum hæc ipſa operum ſiue bonorum, ſiue malorum conditio ea ſit, quæ lancem in libra poſitã vel deprimit, vel attollit.

a. S. Ioan. 5.
b. 2. Cor. 5. S. Auguſt. de verb. Apoſt. ſerm. 19. 20
c. S. Greg. in paſtor. par. 2 c. 3. cum ſeq. S. Naz. orat. 33. in laudibus Heronis, vbi Elias & in Iãbico 15.

Quare vt hoc Præſul expleat munus, aſſidue eum ſtudere oportet, vt has operationes penitus perſpectas, notaſque habeat. Cum enim, vt ita dicam, nemo ad fluminis ripam peruenire poſſit, niſi hoc perangusto, arduoque operationũ calle, accedente Domini gratia, qui operatur in nobis velle, & perficere [d]. Ideo opus eſt imbecillitati noſtræ, vt ſit qui manum porrigat, quique viam, vt euitentur pericula, quæ plurima, & grauiſſima ſunt, ſternat, ac muniat: idque eò magis, quòd ſatis non eſt ad beatitudinem aſſequendam, ea quæ fiunt, non mala eſſe, aut ſecundum ſpeciem indifferentia; verùm vt grata, & accepta ſint Deo, bona eſſe oportet: nec ſolum bonitate morali, ſed meritoria etiam, & quę ex charitate ſit profecta [e]: hęc enim ſola eſt iuſti ponderis moneta, quæ in Regno cælorum proba habetur.

d. Apoſt. ad Philippen. 2.
e. S. Thom. 3 p. q. 80. art. 4. & 9.

His poſitis, quàm vaſta, ac nullo ſepta termino prodit ſe materia? quàm amplus campus, quàm lata regio, quàm profundum pelagus offertur? quiſnam Regiæ domus œconomus, ſi intelligeret ſibi commiſſa eſſe quæcunque etiam minima, quæ in quibuſcunque palatij illius cubiculis, receſſibus, atque angulis latent; ita vt ſingula vſque ad ampullam vitream, ac ſedile eſſent reſtituenda, non ſibi ipſi diffideret, non timeret, huiuſmodique prouinciam non recuſaret? fac nunc ex omnibus hominum gradibus, qui maxime quieti, tranquillique habeantur, vnum proponi, ex illoque gradu vnũ dumtaxat hominem ſeligi, cuius cura, & ſalus vni curatori ea lege committatur, vt illius incolumitatem in ſe recipiat; tum conſiderentur omnia ad eum inſtruendum, promouendum, adiuuandum, ac tuẽdum neceſſaria; & quàm varia, multipliciaque illa ſint pericula, quæ illi quotidie imminent: certe ſi res diligenter perpenditur, vix ad ſalutarẽ vnius hominis gubernationem vnus cuſtos erit ſatis. Deinde ad hunc ipſum ad iungantur cæteri eiuſdem gradus homines, qui erunt, verbi gratia, ducenti, quingenti, mille, & amplius, & omnes hi priori tantũ vni illi cuſtodi ſubiiciantur: quidnam ille ſecum reputabit? Sed fac alios homines alterius gradus, ſeu conditionis lõgè difficilioris, prioribus accedere, atque omnes ſimul gubernandos vnico illi cuſtodi tradi. Deniq; omnium vrbis, ac diœceſis hominum,

ſenum,

ſenum, iuuenum quotquot ſunt ordines, gradus, conditiones, ſtatus quaſi turmatim recenſeantur, canonicorum videlicet, parochorum, beneficiariorum, clericorum, monachorum, ac ſanctimonialium virginum; his addantur magiſtratus, iuriſconſulti, medici, profeſſores diſciplinarum omnium, & ſcholaſtici, & milites, & negociatores, inſtitores, opifices, vrbici homines, ruſticani, qui mariti ſunt, qui cœlibes, vel vidui, parentes, eorumque liberi, viri, fœminæ, tùm nobilitas, & plebs, & locupletes, & pauperes, ac tenuiores, ægri, valentes, cæteri denique propemodum innumerabiles; hacque luſtratione peracta, meditetur ſecum quiſque quantum ſit horum omnium facta præſtare, diligentiſſimamq. eorum curã ſuſcipere[a].

Nam vel in ipſo negotij limine, eum deſudare, atque anxium maxime reddi neceſſe eſt; ita vt illud in Epiſcopos quadrare videatur, quod dicit Regius Pſaltes[b]: *Deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis: aſcẽdunt vſque ad cœlos, & deſcendunt vſque ad abyſſos, anima eorum in malis tabeſcebat*. Hinc S. Auguſtinus tempore ordinationis ſuæ, horum laborum, & periculorum præſcius, ſe lachrymas fudiſſe teſtatur[c]; & Sancti quamplurimi hoc Epiſcopale munus vel recuſarunt, vel inuiti ſuſceperunt: quorum creberrima in vitis ſanctorum extãt exempla[d], & nos etiam ætate noſtra multos non defuiſſe nouimus: ex quibus vnum tantum attingemus, qui cum eccleſiæ omnium ferè aliarum opulentiſſimæ, ac nobiliſſimæ gubernacula conſtantiſſimè recuſauerit, multorum poterit eſſe aliorum inſtar.

Is fuit Ioannes Hurtado ordinis Dominicani, prout certiſſima clariſſimorũ virorum adhuc viuentium fide accepimus, & in hiſtoria generali S. Dominici legimus[e], cui cum Archiepiſcopatum Toleranũ Carolus V. Imperator ſecretò deſignaſſet: eiq. tum precibus, tum lachrymis, ac omni deniq; conatu obſiſtenti inducias Imperator ad meliùs deliberandum indulſiſſet, perſtitit vir egregius conſtantiſſimè in priore propoſito: cuius animi magnitudinem, ſtabilemq. omnino ſententiam, ac minimè fucatam, ſed Deo addictam Imperator admiratus, iuſſit illum tuto animo eſſe, quem iam libertate donabat. Tum ille ſumma perfuſus lætitia, nouum munus à Cæſare poſtulauit, vt ſcilicet nemini, ſe viuente, quod ab eo geſtum fuerat, patefaceret. Quod Cæſar fideliſſimè præſtitit; ſed eo vita deinde functo, alijs minimè occultandum, ad reliquorum exemplum, eſſe putauit.

a. S. Naz. in apolog. vers. At verò homin. vbi Xbas.

b. Pſal. 106.

c. Epiſt. 147.

d. Plura apud Suriũ l. lib. de vit. ſanct.

e. In 2. lib. 2. par. hiſtor. gene. Hern. de caſtillo cap. 26. fol. 202.

Verùm ad hæc aliud accedit non leue incommodum, quod eſt, ipſius materiæ genus, partim durum admodum, & intractabile, & ob ingenia hominum, prauoſque, & inueteratos habitus præfractum, & contumax; partim ita fragile, & molle, vt vix, & ne vix quidem ſine graui admodum, atque ingenti periculo tangi poſſit: non enim his actionibus virorum ſolùm facta cõprehenduntur; ſed etiam fœminarum, virginum, viduarum, ſanctimonialium, quæ inſtituendæ ſunt, & conſolandæ, adiuuãdæ, viſitandæ. Qua ex materia ſæpè Sathan non leuem rei ſuæ bene gerendæ occaſionem captat, laqueoſq. periculi plenos, & inſidias parat incautis medicis animarum[f]. Vnde Sapiẽs in Eccleſiaſte, loquens de muliere inquit[g]: *Laqueus venatorum eſt, & ſagena cor eius, vincula ſunt manus illius*. Et in Prouer. dicitur[h]: *Multos vulneratos deiecit, & fortiſſimi quique interfecti ſunt ab illa*. Et propterea S. Hieronymus ſcribit[i]: *Fœmina conſcientiam ſecum pariter habitantis exurit*. Et rurſus: *Fœmina nomen tuum nouerint, vultum neſciant*.

Quid? quod aliud eſt materię genus, quod cum ante oculos Epiſcopi verſari aſſidue ſoleat, & ſplendere maximè, atque illius labores, ac vigilias inſigniores reddere: nihilominus tamen occaſionem potius frequenter affert, aut periclitandi, aut exiſtimationem illius apud alios minuendi.

Hi ſunt propinqui, & conſanguinei, quos Epiſcopus apud ſe nutriens, quacunque etiam honeſta ratione ſiue charitatis,

f. S. Bernar. ſerm. 65. in Cant. Cãtic.

g. Eccleſ. 7.

h. Prouer. 7.

i. S. Hier. in epiſt. ad Nepotian. et ad Oceanũ. & ad Geront. & ad Gaudent. & habetur in c. hoſpitiorũ 32. diſt.

ritatis, ſeu fidelitatis, ſeu inſtitutionis, ſeu adiumenti ab ijs in munere ſuo ſuſcipiendi, id fieri videatur: longa tamē ſeculorum multorum experientia docuit, detrimenta multa in Eccleſiam Dei ab ijs inuecta fuiſſe: ſiue quia non eos ipſi mores induant, quos Epiſcopus alijs prædicat: ſiue quia beneuolentia, & charitas paſtorum, quæ in gregem ſuum congrua quadam proportione diſtribuenda erat, à cognatis, vt plurimū abſorbeatur.

Vnde Concilium Tridentinum, poſt Apoſtolorum canones, multaque veterum ſummorum Pontificum, & ſacrarum Synodorum decreta, huiuſmodi verba protulit [a]: *Omnino verò eis interdicit, ne ex redditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſue ſuos augere ſtudeant, cum & Apoſtolorum canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent: ſed ſi pauperes ſint, ijs, vt pauperibus diſtribuant: eas autem non diſtrahant, nec diſsipent illorum cauſa: immo quàm maximè poteſt, eos ſancta Synodus monet, vt omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquoſq. carnis affectum, vnde multorum malorum in Eccleſia Seminarium extat, penitus deponant.*

a. *Seſſ. 25. c. 1. de reform.*

Hincque Chalcedonenſi Concilio olim conſtitutum legimus, vt Epiſcopis adeſſent œconomi, qui gubernarent bona temporalia Eccleſiæ, & ſine quorum teſtimonio res Eccleſiæ non diſtribuerentur [b]; noſque etiam ætate noſtra ſapientes Epiſcopos floruiſſe ſcimus, qui ad auertendam omnem huiuſmodi ſuſpicionem, prohibuerunt omnino cōſanguineos ſuos, ſe in Epiſcopalia negotia quocunque prætextu ingerere: nouitque amplius Bononienſis populus, quatuor œconomos, iampridem ab Archiepiſcopo ſuo conſtitutos, quorum conſilio, & diligentia, omnes Archiepiſcopalis menſæ rationes adminiſtratæ fuerunt; de quorum inſtituto, & gubernatione loco ſuo infra latius agetur [c].

b. *c. Chalcedon. c. 25. et c. cuia in quibuſdā. diſt. 89.*

c. *Infra par 6 pag 481.*

Huic difficultati alia proxima eſt, quæ pariter ex rebus domeſticis oritur. Nam cum Carthaginenſi Concilio olim cautum fuerit [d], vt Epiſcopi non ſolum modeſta ſupellectili, & menſa, ac frugali victu contenti ſint: ſed etiam in reliquo vitæ genere, ac tota domo caueant, ne quid appareat, quod à ſancto hoc inſtituto ſit alienum, quodque non ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ ſe ferat: idemque multis alijs ſubinde Concilijs [e], ac demum Tridentino fuerit definitum, vt ſcilicet ex Epiſcopali domo tāquam virtutum promptuario, ciues omnes exempla modeſtiæ, puritatis, ſobrietatis, ac temperantiæ ſumerent; vſu tamen ſæpe venit, vel nimia Præſulum facilitate, vel inueterata multorum, qui hoc neglexerunt licentia; vt vnde morum diſciplina muniri debuiſſet, inde luxus altioribus fuerit radicibus confirmatus.

d. *Conc. Carthagin. 4. c. 15.*

e. *Toleta. 3. canon 7. A. Aug. Epitom. lib. 4. tit. 29. 30.*

Et amplius qui familiam habitu clericali, veſtituque longiore, & grauiore vtentem, ac maximè dignam Præſulum Eccleſiaſticorum conſortio alere debuiſſent, prout olim etiam in Concilio Lateranen. ſapiēter decretū fuit [f]; in aliquibus tamen eorum aulis, non clericorum Deo ſeruientium formam, ſed militarium potius, ac nullam diſciplinæ clericalis ſpeciem præſeferentiū hominum, publicè omnium oculis exhiberent.

f. *In Bulla Reformationis curiæ Leonis X. Pōt. Max.*

Ineſt præterea huic materiæ alia non minor incommoditas, ob varietatem rerum penè inenarrabilem. Nam aliarum materia artium, vniuſmodi vt plurimum eſt, cum complectatur vel aurum, vel argentum, vel marmor, aut ferrum, lutum, lignum, lanam, cæteraque, quibus elaborandis, multò ante ea parantur, quibus eſt opus. Verùm noſtra hæc materies, non ſolum in multiplici rerum varietate, earumque ſæpè inter ſe contrariarum conſiſtit; veluti in luctu, & lætitia, bello, & pace, vita, morte, cælo, inferis; ſed etiam ipſi Antiſtiti varia, grauiaque diſcrimina ſæpè affert, in quibus ipſum tum ſua, tum aliorum cauſa, attentum, & perſpicacem eſſe neceſſe eſt.

Vbi

Vbi enim hoc ſtudio contendit, vt aliorum facta moderetur, adoriuntur eum ſæpè malignæ inſectationes, & obtrectationes, & maledicta, circumuentiones, fraudes [a], tùm aſſentatores, & æmuli, aliaque aduerſa, quæ eum dies, noctesque exercent, nec arma ponere patiũtur, quibus eum inſtructum aſſiduè eſſe oporret, quaſi ſingulari certamine pugnaturum.

a. *Exempla ſunt in vit. ss. Athana. Hilar. Chriſoſt. & Nazianz.*

Et quando etiam his difficultatibus omnibus ſuperandis expedita ratio inueniretur, ita vt feliciter ſibi hoc negotium procedere Antiſtes arbitraretur; adhuc tanta eſt fallacia rei, de qua agitur, totque obſcuræ inſidiæ plerumque latent, vt tunc maximè verendi ſint laquei, atque oculi aperiendi, ne decipiatur.

Dum enim propter populi genuflexiones, ac venerationem quandam, tum publicè, tum priuatim adhibitam Præſuli; propter obſeruantiam, obſequia, plauſuſque hominum; propter laudes, ſermones honorificos, epiſtolas, librorumque inſcriptiones exquiſitis titulis, ac procemijs ornatas, & ſilentium verecundum, & alia eiuſmodi popularia officia, quibus Præſul colitur; facile is perſuadere ſibi poteſt, ſe aliquid laude dignum nauaſſe, ac profeciſſe: tum ſæpe illa omnia ad tempus, atque in ſpeciem à populo ficta deteguntur; atque ita his laqueis ipſemet captus, vanitatiſque retibus miſerabiliter implicatus, dum alijs operam ſuam prodeſſe putat, eadem in illius perniciem momento vertitur.

Vnde S. Fulgentius in Epiſtola quadam ait: *Spirituales Dei famulos, & famulas à dæmone ita expugnari, vt ſi eos rebus noxijs, mortiferiſque non vincat, ſalubus remedijs occidat*. Et S. Auguſtinus [b]: *Vitia cætera in peccatis: ſuperbia verò, etiam in rectè factis timenda eſt: ne illa, quæ laudabiliter facta ſunt, ipſius laudis cupiditate amittantur.*

b. *S. Auguſt. ep. 56. poſt medium.*

De quarta difficultate, quæ ad cauſam pertinet formalem, dum Epiſcopus populi vitam bonis perficere moribus contendit.

Cap. IX.

OFFICIVM eius, qui gubernandas animas ſuſcepit, duabus potiſſimum in rebus abſq; dubio verſari notum eſt; cum debeat tum vitia euellere, tum animos hominum virtutibus excolere, iuxta illud quod dictum eſt ad Ierem. [c]: *Conſtitui te, vt euellas, & deſtruas, ædifices, & plantes*; de quo latè S. Gregorius in apologetico.

c. *Ierem. 1.*

Ex quo duplici officio naſcitur ea forma, quam populis Antiſtitem præbere oportet. Sic pictor è tabula cortice primùm detracto, inciſuras, nodoſque tollit, atque alia, quæ tabulam deformant: eam poſt expolire nititur, tum lineas ducit, & adumbrat imaginem, ac demum coloribus exornat. Sic ſtatuarius è ſolido marmore ſuperuacanea, & quæcunque aliena operi ſunt, demit, vt reliquam materiam ex ſententia conformet in ſtatuam prophetæ, martyris, confeſſoris, regis: etenim tum demum, quam animo conceperat, formam dicitur expreſſiſſe.

Conſimilis ab Antiſtite deſideratur informatio populorum: vt eos expurget vitiorum, atque errorum quaſi corticibus, maculiſque abſterſis elimet, atque expoliat: tum Chriſtianis virtutibus exornet, quibus Deo grati, accepti que ſint; hoc verò negotium adeò difficile, & arduum eſt, vt vires ex ſe humanas vincat, ac ſupernaturalem, diuinamque opem haud dubie expoſcat.

Nam cum humana natura, poſtquam peccato originali fuit corrupta, eodem etiam per Baptiſmi ſacramentum deleto, ad varios adhuc errores, ac vitia ſit propenſa, fomite adhuc permanente, qui ad peccatum iugiter homines inclinat: ſi

nat: ſi Epiſcopus quærat gregem ſuum eò perducere, vt vitijs, morbiſque animorum perpetuo obſiſtat, iiſque omnino ſe exuat; nihil aliud videtur conari, quàm illis perſuadere, oportere eos præſentia cõtemnere bona, vt futuris æterniſque potiantur; inuiſibilia magis diligere, quàm viſibilia & caduca; virtutum denique ſequi viam laborioſam, impeditam, atque aſperam; ſenſuum autem voluptates aſpernari.

Item vt riſui anteponant fletum, ieiunium epulis, ſomno vigilias, vitæ cõmodis paupertatem, ac ærumnas & labores amplectantur; quod profectò nihil aliud eſt, quàm ſummo animi conatu tentare, vt homines adhuc his mortalibus vinculis implicati, vitam quodammodo viuant Angelorum, vt s. Hieronimus ait [a] aduerſus Ruffinum: quod quàm vires excedat noſtras, niſi ex diuino fulciantur auxilio, nemo non videt.

a S. Hiero in apolog. contra Ruff. li. 2. ſub ſinẽ.

Sed ponamus etiam ad Epiſcopum non pertinere in tam ſublime perfectionis faſtigium homines excitare: verùm ei ſatis eſſe, ſi eos inſtituat virtutibus, quibus vires noſtræ non ita diſpares eſſe videntur; attamen adhuc difficile adeo hoc eſt, adeo laborioſum, vt prudentiam ſingularem, iugemque attentionem, ac diligentiam requirat.

Nam cum virtus moralis, & intellectualis inter duo extrema, vt inter Scyllam, atque Charybdim poſita ſit [b], quorum vtrumque vix dici poteſt quàm ſit pernicioſum; cumque facta hominum quamplurima ſint, maximèque differant inter ſe; & in genere, quod aiunt, moris, ex leui rei alicuius mutatione varientur; *cum malum*, vt ait ſanctus Dionyſius [c], *ex ſingulis defectibus oriatur; & bonum ex integra cauſa conſtet*. Ideo in Epiſcopali adminiſtratione, quę in hac multiplici varietate verſatur, non ſatis ſunt vniuerſa quædam præcepta, normaque communis, ad præſtanda hominum facta conuenientia virtuti.

b S. Tho. 1. 2. q. 64. ar. 1.

c S. Dionyſ. de diuin. nomin. cap. 4.

Noui enim identidem oriuntur caſus, ex quibus argumenta vtramque in partem afferri poſſunt, rationi in ſpeciem conſentanea: neque ij caſus deliberandi ſpatium dant, ſed cogunt conſilium puncto temporis capi; ac Præſuli, ne erret, ea ipſa luce eſt opus, quam dominus promiſit ſuis datum iri à Spiritu ſancto, cum dixit: *Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia*; vt ſcilicet in his nouis rerum euentis ſubitis, ac dubijs ſcirent, quid eos facere oporteret.

Iam verò, quæ expoſuimus eò difficiliora ſunt, atque impeditiora, quòd ſatis non eſt, hæc officia virtutum obijſſe, multorumque, atque etiam maioris partis animos informaſſe ad iuſtitiam, & ad pietatem: ſed oportet, vt vnumquemque eadem paſtoralis vigilantia atque induſtria complectatur, neminique omnino deſit, ſiue ſint viri, ſiue mulieres, ſiue docti, ſiue indocti, aut de media plebe quicumque, vt ait s. Chryſoſtomus [d].

d S. Chriſ. homil. 34. ad Hebr.

Nec enim tuta conſcientia conquieſcere poteſt Epiſcopus, ſi quem è multis millibus ob negligentiam prætermiſerit, nec eum ad benè agendum inſtituerit; quod ſatis ex Euangelici paſtoris parabola, qui è centum ouibus amiſit vnam, intelligi poteſt, multiſque præterea auctoritatibus, argumentiſque confirmatur.

Difficultas autem hæc cumulatur, quòd ſimul atque Antiſtes prouinciam hanc capeſſit, in eum armantur infernæ cohortes, dirumque fœdus, cum mundi, carniſque potentia ineunt: vt omni ope conſilia Præſulis frangant, & in eum ſæpè eos concitent, quos ſpirituali cauſæ adeſſe oportuerat.

Itaque fallaci ſpecie vtilitatis, amicos inſtigant, & propinquos, familiares, proceres, magiſtratus, & interdum Sacerdotes ipſos ſibi adiungunt, ad debilitandos Antiſtitis conatus, qui ab ipſis non ſolum clàm, ſed etiam ſæpè palàm oppugnantur.

INcidit demùm nodus valde inſignis, difficilimuſq; ad expediendum; ex quo intelligitur, ſuperioribus etiam difficultatibus expugnatis, parùm tamen proſici in imbuendis hominum animis virtutum diſciplina.

Quæuis

Quæuis enim materia, poſtquam formam accepit, eam retinet, nec per ſe temerè identidem mutat. Quod in ſtatuis perſpicitur, in vaſis, in fictilibus operibus, aut marmoreis, æneis, ligneiſuè: perdurant enim manente integra materia ipſa. Animus verò humanus, necnon liber, atque ſui arbitrij, quæ inſita fuerint, ac impreſſa plerumque non tenet, mutaturque arbitratu ſuo in dies, atque horas ſingulas: & vt verbis [a] s. Iob vtar: *Numquam in eodem ſtatu permanet.* Vnde appellatur à s. Iacobo [b]: *Inconſtans in omnibus vijs ſuis.*

a. Iob. 14.

b. S. Iac. c. 1.

c. Gregorius l. 9. mora. cap. 22.

Quamobrem qui hodie bonus eſt, cras improbus euadet, hodie iuſtus, cras iniuſtus, violentus, rapax: nec tàm multæ metamorphoſes à poetis finguntur, quàm multæ exiſtunt in cogitationibus, ac voluntatibus hominum, quæ ſingulis ſæpè momentis mutantur, nec diù ſui ſunt ſimiles. Nam vt ait propheta [c]: *Peccatum peccauit Hieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt*: ex quo ſequitur, vt labor huius inſtitutionis identidem repetendus, atque ſæpè inchoandus ſit, ideoq; rectè ab illo dictum fuit, omnium rerum laborioſiſſimum eſſe, animis præeſſe.

c. Thren. c. 1.

De Quinta difficultate, quæ ex cauſa finali oritur. Cap. X.

HIS, quæ expoſita ſunt, alia potiſſima difficultas adiungitur, omniumque maxima: reſpicit enim finem, & ad metam ipſam dirigitur, hancque ob cauſam appellatus eſt finis, cauſa cauſarum, quòd ad eum cæteræ cauſæ referantur. Cum euentus, ac finis in bello non reſpondet, fruſtra multæ copiæ conuenerunt, fruſtra collectus exercitus, commeatus, arma que prouiſa.

Quamobrem cum hoc Epiſcopo ſit propoſitum, vt ſuæ, ſubditorumq; æternæ conſulat ſaluti; diligenter ei conſiderandum eſt, num cum hoc officium aggreditur, feliciter hic ſibi finis ceſſurus ſit.

Illud quidem vulgò iactari ſolet, finem artis in artificis non eſſe poteſtate, ſed eum tantùm debere officium ſuum implere, & diligentem nauare operam ad eum finem conſequendum. Sic in medici facultate non eſt, ægris bonã valetudinem præſtare [d], ſed eos ex artis præceptis curare: nec orator profitetur ſe auditori perſuaſurum eſſe quid velit, ſed ad perſuadendum accommodatè dicturum [e]: item in alijs artibus, quæ coniecturales appellãtur, ſatis eſt operam dare, viaſque, & rationes operis inire, vt deſtinatum finem aſſequamur: tamen in hoc tanti momenti negotio, ſapientis eſt, priuſquam id ſubeat, omnia perpendere, æſtimareque difficultates, & incommoda, vt procul diſpiciat, quem ſperare exitum poſſit.

d. Ariſt. lib. 1 Rethor. c. 1. Alex. aphro. l. 2. q. c. 16.

e Cic. in principio 1. libri de inuentio.

Eoque magis, quòd cum multæ viæ ſint, quas ingredi fideles poſſunt, & in religione chriſtiana progrediẽtes, ſummum bonum adipiſci: immò cuiuſque ordinis, ac loci homines, diuites, pauperes, docti, indocti, in vrbe, aut in diœceſi degentes, idonei ſint ad Regnum cælorum capeſſendum; modò pro ſe quiſque, proque ratione vitæ, ac inſtituti ſui viam rectam inſiſtant, Chriſtianiſque fungantur officijs: quod late S. Nazianzenus [f] & Chryſoſt. varijs in locis perſecuti ſunt. Homo ſanus atque intelligens, debet vires in primis ſuas metiri; & è multis vijs, quæ ſe in tanto ordinum numero, mundique magnitudine offerunt, conſiderare, quænam ſibi accommodatior ſit, facilior, & melior, eamque ſine dubitatione inire.

f. s. Nazianz. orat. 26. & S. Chryſoſt. ad Philip. hom. 12.

Qua animaduerſione primum habita, Epiſcopi munus quale ſit, cogitare debet, quæque tum facultates ſuppetant, tum difficultates officiant; ne fortè, cum exiguæ ſtaturæ ſit, gigantum induat arma, quæ tum in curſu, tum in prælio, impedimento ſint: cum in his permulti decipiantur, ea tentantes, quæ ſunt ſupra vires. Vnde S. Nazianzenus de

nus de

nus de his loquens dicebat [a]; *Quid in cælum prouolas, cum pedes ſis? quid turrim extruis, cum ijs rebus careas, quæ ad eam perficiendam requiruntur? quid ipſe quoque manu aquam metiris, & cælum palmo, terramque omnem pugillo, elementa magna, & eiuſmodi, vt ea Creator ſolus dimetiri poſſit?*

a. S. Naz. in orat. de moder. in diſput. adhib.

Ac ſi id diu, multumque meditabitur, cōperiet fortaſſe, hoc onere vix vllum aliud eſſe grauius, nec pondus aliquod maius iſto, quod alteram libræ lancem ſtatim deprimit, præſertim quando in altera nullum meritorum, ac virtutum pōdus huic par, aut æquale opponi poteſt.

Nec enim ſatis eſt, bonum eum, ac probum virum eſſe; & quod ad priuatam vitam attinet, virtute eum fulgere, Deumque metuere: ſed hoc ei prætererea incumbit, vt in paſtorali officio, & ſibi, & alijs, ſalutem afferat, atque in eo optatos progreſſus, euentuſq; ſecundos ipſe habere valeat [b]. Quemadmodum dux, cui tuenda arx commiſſa eſt, non ſatis habet, prælia fortiter inire, cū hoſte acriter confligere ſingulari certamine, ſi res ita ferat, magnis viribus dimicare: nec enim ea ſatis proſunt, ſi arci propugnandæ non ſufficit, mandatoque muneri ſupereſſe non poteſt.

b. S. Hier. in Aggæi c. 2. vbi id probat ex ſcripturis noui et veteris teſtamenti.

Vnde .s. Hieronymus ſcribens Oceano ait [c]: *Futurus paſtor eccleſiæ talis eligatur, ad cuius comparationem, rectè grex cæteri nominentur*. Et S. Nazianzenus [d] affirmat, non ſufficere illi, qui alios ad virtutem erudire parat, vt ſe ab omni peccati labe purum conſeruet, niſi alios longe antecellat virtute. Et ibi Elias Cretenſis, quòd Antiſtitis eſt, nō ſolùm turpia vitare, ſed virtutis ſuæ præſtantia multitudinem erudire.

c. Hier. Epiſt. 83. Oceano.

d. S. Gregor. Naz. apol. 1.

Cum itaque Præſuli cura, cuſtodiaq; totius populi impoſita ſit à Deo, non ſolum vt homini Chriſtiano, & fideli, ſed vt Epiſcopo, paſtorique Eccleſiaſtico; hoc eſt ei curriculum emetiendum, hoc tuendum munus. Et quamuis doctus ipſe ſit ſapiens, ſobrius, caſtus, manſuetus, religioſus, & ſingularem ob pietatem idoneus ad conuertendos infideles, & ad martyrium ſubeundum paratus: tamen ſi monaſticæ huiuſmodi virtutes poſſent etiam inueniri in eo, qui adhuc ad publicum hoc Epiſcopale officium aptus non ſit; cauendum illi maxime erit, ne ſe huic luctæ committat, quæ virium non ſit ſuarum; & in qua, cum finem non adipiſcitur ſuum, miſerrime ruat, & præcipitetur. vnde ſapienter ſcriptum fuit, neminem eſſe qui Epiſcopatum appeteret, ſi ſciret quid ageret [e].

e. S. Chryſoſt. in epiſt. ad Tit. hom. 1.

Quis enim ſanus, & ſobrius, cum perſpexerit vix ſe ferendis oneribus ſuis ſufficere, aliena quoque onera libenti animo ſuſcipiat? quis cum vix reddendis domeſticis rationibus ſuis ſe parem agnoſcat, in publicis, vel alienis ſponte operam profiteatur? quiſnam æger, ſuorumque vulnerum curandorum non ſatis peritus, alterius morbis mederi aggrediatur? quis vaſtum, ac profundum diſpiciens mare culparum, miſeriarumque publicarum, confeſtim in litus non ſubducat nauim, Deoque agat gratias, quòd ab illis periculis abſit?

Quamobrem rectè .s. Greg. Nazianz. ſcripſit [f]: *Nemo ſapiens læto animo creatur Epiſcopus, ſi quis pericula, & ſupplicia ei propoſita conſideret; atque adeo ſtultus videri poteſt, ac reprahenſione dignus, qui cum viam ingredi poſſit complanatam, & expeditam, ſponte ſe in locum anguſtum, periculoſumque redegerit*. Quod ſanctus Chryſoſtomus latè perſequitur inter cætera dicens [g]: *Miror ſi poteſt ſaluari aliquis Rectorum; poſt tantam enim comminationem, quam negligentiæ videmus illatam, video aliquos etiam concurrere, & præcipitare ſemetipſos in tantam molem, ac difficultatem regiminis*. Quo etiam ſpectat, quod ab auctore magni nominis ſcriptum legimus [h]. *O vertigo morum peſſima; ad quod olim conſueuerant, & deberent cogi homines, inde nunc retrahi non poſſunt*.

f. In Apolog. & S. Chryſ. lib. 3 & 6. de ſacerd.

g. S. Chryſoſt. ad Hebr. homil. 34.

h. Petrar. de remed. vtriuſque fortunæ, lib. 1. Dialog. 107

Quocirca monumentis Eccleſiaſticis eſt proditum, multos ſapientes viros, mentiſque diuinitus illuſtratæ, cum proſpicerēt inſuperabiles difficultates huius adipiſcendi finis, omni conatu, & ope, hoc onus ſubterfugiſſe, aliamque optaſſe vitæ rationem.

An

An excuſationes aliquæ Epiſcopo ſuffragentur, vt ſuſcepto à ſe muneri, qua oportet fide & diligentia non reſpondeat. Cap. XI.

EX ijs, quæ ante diſſeruimus, cum Epiſcopalis prouincia tum difficilis, tum periculoſa, maximèq; formidabilis eſſe oſtendatur; non ſine cauſa admirari permulti ſolẽt, tam magnum eſſe eorum numerum, qui facile adducantur, vt eiuſmodi oneribus ſeſe ſponte ſubijcere contendant. Nam cum hi ipſi vt plurimum, & literis eruditi ſint, & præſtanti ingenio ornati; non poteſt non oriri admiratio, cur hoc in negotio adeò faciles ſint, atque inconſiderati; vix enim credibile videtur, tam magnum hominum, & egregium chorum præcipitare ſeſe, ac ſponte in exitium ruere.

Atqui non inficiamur ſanè rem hanc, & admiratione dignam eſſe, & miſerationc; cum re vera tale hoc officium ſit, quale expoſuimus, ac longe etiam grauius: non enim quantis implicetur incommodis, quot ſit periculis circumſcptum, ſatis à nobis explicatum eſt, cum non omnia ſigillatim atque plene commemorari poſſint; quod etiam ex ſcriptis ſanctorum Patrum tùm Græcorum, tùm latinorũ perſpici poteſt [a]: qui dum hoc tractant argumentum, adeo inculcant auribus noſtris huius officii magnitudinem ac pondus, vt vix verbis vllis exitum iſta exaggerandi inuenire queant.

[a] S. Blaſius epiſt. 61. S. Nazian. in apolog. 1 & in laudẽ S. Blaſii. S. Chryſoſt. de ſacerdot. & in ep. ad Timot. & ad Titum. S. Ambr. lib. de ſacerdot. S. Greg. lib. paſtoral. S. Bernard. lib. 2. de cõſider.

Verùm, his etiam demptis auctoritatibus, res ipſa, vſus, experimentum ſatis eſſe poſſunt ad hæc iudicanda, quæ nec idcirco deſiderant longiorem diſputationem. Vnde operæ pretium potius eſſe videretur, certam periculoſæ adeò huius cupiditatis originem explorare, ad cautiores ſaltem homines in poſterum reddendos, quod tamen valde difficile eſſe exiſtimatur: niſi quòd receptum illud crebra hominum opinione videtur accidere omnino hac in re, vt in pleriſque aliis; vt ſcilicet homines frequenter ſpecie recti decipiãtur: quæ enim formã quandam honeſti, faciemque decori habere videntur, ea animos hominum alliciunt, nec quæ introrſum occuluntur, introſpici, ac peruideri ſinunt.

Nam cum Epiſcopatus, ampliſſimus honor ſit, quo quis longe cæteris hominibus antecellere exiſtimatur: adeò inſitus eſt aliquorum mẽtibus, honorum, poteſtatumque affectus, vt inde multo magis, quàm ferrum magnete ducantur: ideoque hac eſca illecti, & capti [b], ea non attendunt incommoda, & pericula, quæ honoribus adiuncta ſunt. Si verò poſtquam ſe mari commiſerunt, quod tranquillum, ac placidum videbatur, tempeſtates cientur, & procellæ, quibus conſcientiæ, ſaluſque æternæ nauigium pericliterur; tunc perfugia quædam obiter eis oblata ſequuntur, eorum more, qui cum mergũtur aquis, fragilem tabulam, quæ ad manum ſit, comprehendunt, nihiloque ſecius cum ea gurgite obruuntur.

[b] S. Chryſoſt. homil. 1. in ep. ad Tit. Origin. tractat. 12 in S. Matth.

Nunc igitur, vt filum illud orationis pertexamus, quod antea communis Præſulum vtilitatis cauſa, ſumus exorſi; miſſas interim excuſationes eas faciemus, quas nonnulli poſſunt de propriis eccleſiis ſuis afferre, de quibus noſtrum non eſt iudicare; ſed de multorum tantum rationibus, quæ minimè iuſtæ ſunt, vniuerſe loquemur: vt conſulamus ſcilicet iis, qui adminiſtrationis huius mole oppreſſi, ſeque ad ſcopulos periculoſe allidentes, culpa tamen vacare ſe arbitrantur; & ideo remedia ea minime parant, quæ oporteret.

Nam argumẽtari nonnulli interdum ſolent, non ſe electione propria, tantum abeſt vt ambitione, ad hanc acceſſiſſe prouinciam, nec eam affectaſse: ſed à Sede Apoſtolica ſe inuitatos, ac prorſus ignaros ad hoc munus gerendum vocatos fuiſse, cum priuatam vitam

degerent,

degerent, ea gauderent, ac in ea æquiſſimo animo perſeueraturi fuiſſent, niſi à maioribus ſuis, in quorum eſſent poteſtate, ſibi fuiſſet hoc impoſitum munus. Itaque ſibi videntur abeſſe à culpa, cum initio caruerint cupiditate.

a. S. Chriſ. de ſta hom. 34

His copioſe S. Ioannes Chryſoſt.[a] reſpondet, oſtendens nullum illos habere refugium, quando res malè tractauerint: licet multo ſeueriùs illi ſint puniendi, qui cum ſtudio, & ambitione hæc procurauerint.

Neque enim Saul affectauit regnum, ſed cum à Propheta ad rerum adminiſtrationem vocaretur, refugiebat dicens: *Nunquid non filius Iemini ego ſum, de minima tribu Iſrael, & cognatio mea noniſſima inter omnes familias de Tribu Beniamin*[b]? Neque tamen ei cauſæ illæ ad excuſationem profuerunt, cum ſuſceptum munus tandem malè geſſit.

b. 1. Reg. 9.

Moyſes quoque, & ſi iuſtus, id tamen conatus eſt, ne Dux Iſraelitici populi crearetur: atque ita viſus eſt tergiuerſari, vt propemodum in Dei inciderit offenſionem: non tamen eum defendit recuſatio ſua tunc, quando deliquit ad contradictionis aquas[c].

c. Num. 20.

Nec Iudas, cum à Saluatore noſtro electus, atque in Apoſtolicum Collegium aſcitus, factuſque ſubſidiorum vitæ diſpenſator fuiſſet, habuit tamen veniam ſcelerum, quibus ſe infeliciter cõtaminauit; alioquin his excuſationibus facile omne crimen in Deum, in quem nulla poteſt cadere culpa, torqueretur; quem Epiſcopus tanto auctus honore, tanta dignitate amplificatus, eò magis debuit omni obſeruantia, pietate, & cultu proſequi, eiuſque præcepta, & imperia diligentiſſime exhaurire. Nam vt ait ſanctus Gregorius[d]: *Cum augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum.*

d. S. Greg. homil. 9. in Euang.

ALII cum ſe officio deeſſe intelligant, cauſam fortaſſe in alterum conferre poſſe putant: dicentes, vim ſibi ab amicis factam, à propinquis, à proceribus, qui eos induxerunt, & coegerunt iugum illud ſubire.

e. 1. Io. Chryſ. lib. de ſacerdot. 3. & 6.

His, præter reſponſionem modo relatam, replicat S. Chryſoſtomus[e], nemi- nem, licet ei vis adhibita ſit, redimere ædificandam domum, niſi ſit architectus: nec ſe ægros curaturum profiteri, niſi ſit medicus: nec exercitum ducere, qui nec miles quidem ſit: nec gubernare nauim mercibus onuſtam, niſi nauclerus, & gubernandi arte diù ſit eruditus: ſiquidem impendens ob artis inſcitiam periculum, ſolet vnumquenque à ſuſcipiendo ſibi ignoto munere deterrere.

Quòd ſi in paruis rebus, fugacibus, & caducis illi nullis precibus vincũtur, nec ſpe, nec vi illata, nec vlla importunitate, & fatigatione adiguntur: quantò accuratiùs ſeruandum id erit in arduo iſto ſalutis animarum negotio, quarum apud ſummum illud cœleſte tribunal exacta eſt reddenda ratio?

Quinimo, inquit idem Sanctus, accidere poteſt, vt qui illos in adeptione Epiſcopatus acriter iuuerint, exiſtimatione virtutis, & facultatis alienæ decepti fuerint, ità vt fortaſſe venia digni illi ſint. At qui infirmitatem nouit viriũ ſuarum, conſciuſque imperitiæ ſuæ, & imbellicitatis, quò ſe vertat, non habet; documentum potius ſtultitiæ ſuæ dat, qui ſine alis in cœlum ſubuolare nitatur, ac ſine nauigio mare tranſmittere.

ALII excuſationem fortaſse afferẽt, quòd à magiſtratibus, aut à ſenatu in ſuo perfungẽdo munere impediti ſint, eamque ob rem deſtiterint, laxatiſque habenis liberam poteſtatem fecerint populo; vt quo ſe ferret impetus, illuc poſset ſe corripere furens equus.

His, commiſeratione ſanè dignis, parũ ea cauſa ſuffragatur, ſi alioquin munus ſuum neglexerint, ac deſeruerint. Quando enim quæſo auditum eſt, agricolam, ſi in fundo vineam torrẽs inundarit, aut grandinis calamitas ſegetẽ affixerit, reſiduum verò illæſum, atque integrum permanſerit, eum non hanc partem coluiſse, neque cuſtodiſse? auget ipſe potiùs ſtudium ſuum, induſtriã, operam, diligentiam in ijs excolendis, & colligendis, quæ violata non ſunt, vt perditorum fructuum damna cõpenſet.

Eodem

Eodem exemplo haud par eſt, Antiſtitem ſi præpeditus in aliqua parte officij ſui fuerit, & non magna fortaſſe, cætera negligere quæ integra ſunt, quæque multis partibus ea ſuperant, quæ perturbata, aut conculcata fuerunt. Immo in his ſtudium ſuum eò magis incitare debet, vt, cum palam animus eius, & mens fuerit perſpecta, morigero deinceps, faciliorique populo, & magiſtratibus vtatur, ſequè ei omnes libentiùs committant.

ALIORVM defenſio poſſet eſſe interdum, ſi eueniret, quod auertat Deus, vt populus proteruus, & contumax non cederet remedijs, atque in dies magis exaſperaretur: ideoque Antiſtes, cum materiam videret renitentē, ac duram; & cui nihil ſanctum, nihil bonum imprimi vlla ratione poſſet: tædio feſſus, à labore, ac diligentia deſiſteret, cum omnem induſtriam ſuam fruſtrà conſumi, ac perire iudicaret: in eamq; deſcenderet ſententiam, quædā tantùm à ſe munera eſſe præſtāda, nempe Pontificales miſſas celebrare, cleri ordinationes habere, ius per Vicarium dicere, & nihil à ſe præterea requiri.

His reſpondemus, Epiſcopos, patres appellari, medicos, paſtores, duces populorum; quibus nominibus, quam ſubierint prouinciam ſignificatur: rem illis eſſe cum ægris, cum imbecillis, cum ijs, qui nihil, aut parùm certe vident; qui, ſi diuina monita, rationemque ducem ſequerentur, non nimis egerent gubernationibus, non poteſtatibus, non Præfectorum ope, aut regimine.

In mentem itaque Antiſti veniat, bonum medicum ac benignum, quo magis ægrum videt phreneticum eſſe, qui floccos legat, ſtragula conſcindat, medicamentaque ſtultè effundat in ipſum medicum; eò magis caſum ægroti miſerari, atque inde vere intelligere, ſuam tum maximè deſiderari operam. Filiorum itidem procacitas & contumacia, viſcerum paternorum miſericordiam commouet, vigilantiamque excitat, nedum progeniem ſuam deſerendam eſſe putet.

Putabunt alij ſatis id ſibi eſſe perfugij, ſi omnes quas debent officij ſui partes, in procurāda eccleſia non expleāt; quòd dicant ſibi cū clero, aut magiſtratibus lites intercedere, aut eccleſiam miniſtrorum penuria, nimiiſue oneribus vrgeri, ſiue calamitates publicas, aliaue grauia incommoda graſſari: ex quibus cum in tot moleſtiis ſine fructu aſſidue verſari ſe proſpiciant, quotidie magis ad ſarcinam illam parum humeris ſuis æquam deponendam, animum ſuum inflectant.

His in memoriam redigimus, ſine labore præmium, ſine certamine victoriā non obtineri: ſtadium hoc Epiſcopale, nonniſi pulueris, ſudoris, luctæ, & crucis eſſe: brachio, viribus, robore, ac fortitudine negocium indigere, cum peruulgatum illud omnium aures perſonet: *Eſtote fortes in bello, & accipietis regnum æternū.*

Non negamus ſiquidem, eas poſſe aliquando cauſas exiſtere; ob quas & liceret, & expediret Epiſcopo operam ſuam vno inutilem in loco, alio trāſferre; ſed cum id niſi conſulto, probanteq; ſummo Pontifice nullatenus ſit permiſſum; & facile ſit dæmoni cauſas Antiſtiti infirmo ſubiicere, quas libenter capter, qui vult, vt veteri prouerbio dicitur, diſcedere ab amico. Propterea monemus antea ab Epiſcopo conſciētiam ſuam in conſilium vocandam eſſe; an per eum ſtet, quominus ſuſcepto muneri reſpondeat: quid illum præcipuè impellat, vt ſe inde abdicare cupiat: quæ ſint bonorum Epiſcoporum in huiuſmodi rebus exempla: & quale ſecuturum ſit in die nouiſſimo iudicium.

Quibus omnibus tanquam in trutina libratis, atque cum decreto Innocentii tertii collatis [a]; tùm demum re tota integrè, & fideliter cum ſummo Pontifice communicata, ab eodem vt Chriſti Vicario, qua decet reuerentia, & humilitate deliberationem expectet; ac benigna aure tanquam à cæleſti oraculo, quid ſibi faciendum ſit, accipiat, atque exequatur.

a. c. *Niſi cū pridem, de renunt.*

An difficultates muneris Epiſcopalis ſint eiuſmodi, vt ſuperari non facile poſſint.
Cap. XII.

DICET aliquis: ſi huius officij magnitudini nulla par virtus, atque induſtria inueniri poteſt; cur grauiſſimum onus in vita hominum inductum eſt, quod ſuſtinere nemo queat? Ergo quoniam neceſſe eſt, imperiis homines regi; iis qui rerum potiuntur, naufragia importabuntur, ac ruinæ? tantuſne præſulum numerus, qui poſt Domini in terras aduentum extiterunt, his vndis obrutus eſt, nec portum quiſquam eorum tenere potuit? leges ergo de iis rebus feruntur, quæ in noſtra poteſtate non ſunt? ſi detrimentum tantopere imminet, tamque dubius eſt, ac poſitus in incerto ſecundus euentus; ſapientis eſſe non videtur, adeo anceps certamen ſubire; ad res enim gerendas viri prudentes aggrediuntur, dignitatis ſuæ, atque vtilitatis cauſa, non vt in exitium ruant.

Itaque nonnullis videri poſſet, fruſtra à nobis hoc argumentum pluribus verbis explicari, fruſtraque in eo tempus, & operam poni.

Verùm Chriſtianorum operum non huiuſmodi natura eſt, non ita à ſanctis Patribus inſtituti ſumus, nec ſcribendi conſilium hoc noſtrum fuit.

Quare vt res tota clariùs percipiatur, vtque felicius nos reliquæ diſputationi vela demus, priuſquàm longiùs progrediamur, eſſe canendum receptui putamus, vt militari deinde more copias, ordineſquè recenſeamus: conſtetque omnibus, non idcirco has à nobis expoſitas eſſe difficultates, vt hoſtium exercitu, opibuſque exploratis, animi noſtrorum cadant, atque ab hoc egregio, ac præclaro facinore aggrediendo deterreantur; ſed vt cautiores ſint, & circunſpectiores; vtquè in hoc ſuſcipiẽdo munere, prouiſo commeatu, & armis, proſpectiſque incommodis, ac difficultatibus, paratiores ſint ad obſiſtendum, ad inuadendum, & confligendum animoſiores.

Propterea quòd ea pericula, quæ im prouiſò nos inceſsunt, exiſtunt plerumque, vt ait Sanctus Gregorius, grauiora, magiſq. perturbant: incommoda vero prouiſa aut euitantur, aut minus grauia, moleſtaquè in nos incurſant.

Quamobrem hoc potiſsimum fundamentum ponatur, quod ſcholæ omnes tùm philoſophorum, tùm Chriſtianorũ probant; ſapientiſsimum Deum [a], cum rem quamque condit, eique propriam dat formam, ea omnia adiungere, quæ ei rei ad ſe tuendam, & ad munus ſuum exequendum neceſsaria ſunt; atque in tanto numero, varietateque animaliũ tùm terreſtrium, tùm aquatilium, nullum adeò exiguum, minutumque eſse, quod ijs facultatibus omnibus, quæ ei ſunt opus, inſtructum non ſit.

Itaq. nec api, nec formicæ, nec vlli tenuiſsimo inſecto quicquã deeſt, quod ei pro ſuæ naturæ modulo conueniat.

Quare cùm conditus homo ſit, cæterarum rerum quæ ſub cælo ſunt dominus, vt latè ſanctus Chryſoſtomus quodam in loco perſequitur [b]: credibile non eſt, ei qui tantopere excellat, quique ad imaginem, & ſimilitudinem diuinam ſit creatus, Deum ea non tribuiſse, quæ ipſi congruerent. Quod inter cæteros ſanctus Ambroſius affirmat his verbis [c]: *Adhibita enim ſemper eſt vniuerſis hominibus quædam ſuperna menſura doctrina; quæ etſi parcioris, occultiorisque gratia fuit; ſufficit tamen, ſicut Dominus iudicauit, quibuſdam ad remedium, omnibus ad teſtimonium.*

Quinimmo cum cæteræ animantes ad certum, præſcriptumque finem naturæ, & vitæ ſuæ creatæ ſint, vt videlicet breui temporis ſpatio defungerentur, ac tandem interirent: hominem voluit eſse felicitatis veræ compotem, quæ cum genus omne bonorum complectatur, quippe quæ dicitur ſtatus omniũ bonorum aggregatione perfectus [d], nec huius vitæ terminis, aut inferioris mundi

a. *Ariſt. li. 2. de cælo tex. 50. & ibi S. Tho. lect. 13. & lib. 4 de par. animal. c. 10. Xenophon. de dict. & fact. Socr. lib. 1. Minutius in Octauio. S. Th. in 1. p. q. 91. artic. 3.*

b. *S. Chryſ. to. 1. in ſer. cui tit. Quomodo primus homo. S Gre. Niſ. lib. de crea. homin. c. 4.*

c. *S. Ambro. li. 2. de voc. gent. c. 5.*

d. *Boet. de cõſolat. lib. 3. proſa. 2.*

mundi regione definita, aut comprehenſa ſit; ſequitur vt illa homini cum Deo, ſacroque ſanctorum ſpirituũ cœtu, in cælis æternũ fruenda relinquatur.

Cúmque nemini datum ſit, vt beatus naſcatur, propterea quòd beatitudo perpetua, & increata, ſolius Dei propria eſt [a]: homini verò concedatur, vt eam per rectè facta, virtutumque merita poſſit adipiſci: ſummæ ſapientiæ placuit, varia hominibus officiorum genera præſcribere, pro cuiuſque ætate, genere, ordine; quibus quiſque officijs, diuino iuuante auxilio, exequendis, ſacrorumque mandatorum obſeruatione, in alia vita felicitatis ipſius particeps fieri promereretur, atque in perpetuum ſummo bono gauderet.

a. S. Th. in 1 par. q. 26. art. 1. & q. 62. art. 4.

Cùm autem & finis hic, ad quem homo ſpectat, & facultates eæ, quibus finem conſequitur, vires humanas à natura tributas ſuperent, ſaltem quoad operandi modum [b], qui debet eſſe cum charitate coniunctus, vt norunt eruditi; cumque homo principia tantum habeat, ſibi in ortu poſt corruptelam generis aſſignata, quibus non poteſt niſi res breues, anguſtas, ac definitas operari; ideo maiore omnino auxilio, ſublimioreque indiget ope, ad tam excelſas res comparandas; cum præſertim etiam in ipſis naturæ muneribus valde langueſcat, ac propter culpam generis humani communem, ſe non mediocriter labefactatum oſtendat: quæ communis Theologorum ſententia eſt, hominem ſcilicet ex peccato expoliatum gratuitis, & vulneratum in naturalibus [c].

b. S. Th. in 1 p. 2. q. 109. art. 2. 3. 4. vbi Caiet. & Med.

c. S. Th. 1. 2. q. 85. art. 1. & 3.

Quamobrem placitum eſt Domini noſtri infinitæ prouidentiæ, & clementiæ, adiuuare nos ope ſua, vbi debilitatæ vires noſtræ ſunt, gratiamque, & ſpiritum ſuum nobis impartiri: quem haurientes, ac facultatem ab eo concipientes, ad ea idonei efficeremur, quibus ſola hominis natura defungi non poteſt. Vnde nobis idem accidit, quod ferro, quod cùm durum ſit natura, frigidum, atque obſcurum; vim tamen ignis, in quem mittitur, adeò concipit, vt lucidum fiat, & molle, & calidum, & licet ferrum permaneat, agat tamen, calefaciat, vratque ignis inſtar.

Quapropter quando multi Epiſcopales actus ante commemorati fuerunt, quos humana natura exequi non poſſe videtur; reſpondetur, ita quidem eſſe, ſi humanas vires naturæ finibus metiamur, atque ſi hæc viribus ſuis ſe obire homo ipſe confidat: ſin verò ad gratiam reſpiciamus à Deo promiſſam, & ad internũ quendam ſpiritum, ſeu Epiſcopalem feruorem, multis iam Præſulibus hac in adminiſtratione liberaliter impertitam: non ſolum poſſibile negocium hoc euadit, ſed etiam facile; cum gubernationis noſtræ vela tam proſpero flamini, tamque efficaci pandamus.

Quòd ſi dicas graue admodum eſſe, eam ſubire prouinciam, quæ non à viribus noſtris, ſed ab externa ope pendeat, quæ & ſuppetere nobis poteſt, & non ſuppetere; hoc reſponſum ſit, ſatis dici id nos poſſe ex ſapientum virorum ſententia, quod per alios poſſumus [d], & quod aliorum gratia, & commendatione, vt amicorum, aut conſanguineorum, aut vicinorum, aliorumue neceſſariorum, ac beneuolorum adipiſci valemus.

d. Ethic. lib. 3 c. 1. S. Tho. 1. 2 q. 109. ar. 4 ad 2.

Deinde ab eo pignus habemus, qui fallere non poteſt, qui fore eſt pollicitus, vt ab eo vocatis, hocque officium ritè, & ex diuinæ legis præſcriptione capeſſentibus, diligentiamq; adhibentibus, quæ ab homine diuina ope ſuffulto præſtari poteſt, nunquam ipſe deſit; ſed ea omnia, quibus eſt opus, cumulatè ſuppeditet. Quod s. Chryſoſt. ſic explicat dicens [e]: *Niſi vehementer pigri, negligenteſque fuerimus, ſed quæcumque ad nos pertinent ſimul attulerimus; & in his, quæ ignoramus, manum porriget Deus: ſi verò nihil eorum, quæ noſtræ ſunt poteſtatis conferre voluerimus, non certè illius potiemur auxilio.*

e. s. Chryſoſt. hom. 26. ad Rom.

Verum nos illud ampliùs addimus, quod cæteri Doctores affirmant ſicubi aliquando officio noſtro defuerimus, fore tamen, vt ille nobis miſericorditer adſit, modò delictum fateamur, atq;

d a opem

opem ab eo ſimul cum venia humiliter petamus; tunc enim & lapſos erigit, & quæ commiſſa ſunt magno cum vtilitatis fructu redintegrat [a]. Immò & pro deſiderijs Epiſcopũ coronat, quando per eum non ſtetit, & mercedem etiam ex impijs tribuit, quos conuertere non potuit.

a S.Chryſ. homil. 5. de pœnit.

Et ſi forte dices, cum à Domino cætera animalia motus ſuos, & impetus habeant, & vim inſitam, & facultates, quibus finem aſſequantur ſuum [b]; multo id magis homini nobiliſſimo omnium animanti oportuiſſe concedi, in hoc præſertim Epiſcopali tam difficili, tamque neceſſario munere ad genus humanum regendum.

b. S.Th. in 1. part. q. 83. art. 1. q. 16 art. 2. ad 2 & q. 46. artic. 4. ad 2.

Ad hoc, præter ea, quæ ante ſunt expoſita, reſponderi poteſt; quod quamuis non omnes facultates in hominem paſſim, ac ſine diſcrimine effuſæ ſint; non propterea illiberalitas Domini, aut inclementia eſt coarguenda; quinimmo multo ſeſe maiorem, ac præſtantiorem in hoc ipſo prodidit eius prouidentia, & rerum noſtrarum cura. Etenim cum creaturam, ac figmentum ſuum ipſe noſſet, eiuſque ſimul peruicaciam, negligentiam, arrogantiam, ingratumque animum; voluit ob maximas hominis vtilitates, eundem non ſolum in fine aſſequendo, ſed etiam in medijs, quæ ad eundem ducunt, à cœleſti miſericordia pendere, quam Deus poſcenti ſubminiſtraret; vt paupertas ſubmiſſum, humilemque redderet, incommoda, ac difficultates ſolicitarent, pericula acuerent; vtque ipſe ſibi diffiſus, Dei auxilium continenter imploraret, acceptorumque beneficiorum memoriam ſeruaret [c].

c. S. Gre. Nazianz. in apol. 2. verſ. huius ſtudium; vbi Eli. Cret. & Conc. Trid. ſeſ. 5. Decr. de peccato orig. prope fin.

Si poſtremò obijcies, conditionem hominis futuram fuiſſe meliorem, ſi operibus ſuis per ſe ipſe defungi potuiſſet, ac ſine aliena ope officia ſua exequi. Hoc ſit reſponſum; Cum factum aliquid poteſt, altero opitulante perfectius euadere, quàm ſi quis per ſe aliquid faceret; id vtique, quod eſt præſtantius, anteponendum eſt, licet alius adiuuerit; Quemadmodũ ſi quis in brachio vulnus acceperit, idque fuerit ita curatum à medicis, vt validius redditum fuerit alterius brachio, cuius manus à primo ortu debilis, medicorum nunquam deſiderarit auxilium [d].

d. Ariſt. 2. de Cel. tex. 64 S.Th. in 1. p. q. 77. artic. 2.

Poſſemus hic multorum exempla numerare, quibus cum inſuperabiles difficultates ſe oſtenderent, multiſque fruſtra tentatis remedijs, oneri fortè ſuccumbere viderentur; ad cæleſte auxilium confugiſſe conſtat, indeque veluti à morte ad vitam conualuiſſe, quod de Vgone Gratianopolitano Epiſcopo literis traditum eſt, qui cum vſque initio adminiſtrationis ſuę aduerſis rebus fuiſſet conflictatus, populiq; ſui proteruia penè confectus, ſuis iam viribus diffiſus, ad orationis vim, & aſſiduitatem ſeſe conuertit: ex quo tempore populum ſuum mirabiliter immutatum, ſibique obſequentem expertus eſt, ac fructuosè inde Eccleſiam, gregemq; ſuum fuit moderatus.

Sur tom. 1. in eius vit.

Quod & aliis quampluribus ſummo Dei beneficio contigiſſe nouimus, quibus cum nihil ferè in Epiſcopali onere ad votum ſuccederet, atque ad quandã veluti deſperationem redacti obtorpeſcerẽt; poſtea, re ſecum accuratius expenſa, tanquam ſuperno lumine de cœlo tacti; cogitantes indignum nimis, ignauumque cenſeri poſſe, prouinciam à ſummo omnium Imperatore ſibi creditam, & demandatam, non ſtrenue quantum in ſe eſſet, etiam vſque ad mortis periculum adminiſtraſſe: momento ſententiam mutarunt, ac ingenti laborandi, certandi, ac vigilandi ſtudio accenſi, eandem libentiſſime, ac ſaluberrime ſunt amplexi.

Atque ex his facile colligi poteſt reſponſio ad ea omnia, quæ initio fuerunt obiecta; ſiquidem illa reſpiciunt naturã hominis diuino auxilio deſtitutam.

Quoniam tamen hæ ipſę reſpõſiones, vt ſunt veriſſimæ, atq; ad eximẽdos omnes ſcrupulos, qui in huius adminiſtrationis ingreſſu ſe obijcere poſſunt, efficaciſſimę; ſic vnum illud, quod vniuerſarũ rerum caput eſt, tanquam indubitatũ ponunt; videlicet, non oportere Præ-

ſulem

ſulem accuratam illam diligentiam, ac vigilantiam vllatenus prætermittere, quæ muneri huic omnino maximo obeundo, perfungendoque eſt adhibenda: Propterea teſtat nunc, vt quæ præcipuæ ſunt, ac peculiares huius officij functiones, quavè ratione ſint obeundæ, vt Epiſcopali muneri, ac dignitati reſpondeant, ſubinde perſequi conemur.

Oportere Epiſcopum præcipua quædam capita ſibi in animo defigere, ad vtilem officii ſui adminiſtrationem. Cap. XIII.

ÆTERNA Domini Noſtri ſapientia, cum hoc quaſi diuino munere hominem donaſſet, vt cum cæteræ animantes finis ſui rationem non norint, alienoque potius impulſu, quàm proprio ſuo motu conciten tur [a], rationem mentemque homini dederit: volueritque eum arbitrii ſui eſſe [b]; atque ad ea, quæ ſibi magis probarentur, voluntatem ſuam liberè applicare.

a. S. Tho. 1. 2 q. 1. art. 2.

b. Clem. Alexandr. ſtrõ. lib. 1. & 4. in fin.

Cumque eum adeo infeliciter cecidiſſe videret, atque errorum tenebris ſic obſitum, vt ſe ipſum miſerabiliter in dies præcipitatum, ac ſemper magis perditum iret; eum pro immenſa ſua in genus humanum charitate, atque clementia, haud paſſus eſt Deus, ita diù de relictum iacere: ſed ei manum porrexir, & cæleſte auxilium ſuum ei obtulit, modò opem illam ipſe agnoſceret, eaq. per gratiæ ſuæ auxilium vti vellet.

In quo diuina prouidentia (ſicuti in vniuerſum aſſolet in ſuis erga homines operibus) tum iuſtitiam adhibuit, tum miſericordiam.

Iuſtitia fuit, quòd comprimente diabolo ſub peccati iugo hominem, conanteque totis viribus eundem perdere; Deus iuſtè voluit libertatem homini conſeruare, qua liceret illi rectè arbitrio ſuo vtenti, & diuinæ gratiæ cooperanti, ab huiuſmodi tyrannide eripi, & aduerſus diabolum triumphare.

Miſericordia, quòd ei per gratiam vires addidit, atque illum auxilijs ad gloriam æternam aſſequendam corroborauit.

Itaque cum eo tacitum quoddam pactum ex miſericordia, & benignitate ſua, qua hominem ad ſe ipſum ordinauit videtur inijſſe [c]; nempe præter munera interiora illi à ſe communicata, quibus homo bona aliqua moralia ſectari, malaque euitare valeret: ampliùs etiam ſe effecturum, vt ſua illum gratia præueniret, ac concomitaretur, qua mens illius ad rectè, pieque viuendum adduceretur; dummodo his ille donis excitatus, atque illectus, ſeſe ad hæc diuina beneficia agnoſcenda, & accipienda per eius gratiam compararet [d]: omnique conatu huiuſmodi gratiæ collaborans, illa tum interna, tum externa inſtrumenta adhiberet, quæ in ſua eſſent poteſtate: ita vt nihil omitteret, quod à ſe proficiſci poſſe conſpiceret.

c. S. Auguſt. lib. 3. de Trin.

d. Clem. Alexãd. ſtrom. lib. 5.

Et quoniam varijs ſolent ſe homines operationibus implicare; voluit, ne inutiliter laborarent, & certiorem poſſent operum ſuorum fructum expectare, ſingulos varijs illis actionum generibus occupari, quæ ad illum vitæ ſtatum pertinerent; quem ab eis electum ipſe ad æternam ſalutem conſequẽdam ſua ſumma, ac vniuerſali prouidentia cuilibet in hoc ſæculo aſſignaſſet [e]: additque, ſi quando vel morbo, vel paupertate, vel quolibet alio iuſto impedimento in muneribus ſuis perfungendis præpedirentur homines [f], ſe voluntate ipſorum, ac ſtudio æque delectatum iri, ac ſi opere ipſo illa præſtitiſſent; proindeque vberrima, ac beatiſſima propoſuit præmia hominum operibus, quaſi non gratuita dona, ſed proprijs illorum viribus parta fuiſſent: cum tamen diuino poriſſimum præſidio fuerint abſoluta; ſiquidem, vt ſæpe affirmat S. Auguſtinus [g], omnipotens Deus ſua coronat dona, cum noſtra remunerat opera.

e. 1. Cor. 7. et 1. Luc. c. 16. Redde rationem villic.

f. c. magna pietate de pæn. diſt. 1. et ibi gloſſ.

g. c. Aug. de gratia, & lib. arb. c. 6 & 7. & in pſal. 102.

Si igitur in præſentia quæratur, quid in tanta negociorum, & curarum mole facere Epiſcopum oporteat, quæuè partes illius ſint, vt diuinam hanc gratiam tanto Chriſti beneficio promeritam, ad omnia pro dignitate, & cum fructu exercenda, abundè acquirat.

Reſpōdetur, id in Epiſcopalibus functionibus, propriisq. huius adminiſtrationis muneribus præcipue eſſe poſitum, quæ infrà locis ſuis, quoad eius fieri poterit, exponentur. Atque hi actus, cum circa ſingularia verſentur, dubitandum non eſt, vt eò feliciùs, fructuoſiusq. procedant, à ſublimiori origine, ſtabiliorique fundamento aliquo duci debere; non ſecus ac in diſciplinis concluſiones à benè conſtitutis principiis proficiſcuntur [a].

Itaque neceſſarium in primis eſſe iudicauimus, quædam in vniuerſum documenta, communiaque præcepta perſequi, quæ veluti axiomata ſint, ac potiſſima principia, quibus innixa hæc Epiſcopalis officij ædificatio ſurgat: deinde poſitis his ſolidis fundamẽtis, ad ſingulares, & magis præcipuas actiones Epiſcopales, quatenus vſu ipſo vtiliùs exerceri poſſint, deſcendere; quod loco ſuo explicabimus.

NVNC igitur licet circa præceptiones quaſdam generales verſari debeamus; non eſt tamen nobis in animo ea commemorare, quæ Chriſtianorum omnium communia eſſe ſolent: qualia ſunt decem diuina præcepta, atque Eccleſiæ Sanctæ conſtitutiones, quæ ab omnibus obſeruari debent: quale & illud eſt, Deum vniuerſorum gubernatorem, ac prouidentiſſimum adminiſtratorem, ſuũ cuique munus, & ſtatum fini æterno adipiſcendo congruentem aſſignaſſe, cuius ſit exacturus certo tempore rationem; tum illud, quemadmodum nemo in familia ſua quemquam ferret, qui dominicis rebus, rationibuſque neglectis, gereret aliena negotia; ita neminem debere occupationibus, quæ ad ſe prorſus non pertinent, diſtineri [b], quamuis multò ei potiores viderentur.

Præterea quæcunque talia ſint, quorum rationem reddere non teneamur, uel ad diuinam gratiam comparandam nihil conferunt; illa quodammodo aduentitia nobis cenſenda, atque ad culpabilem potius curioſitatem pertinere [c]; quæ verò ad ſtatum noſtrum ſpectant, ea verè propria, atque à Deo imperata, & neceſſariò bene à nobis gerenda eſſe; immo ſi omittantur, aut perperam agantur, eorum nos in nouiſſimo die coarguendos eſſe.

HAEC igitur quamuis bona, ſanctaque præcepta, quia tamen ad alios quoque pertinent, nos in præſentia omittemus; ſicut & illud, quod iamquam firmum ſupponimus, Epiſcopum videlicet, de quo agimus, debere ad hunc honorem ritè, canonicèque eſſe vocatum; nec ſibi conſcium eſſe vllius criminis, aut impedimenti, quod illum ex ſacrorum Doctorum ſententia ab illo officio gerendo prohibeat: hoc enim niſi ſit poſitum, longius progredi vix poſſumus.

Quare vt ad ea veniamus axiomata, quæ huius adminiſtrationis propria ſunt: in primis dicimus, Epiſcopum debere eam de muneris huius dignitate exiſtimationem in animo ſuo concipere, quam Sanctorum Patrum decreta nobis præſcripſerunt; nempe nullum aliud hoc ipſo præſtantius, atque honorificentius inueniri poſſe; cum ipſe ad id officium adhibeatur, cuius perſungendi cauſa Redemptor ipſemet noſter Dei filius è cælo deſcẽdit in terram. Vnde idem ad Apoſtolos dicebat [d]: *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos.* Et S. Petrus Chriſtum vocat paſtorem, & Epiſcopum animarum noſtrarum [e].

Tum inſtitutos non eſſe Epiſcopatus, vtilitatis, & commodi Epiſcoporum cauſa, vel eius propinquorum, aut familiarium, ſed ob vtilitates populorum; cum certum ſit, eccleſiam non erectam, nec inuentam propter Epiſcopũ, ſed Epiſcopum propter eccleſiã; ideoque Saluator noſter ſæpe monuit [f], veniſſe ſe in terras non miniſtrari, ſed miniſtrare [g]; eiuſque miniſterij exemplũ nobis

a. S. Tho. 1. 2. q. 13. artic. 6. ad 1.

b. c. non eſt ſine culpa. de regul. iur. S. Tho 2. 2. q. 167. artic. 1.

c. S. Anton. part. 2. tit. 3. c. 3. §. 4.

d. S. Ioan. 20.

e. 1. Petr. 2.

f. Act. c. 20. & Caiet. de auctor. Papa tract. 2. 2. c. 8.

g. S. Matth. c. 20.

nobis reliquit. Et ab Apoſtolo ſcriptum fuit [e]: *Cum liber eſſem ex omnibus, omniũ me ſeruum feci, vt plures lucriſacerem.*

e. 1. Cor. c. 9.

Cum igitur miniſtri, ac ſerui propriũ ſit laborare, durare, ſudare, ac perferre: Sic ſolicitudines capeſſat Antiſtes oportet, tanquam muneri ſuo intima ratione coniunctas: hincq. ſibi perſuadeat, neutiquam à laboribus, & incommodis abhorrendum eſſe.

Cogitandum præterea ei eſt, Epiſcopales redditus ſibi aſſignatos tanquam officii debitè gerendi ſtipendia [a], vt id quàm diligentiſſimè exequatur; vt ſe ſe populis totum præbeat, eos audiat, ferat, doceat, ijs medeatur, opituletur, proſpiciat; atque ijs omni ratione opportune, & importunè proſit: alioqui enim militis eius eſſet ſimilis, qui cum ſtipendia capiat, ignauus ociari cuperet, vnde iure mereretur exauctorari.

a. c. Clericos, et c. ſi 1. q. 2 Conc. Trid. ſeſſ. 21. c. 3. de reform.

Præterea oportet, vt ſecum meditetur, duplex coniugium ab eo in ſuſceptione gradus contractum fuiſſe [b]; primum per conſecrationem, cum eccleſia vniuerſali; ſecundum cum eccleſia in particulari, cui tanquam ſponſus aſſignatus fuit; & ideo quæcunque palam ante altare Domini conſecratori ſuo, tanquam Dei miniſtro fuit profeſſus, alijs præſentibus Epiſcopis, Cleroq. ac Populo vniuerſo, eſſe obſeruanda: ac fidem, qua ſe aſtrinxit, & quam iureiurãdo firmauit, eſſe præſtandam.

b. Abb. in q. 1 incip. Epiſcopus nu. 7.

Ad hæc ſicuti mulier generoſa dicitur facta quaſi nauis inſtitoris [c]; ſic officium ſuum inſtar nauis eſſe, quæ onera omnium, ac ſarcinas comportet: vtque Cæcias ventus nubes contrahit, cæliq. triſtitiam, ac obſcuritatẽ ad ſe reuocat, ſerenitatem verò alijs cæli partibus relinquit, & infert [d]; Sic oportere Epiſcopum pro munere ſuo libenter aliorũ incommoda, miſerias, calamitates ad ſe referre, ſibiq. ipſi adiungere; ſubditis verò ſubuenire, lætitiam afferre, eos cõſolari, hortari, ſatiſq. quoad poteſt, omnibus facere.

c. Prouerb. c. 31.

d. Ariſt. 2. meteor. c. 3. Gell. lib. 2. cap. 22. Plin. lib. 2. de natura. hiſto. c. 47. & 51.

Deniq; animaduertere debebit, Saluatorem noſtrum, vt huius naturam officij paucis verbis exponeret, Paſtoris boni ſimilitudine vſum [e]; hacque voce complexum eſſe perpetuam quandam vigilantiam, diligentiam, aſſiduitatem, prouidentiam, fortitudinem, item & ſtudium, ac zelum, & prudentiam, immenſamq. in gregem cõmiſſum charitatẽ [f], adeò etiam, vt eius ſalutem Epiſcopus, ſi neceſſe ſit, anteponat ſuæ.

e. S. Io. c. 10.

f. S. Aug. de verb. Domini. ſer. 49. & 50.

Hæc igitur erunt Epiſcopo in vniuerſum, antequam ad particulares functiones aggrediatur, mente concipienda; atque vt indubitata principia ſibi proponenda, ac ſæpius conſideranda, tanquam ſolida quædam adminiſtrationis Epiſcopalis fundamẽta. Nam alia, quę tanquam inſtrumenta ab eo exercenda, muneris Epiſcopalis progreſſum reſpiciunt, atque ad finem, quo contendendum eſt, ſpectant; diſtinctè, prout materia ipſa ſuggeret, ſuo loco non prætermittentur.

Quis debeat Epiſcopo propoſitus eſſe finis in ſuo munere.
Cap. XIV.

POSTQVAM ea, quæ ante expoſita ſunt, in Epiſcopi mente fixa hæſerint; finem ſui muneris ante oculos ſibi ponat oportet: eius enim cognitio, huius viæ caput eſt atque initium; cum præſertim eo maximè ſapiens atque inſipiens differant: quòd ſapiens conſilia omnia, factaq. ſua ad certum finem refert; ſtultus verò inconſulto ac temetè agit, nec proſpicit, quem exitum ſit res habitura.

Cum igitur in quauis arte, ac diſciplina, vt eam rectè exequamur, hæc finis conſideratio cum primis neceſſaria ſit: procul dubio in adminiſtratione Epiſcopali, quæ ars artium eſt [g], multò magis hæc eſt cogitatio ſuſcipienda.

g. c. cum ſit, de ætat. & qual.

Quamobrem conſtituendũ nunc eſt, quam ad metam curriculum hoc dirigatur: vt viæ, rationesq. omnes ineantur, quibus eo perueniri poſſit.

Verùm quoniam videtur omnis ars, diſcipli-

diſciplinaq. Chriſtiana biſariã, quod ad finem ſpectar, conſiderari poſſe: primus enim finis eſt ille omniũ Chriſtianorum, omniumq. ordinum communis; vt in omnibus, quæ agũtur vel cogitantur, gloria Dei, eiuſque gratia ſpectetur[a]; alter verò eſt finis, qui vniuſcuiuſque artis, operiſq. proprius, ſiue in docendi labore ſit poſitus, vel in repub. adminiſtranda, vel in agẽdis cauſis, vel in alia quauis arte: qui quidem finis, ſi cum illo ſuperiori conferatur, medium potius, quo ad alterum illum perueniamus, exiſtimari poteſt.

a. 1. Cor. 10.

Idcirco nobis in præſenti conſilium non eſt, de priori illo fine, ſed de poſteriori differere; priorem enim tanquam certum, & firmatum, qui præcipuè in omni actione concipi debet, alia diſputatione non indigere ponimus.

QVAErimus igitur, quinã adminiſtrationis Epiſcopalis verus, proprius, ac legitimus finis ſit. Paucis autẽ verbis definiri poteſt, finem hunc Epiſcopalem alium non eſſe, quàm commiſſos populos doctrina, & exemplo ad Deum dirigere: atque Moyſis exemplo, è tenebris Aegypti, ideſt huius ſęculi caligine eripere, vt ad cæleſtem promiſſionis terram traducantur.

Verùm hic animaduertendum eſt; quamuis enim in aliis artibus differre interdum videatur finis operis, à fine operantis[b], & vteque nonnunquam ſit licitus, veluti, ſi muſicus iuſto quæſtu ducatur, cum finis operis oblectatio ſit; in Epiſcopali tamen munere ſecus eſt, in quo aliud ſpectare nõ debet Epiſcopus, quàm quod ſuæ adminiſtrationis natura requirit.

b. S. Tho. 2. 2. q. 141. ar. 6. ad 1.

Quod quidem in medium afferimus, propterea quòd aliqui interdum officiũ Epiſcopale capeſſere poterunt eo quidem animo, vt id Chriſtiano more, ac ſine labe vlla exequantur, vtquè interim Dei glotiæ, populorumq. vtilitati ſeruiant: ſed fortaſſe non in eo defixus illorum eſt animus, vt ſe gregi paſcendo mancipent: nec præcipuum eorum conſilium eſt, in Epiſcoporum ordine perſeuerare, Epiſcopalemq. finem ſequi: ſed aliò potius reſpiciunt, vt ſcilicet illud munus tanquã gradum ad ampliores honores obtinẽdos exerceant; vel aliquot annos in eo dignitatis ornamento degant, vt res domeſticas interim cõſtabiliant; ſiue vt pericula aliqua, ac perſecutiones ad tempus effugiant, ſeque in Epiſcopium, tãquam in tutiorem portum recipiant. De quibus S. Auguſtinus ait[c]: *Sũt homines, qui ex occaſione euangelizant, quærentes ab hominibus commoda ſua, ſiue pecuniaria, ſiue honorum, vel laudis humanæ; & Euangelizãtes, non tam ſalutem eius quærunt, cui annunciant, quàm commodum ſuum.*

c. S. Aug. de verb. Dom. ſer. 49. & 50.

His igitur ſacrarum literarum in mẽtem redigenda eſt ſentẽtia; quæ docet, mercenarios eos potius, quàm paſtores eſſe, cum quærant quæ ſua ſunt, nõ quæ Ieſu Chriſti; nec dicuntur per ſemitam Euangelicam incedere, immo ab Apoſtoli exemplo longè diſcedere; qui dicebat[d], ſe non quærere quod ſibi vtile eſſet, ſed quod multis, vt ſalui fierent. Vnde & à vero aberrant fine, ad quem Epiſcopale munus inſtitutũ fuit: quod inde perſpici poteſt, quia finis propter ſeipſum, non ob vllam aliam rem ipſo fine inferiorem, principaliter quæritur; ipſi verò Epiſcopalem dignitatem ſuſcipiunt, vt per eam ad terrena potius, quàm ad cæleſtia perueniant.

d. In epiſt. 1. ad Corint. c. 10.

At Philoſophus[e]: *Qui furatur*, inquit, *vt mæchetur, magis eſt mæchus, quàm fur.* Cum autem Epiſcopo propoſitum ſit, ſicuti antè explicatum eſt, operari diuino cultui, & honori; plebiſq. ſibi commiſſæ ſalutem procurare; qui alio conſilio hoc officium aggrediũtur, tametſi ad id legitimè vocati ſint, aſſeuerari poteſt, eis non Dei, cæleſtiſq. ſpititus munere fores patuiſſe: ſed in hoc ſolium inuectos eſſe nulla alia, quàm propriæ vtilitatis, vel ambitionis ſubducta ratione. Quod quidem grauiſſimum eſſe peccatum Doctores affirmant[f].

e. Ethic. lib. 5. cap. 2.

f. Caiet. 2. 2. q. 185. art. 1. Sot. de iuſt. lib. 10. q. 5. art. 6. Nauar. miſcell. de ora. c. 36. & in Manual. c. 25. nu. 117 & ſeq.

Nec enim Deum propter Deũ quærunt, ſed commoda ſequuntur ſua, conſiliaq. ſecularia capiunt, nec cogitant pro ſalute gregis vitam ponere, ſed per gregis occaſionem, ſibi obliquo valde

animo

animo conſulere.

Ex quo intelligitur, huiuſmodi homines mercenarios potius, quàm veros eſſe paſtores: & eos non per verum oſtium, hoc eſt, per Chriſti ſemitam, & Spiritus ſancti diſciplinam intrare [a].

a. S. Gregor. lib. 9. epiſt. 40.

Ex hoc autem plerumque fit, vt nõnullorum Epiſcoporum ſtudia langueſcant, parumque viuida facta ſint, Epiſcopaliaq. ipſi munia non ſatis feruidè amplectantur; verùm ſæpe incerti ſint, ac nutabundi, modoq. cupiant ab illo munere deſiſtere, modò id mutare: nõnũquam ad alia adhiberi velint, aut ſeceſſum ad tempus quærant, aut alijs denique negocijs ab Epiſcopali cura remotiſſimis ſe totos tradant.

Idque propterea illis accidit, quòd non ſatis mente perceperint, vnam hãc certam, ſtabilemq. ſuam vocationem eſſe debere, nec verum finem ſibi propoſuerint: qui cum rei cardo ſit, ac veluti totius nauigij clauus; ipſi errabundi, ac palantes, quid aliud, quàm miſerãdum naufragium expectare poſſunt? niſi errore ſaltem cognito, in viam redeant, certioraque conſilia capiant: & tacta ſua ad eũ ſcopum dirigant, qui boni, ac fidelis Epiſcopi proprius eſſe debet.

Quæ media, quæue rationes Epiſcopo ineundæ ſint, vt officio ſuo bene perfungatur. Cap. XV.

EX ijs, quæ modò diſſeruimus, ſatis conſtare omnibus poteſt, oportere Epiſcopum ſibi inprimis certum, propriumq. finem præſtituere, ad quem ſtudia, conatuſq. ſuos omnes dirigat, ac tanquam ſagittarius tela omnia ſua intendat: alioquin hoc prætermiſſo, nec ſibi huiuſmodi fine, vt oportet, in mente ſua immobiliter defixo; tantum abeſt, vt is veri Paſtoris munus implere valeat, vt potius omnem operam, & ſolicitudinẽ inaniter ferè impẽdat: ac ſe huius tam ſanctæ, & metuendæ adminiſtrationis præuaricatorem, apud diuinam Maieſtatem conſtituat.

Verùm demus nunc, finem iſtum optimè illi ſtabilitum fuiſſe: adhuc tamen ad ea, quæ requiruntur præſtanda, hoc non ſufficere in confeſſo eſt; niſi media illa ab eodem adhibeantur, & ſemitæ illæ certæ, ac tutæ ab eo ineantur, quibus ipſe ad finem poſſit omnino peruenire.

Qinimo hoc ipſum caput, quod ad media ſpectat, eò magis difficile, & periculoſum altero illo priore cenſeri ſolet: quòd finis in vnaquaque arte, ac diſciplina certus omnino eſt, & cum artis ipſius natura coniunctus: quemadmodum medici finis ſanare eſt, oratoris perſuadere, naucleri ad portum appellere, quod omnibus notum eſt.

At verò, quæ certa ſint media, ac inſtrumenta, quibus eæ artes finem adipiſcantur, non ſolùm apud multos varium, obſcurumq. exiſtit, ſed etiã ſpecie ipſa plerumq. inſtrumenta illa homines fallunt; nec omnibus, vt tractentur, fiunt obuia, aut facilia.

Quod quidem in hoc Epiſcopali munere maxime conſtat; cuius finis cum planè certus ſit; media tamen ad eum conſequendũ valde ſunt varia, ac multiplicia; ampliuſque id difficultatis habent, quòd nõ ſatis eſt ea, quæ idonea, commodaque ſint, perſpecta habere; ſed prӕterea in ijs, quæ meliora, & aptiora ſunt, talis notitia eſt neceſſaria, vt quis ex ipſis delectus ad res gerendas ſit habendus, facilè conſtare poſſit.

Si igitur quæramus, quas præcipuè inire rationes, quæ remedia adhibere debeat Epiſcopus, vt finẽ aſſequatur, & muneri ſuo rectè, & laudabiliter reſpondeat: dicet fortaſſe aliquis, caput eſſe, dare operam, vt populus ſuus diuina præcepta obſeruet, cum ſcriptum ſit: *Si vis ad vitã ingredi, ſerua mandata.*

Verùm hic aduertendum eſt; cum enim homines tum ob naturę corruptę labem, atque imperfectionem, tum ob prauos habitus, peruerſaq. aliorũ exẽ-

pla,

pla, & hoſtis humani generis fraudes, ſint contumaces, ac refractarij, nec facile obediant; quæritur in præſenti à nobis, quomodo Præſul eos in viam veram inducere queat.

Et ſi quis reſponderet, duas eſſe regias vias, ſæpè à prophetis commemoratas; alteram ſcilicet declinare à malo, alteram facere bonum; videtur replicari poſſe, in eaſdem nos difficultates reuolui: neceſſe enim eſt, vt intelligatur, qua ratione, & via, quæ facillima ſit, tum vitia impugnentur, tum virtutes parentur.

Quamobrem, cũ neceſſarium videatur, ſi quis efficaciter prodeſſe velit, ad particulares aliquas, maximeq. accommodas vias deſcendere [a]; veremur nũ vlla certa, ac generalis regula præſcribi poſſit, quo vſu ipſo ſingularia omnia appoſitè, ſalubriterq. cõplectatur; verùm licere tantum ex communibus, & notioribus quibuſdam principijs, concluſiones quaſdam, longo rerum experimento probatas, diligentiq. ſtudio humanis actionibus accommodatas, tum ad vitia euellenda, tum ad virtutes inſerendas opportunè deducere.

a. S.Tho. 2. 2. in prolo. Ariſt.Ethi. lib.2.c.7.

Nam, quemadmodum ſi quis medicum rogitet, quibus medicaminibus humani morbi curari queant: reſponderet medicus, adeò multiplicem eſſe morborum varietatem, atque innumerabiles penè eorum cauſas; vt niſi ante corporis illius exponatur temperamentum, quod varium eſſe poteſt; & ſimul ęgrotationis, qua corpus id laborat, cauſæ, effectus, ſymptomata; nõ poſſint certa remedia ad eius curationẽ pręſcribi. Vnde præſtãtiſſimorum medicorum libris, Græcorum, Arabum, Latinorum, bibliothecæ refertæ ſunt, quibus libris ſingulorum morborum plurima tradun tur remedia. Quantò magis in Epiſcopali munere id euenire neceſſe eſt, cum ei ſubſit vitiorum, & miſeriatũ humanarum ingẽs, ac penè imperſcrutabilis ſeries? quæ cum à peccato originali, tanquã à prima radice promanet, hinc vniuerſum genus humanũ multipliciter inquinatum, ac labefactatum exiſtit.

Quorũ aliqua cum S.Paulus enumerare cœpiſſet, ſcribẽs ad Galatas [b], & dixiſſet: *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, cõtentiones, æmulationes, iræ*; tum longioris enumerationis quaſi tædiũ reformidans ſubſtitit, atque ex his cætera intelligi voluit.

b. ad Gala. cap.5.

Inde mirum videri non debet, ſi in tam immenſa miſeriarum, atque afflictionum mole, explicari diſtinctè non poſſit certa vna ratio, aut methodus præſcribi, qua ab Epiſcopo ſit progrediendum.

Quod quidem cum ex multiplici rerũ varietate proficiſcatur, quæ in praxi ipſa nequeunt certis vllis limitibus, ac præſidijs circumſcribi, ac muniri; non negamus tamen ex communi ingenitæ nobis rationis theſauro, atque generalibus quibuſdã practicæ rationis principijs, tanquam receptis vniuerſaliter legibus, notitiam plurimam in homines deriuari, ad bonitatis pulchritudinem, prauitatiſq. turpitudinẽ dignoſcendam; quo lumine præeunte, adiectaq. hominis induſtria, virtutum moralium habitus poſſint comparari, ad ea, quæ honeſta ſunt, amplectenda, ac ad vitia profliganda.

Quapropter cũ quæratur, quid Epiſcopũ præſtare oporteat, vt officio ſuo bene fungatur, ac laboranti populo, cũ res ſe offert, ſalubriter ſubuenire valeat. Reſponderi poterit, debere eum copioſam, atque omni virtutũ genere inſtructam officinam, in ſuo pectore reconditam habere; ex qua quæcunque vſus expoſcet, ſalutariter queat deprome re, atq; indigentibus ſubminiſtrare.

Cuius rei, præter ea, quæ ante diſſeruimus, aperta cauſa eſt. Cum enim Præſuli non ſolùm quæ ſibi ipſi bona deſunt ſupplenda, ſed etiam totius po puli vitia corrigẽda ſint: nam debitor eſt, vt aliàs diximus, ſapientibus, inſipientibus, doctis, atque indoctis, diuitibus, pauperibus, iuuenibus, ſenibus; itẽ militibus, negotiatoribus, ruſticanis, mœſtis, ac lętis, valẽtibus, & male

haben-

b. ad Gala. cap. 1.

habẽtibus; cuiuis deniq; hominũ generi, atque ordini; adeo vt cũ Diuo Paulo[a] omnia omnibus fieri debeat, vt Chriſtum tam ſibi, quàm aliis lucrifaciat: hoc ille, non niſi plurimarum virtutum choro circumſeptus, præſtare poteſt.

a. 1. ad Cor. c. 9.

Quamobrem varia pro hominum incommodis, ærumnis, ac neceſſitatibus indita fuiſſe Epiſcopis nomina, ſupra ſignificauimus[b]: nempe vt horum vocabulorum varietate indicaretur, pro multiplici ſubditorum indigentia, & neceſſitate, diuerſa eſſe remedia adhibenda: & à Præſule, tanquam à ſuperiore, & ſereno cælo diffundendum eſſe vbetrimum rorem, quo omne hominum ſibi ſubiectorum genus, in oppidis, in agris, in montibus, in ſyluis, atque in vallibus irrigetur.

b. Sup. pag. 16.

Videmus ſalem, qui cætera condire debet, ſalſiſſimum eſſe: & ignem, qui corpora frigida calefacit, calidiſſimũ: & mel, quo cibos dulces facimus, dulciſſimum eſſe opportere. Epiſcopum ergo, qui ex populo ſibi ſubiecto vitia omnia euellere, & virtutes ſingulas Deo iuuante inſerere tenetur; cum ille alios ſanctos efficere debeat, ſanctiſſimum eſſe, & in virtutum omnium officio exercitatiſſimum conſpici debere, neceſſe eſt.

Quod quidem cum obtinere ſit difficillimum, ac præter ſingularem Dei gratiam maximo labore, ac intento ſtudio indigeat: non deſunt tamen ſanctorum Patrum monimenta, quæ nos, quibus gradibus ad hanc virtutum arcem ſit aſcendendum, erudiant[c]; & imitationis exempla, ex B. Antonij ſententia, non ab vno tantum, ſed à pluribus, pro virtutum ratione, quibus ſinguli prædidi ſunt, haurienda proponant: cum in vno ſapientia, in alio ſanctitas, in alio iuſtitia, in alio patientia, quam intueamur & æmulemur, effulgeat[d]. Ita vt Epiſcopus tamquam apis prudentiſſima, ex florente rerum expetendarum varietate, ad virtutes decerpendas, & ſpiritualia mella condenda adiuuetur.

c. Ioan. Caſs. lib. 4. de inſtit. renunt. c. 39.

d. Ioan. Caſs. libr. 5. de Spi. gaſtri. cap. 4.

Verùm quoniam his ita in vniuerſum prolatis, aut difficultatis magnitudine lector obrueretur, aut eorum vſus ſatis explicari fortaſſe non poſſet: nunc vt certius aliquid, & ſalubrius, quod Paſtores in munere ſuo adiuuare poſſit, depromamus, id in ſequenti capite tractandum reſeruamus.

Quæ virtutes, ſeu virtutum officia, ex multorum ſententia potiſsimum in Epiſcopo requirantur, vt bene Eccleſiam ſuam adminiſtret. Cap. XVI.

His poſitis, quæ ſupra commemorata ſunt, oportere ſcilicet Epiſcopum, in omni fere virtutum genere verſatum eſſe, vt ijs, cum opus ſit, ad ſubditorum vtilitatem vtatur: ſuperuacaneum videtur amplius quærere, quænam in Epiſcopo virtutes maximè deſiderentur.

Verumtamen, cum perſpiciamus quemvis opificem vniuerſali cognitione eorum inſtrumentorum contentum non eſſe, quæ miniſterio ſuo vſui ſint; ſed id etiam diligenter ſtudere, vt practice intelligat, quæ potiſsimum ex illis, inſtrumenta ſint ad opus, quod profitetur faciendum neceſſaria; multò magis obſeruandum hoc eſt in adminiſtratione Epiſcopali tàm varia, tàm ampla, tàm multiplici, ac difficili opere implicata.

Quemadmodum enim in theſauro Regio, pretioſarum rerum omnium copia refertiſsimo, plurimum intereſt, margaritas illas, ac gemmas, quæ cæteris æſtimatione præſtant, ab alijs diſtinguere, ac penitus cognitas habere, propter maximas, quas afferre poſſunt vtilitates: ſic negari non poteſt, quædam eſſe virtutum, atque officiorum genera, quorum vſus negotijs pluribus communicari, atque vtilitas efficacius prodeſſe conſueuit.

Quam ob cauſam in alijs quoque vitæ

tæ inſtitutis graues olim auctores accu ratè differere contenderunt, quid in vnoquoque vitæ genere maximè omniũ eſſet æſtimandum; veluti in Principe, in Duce belli, in Oratore, in claſſis maritimæ Præfecto; & Apoſtolus ipſe ad Philippen. ait [a]: *Vt probetis, quæ ſint potiora*. Hoc autem in re propoſita eò magis neceſſarium eſt, quòd ſapientium hominum de ea ſententiæ inter ſe differunt.

a. ad Philip. c. 1.

Quamuis enim inter omnes conſtet, omnium virtutum chorum vt ſupra diximus, Epiſcopo cõuenire; tamen quibus virtutibus primæ partes deferẽdæ ſint, non quidem ex propria earum vi, nec vt inter ſe comparatis, ſed tanquã ad Epiſcopalem functionẽ relatis, non poteſt facile explicari.

NAM iudicabunt nonnulli, in bono Epiſcopo nullo pacto deficere debere ſanctitatem vitæ, prudentiam, fortitudinem, diligentiam, ſcientiam, atque alia multa, quæ nõ ſolum præcepti, ſed etiam conſilij ſunt, à ſacris Theologis latius explicata [b]. Quorum ſententia & ſi abſolutè loquendo, cum veritate conſentiat; attamen dubitationi noſtræ minime reſpondet: ſatis enim ſcimus in Epiſcopo non multas, ſed omnes virtutes in vnum conuenire oportere: verum id noſſe in præſentia ſtudemus, quænam inter cæteras, maximè optanda videatur. Quemadmodũ ad ſymphoniam cũ multiplices ſonos adhiberi oporteat, in ijs tamen quis cęteris antecellat, dubitari non incongruenter poteſt.

b. S. Tho. in opuſc. 18. de perfect. vit. ſpir. c. 16. 17. & ſeq.

Quamobrem in re propoſita, cum plurimum referat noſſe quid primo, quid ſecundo, quiduè poſtremo loco ſit habendum; ſanè qui plures ſimul virtutes coniungit, non ſolum dubitationi non ſatisfacit, ſed maiorem etiã forſitan implicat difficultatem, cũ virtutes alias oppido neceſſarias prætermittat: vbi enim in exemplo proximè relato eſt humilitas? vbi iuſtitia? vbi miſericordia? vbi ſobrietas, manſuetudo, aliæq. plurimæ, quas in ſubiecto ſibi populo Epiſcopũ inſerere oportet?

ALII ergo ſtrictim ad id, quod quæritur, fortè reſpondebunt; inter alias Epiſcopales virtutes, charitatem extollendam [c]; quæ ſceptrum in choro virtutum, tanquam Regina tenet, cæteraſq. vt comites ſecum ducit, & pediſſequas: ſiquidem vbicunque illa ſedem ponit, nullam patitur virtutem otioſam, & ignauam permanere: & ad quem ſe applicuit hoſpitem, ei ſtimulos admouet, & ad officia ſancta, cunctaq. ea obeunda munia eum impellit, quæ ad gregem vtiliter paſcẽdum requiruntur.

c. S. Tho. 2. 2. q. 123. art. 6.

Hanc ſententiam negare non poſſumus ad veritatem ſatis accedere, propterea quòd charitas fundamentũ eſt, & finis, & forma cæterarum virtutũ [d]; ac ſine ea, nec vllum opus conuenienter virtutis exequimur, nec Dei gratiã promeremur. Verùm ſi res attentè cõſideretur, licet ea tam neceſſaria ſit, vt nullus ad Epiſcopatum aptus exiſtimari debeat, qui charitate apertè caret [e]; animaduertetur opinor, virtutem hãc minimè poſſe, tanquam potiſſimũ Epiſcopalis functionis, de qua agitur, medium, aut miniſterium poni.

d. S. Tho. 2. 2. q. 23. ar. 8.

e. S. Tho. 2. 2. q. 63. ar. 2. vbi Caieta.

Cum enim non quæ virtus ſecundũ ſe cęteris præmineat, ſed quæ Epiſcopali functioni exercendæ ſit potior, inquiramus: certè charitatem, & ſi natura ſua præſtãtiſſimam cognoſcimus, & in Epiſcopo maxime neceſſariã, ad ordinis functiones abſque culpa peragendas: non tamen videtur illi in adminiſtratione Epiſcopalis iuriſdictionis primus locus tribuendus; cum nonnullos videamus ſumma charitate, & iuuandi ſtudio, ac zelo præſtantes, qui tamen ad regendos populos non admodum idonei ſunt [f]; nec tractare hominum mores, aut ingenia ſciunt, nec diſcrimen etiam habere norunt cuiuſque generis, atque ordinis virorum, & nulla interdum exculti ſunt doctrina: immo nec ad familiarem ſermonem ſatis habiles inueniuntur, nedum ad conciones publicè habendas facundi, aut vlla ex parte accommodati.

f. Caiet. 2. 2. q. 47. articu. 12.

ALII

ALII hoc decus in prudentia collocabunt, conſiderantes eam ad finem propoſitum ſemper reſpicere, viaſque omnes, & opportunitates noſſe: iiſque, prout commodum eſt, pro tempore, ac pro perſonis vti; vnde dicent, Antiſtitem hac virtute inſignitum, poſſe cum omni hominum genere, quicquid accidat, opportune gerere, eoſque ad vitam æternam perducere.

Et ſanè propior veritati hæc ſententia videri poteſt; quòd virtus hæc longe, lateque patens [a], in omneſq. res quoquo verſus deducta præfulgeat, ac præcellat; hominemque egregiorum factorum conuenientia, appetendarum rerum rectitudine, ac varietate exornet.

a S.Th. 2. 2. q. 47. ar. 6. 5.

Attamen eadem ſententia nimis fortaſſe generatim, & vniuerſè res ipſas complectitur: nec ſigillatim, quod morum diſciplina in primis expoſcit, ad proprias cuiuſque rei partes, minutoſque numeros deſcendit: cum in negotiis valde lubricum ſit, incertum, & fallax, quid agas, & quouſque progrediaris, & quando, quomodouè rem capeſſas. In ipſo enim rerum vſu procliue eſt falli, & labi, & fruſtra niti: ad exequendum item omnia plerunque difficillima ſunt, quibus prudentia non ſufficit; eo maximè, quòd illa ſic in vniuerſum conſiderata, cum ſedem in intellectu habeat, reſpicit præcipuè quæ agenda ſunt, quatenus rationem veritatis continent [b], ad quorum cognitionem intellectum practicum, vt ſubeſt appetitui recto, dirigit: verùm non eadem præcipuè conſiderat, prout rationem boni habent, quod eſt appetitiuæ potentiæ obiectum; nec ipſam appetendi vim per bonarum actionum fines ducit [c].

b S.Th. 2. 2. q. 47. ar. 5. in reſp. ad 3.

c S.Th. 1. 2. q. 60. ar. 1. ad 1. & 2. 2. q. 47. ar. 3. ad 3.

Nos autem in præſentia inueſtigamus, quæ virtus præcipue ſit Epiſcopo neceſſaria, non ſolùm, vt is cognoſcat, quæ ſibi in ſuo munere præſtanda ſunt; verumetiam vt illa benè, quoad omnes circumſtantias, & rationes, vt oportet, agat, & exequatur, quod prudentiæ limites excedit. Si quæ tamen ad prudentiam ſpectantia ſint illi præcipue neceſſaria, infra ſuo loco attingentur [a].

a in c. 17.

ALII hanc palmam tribuent ſcientiæ, cum dici ſoleat, duplum, quàm alij, vident, qui literas didicerunt: & præſertim, quia cum Epiſcopi inſtituti ſint, vt lucis radijs, ignorantiæ tenebras àb hominibus pellant, atque eis veritatis lumen oſtendant; vnde Saluator dixit: *Vos eſtis lux mundi* [b]: Quomodo ſcientia, & doctrina non erit in primis Epiſcopo neceſſaria ad populos erudiendos? Nam vt idem Saluator ait [c]: *Si lumen quod in te eſt, tenebra ſint, ipſa tenebra quanta erunt?*

b S. Matt. 5.

c S. Matt. 6.

Verùm non dubitamus nos ſcientiã & cognitionem in Epiſcopo quàm maximè requiri [d]; cum debeat ille doctor eſſe veritatis, ex ignorantia autem plurima mala proficiſcantur; Sed id quærimus, an hæc præcipuo ſit loco habenda, cum hodiè in regionibus præſertim catholicis Principibus ſubiectis, homines non tam imperitia, quàm malitia, cupiditate, luxuque pereant; & cum etiam in plurimis ciuitatibus, populi, afflictione magis, oppreſſione, ac victus neceſſitate, quàm diuini verbi inopia laborent: vnde indigent larga potius manu, ac pietate, quàm ſermonis magiſterio adiuuari: Nam, vt ait ſanctus Gregorius [e]: *egentis animum prædicantis ſermo non penetrat, ſi hunc apud eius animum miſericordia manus non commendat*; & nos illam virtutem, non quam loci neceſſitas, ſed quam muneris Epiſcopalis natura potiſſimum requirit, indagamus.

d S. Greg. 2. par. paſtoral. c. 11.

e S. Greg in 3 par paſtoral. c. 10.

ALII in ſanctæ orationis præſidio, poſitum hoc eſſe dicent, per quam non ſolum ipſe Epiſcopus magis virtute perficitur, ac cum Deo cõiungitur: verùm etiam toti gregi ſuo mirificè proficit, varia illi gratiarum dona, ac diuini ſpiritus illuſtrationẽ impetrans: quod cõpluribus exẽplis conſtat, veluti Moyſis, quẽ cum Deo tractare ſolitum fuiſſe legimus [f] atque ea, quæ populo vſui erãt, ſalubriter obtinuiſſe; & S. Valerii Epiſcopi, qui Vincentio diacono ſuo paſtoralia munia multa permittebat, reſerua

f Exod c. 4. 16. & ſeq.

ta ſibi orationis meditatione, qua ouium ſuarum ſalutem iugiter Domino commendabat g.

g. In vit. S. Valerian. apud Surium, Tom. 1

Verùm Epiſcopalis vitæ munus, cũ omnium ſit perfectiſſimum, non orationis tantum, aut meditationis, ſed actionis etiam auxilio inniti debet; ac vtriuſque ope veluti mixtum, & compoſitum, modo hac in re, modo in illa, prout munus ipſum poſtulabit, ſe exercens, ſummum quid, ac perfectum complecti; exẽplo Domini Saluatoris noſtri h, qui orationem ita colebat; vt minime tamen ea, quæ ad homines in fidei doctrina, & virtutum actionibus inſtituendos erant neceſſaria, relinqueret; nec inſtructionis, admonitionis, doctrinæ, exemplique ſui magiſterium populo præbere vllatenus prætermitteret i.

h. S. Th. 2. 2. q. 188. ar. 6. & Caiet. 2. 2. q. 102 art. 1.

i. S. Tho. in 3. p. q. 21. & qu. 40. art. 1. ad 2. & 3.

Ex quo ſequitur, vt quamuis orationis præſidium à vero Epiſcopo numquã, præſertim in neceſſitatibus ſit dimittendum; id tamen potius tanquam mediũ ad munus ſuum exequendum adhiberi debeat, quàm vt in eo conſtituat finem; cum Epiſcopi præcipuus ſcopus ſit vitia emendare, vitæ diſciplinam introducere, clerum, & populum reformare, atque omnes in portum ſalutis verbo, & exemplo perducere; cuius rei per fectiùs conſequendæ cauſa, cum ipſe vires ſuas infirmas agnoſcat, ad fontem gratiarum humili, feruentique oratione videt eſſe recurrendum.

ALII ſunt, qui præcipuam Epiſcopi operam in ſui abnegatione, ac mortificatione ſenſuum ponendam putent; atque ideo in ieiunijs, in pœnitentijs, in cordis compunctionibus, in miniſtrandis ſacramentis, in celebrandis proceſſionibus, in lectione librorum ſpiritualium, in piis colloquiis, aliiſque huiuſmodi actionibus, frequenter verſandũ; confidentes, cum ipſi per hæc inſtrumẽta, à Deo ſpiritum, deuotionem, patientiam, lacrymarum donum, atque humilitatem hauſerint; facile futurum, vt eadem quoque in alios transfundãt, ac populum ſuum ad perfectam quandam vitæ rationem perducant.

Verùm cum varii ſint hominum ſtatus, & vocationes, dubium nõ eſt, aliud vitæ genus ab Anachorita, ſiue à Monacho, aliud ab Epiſcopo, cui paſcendi gregis, inſtruendique populi cura cõmittitur, requirendum eſſe. Quamuis enim Epiſcopus, qui perfectionis ſtatũ merito profitetur, niti debeat, vt aſcendat omnium virtutum verticem; non tamen illi eadem ſemper via eſt illuc progrediendum, ſed variandum iter, prout Epiſcopalium functionum ratio videbitur poſtulare. Quid enim, ſi interim ſacræ eum ordinationes, viſitationes, conciones, correctiones, conciliationes, congregationes, cæteraq. eiuſmodi, illius operam accerſant? Vtique videre Epiſcopum contemplantem, & ſpirituales libros legentem, audireque ſuſpiria ex imo pectore trahentem, atque in Oratorio pſalmos canentẽ, quo tempore luxu populus diffluit, dies feſti negliguntur, cleri diſciplina diſſoluitur, monialium regula conculcatur, nullus crapulæ, libidini, aut blaſphemijs modus ſtatuitur, non poteſt ſapientes viros, & boni publici amatores non valde offendere; ita vt ſuſpicari poſſint hoc eſſe tentare Deum k, & ſurſum, deorſumque omnia voluere. Quod quidẽ ex amoris proprii radice ſæpè emergit, qui ea quærit proponere, in quibus plus ſuauitatis, minus laboris ineſt, ſpecie quadã maioris vtilitatis, atque augmenti ſpiritus: ſiquidem vſus ipſe docet, in contemplando, meditando, ac ſpiritualia huiuſmodi exercendo, ceſſare ſtrepitus, ac cum ſilentio, & ſolitudine quietem magnam afferri: cum viciſſim in moribus reformandis, vitijs debellandis, ac diſciplina inſtituenda, neceſſe ſit apprehendere arma, ſcutum, gladium, & bellum, perpetuoque vociferari, obiurgare, comminari, certare, ac in moleſtiſſima arena deſudare.

k. S. Th. 2. 2. q. 47 ar. 1. & 2.

ALII cenſent ſummam Epiſcopalium virtutum ad vitæ integritatem, atque innocentiam eſſe referendam, cum hoc à Concilio perpetuum quoddam prædicandi genus dicatur l, quo populus continenter inſtituitur, & ad ſan-

l. Seſſ. 25. de refor. c. 1.

ſanctas operationes excitatur. Quod quidem nemo pariter negabit, in Epiſcopo eſſe ſummopere neceſſarium; cũ homines, malint exempla, quàm verba [a]. Et Abimelech Rex cum ligna cęderet, & portaret, dicebat ſuis [b]: *Quod me uidiſtis facere, cito facite*. Quod & Saluator ipſe præcepit dicens [c]: *Luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant opera ueſtra bona, & glorificent patrem ueſtrum, qui in cœlis eſt*.

a. Lactan. lib. 3. diu. inſtit.
b. Iudi. 9.
c. S. Matth. c. 5.

Verùm neque hoc implet omnino eas partes, quę plurimis locis præcipuè ſunt neceſſariæ: ad vitia ſiquidem profliganda, atque inueteratam hominum improbitatem, quæ frequenter dominatur, coercendam; opus eſt cenſura, ſeueritate, atque publico vindictæ exemplo, non ſola vitæ ſanctitate.

. Præterea, ſi ſola Epiſcopali diſciplina ſimus contenti; milites, nautæ, ſanctimoniales, ruſtici, qui in agris, & ſyluis degunt, infirmi, qui in lecto decumbunt, artifices in officinis aſſidui, pueri, puellęque parùm vtique proficient; qui vel abſentes nequeunt exempla Epiſcopi intueri; vel propter diſſimile vitæ inſtitutum, nihil ea ad ſe ipſos putant pertinere.

ALII exiſtimant eleemoſynæ, hoſpitalitatis, & beneficentiæ laudem in Prælato præcipuè fulgere debere; cum nihil ſit, quod æquè amabilem illum populo reddat, ac ſubueniendi, beneque de alijs merendi ſtudium. Vulgus ſiquidem vix putat alios eſſe bonos, quàm beneficos; vnde in prouerbiis dicitur [c]: *Victoriam, & honorem accipiet, qui dat munera*. Et Dominus noſter cum ſigna multa feciſſet, dixit [d]: *Quæritis me, non quia uidiſtis ſigna; ſed quia mãducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis*. Vnde iudicio populi, hoc benignitatis opus, euangelizandi officio, & exemplo vitæ, ac ferè miraculorum operationi præcellere exiſtimatur.

c. Prou. 22.
d. S. Ioan. 6.

. Verùm ſicuti maxime inſignem hãc laudem eſſe prudens nemo negabit, atque hinc populos maximè ædificari; ſic certum eſt, nõ hac virtute ea præcipue contineri, quæ Epiſcopali officio neceſſaria ſunt: cum hæc ad corporis potius ſuſtentationem, quàm ad ſpiritum nutriendum pertineat; nec ex ſola eleemoſyna, mores, diſciplina, aut vitæ ſanctitas in populos inuehantur.

Adde quòd multi ſunt Epiſcopi, quorum virtutibus, vt ille dixit, obſtat res anguſta domi; ita vt cum vix poſſint, ob tenues eccleſiæ ſuæ fructus, dignitatem ſuam tueri; eò minus aliis ſubleuandis, eccleſiis inſtaurandis, collegiis erigendis, puellis dotandis, orphanis nutriendis, aliiſq. eiuſmodi operibus amplectendis, quæ ab Epiſcopo deſiderari ſolent, ſufficere poſſunt.

Quo loco illud obiter omittendum non videtur, quod ad eleemoſynas attinet, vt eo magis ad eas erogandas Epiſcopus excitetur, valde diuerſam illius, & ſecularium virorum, qui eas largiuntur, rationem eſſe; cum Epiſcopus ad fructus Eccleſiaſticos in vſus eis prę ſcriptos diſtribuendos, iuſtitiæ potius, quàm charitatis vinculo adſtringatur. Siquidem cum inter Epiſcopum, & eccleſiam ſacrum coniugium contrahatur; cenſetur eccleſia, redditus menſæ Epiſcopalis, loco dotis ad ferenda onera matrimonij Epiſcopo aſſignare; inter quæ dubiũ non eſt, portionem eam quæ ad eleemoſynas, hoſpitalitatem, & fabricas ædificiorum pertinet, inter potiſſima contineri.

Hodie tamen ideo hæc Epiſcoporũ pietas, & benignitas, quãdo ab iis exercetur, plauſum hunc popularem videtur fuiſſe adepta, quòd nimia forte cupido hominum res terrenas accumulandi, adeo multorum viſceribus defixa eſſe conſpicitur, dum quærunt etiã quod aliorum eſt, in rem propriam vertere; vt ſi quis Eccleſiaſticos fructus in vſus ſactis cõſtitutionibus præſcriptos conferre gaudeat: is tamquam rem mi ram, & inſolitam gerens, ab omnibus celebretur; tametſi ad id iure officii, & ex muneris neceſſitate teneatur.

Quapropter ſi res ſuis ponderibus examinetur, animaduertetur; tantum abeſſe, vt eleemoſynæ ſtudium, primarium inter laudes Epiſcopi poſſit lo-

cum occupare; vt potius tamquã opus cum Epiſcopalibus redditibus indiſſolubiliter cõiunctum, ac vi ſua annexum haberi debeat; ſicuti eſt Epiſcopali officio annexum, horas canonicas celebrare, ſacrificium offerre, populo benedicere, choro intereſſe, cum canonicis de rebus agendis deliberare; & alia huiuſmodi obire, quæ propria ſunt Epiſcopalis adminiſtrationis, & ſine quibus Epiſcopale munus vix poſſet conſiſtere.

Ex quo ſequitur, vt quãuis in Epiſcopo multa integritatis, prudentię, & religionis exempla fulgerent; nec ille populos à vitiis abducere, ad probos, & Chriſtianos mores incitare, & denique concionari, viſitare, & in cæteris munus ſuum præſtare non deſineret. Verùm in hac parte, quæ ad diſtribuendos redditus, ac pauperes ſubleuandos pertinet, lentus nimis, nec fidelis diſpenſator inueniretur; ſed potiùs ad rem familiarem amplificandam, & ſplendidiorem reddendam intẽtus, exiſtimaret ſe Epiſcopali officio ſatisfacere, ſi tantùm partem aliquam tenuiorem pauperibus largiretur, & reliqua ſibi, propinquiſq. ſuis reſeruaret; aut etiam aceruum pecuniarum congerere ſtuderet, ad pium aliquod opus inſtituendum, cuius partus numquam in lucem exiret; is ſanè lõge à ſemita aberraret, atq. hoc vno capite tùm charitatis, tùm iuſtitiæ officiũ peruerteret; hincq. cætera omnia in eo langueſcere oſtenderet, cũ dici ſoleat: *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.*

Ex his igitur, quæ cõmemorauimus, ſatis colligere poſſumus; virtutes illas, quę dignitate, aut amplitudine cęteris præſtare ſolent, in Epiſcopali tamen munere haud tales ſæpe cenſeri; eo quòd in hoc negocio illę præ cæteris æſtimandę videntur, quarum crebrior in regendo populo eſt vſus, maiorque erga ſubditos vtilitas, atque in curandis animabus neceſſitas.

Quod quidem ſatis etiam ex dupliei illa poteſtate liquere poteſt, quæ Epiſcopo attributa eſt, Ordinis videlicet, & Iuriſdictionis. Nam illa, quę Ordinis appellatur, dubium non eſt, pręſtantiorem quidem eſſe ex genere ſuo, maioriſque dignitatis; ſed ſimul diffitebitur nemo, faciliorem etiam eius eſſe adminiſtrationem; propterea quòd terminos præſcriptos habet, in quibus verſari debet, tùm materiam, formam, ritus, certaſque, & ſtatas cæremonias, quas ſine errore ſequi licet.

At verò Iuriſdictionis poteſtas, quãuis in rebus inferioris dignitatis exerceatur, certum tamen eſt, illius vſum multo frequentiorem eſſe; ac ſi ita loqui licet, longè vtiliorem populis, ac magis neceſſarium videri; quando ſacramentales functiones Epiſcopales aliunde interdum, et ab alienis Epiſcopis extra diœceſim hauriri poſſunt; cum Iuriſdictio non, niſi eodem in loco, ac ciuitate, ſeu diœceſi, poſſit adminiſtrari.

Accedit, quòd eadem Iuriſdictionis poteſtas multò ſe difficiliorem, ac periculoſiorem oſtendit, quippe quæ in regendis animis, hominumque moribus tractandis, ac multiplicibus negocijs gerendis verſatur; quibus haud poteſt certa, perpetuaque regula, quæ ad iuſtum, ac debitum finem nos perducat, præfiniri; vnde humanas vires quodam modo excedere, atque à quadam particulari Dei ope, vt nobis feliciter ſuccedat, pendere cenſetur.

Itaque, cum ſuperiores virtutes ſcopum, quem quærimus, non ſatis attingant; & in generalibus potius rerum præceptionibus, atque adiumentis verſari videantur, nec ad ſingula, pro vt opus eſt, deſcendant; ideo exiſtimabũt aliqui, hoc quod potiſſimum eſt Epiſcopalis adminiſtrationis, nõ tàm poſitum eſſe in virtutum habitibus, quàm in externis aliquot actibus, ſiue particularibus quibuſdam officiis, quæ ex virtutibus illis tamquam ex fontibus emanãt; quæque ſi, vt oportet, enucleentur, certiùs intelligi poterit, quæ potiſſimæ actiones ei ſuſcipiendæ ſint, qui paſtoralem curam dignè, rectèque gerere expetet.

Exempli cauſa, cẽſebant aliqui, hoc quod dicitur præcipuum Epiſcopi officium, in Reſidentia eſſe poſitum, & in eo quòd

eo quòd is gregi ſuo aſſidue adſit. Verùm qui rectiùs ratiocinabitur, dicet, hoc quidem tanquam principium omnino neceſſarium huius muneris exercendi eſſe; & tanquam baſim paſtoralis adminiſtrationis, ſine qua in extruẽdo ædificio inutiliter laboraretur, eſſe ponendam. Nam quis dubitat, vt inquit ille, quòd ianitor ad ianuam, villicus ad villam, gubernator nauis ad gubernaculum, præceptor ad ſcholam, & alij ad ſua munera ſedere debeant? alioquin qui non reſidet (cum aliò eum non abducunt præſcriptæ à ſacro Cõcilio cauſæ) oſtendit ſe ſponſum nõ eſſe, ſed peregrinum; non patrem, ſed extraneum; non paſcentem oues, ſed ſeipſum; non ædificantem, ſed ferè deſtruentem.

Veruntamen non hinc ideo ſummã totius rei pendere conſtat: neque hoc vno cætera, quæ plurima, & neceſſaria ſunt, vllo pacto concludi. Quid enim ſi reſidentia hæc præſentiam potius corporis aſſiduam, quàm mentis ſolicitudinem, & charitatis ſtudium declaret? Quid ſi habitãs in Eccleſia ſua Epiſcopus, in eadem, cum concionandi tempus inſtat, obmuteſcat? Quid ſi de ſceleribus profligandis, de virtutibus diſſeminandis, de ſubleuanda inopia, de diſciplina reſtituenda, de blaſphemis, de aleatoribus, de luxu, & de obſcœnitate ableganda, nihil, aut parum laboret? Quid ſi in eius Eccleſia, nec ſeminarium erectum, nec præbẽda theologalis, aut Pœnitentiaria inſtituta, nõ Synodus diœceſana quotãnis habeatur, non Confirmationis Sacramẽtum in locis remotioribus miniſtretur? immo nec diœceſis ipſa, niſi perraro, & non integre viſitetur? & quæ alia præcipuè à Tridẽtino Concilio præcepta fuerunt, lentè admodum in vſum inducantur? Siue cum craſſa admodum in plurimis diœceſibus Parochorum imperitia depræhẽdatur; nulla tamen induſtria adhibeatur, vt lectio Theologalis habeatur, vel vt caſus conſciẽtiæ examinentur, ſiue vt Congregationes aliquot, qua aptiore fieri poteſt ratione, ad eos inſtruendos inſtituantur, ſeu alia huiuſmodi ad illorũ fructum ſubſidia excogitentur? Hic certè nudũ potius nomen, ac ſimulacrum Epiſcopi in otio, & deſidia; quàm veri paſtoris formam, quæ cum zelo, ac ſolicitudine coniuncta eſſe debet, omnibus referet.

ALII hoc Viſitationis officio tribuẽt, cũ legant Dominũ iuſſiſſe paſtoribus, vt diligenter agnoſcant vultũ pecoris ſui, ſuosq. greges conſiderent [a]; quod quidem eſt, morbos, pericula, ac neceſſitates eorum perſpectas habere; id autem fit non in vno loco conſiſtendo, ſed huc illuc circumeundo. Vnde ſcriptum eſt: *Poſui vos, ut eatis, & fructũ afferatis* [b]. Qua ex re certum eſt, innumera beneficia proficiſci. Siquidem per viſitationem, Baſilicæ inſtaurãtur, dierum feſtorum cultus reſtituitur, tenuiorum oppreſſiones arcẽtur, diſſidia componuntur, concubinarij corriguntur, blaſphemiæ, ludi illiciti, periuria profligantur, plurimaq. mala alioquin ignota, pernicioſeq. ſerpentia detegũtur, atque eliminantur: vnde & dici ſolet, quòd oculus domini pinguem facit equum [c].

a. *Prouerb.* c. 27.

b. *S. Ioa.* 15.

c. *Ariſt.* lib. 2. œcon. c. 6.

Et ſi verò magnum, lateq. patẽs hoc eſt beneficium, non tamen præcipuum poteſt affirmari; niſi cum iis adiumentis omnibus ſit coniunctum, quæ rei, quæ inuiſitur, poſtulat neceſſitas: ſicuti non ſatis eſt, medicum accedere ad ægrotos, morboſq. eorum ſcrutari, niſi ſalutares illis afferat medicinas. Præterea, vbi latæ ſunt diœceſes, plurimorumq. oppidorum ſpatia ſunt peragranda, non ſufficit multorum menſiũ, atque annorum interdum circuitus, vt Epiſcopi præſentia omnibus poſſit ſe exhibere, quo tempore neceſſe eſt, ciuitates, ac frequentiora loca Præſulis aſpectu interim deſtitui.

ALII dicent, iam declaraſſe Concilium Tridentinũ, prædicationis munus, Epiſcoporum præcipuum eſſe [d].

d. *Seſſ.* 24. c. 4.

Sed quoniam non hoc ita iis mandatur, vt ſi impediti ſint, non poſſint alios etiã in Eccleſia ſua ſubſtituere; ideo non hoc certam illam perſonalẽ

obligationem exigit, de qua nos agimus. Pręterea, vt hæc ipſa prædicatio fructum, qué debet ſalutarem populo afferat, multa circumſpici poſtulat, quę alibi commodius explicabũtur [e]. Quibus & illud accedit, quòd cum perpauci admodum, præ innumera ciuiũ, ac diœceſanorum multitudine, ad conciones Epiſcoporum ſoleant conuenire; non poteſt cenſeri Epiſcopalis adminiſtratio in hoc potiſſimum verſari, quod nec milleſimam gregis ſui partem complectitur.

e. In par. 3. pag. 33.

ALII in Vicario Epiſcopali accurato, prudente, erudito, integro, laborisq. ſtudioſo collocatum eſſe dicent, ad quem omnium aditus pateat; qui controuerſias, difficultatesq. libenter, ac breuiter componat; & cætera quæ neceſſaria ſunt, ad vſum populi promulgari, atque obſeruari publica auctoritate procuret.

Verùm ſi hoc plena, vt dici ſolet, manu accipiatur, nihil vtique aliud erit, quàm ſarcinam totam paſtoralis oneris in humeros Vicarij transferre, atq; Epiſcopo ſolas Sacramẽtales functiones reſeruare; qua quidem re quid poteſt alienius, aut indignius excogitari? nõ enim opus erat, tot virtutes ab Apoſtolo requiri in Epiſcopo, quas ad Timotheum, & Titum cõmemorat, ſi ſufficeret, Vicarium eas habere.

Quòd ſi eam tantum partem, quæ ad lites, & controuerſias ſæculi pertinet, Vicario deferendam eſſe quis dicat: tantùm abeſt, vt hoc capite præcipuum Epiſcopi munus nitatur; vt imò ſecundum aliquorum explicationem [a] Apoſtolus monuerit [b]; vt ad iudicia cõponenda, illi qui cõtemptibiles eſſent, in eccleſia conſtituerentur, cum populus ad huiuſmodi iudicia potius deſpicienda, quàm ad illa per lites, appellationes, & ſententias perſequenda inſtruendus eſſet. Vnde & Ietro Moyſi genero ſuo hoc conſiliũ dedit [c], vt cauſarum ſęcularium definitiones inferioris ordinis hominibus delegaret: ipſe verò ſublimioribus rebus, quæ ad Deũ pertinerẽt, ac populum ſanctitate perficerent, operam daret.

a. S. Bernar. lib. 1. de cõſiderat. Dion. Carthus. in ep. 1. ad Corint. c. 6. art. 6. Haymon in d. epiſt. c. 6.

b. 1. ad Cor. cap. 6.

c. Exod. 18.

Quæ tamen nos obiter hic attingenda duximus, ex veterum potius temporum conſuetudine, quàm quòd hoc in numero illi hodie, qui hoc Vicarij officio præclarè multis in Eccleſijs funguntur, ſint habendi; quandoquidem eorũ officium ſacris canonibus ſit probatum [d]: & non tantum dirimendis litibus, & controuerſijs iudicialibus ſit neceſſarium; ſed diſciplinæ etiam eccleſiaſticæ in populos inducendæ, delictis coercendis, moribusque reformandis mirificè ſit ſalutare. vnde eorum complures magno Eccleſiæ Dei vſui eſſe ſcimus, atque multos etiam, ob eorum operam in hoc munere bene nauatam, ad eccleſiaſticas dignitates ſumma eorum laude ſæpe vocatos fuiſſe.

d. In Decretal. in tit. de off. Vic.

ALII ſummam negocij in beneficijs, officijsque, pro cuiuſque meritis rectè diſtribuendis poſitam eſſe putabunt: cum hinc populus ſummoperè ædificetur, vbi nec cõſanguinitas, nec familiaritas, nec cõmendatio, nec priuata cuiuſquam erga quemquam affectio, ſibi locum præripit. Quod ſanè negari nõ poteſt, quin magna dignum ſit laude, multis præſertim in locis, quibus diſtributiua, quam vocant, iuſtitia, nimium affectui amoris, odij, ac cupiditatis ſuccũbit: ſed tamen, quid hinc cum vitijs abolendis, libidine exterminanda, diſciplina reſtituenda, inopia iuuanda, cæterisq. rebus neceſſarijs in populum inuehendis, commune erit?

ALII oportere dicent Epiſcopum facilem ad ſe aditum, omnibus horis cuicunque præbere, officioſis verbis cunctos excipere, nec permittere, quéquã à conſpectu ſuo triſtem diſcedere.

Quod quidem licet commẽdemus, dum ſalua veritate, & officio, ac æquitatis lege præſtari poſſit; tamen ſi id vulgari multorum ſenſu accipiatur, qui verba officioſa profundenda putant, ne quiſquam ab illis triſtis diſcedat, aut inuolucra permiſcenda, ne res expreſsè negari videatur; ſed pe-

tentis

rentis animus interim demulceatur (exemplo Cottæ, qui vt ſcribit Cicero [e], cum eſſet egregius ambitionis artifex, cuicũque petenti operam ſuam, eam liberaliter pollicebatur, quòd multa euenire ſoleant, ne quis ea vtatur). Nos certè huiuſmodi morẽ Epiſcopo non ſatis dignum putamus: & quemadmodum in illo affabilitatem, manſuetudinem, atque omnem in loquendo ſuauitatem commendamus; ſic nunquam veritati fucum fieri, aut quẽqnam eius verbis illudi debere admonemus: videntes Epiſcoporum Dominum, vbi res poſtulauit, apertè diſcipulis reſpondiſſe: *Neſcitis quid petatis*.

e. Cicer. de petit. Conſul.

ALII præcipuum Epiſcopi munus in eo verſari contendunt, vt ſodalitia, hoſpitalia, captiuorum vincula, ægrotantium domicilia, pauperum contubernia, omniumque ordinum domicilia luſtret, omnibus ſubueniat: denique auſteritate, abſtinentia, ieiunijs, vigilijs, commodorumque deſpicientia, atque aſſiduis corporis laboribus, ſui ipſius exemplum vniuerſis præbeat.

Hoc autem, ſi rectè res tota perpendatur, nihil ferè aliud eſt, quàm angelicum hominem è cælo delapſum proponere; nec interim dubitationi initio propoſitæ omnino ſatisfacere, ſed ſuperioribus adhuc difficultatibus inuolui.

QVARE in hac ſententiarum varietate, cum certum, & determinatum nihil præſcribi poſſe videatur: nolumus prætermittere, videri prima facie, totam hanc molem ad tria potiſſimum capita redigi poſſe, quibus vniuerſa Epiſcopalis adminiſtratio contineatur.

Siquidem hominum actiones, quædam Deum ipſum, quædam proximum, quædam nos ipſos reſpiciunt: & propterea magnum hinc poſſe videtur adiumentum ab Epiſcopo percipi, ſi ſingulas actiones ad tria hæc capita, ac veluti fines, dirigere nouerit.

Nam ad Deum pertinent, oratio, pia meditatio, chori frequentatio, miſſarum celebratio, ſacramentorum adminiſtratio, piorum librorum lectio, eccleſiarum cultus, atque alia deuotionis opera.

Ad proximum, verbi diuini prædicatio, librorum ſpiritualium conſcriptio, & promulgatio, eleemoſynarum largitio, hoſpitalitas, viſitatio, cleri diſciplina, monialium gubernatio, confeſſorum, & prædicatorum probatorum diſtributio: tùm omnes auſcultare, & iuuare, lites & iurgia componere, familiam benè gubernare; & quod in primis refert, bonos honoribus, eccleſiaſticiſque prouentibus, & præmijs augere: malos ſupplicio per Vicarios ſuos coercere, ac iuſtitiam omnibus æque adminiſtrare.

Ad ſeipſum ſpectat, vitæ exemplum bonis operibus præbere, charitate, patientia, fortitudine, labore, aſſiduitate? ſeipſum formam gregis alijs proponere, per ieiunia, vigilias, modeſtiam, affabilitatem, ac contemptum commodorum; denique ſeipſum omnibus omnia facere, vt omnes lucrifaciat.

Verùm, hac enumeratione plurimarum ſimul virtutum, in priores relabimur difficultates; quando nos, ea præ cæteris inueſtigamus, & quærimus, quæ præ aliis, Epiſcopo vſui futura ſint. Quod quidem nec paucis includi, nec præfiniri poteſt, ſi id reſpiciamus, quod ad populi vtilitatem quocunque loco, aut tempore poſſit eſſe accommodatum.

Nam exempli cauſa; in vrbe, ac diœceſi, quæ inops ſit, & bellis, vel peſtilentia afflicta, vtilior eſt liberalitas, ac benignitas, quàm in ædibus ſacris aſſiduè verſari, aut quàm corpus affligare. Vbi hæreſes gliſcunt, populique improuidi ſunt, ac leues, crebræ conciones habendæ ſunt ab Epiſcopo. Vbi factionibus, ſeditionibus, diſcordiis laboratur; pacificam perſonam illum ſuſcipere oportet, ac in rixis, contentionibuſque ſedandis occupari. Sicubi autem luxus, turpiſque voluptas, & laſciuia, honeſtatem, & caſtitatem euertunt, aliis remediis incumbendum eſt. Sic pro cætera diſciplinæ, ac morum labe, quæ vel hic, vel illic inoleuerit, operæ, diligentiæ

gentiæque ſuæ conſilia Epiſcopus poterit explicare.

Quapropter quærendū aliud eſt, quod aptiùs difficultates ſedare queat; ac in quo verè, & propriè Epiſcopale officiū inſpecta ſolùm illius natura, non alia quauis aut loci, aut temporis, ſiue emergentis neceſſitatis ratione, frequentiùs verſari debeat, vt id paulò clariùs, & concludentiùs vniuerſis aperiatur.

Quodnam ſit illud virtutis, aut officij ſtudium, in quo debeat Epiſcopus præcipue elaborare. Cap. XVII.

POST varias, ac multiplices de Epiſcopalis officij virtutibus ſētentias, cum nihil vſque adeò certum, ac probatum inde colligatur, quod difficultates ſedare, caputque ipſum Epiſcopalis virtutis attingere videatur; ſupereſt nunc, vt pro tenui facultate noſtra, quid illud ſit ſummum, quod cæteris præeſt, & in quo præcipue Epiſcopi induſtria, vt eò perueniat, elaborare debeat, explicemus. Qua in re non aliam nobis reſponſionem afferendam eſſe exiſtimamus, quàm eam, quæ ex ipſius Epiſcopi nomine facile deprehendi poteſt.

Nam quamuis hodie ſecundum eccleſiaſticum vſum, nomen hoc videatur factum eſſe dignitatis; tamen ſiue veterem huius vocabuli ſenſum apud auctores Ethnicos intueamur, ſiue eum etiam, qui in ſacris literis reperitur; animaduertemus, hoc nomine, munus quoddam vbique ſignificatum fuiſſe, quod in inſpiciendo, ſeu ſpeculando, vel obſeruando, atque inuigilando verſatur.

Vnde Plutarchus innuens, dijs opera omnia ſiue bona, ſiue mala cognita eſſe, inquit: θεοὶ ξένων ἐπίσκοποι, καὶ πονηρῶν ἔργων. Et Sophocles narrans, quoſdam conſtitutos fuiſſe inſpectores, ne quis defunctum inhumaret, eos vocat τοῦ νεκροῦ ἐπισκόπους. Quo nomine quidam etiam erant Magiſtratus in Attica, Epiſcopi appellati, qui mittebantur ad iuſdicendum in oppida, quæ ſub imperio, ac ditione Athenienſium erant [a]. Et alij apud Indos, qui renunciarent Regi, quid in vnaqueque regione fieret [b]. Qui etiam apud Perſas dicebantur, Βασιλέως ὀφθαλμοὶ, quaſi oculi Regis. Sic apud Græcos, qui rebus aliquibus moderandis, & iudicandis adhibebantur, Epiſcopi dicebātur [c]: Vnde illud Leonidæ epigramma.

τᾶς αἰγῶν ὁ νομεὺς Μόσχος τὸν ἐπίσκοπον ἔρ-
ξαν αἰπολίων δὸς δόκιμον φύλακα (μῶν

Sic etiam populorum præſides, qui & ἁρμοσταὶ; & ſacrarū virginum cuſtodes hoc eodem nomine ſoliti ſunt appellari.

Apud Romanos quoque varia hoc nomine huiuſmodi officia ſignificata fuiſſe, ſupra attigimus [d]. Et erant Epiſcopi rei pecuariæ, & totius rei familiaris [e]. Et Cicero appellat Phaſelum Epiſcopium, ideſt nauem exploratoriam [f]; quæ Cæſar, & Liuius ſpeculatoria nauigia vocant [g].

Sic igitur & Chriſtiana religio, cum præſtantiſſimum quoddam officium, quod ſummam vigilantiam, perennemque ſolicitudinem requirit, ſignificare vellet, hoc Epiſcopi nomen ei indidit; eum indicans, cui gubernatio populi, curaque animarum cuiuſpiam ciuitatis, ac diœceſis commiſſa eſt.

Quæ vox etiam paſcendi verbo, ſeu viſitandi, vel prouidendi, aut curam, ac ſolicitudinem omnem gerendi, ſolet cōmunis eſſe. Hinc S. Petrus in Epiſtola ſua dicebat [h]: ποιμάνατε ἐπισκοποῦντες, ideſt, ſi ita loqui licet: *Paſcite Epiſcopantes*; & communis verſio ait: *Paſcite prouidentes*. Et rurſus in alia epiſtola ait [i]: Δοξάσωσι τὸν θεὸν ἐν ἡμέρᾳ ἐπισκοπῆς, ideſt, *Glorificent Deum in die viſitationis*. Et S. Paulus in epiſtola ad Hebræos ait [k]: ἐπισκοποῦντες μή τις ὑστερῶν ἀπὸ τῆς χάριτος τοῦ θεοῦ: latine, *Inuigilantes, ſiue curam agentes, ne quis deſit gratia Dei*.

Ex quibus perſpicere licet, potiſſimum Epiſcopi ſtudium, officium, induſtriamque verſari debere in eximia quadam, perpetuaque vigilantia, & cuſto-

dia

a. Schol. Ariſtoph. in auibus.
b. Arria. lib. 8. Hiſtor. Plut. in Camillo, in Pericle, in Numa.
c. Cal. Rhodig. lib. 18. c. 3.
d. ſup. in c. 1.
e. Plutarch.
f. Cic. ad Atticū lib. 14. epiſt. 11.
g. Cæſar. li. 4 bel. gal. Liuius lib. 20. bel. pun.
h. S. Petri 1. epiſt. 1. c. 5.
i. 1. S. Petri cap. 2.
k. ad Hebr. cap. 12.

dia gregis Dominici: quem paſtor, tanquam ex edita ſpecula circumſpiciat, obſeruet; & tanquam ante oculos præſentem vbique habeat, vt ei ſalutariter proſpiciat.

Quod quidem ex varijs etiam ſacrarum literarum locis clare dignoſcimus, in quibus hæc vigilantia, & ſolicitudo ab Epiſcopis præcipuè requiritur. Nam

a. Act. 20.

in actibus Apoſtolorum dicitur[a]: *Attẽdite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Et paulo poſt: *Propter quod vigilate &c.* Et Apoſtolus[b]: *Tu vero vigila, in omnibus labora, miniſterium tuum imple.* Et ad Romanos[c], poſtquam officia ſingulis eccleſiæ gradibus conuenientia enumerauit, Epiſcopo tribuit præ omnibus nominatim ſolicitudinẽ, dicens: *Qui præeſt in ſolicitudine.* Et ad Philippenſes ait[d], quòd Timotheus ſincera affectione ſolicitus erat pro illis. Et ad Hebræos[e]: *Obedite præpoſitis veſtris, ipſi enim peruigilant pro animabus veſtris.* Et Iudas in epiſtola[f], omnem ſolicitudinem habere ſe dicit ſcribendi fidelibus, de communi eorum ſalute: præter locum illum inſignem Salomonis[g]: *Fili mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo, illaqueatus es verbis oris tui: fac ergo quod dico: diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum, ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ: eruere quaſi damula de manu, & quaſi auis de manu aucupis.* Et quod Iacob dicebat[h]: *Die noctuque æſtu vrgebar, & gelu; fugiebatque ſomnus ab oculis meis.* Et apud Hieremiam legitur[i]: *Quid tu vides Hieremia? virgam uigilantem ego uideo.* Et apud Ezechielem deſcribuntur animalia illa, quæ totum corpus plenum oculis habcbant; indicantia attentionem, & circumſpectionen, naximè neceſſariam[k].

b. 2. Tim. 4.
c. ad Rom. 12
d. ad Phil. 2
e. ad Heb. 13
f. Iud. Epiſt. Cathol.
g. Prou. 6.
h. Geneſ. 31.
i. Hier. c. 1.
k. Hier. c. 1.

Hincque & apud Acgyptios in vertice ſceptri oculus pingebatur, quo Principis vigilantiam, & poteſtatem ſignificarent; & in ædium ſacrarum veſtibulis, Leones effingi ſolebant, qui ſacerdotum oſtenderẽt vigtlantiamr[l]: & notũ eſt, quod de gruibus nocturno tẽpore excubias habentibus, ab auctoribus ad Magiſtratus, & ad Principes relatum eſt.

l. Pier. Valer. de not. hierogly. lib. 31 ver. moderator. & lib. 1. verb. Leo.

Quibus auctoritatibus, placet locum diſertiſſimi auctoris attexere; qui oſtendens, quàm neceſſaria ſit in omnibus vitæ muneribus diligentia, ſolertia, ac ſolicitudo; locum nobis euidentiſſimè argumentandi relinquit, eò maiorem, atque arctiorem animi curam, in hoc Epiſcopali munere poſtulari. Dicit enim[m]: *Nunquam bonus colonus erit, qui non fuerit gnauus & induſtrius, & ruſticarum rerum ſtudio uehementer incenſus: ſic etiam qui pecuariam faciunt, niſi fuerint in ea diligentes, & attenti, minimum certè fructum ex ea curatione percipient: opifices item, qui non de multa nocte uigilauerint, neque tota mente operi, cuius artificium tenent, incubuerint; quid poſſunt efficere, quod ſit in eo genere, aliquo precio, & æſtimatione dignum? Quid mercator ignauus? an magnum aliquod lucrum facere aliquando poterit? Quid miles, ſi ſegnis extiterit? quam laudem fortis, & ſtrenui uiri conſequetur? Iam uerò tota laus Imperatoris in mira celeritate, & uigilantia poſita eſt. Niſi enim uigilauerit, & laborauerit, & aciem mentis in omnes caſus intenderit, nunquam ſibi magnum decus, & gloriam comparabit. Quid dicam de ſtudijs artium maximarum, in quibus nemo umquã progreſſus eſt, ſine ſingulari ſtudio, diligentia, & alacritate? In diligentia igitur, omnium artiũ, diſciplinarũ, & officiorum laus, & (vt ita dicam) uita conſiſtit. Si enim diligentiam remoueris, iacebunt omnia: & quaſi conſopita, in tenebris, & caligine deliteſcent. Eſt enim otium, inertia, & lentitudo, tacitum quoddam uenenum, quo paulatim omnes uirtutes infectæ languent, & laudes intereunt, & artes omnes præclaræ in obliuionem adducuntur.*

m. Hier. Oſorius lib. de inſtit. Regis.

Si ergo nihil in rebus omnibus, quod in genere ſuo præclarum ſit, ſine induſtria, & perenni ſtudio cõparatur; quid de hoc ipſo munere dicemus, quod hĩc potiſſimum nomen ſuum, ac vocabulum ſortitum eſt? Nam, vt ait S. Hieronymus, loquens de clerico[n]: *Clericus qui ſeruit Eccleſiæ, interpretetur primo uocabulum ſuum; & nominis definitione prolata,*

n. Epiſt. 2. ad Nepotianũ.

nitatur

Digitized by Google

nitatur eſſe, quod dicitur. Sic Epiſcopus vt reſpondeat nomini quod gerit, totus in eo eſſe debet, vt vigilet, vt paſcat, vt exploret, ac quod vulgo dicitur, ſuperintendat gregi Chriſti. Vnde apud Ezechielem ſcriptum eſt [a]: *Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael*. Nam ſicuti qui vrbem ab hoſtibus tueri volunt, muros ſublimes, aut turres conſcendunt, vnde infeſtos prædonum incurſus ſpeculantur; & ſicuti natura, corporibus animantium oculos ſtatuit in capite, qui membra dirigerent, quaſi ab oculis, aliorum incolumitas pendeat membrorum [b]. Sic in eccleſia Epiſcopus eſt inſtar oculorum, qui excelſo loco poſitus plura proſpicit, quàm cætera multitudo: hincque aliorum ipſe actiones ſalubriter mouere debet.

a. 3. Ezech.

b. Galen. li. 8 de vſu par. cap. 5.

Sed quid plura? cum ipſe Saluator noſter in hunc mundum veniens, paſtoris ſibi nomen præcipuè vindicauerit [c]; vt hanc multiplicem prouidentiam, ac vigilantiæ curam oſtenderet; cum veri paſtoris ſit, vndique proſpicere; die, noctuque cauere; nec tàm ſuæ ſalutis, quàm ouium rationem habere; & ſuo periculo ac labore, illarum tutelæ, & quieti proſpicere [d]. Ideoque admitti non ſolet paſtoris excuſatio, ſi lupus oues comedat, & ille dicat ſe ignoraſſe.

c. S. Io. c. 10.

d. Greg. in Conc. tom 2 poſt Paſcha conc. 1.

Quòd ſi alicui videretur, tam accurata vigilantia neceſſaria tantùm eſſe, in quibuſdam clariſſimis, ac celeberrimis Eccleſijs, quæ vel hæreticis, vel infidelibus finitimæ ſunt: & ad quas aduenæ plurimi confluunt, & mercatores; ſeu vbi variarum gentium ſunt commercia, & Eccleſiæ poteſtas tum ſpiritualis, tum ſecularis, ac cætera, quæ perplexam adminiſtrationẽ, difficilem, ac turbulentam reddunt, propter multiplices controuerſias, fraudes, periuria, flagitia, calamitates, & ærumnas, aliosque caſus, qui velut vndarum fluctus, ſibi mutuo ſuccedunt, ac tanquam in perpetuo maris æſtu, alij ex aliis identidem oriuntur; adeo vt incommodis ſemper occurrendum ſit; quod in alijs Eccleſiis non contingit, quæ harum vexationum expertes, & immunes ſunt.

Reſpondetur, duobus modis hanc vigilantiam conſiderari poſſe, ſicuti duplex quodammodo veri paſtoris officium.

Alterum enim eſt, gregem à latronibus, à lupis, à ſerpentibus, atque immanibus belluis incolumem tueri, ne ab illis diripiatur, aut deuorentur [e]; ſicuti illis contingit, qui in Africa, in Ponto, in iugis alpium, aliiſque huiuſmodi regionibus verſantur; & hac ſane ſolicitudine, ac moleſtia, alij non æquè vexari ſolent, qui in locis cultioribus, atque amœnioribus paſcendi operam ſuam exercent.

e. S. Chryſoſt. hom. 57. in Geneſ.

Alterum eſt, vt curent gregem paſcuis ſalutaribus enutriri; vt ipſe lætus, ac pinguis reddatur; fœtus plurimos edat; lana ex eo mollis, ac munda tondeatur; & quanta maxima ex eo vtilitas, ac fructus tempore ſuo percipiatur; quod quidem paſtoribus omnibus, quacunque in regione habitent, commune eſſe cenſetur.

Sic negari non poteſt, multas eſſe, in ſigniorelque eccleſias, in quibus exterior illa à latronibus, & lupis defenſio, multò magis eſt neceſſaria; cum ex difficultatibus magnis, ac periculis, ex variarum nationum negociationibus implicentur; & ideo cum illis maiora impendeant diſcrimina, ob populi multitudinem, diffidia, tumultus, & noua quæ quotidie pullulant, multiplicium curarum germina; maiorem etiam ſolertiam, paſtoriſque prouidentiam requirunt.

Verumtamen non ideo Epiſcopus, cui minor eccleſia, & tranquillior, atq; à negociorum turbulẽtia remotior delata eſt, ab altera illa ſolicitudine interiore ſolutus eſt, quæ illi perpetuò incumbit; vt ſcilicet populum ſuum bonis operibus pinguem, ſanctiſque actionibus florentem, ac gratum Deo reddat: ad quod exequendum magna ſtudij contentio, indefeſſaque cura requiritur, quæ omnibus Epiſcopis, omnibuſque eccleſijs, quantumuis exiguæ

guæ ſunt, non poteſt non eſſe communis.

Nemo enim eſt Præſul, qui non varia hominum genera, varioſque ordines regendos ſuſceperit, vt notiſſimum eſt, viros, fœminas, clericos, laicos, iuuenes, ſenes, pauperes, diuites, ægros, incolumes, opifices, nobiles, ruſticos, ciues, doctos, indoctos, & denique omnium ſtudiorum, ordinumque varietatem. vnde ſatis hinc conſtare poteſt, quanta ſit illi circumſpectio neceſſaria, quanta vigilantia, ac perpetua ſolicitudo adhibenda; cum illius ſit, vt ait S. Dionyſius [a]: *purgare, illuminare, & perficere populum.*

a. S. Dion. de eccl Hier. c. 1. & ſequ.

Quare nihil eſt, quòd Præſul fretus aut populi ſui bonitate, manſuetudine, ac mutua inter ſe beneuolentia, ſeu veteribus, ac probatis eccleſiæ ſuæ inſtitutis, exiſtimet diligentiam ſuam facilè poſſe remitti: aut etiam videns clerum ſibi ad nutum obediẽtem, ciues edicta cuſtodientes, vniuerſum populum obſequentem: ille ideo, quaſi in tuto ſint omnia, ſibi non amplius, valdè laborandum exiſtimet; & propterea meliorem temporis partem in rebus ad eccleſiam non pertinentibus occupet: aut etiam ad maiorem grauitatem, ſe à conſpectu populi ſui crebriùs ſubducere debere ſibi perſuadeat; plurimùm enim hac cogitatione, & vſu ipſo fallερetur.

Quemadmodũ enim horologia quædam ſemel moderata, cum videantur curſum per ſe abſque magno opificis labore tenere; parua tamen aliqua reſticula, orbiculoùe emoto, vel ob tempeſtatis mutationes, vel ob ventos, ac imbres, ſtatim intemperie laborant, nec horas tempore ſtato deſignant; idque non aliis impedimentis, ſed opifici potiſſimum, aut moderatori, vitio datur. Sic cum vſque adeò peruerſa ſit hominum natura, vt ægrè eam poſsis vllo diſciplinæ genere moderari; non oportet Præſulem in tam lubrica, periculiq; plena re, ſibi ſecuritatem polliceri, & à vigilantia deſiſtere.

b. In lib. 3. aduerſ. Pelag. ſub princip.

Nam, vt ait S. Hieron. [b]: *Quomodo qui aduerſo flumine lembum trahit, ſi remiſerit manus, ſtatim retrolabitur, & fluentibus aquis, quo non vult, ducitur; ſic humana conditio, ſi paululum ſe remiſerit, diſcit fragilitatem ſuam.* Et aqua ſubducta ab igne, illico refrigeratur, quòd huiuſmodi eius natura ſit; & terra ſi à cultu aliquantiſper deſeratur, inutiles herbas, & noxias, ac ſentes, & ſpinas gignit. Sic cum hominum natura in malum ſit prona, non deſunt vbique locorum quæ conuellenda ſint vitia; & prauitas, ac corruptela gliſcens, quæ ſit comprimenda: immo omnibus in rebus noua ſemper ſunt auxilia tum ſpiritualia, tum temporalia molienda; ita vt dubitandum non ſit, quin materia vbique affluat, & abundet, in qua Præſulis ſtudium, diligentia, induſtriaque conſumatur.

Qua de re, ferenda nullo pacto Præſulum illorum excuſatio videtur, qui rerum ſpecie decepti, quandoque affirmant, in eccleſiis ſuis adeò quieta omnia, ac pacata inueniri, vt ſibi nihil ſupereſſe videatur, in quo laborandum, aut tempus vtiliter occupandum, aut operam ſuam cum fructu ponendam putent; ideoque tanquam otioſis, & qui nobile ingenium ſuum ſplẽdidiùs exercere cuperent, ſibi meritò indulgendum, ſi alias ſedes quærere, alioùe induſtriam ſuam transferre exoptent.

Iſtis vtique, qui hoc interdum morbo laborarent, ſupernum lumen maximè eſt implorandum, vt officii ſui vim, & pondus agnoſcant: nec illi ſatisfieri vllatenus ſibi perſuadeant, eo tantùm nomine, quòd boni ipſi ſint, & ſceleris omnis expertes: ſed præterea oportere, vt alios quoque ſibi ſubditos, Dei gratia ſuffragante, bonos faciant.

Ideoque cum Saluator noſter dixiſſet Apoſtolis [c]: *Non nos elegiſtis me, ſed ego elegi nos*; adnotauit S. Cyrillus, hoc ad paſtores referri, qui debent alios quærere; nec expectare, vt illi ad eos domum accedant, cum ab eodem Saluatore dictum fuerit: *Poſui nos, ut eatis, & fructum afferatis.*

c. S. Ioa. c. 15. Cyrill. lib. 10. c. 21. in ſanct. Ioan.

Sicuti enim pædagogo non ſufficit videre diſcipulos frequẽtantes gymnaſium:

ſium: ſed vt ait S. Chryſoſt. ſcrutatur prouentum, rationem exigit ab eis, & diſciplinam eorum examinat, vt amplius proficiant. Sic multò magis ſolicitus eſſe debet Prælatus, quomodo diuinus cultus à clericis obeatur; fructus eccleſiaſtici in quos vſus diſtribuantur; quæ piarum cauſarum ratio habeatur; quæ pauperum cura; quæ vltimarum voluntatum executio; quam diligentiam patres familiàs in filijs rectè inſtituendis, & quam cautionem in matrimonij fide non violanda adhibeant; quis dierum feſtorum cultus ſit in populo; quomodo ſanctæ Eccleſiæ præcepta ab ancillis, plebeis, ruſticiſque obſeruentur: item cætera ad ſalutem neceſſaria, quemadmodum vniuerſis tradantur, atque in ijs exerceantur.

Vnde & in vita Caroli Borrhomæi Cardinalis tituli Sanctæ Praxedis, qui verum fuit exemplar noſtri temporis Epiſcoporum, legitur[a]; cum Epiſcopus quidam ad eum ſcribens ſignificaſſet, ſibi parum eſſe negocij, eum vocem illam vt Epiſcopo prorſus indignam, & turpem, grauibus ad eum literis datis, acriter, latèque reprehendiſſe.

a. In vita Cardin. S. Praxedis. à General. cleri. S. Pauli de collati conſcripta lib. 1. c. 5.

Quod quidem inde accidiſſe potuit, quia cum negocia, quæ Epiſcopo incumbunt, duplicis ſint generis: alia ad inſtantiam, vt dicitur partis, & alia quæ exurgunt ex officio: priora veteri more vt plurimum, Vicario committi ſolent, nec laborem ferè vllum tribuunt Epiſcopo: poſteriora verò cum voluntaria potius videantur, à multis negliguntur, quia nemo eſt, qui ea vrgeat, cum tamẽ in paſtorali cura, præcipua hæc ferè ſint. Ex quo ſequitur diſcrimen vitæ Epiſcopalis; nam ij qui negligunt ea quæ ipſi vocant ex officio, in otio fere langueſcunt: alij verò qui hæc amplectuntur, pro vt muneris ſui eſt, cum ſint & plurima, & frequentiſſima, obruti quotidie negocijs deprehenduntur, & vix reſpirandi ſpatium habent; proptereaque ſcripſit S. Auguſtinus[b], Epiſcopali munere nihil iucundius, & optabilius eſſe, ſi perfunctorie res agatur; nihil verò laborioſius, aut periculoſius, ſi ſedulo, & fideliter exerceatur.

b. S. Augu. in ep. 147. ad Valer. & ante cãu 49. diſt.

Hinc igitur legimus, Epiſcopos multos omni ferè ætate extitiſſe, qui non agnoſcentes debitam paſtoralis curæ exercendæ rationem, permanebant in eccleſia ſua tamquam in tranquilla ſtatione, omnibus prorſus animi curis ſoluti; externa quidem ſpecie nullam populo offenſionem dantes, quoniam pacifice viuebant, frequentabant eccleſiam, celebrabant miſſæ ſacrificium, aliquas erogabant eleemoſynas, auſcultabant grauiora, ſi qua ad eos deferebantur iurgia, & pontificalia munia obibant; Cæterum reliquam omnem ſolicitudinem in Vicarium ſuum transferebant, nihil omnino laborantes, quid mulieriũ luxus; quid impudicitia; quid auaritia; quid ingluuies; quid mentiẽdi ſeges ſecum ferret; quid plurima, quæ populorum mores corrumpunt. Verum ijdem ſuam induſtriam, aut in fructa quiete, aut libris inutilibus legendis, aut voluminibus conſcribendis, quæ nihil cum Epiſcopo habent commune, (nam librorum qui ad rem pertinent compoſitio, eſt quædam prædicatio), aut auro congerendo, aut viridarijs conſerendis, aut ædificiis ſtruẽdis, aut Principum gratiis fouendis, eorumque internuntiis excipiendis, aut aliis ſuperuacaneis rebus deſigebant: vera, ac fideli animarum cura omni ferè ex parte aut derelicta, aut ſaltẽ intermiſta. Quibus verendum eſt, ne illud obuenerit, quod S. Chryſoſtomus ſcripſit, dum ait[c]: *Non arbitror inter Epiſcopos multos eſſe, qui ſalui fiant*; & paulo poſt: *ſed multo plures, qui pereant: non tàm proprÿs peccatis, quàm alienis, qua non curauerunt.*

c. S. Chryſ. hom. 3. in act. Apoſt.

Quanto prudentius ab eo factum fuit Antiſtite, quem & nos nouimus magnæ ſanè prudentiæ, probitatis, atque excelſi animi; qui eccleſiam nactus populi frequentia, nobilitate, diuitiis, ingeniorum acumine, ac negociorum varietate affluentem: ſtatim intellexit, quò amplior, quò ſplendidior, atque inſignior ſibi ſedes obtigiſſet, eò minus ſibi ſeden-

ſedendi, ac quieſcendi locum dari, ſed eo maiora, & grauiora vndique functioni ſuæ imendi certamina. Idcircoque tanquam ſibi in ſublime eſſet cacumen elatus, vnde ingentes aduerſus ſe ventorum turbines hinc, & illinc irruere proſpiceret: Sic multiplices procellas à Canonicis, à Regularibus, à ſanctimonialibus, à conſanguineis, à familiaribus, à diuitibus, à pauperibus, ac tandem à Doctoribus, à nobilibus, atque aliis inſignibus viris, ad quos turmatim populus aduerſus Epiſcopum, illiuſque decreta conflueret, imminere agnoſcebat. Quæ omnia eò etiam vehementiora quotidie ſibi deprehenſa fuiſſe, ille, quem dupliciter collegam habebamus, in familiaribus inter nos colloquijs, ſæpè affirmauit: ſubdens, ex quo die mitram induit paſtoralem, numquã ſe amplius tranquillitatem vllam deguſtaſſe; quamuis diuina eum nunquam deſeruerit clementia, quæ eum nullius gratia, blanditiis, aut importunitate vmquam præcipitari, aut ab officio labi permiſiſſet.

Qui igitur hæc non cognoſcit, non ſanè ille intelligit, ſibi non corruptibilibus auro, vel argento, ſed precioſó ſanguine Chriſti Domini animas redemptas, creditas fuiſſe [a]. Non agnoſcit muneris ſibi commiſſi honorificentiam, & dignitatem, qui prouinciam eamdem ſuſcepit, quam Saluator ipſe de cœlo deſcendens, adminiſtrare voluit, dicens: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos* [b]. Non legit Apoſtolos, adeò ſolicitos fuiſſe ſalutis aliorum, vt circumierint villas, oppida, & deſerta locorũ, quò pluribus proficerent. Non memor eſt parabolæ illius paſtoris, qui vna oue perdita, longè profectus eſt, vt eam tantùm recuperaret. Non videt denique ſibi rationem arctiſſimam tam præclari, inſigniſque huius muneris in die nouiſſimo, non ſolum eorum, quæ commiſit, ſed etiam quæ omiſit, reddendam eſſe: & quæcunque alia quæ ſint extra officium, quod ſuſtinet, tanquam aliena & nihil ad ſe pertinentia, poſſe prætermitti, & debere quodãmodo contemni.

a. Epiſt. 1. Petri 1. c. 1.

b. S. Io. c. 20.

Quapropter ſi Epiſcopus hæc omnia conſideraret, & præterea populi ſui mores attente intueretur, & quàm modica inter eos veritas, honeſtas, patientia, probitas, innocentia, ſanctitas, ac manſuetudo viget; viciſſim verò, quàm latè arrogantia, libido, mendacium, inuidia, fraus, auaritia, atque iniquitas dominetur; eo ipſo culpam ſuam, atque ignauiam agnoſceret: cum, vt dicitur in Prouerbijs [c]: *Vbi plurimæ ſegetes, ibi manifeſta eſt fortitudo bouis.* Et alibi [d]: *Per agrum hominis pigri tranſiui, & per vineam uiri ſtulti: & ecce totum repleuerant urticæ, & operuerant ſuperficiem eius ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa erat.*

c. Prou. c. 14

d. Prou. c. 24

Quamobrem nemo exiſtimet vigilãtiam hanc, quam, vt potiſſimam Epiſcopalis officij partem requirimus, in meditando potius, quàm in agendo poſitam; cum immo ſi attente conſideretur, negocioſiſſima ſit, quippe quæ omnia quæcunque commentatur, & intelligit, ad ſe ipſam refert, & totam virtutum familiam ad opus, & laborem ſuo tempore incitat: nec quieſcit vnquam, donec omnium officia excitet, eaſdemque fructuosè occupatas detineat.

Vnde id ad prudentiam dicitur pertinere, cuius actus principalis eſt præcipere, & à ratione ſpeculatiua ad practicam deſcendere [e]; non ſecus ac qui in naui præ oculis habet maritimam pixidem, ſeu cynoſuram: qui cum ſedere, ac conquieſcere videatur: eius tamen prudenti imperio cæteri omnes obtemperant, & ſumma contentione virium, in hoc incumbunt, vt nauis ipſa feliciter ad portum perducatur.

e. S. Th. 2. 2. q. 47. art. 8 & 9.

Huiuſmodi ergo eſſe debet Epiſcopalis vigilantia, quæ aſsiduò exploret, conſideret, ac obſeruet quæcumque tùm pericula impendentia, tùm præſidia, & adiumenta communis commodi, & quicquid denique neceſſarium eſt: neque vnquam è manibus deponat lucidum hoc ſpeculũ, quod perſpicuam omnis rerum ſtatus imaginem ei referat; non tamen in hac rerum contemplatione conquieſcat, ſed ad agen-

dum ſeipſam excitet, atque vrgeat: alios item ſuſcitet, extimulet, & quid agendum ſit præcipiat, ac in viam dirigat: vt pro rebus, & occaſionibus oblatis, ſuam quiſque operam, ac diligentiam in commune conferat.

Huc enim pertinet parabola illa Euangelica de zizania, quam inimicus ſuperſeminauit, dum dormirent homines. Quod ad paſtores non vigilantes ſuper gregem ſuum, nec eum, vt oportet, cuſtodientes, maximè referri traditum eſt [a].

a. Gran. tom. 4. oct. Epiph. concione I.

Hoc & myſtica illa Ezechielis animantia oculis vndique plena ſignificant [b], quæ vigilantiam ſummam omnibus in rebus, omni loco, & tempore neceſſariam deſignant [c]. Hoc Apoſtolus de ſemetipſo clarè confirmat, dum ait, ſibi incumbere ſolicitudinem omnium eccleſiarum [d].

b. Ezech. c. 1.
c. 1. Greg. in Ezech. ho. 7
d. 2. ad Cor. c. 11.

Hoc, & S. Auguſtinus in libro de moribus Eccleſiæ [e], & in libro de paſtoribus efficaciter monet, dum excubias acres, atque diligentiſſimam vigilantiam neceſſariam eſſe docet: ſine qua gregis ſalus à laqueis, inſidijs, fraudibus, ac periculis tuta eſse minime poteſt. Hanc ſolicitudinem ſancti patres, antiqua concilia, ſummorumq; Pontificum conſtitutiones, literarum monimētis, ne ſingula referamus, teſtatam nobis ſæpiſſime, & euidentiſſime reliquerunt [f]. Hoc denique, & ſacri Theologi pluribus argumentis declararunt: recenſentes non ſolum virtutes illas, prudentiæ, quę eſt Epiſcopali muneri adeo neceſsaria, adiunctas quoquomodo, veluti ſolertiam, prouidentiam, circumſpectionem, cautionem, ſolicitudinem, atque alias huiuſmodi [g]: ſed etiam contraria illis vitia, veluti inconſiderationem, ſocordiam, negligentiam, imprudentiam maxime deteſtantes [h].

e. 1. Aug. lib. 1. c. 24.
f. Clem. ep. 4. Euari. ep. 2 S. Proſper de vita act. & contépl. lib. 1. c. 21. S. Greg. lib. 1 in Ezech. homil. 12. Conc. Aquiſgran. c. 12. 34. Anton. Aug. in lib. Epitom. Iur. Pont. lib. 4. tit. 57. de Vigilant. Epiſc.
g. S. Th. 2. 2. q. 49. art. 4 6. 7. q. 48. art. 9.
h. 1. Th. 2. 2. q. 53. & 54

Quòd ſi quis replicaret, non conuenire Epiſcopo vigilantiam hanc, quæ idem eſt cum ſolicitudine [i].

i. S. Th. 2. 2. q. 47. ar. 9.

Primùm quia ſolicitudo reddit hominem inquietum [k], cum auferat ſomnum, vt in Eccleſiaſtico legitur [l]; & quieſcere hominem non patiatur, vt de Damaſco ait Ierem. [m] ac turbet pacem cordis; ad quam amplectandam nos Apoſtolus monet dicens [n]: *Vt ea, quæ pacis ſunt, ſectemur, eo quòd in pace vocauit nos Deus* [o]; quem etiam rogat: *vt repleat nos gaudio, & pace* [p].

k. Iſidor. lib. 10. etymol. c. 18.
l. Eccleſ. 31.
m. Ierem. 49
n. ad Rom. c. 41.
o. 1. ad. Cor. 7
p. ad Rom. c. 15.

Deinde quia ſolicitudinem hanc prohibuiſſe videtur Saluator noſter, dum ait diſcipulis ſuis: *Nolite ſoliciti eſſe, dicentes, quid mãducabimus, aut bibemus, aut quo operiemur; hæc enim omnia gentes inquirunt: & nolite ſoliciti eſſe in craſtinum; craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibi ipſi; ſufficit dies malitia ſua.*

Tùm quia hæc ſolicitudo, quamuis etiam laudabilis eſſet, nequaquam tamen ab Epiſcopo pręſtari poſſe videtur eo modo, quo opus eſſet; in magna præſertim ciuitate, populoque frequente, ac varijs in locis, per oppida, per agros, per monteſque diſperſo. Nam quis tot oculos, tot pedes, tot manus habere poſſit, vt ſingula loca peragrare, nedum eorum, qui ibidem habitant, rationem habere valeat? Quid ergo proderit torqueri Epiſcopū hac ſolicitudine, & vigilãtia, quæ nō ſuffragetur?

Dicendum erit, hæc minime obſtare veræ illi, & Chriſtianæ ſolicitudini, quę frequens in ſacris literis eſt, & à Doctoribus communi calculo probatiſſima refertur.

Nam quod primùm obijcie batur, ex ſolicitudine induci turbationem quandam mentis, quæ inquietum reddit cor.

Reſpondetur, cum hæc ſolicitudo ad prudētiam ſpectet, oportere illam cum ratione coniunctam eſſe, ab eaque normam, quo pacto exercenda ſit, accipere. Quandoquidē cum materia, in qua prudentia verſatur, ſint ſingulares actiones, quæ quotidie contingūt: non poteſt in his adeo firma, & certa præſcribi regula; vt mens omnino tãquam in portu tranquillitatis conquieſcat, ac omnis prorſus ſolicitudo ab animo tollatur [q].

q. 1. Th. 2. 2. q. 47. art. 9 ad 2. Vbi Caiet. & q. 49 artic. 3. & artic. 5. ad 2.

Verùm quoties hæc ſolicitudo intra rationis fines continetur, ita vt in ijs rebus, quas oportet, & quando oporteт, & quomodo oportet, exerceatur; licet hinc cogitatio ſuſpendi,

&

Digitized by Google

& quodammodo agitari videatur: quia tamen hoc ad finem pacis, & charitatis, & aliorum ſalutis dirigitur, ad virtutem pertinet[a], quod eſt laudandum; ſicuti, & docere, & magiſtratum gerere, & leges promulgare, & alij virtutum moralium actus; qui licet motum quendam quieti contrarium inducere videantur, ſunt tamen maximè commendandi[b]: ſicuti etiam viciſſim nulla de re prorſus ſolicitum eſſe, aut in quibus non oportet mente laborare, in vitio ponuntur[c].

a. 1 Th. 2. 2. q. 47. art. 9 q. 55. art. 6 & 7 in reſponſ. ad 2. & 3.

b S. Th. 2. 2. q. 181. art. 3. 2. & 3.

c. S. Th. 2. 2. q 53 art. 4 & q. 54. art. 1. 2. & 3

Non obſtat ſecundum, quia illud pertinet ad ſolicitudinem rerum temporalium, quæ tripliciter, vt ait S. Thom. poteſt eſſe illicita: videlicet, cum temporalia, tamquam finis, quæruntur; ſiue cum niminm in iis ſtudium collocatur, ita vt à ſpiritualibus homo diſtrahatur; ſiue etiam cum immodicus ſurgit timor, ne debita peracta diligentia, neceſsaria adhuc deficiant[d]. Vnde quod dixit Philoſophus[e], ad magnanimum pertinere, pigrum eſse, & ocioſum; non accipitur, quia nullius rei debeat eſse ſolicitus: ſed quia in iis confidit, quibus confidendum eſt, nec de aliis præter rem, & tanquam ſuperuacaneis ſolicitus eſt[f]. Et propterea cum opus laudabile debitam requirat temporis opportunitatem, iuxta illud Eccleſiaſtici[g]: *omni negocio tempus eſt, & opportunitas*; ſolicitudo, de qua agimus, tunc etiã non commendanda, ſed damnanda eſſet, quæ non ſuo tempore, ſed alieno, & in rebus indignioribus exerceretur[h].

d. 1. Th. 2. 2. q. 55. ar. 6.

e. Ariſtot. 4. Ethic. c. 3.

f. 1. Th 2. 2. q. 47. ar. 9. ad 3.

g. Eccl. c. 8.

h. 1. Th. 2. 2. q. 55. ar. 7. & q. 188. art. 7. ad 2

Non obſtat tertium. Nam ſatis ſcimus vnius Epiſcopi oculos omnia luſtrare non poſſe; ſed conſtat etiam eiuſdem vigilantiam, ac ſolicitudinẽ, ſi vt oportet exerceatur, ac ferueat; ſic poſſe aliorum operam ſibi in auxilium excitare, ut ipſe complurium oculis, auribus, & pedibus adiutus, omnibus valeat locis proſpicere. Hinc ſcimus ideo inſtitutos Parochos, qui eſſent Epiſcoporũ coadiutores; tum etiam adhibitos ſæpe eſſe præsbyteros, clericos, itemque pios alios viros, pro grauiorum caſuum frequentia, qui varia in loca, Epiſcopi nomine, diſtributi prę ſto eſſent afflictis, & laborantibus: quod olim præcipuum erat Diaconorum munus, vt ex Epiſtola Clementis patet: ac per eos, & presbyteros ſubminiſtrabantur neceſſaria, vt ex canone Apoſtolorum colligitur. Et in nobiliſſima vrbe Pariſiorum accepimus, ſolitos fuiſſe Curiones denunciare in æde ſacra, & frequenti cœtu, morbo laborantes, qui illorum ſalutem precibus, & ſubſidijs fidelium commendarent[i].

i. Remund. Ruff. in Molineum fol. 438.

Sed amplius memoratur Epiſcopus Vaurenſis, inſignis admodum Præſul omni paſtoralis genere officij, qui cum nihil ad inſtituendum aſſiduò, docendum, cohortandumque populum prætermitteret, quamplures etiam eximios viros ſibi adiunxerat, qui eum iuuarẽt, & inter cæteros Theologum, qui docendi laborem interdum leuaret; Iuriſperitum, qui controuerſias componeret; Medicum, qui pauperes curaret; duos Diaconos, qui ei lites grauiores, morbos, & acerbiores ciuium caſus deferrent; alios, qui rebus neceſſarijs inopes iuuarent; & cum his frequentes ſermones habebat, hoſque fratres, & commilitones appellabat[k].

k. Remund. Ruff in Molin. fol. 443

Ex his concludimus, debere Epiſcopum hanc ſibi vigilantiam comitem habere, quæ ſuperintendentia vocatur[l], vt aliàs diximus: quod Apoſtolus innuit, cum ait[m]: *inſtantia quotidiana*, Græce, *ἡ ἐπισύστασίς μου ἡ καθ' ἡμέραν, ἡ μέριμνα πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν*, id eſt, *quæ mihi quotidie incumbit cura omnium eccleſiarũ*[n]. Ex quo ſequitur, aliarum virtutũ actiones, ab hac ſuo tempore excitatas, ad officium exurgere debere; & ſicuti is, qui fidibus canit, modò hanc impellit, modò illam, prout artis ratio poſtulat; idque attendit præcipue, vt concentus reſpondeat, nec vlla ferè chorda eſt, quæ perpetuò ſileat, aut ceſſet; ſed ſi intempeſtiue aliqua cieretur, ſymphonia potius pertubaretur: ita ad vſũ, & officium, vt ſupra dictum eſt, paratæ debent eſſe omnes virtutum actiones; ſed tunc tantùm in opus prodire, cum à vigilantia excitãtur, atque à ſolicitudi-

l. 1. Aug. lib. 19 de Ciuit. Dei c. 19.

m. 2. ad Cor. c. 11.

n. 1. Amb. & Haymon. 161.

ne ad munus neceſſarium diriguntur; non ſecus ac militum acies inſtructa ad nutum Ducis prælium aggreditur; & quò ille præcipit, ſe conuertit, aut regre ditur, aut conſiſtit.

Quòd ſi quis obijciat, concluſum fuiſſe ſuperiùs, prouidentiam non eſſe præcipuam Epiſcopalis adminiſtrationis virtutem, & tamen nunc à nobis primũ locum ſolicitudini deferri, quæ pruden tiæ pars eſt, aut ad eam ſpectat.

Reſpondemus, cum prudentia genera lis quædam ſit virtus, multas ſub ſe ſpecies, & partes complectens; & nos inqui ramus, quænam ſpecialis illa ſit virtus, quæ præ omnibus eſt maximè neceſſaria Epiſcopo; non videri reſponſionem illam ſufficere, ſi quis communem illam & vniuerſalem virtutem eſſe pronũciet, quæ prudentia vocatur: non enim vbi de ſpecie, vel parte aliqua inquirenda agitur, generis, ſiue totius propoſitio, aut reſponſio ſatisfacit: præterquam quòd, cum prudentia verſetur in medijs eligendis, quæ ſunt ad finem; parum, aut nihil Epiſcopalem adminiſtrationem iuuaret prudentiæ præſidium, ſi præſto non eſſet vigilantia, quæ omnia debitæ executioni mandaret. Alioquin cum prudentia, non ad contemplandum, ſed ad operandũ ſit inſtituta: quid proderit eam, quod optimum ſit, reperiſſe, ſi nihil tandem efficiat? Quid enim excellentiſſimus in bello dux, aut peritiſſimus in mari nauta, ſeu medicus in re medica verſatiſſimus, vtilitatis afferent, ſi quæ illi conſulunt, & præcipiunt, nemo ſit qui exequatur?

Quemadmodum igitur non ſatis eſt, audire legem Dei, niſi exequaris ea, quæ ipſa lex præcipit; nam vt ſcriptum eſt[a]: *non auditores legis iuſti ſunt apud Deũ, ſed factores iuſtificabuntur*: ita non ſatis eſt Epiſcopo, ſi prudentiam ſibi adiunctam habeat, qua diſcernat agenda, niſi vigilantiam, & ſolicitudinem ſimul adhibeat, vt ea, quæ maturè conſiderauit, & prudenter decreuit, rectè perficiantur, & diligenter obſeruentur.

a ad Rom. 2.

Et ſi alicui arduum nimis, ac difficile videretur, hanc ſolicitudinem, & vigilantiam à nobis requiſitam præſtare, quæ cum aſſiduo, & grauiſſimo labore coniuncta eſt: memor ille ſit, cum qui ad Epiſcopatum vocatur, ad artem artium, & laborem laborum vocari, nec eſſe ſeruum maiorem Domino ſuo; immo proprium, ac naturale ſerui eſſe, vt laboret, patiatur, & ſeruiat. In quo tamen ſi bene laboret, iucunditatem maximam, & fructum experietur, vt inferiùs declarabimus.

An Epiſcopalis Vigilantia aliquo extrinſecus præſidio, ad pleniorem eius fructum, indigeat. Cap. XVIII.

HOC. vigilantiæ ſtudium, quod diximus in paſtorali munere in primis eſſe neceſſarium, poſſet aliquis fortaſse exiſtimare, nullum ferè aliud extrinſecus præſidium poſtulare, ſed totum quodammodo in Epiſcopi voluntate poſitum eſſe; perinde ac ſi omnia, quæ ſunt proſpicienda, ſponte ei ſeſe offerre ſoleant, quandocunque in hanc cogitationem animum ſuum acriter intenderit. Siquidem cum eiuſdem ſit auctoris, tùm formam, tùm facultates tribuere, quibus ipſa conſiſtat, atque à contrarijs præſeruetur; dubitandum non videtur, cum Epiſcopali ipſa dignitate ea omnia intima quadam, & propria virtute concurrere, quæ adiuuandæ eius vigilantiæ ſunt neceſſaria, nec alijs exterioribus auxilijs indigere, præterquam apud Deum orationibus, qui per Iſaiã Epiſcopis promiſit[b]: *Ponam vniuerſos filios tuos doctos à Domino*. Et Saluator noſter loquens de Spiritu ſancto, quem daturus erat Apoſtolis, quorum vices gerunt Epiſcopi, dixit[c]: *Ille docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis*. Quo loco gloſ. ait: *docebit vos*, vt ſciatis; *& ſug-*

b. Iſai. c. 13.

c. Ioa. c. 14.

& ſuggeret, vt velitis. Et rurſus de Epiſcopis dictum fuit apud Sanctum Ioannem[a]: *Non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos, ſed unctio eius docet vos de omnibus*. Ex quo ſequi videtur, fruſtra alia præſidia ab Epiſcopo extrinſecus aſſumenda eſſe, quibus vigilantia paſtoralis, vel conſeruetur, vel augeatur.

a. S. Ioa. c. 2.

Veruntamen non ita ſe res habet. Nam ſicuti qui in verticē montis aſcendit, quò crebrius circumſpicit, & diutius aciem oculorum huc illuc deflectit, eò plures illi receſſus, conualles, ſinuſque ſe aperiunt: Sic Epiſcopalis curæ exercitium nouos quotidie deprehendit caſus, & grauiores indies detegit morbos, quibus medendum eſt; propterea magna hæc obſeruatione, multiplici cautione, ac varijs aduentitijs indiget ſubſidiis.

Pręterea vigilantia ipſa, cum ad prudentiam pertineat[b], ac vt ait S. Auguſtinus[c], poſita ſit in excubiis, atque diligentiſſima cuſtodia, ne ſubrepente paulatim mala ſuaſione fallamur, ideo dirigi maxime indiget, & auxiliis aliquibus externis munienda eſt; quorum aliqua res ipſas, & negocia agenda reſpiciunt; alia ad perſonas pertinent, quarum opera adhibenda eſt; alia quaſi mixta, quæ ingentia poſſunt commoda afferre, ac multipliciter adminiſtrationi conſulere.

b. S. Th. 2. 2 q. 47. ar. 9

c. S. Aug. lib. de morib. eccleſ.

Etenim Epiſcopus tam excelſo miniſterio pręfectus, non omnia poteſt ſolus cognoſcere, atque examinare, ſeu debito curſu dirigere; ſed quædam ab eo ſunt ſeligenda, quæ magis vrgeant, ac propter eorum grauitatem, vel dignitatem ſibi præcipuum Epiſcopi iuditium, & cognitionem poſcant: quædam cum aliis ſunt communicanda: quædam Vicario Epiſcopali, aut aliis miniſtris, more maiorum, iuxta ſui generis naturam deleganda: quædam denique variè pro eorum conditione, ac temporum, & perſonarum ratione tractanda, atque explicanda.

In his igitur omnibus animaduertēdis, metiendis, ac diſtribuendis, eum vigilantiæ ſtudium, ac induſtria maxime ſit neceſſaria, ne in iis dignoſcendis, atque ſeligendis fallamur; ideo nonnulla hic ſubiicienda eſſe duximus, vt hæc vigilantia eo plenior, fructuoſior, ac diuturnior reddatur.

Nam vt à primo exordiamur, multi interdum inueniuntur, qui libenter laborant, vix ſomnum capiunt, nec vmquam conquieſcunt: & tamen ſi hanc eorum vigilãtiam excutias, & obſerues, videbis eam minutioribus magis rebus, quàm aliis grauioribus, & magis neceſſariis diſtineri. In cauſa id eſt, quod partiri exactè tempus non norunt: nec negocia ſuis ponderibus expendere, nec potioribus, vt oportet, rebus locū dare: quemadmodū ſi mercator aut in Aegyptum, aut in orientis oras traijciens, ſeque ingenti maris periculo committens, omiſſa pretioſarum mercium negociatione, ex qua magnum lucrum facere poterat, totus in rebus nullius ferè pretii coemendis, & tranſuehendis occupetur. Sic Epiſcopus multiplici circumſeptus magnarum curarum mole, aduertere animum, quàm maximè debet, ne iis omiſſis, quæ dignitate præſtant, aliis leuioribus ſe inuolui, in iiſque tempus conteri patiatur.

Et quoniam negocia, quæ Epiſcopo incumbunt, adeo ſunt multa, adeo varia, adeo grauia, vt ex altera parte ſingula amplecti illum, tempus nō permittat, nec ſemper omnia præ oculis habere, aut omnium meminiſſe poſſit.

Ex altera verò, ſatis longum tempus vnicuique eſt, vt dicunt Sapientes, ſi bene id collocetur: & qui illud partiri nouit, inſtar multorum hominum habetur[d], & breuiora omnia reddit ordo, & ratio, & modus[e]; propterea in optatis nobis maximè fuiſſet, poſſe normam aliquam conſtituere, qua vigilantiæ huic ſubueniretur, & Epiſcopi opera multis implicita laboribus, maiori cum fructu exerceretur.

d. Senec. de breuit. vit. c. 1. 3. 7. & ſeq.

e. Quintil. li. 2. c. 11.

Attamen eum difficile admodum, & ferè ſuper humanas vires eſse agnoſcamus, ob innumera rerū accidentia, multas circumſtantias, multiplicelq; varie-

tates,certam aliquam regulam præſcribere, quæ ſeligendis rebus ſeruiat,quibus ſe Epiſcopus primùm tradere debeat: item decernere, quæ horarum ſpatia his, vel illis rebus ſint attribuenda; ſiue quæ cauſarum genera potiora cæteris ſint cẽſenda, ac Epiſcopi ipſius cognitioni reſeruanda; & cætera vicarijs,& miniſtris committenda;multaque alia in eiuſmodi negotijs valde perplexa, & ambigua ſe exibeant.

Nos in præſenti, vniuersè loquendo quantum materia hæc patitur, & vt ſaltem alijs ad meliora cogitanda aditum aperiamus; duximus pro imbecillitate noſtra, quoſdam gradus eſſe attingendos; ne Epiſcopi ſucceſſores noſtri, ſi ita eis videbitur, in tempore negocijs agendis debito, diſpertiendo,tam craſsè aliquando aberrent, dum in ijs laborant, quibus minus deberent; & putantes, quod dicitur in prouerbio, ſe aurum in manibus tenere, carbones eſſe deprehendant.

In primis igitur id tanquam ſolidum fundamentum in paſtorali ædificio cõſtruendo ab Epiſcopo ponendum eſſe ducimus; vt nihil ei vnquam in omni vita,niſi bene, prudenter, vtiliterque poſitum effluat, cum & verbi otioſi ei rationem reddendam eſſe ſacrum Euangelium doceat. Verum in ordine retinendo, atque horarum ſpatio quibuſque aſſignando, maxima prudentia, & ſolicitudine vti debet; cum hic induſtria, ſolicitudo,maioriſque lucri faciẽdi ſtudium dignoſci poſſit: tametſi hæc quæ diſcenda ſunt, non adeò certa, & perpetua regula queant præſcribi;quin interdum neceſſitatis,maiorisue vtilitatis compendio poſtulante, aliter atque aliter debeant obſeruari.

Itaque ab his exordiendo, quæ propriæ vitæ neceſſitatem reſpiciunt, ſiue ad animæ, ſiue ad corporis ſalutem pertineant; dubium non eſt, ſi ex ordinaria quadam regula loquamur, illis in primis ſatisfaciendum videri. Nam quod ad orationem, meditationem, diuina officia,oblationes,ſuiq; ipſius emẽdationem, & conſiderationem ſpectat; quis dubitat eas horas aſſignãdas, quæ alias res præueniant,aut ſaltem ab alijs non abſumantur? Nam qui multis ſeruire quęrit,cur ſibi in primis nõ ſeruiat? qui alios lucrifacere ſtudet, cur ſeipsũ negligat? *Qui ſibi*, vt in eccleſiaſtico dicitur [a], *nequam eſt,cui bonus erit*? Et quoniam multa hoc argumẽto à S. Bernardo tractata præclarè leguntur [b], qui docet non eſſe bonum rerum æſtimatorẽ, qui ſapit, nec conſiderat; ideo ſatis ſit, hæc attigiſſe. Quæ verò ad corpuſculi huius fragilitatem tuendam, atque incolumitatem iuuãdam pertinent, ita vt neceſſarijs laboribus,vigilijs,grauibuſque Epiſcopatus ponderibus poſſit ſupereſſe, ex prudenti medicorum diſciplina obſeruari debere,perſpicuum ſatis omnibus eſt.

Nunc poſt hæc quatenus res patietur impleta, repetendum illud,quod ſupra attigimus,eſſe cenſemus:cætera omnia horarũ ſpatia vtiliter ab Epiſcopo eſſe impendenda; primum quidem in Epiſcopalis curæ adminiſtratione, quantũ neceſſarium ſit, eo ordine, qui infra ſubijcietur:tum poſtea Epiſcopalibus munijs peractis, in rebus aliis, quibus eadem cura propius poſſit adiuuari: veluti in literarum ſtudiis, colloquiis, aliiſuè exercitationibus huiuſmodi: adeò vt nihil ei non bene collocatum, & Epiſcopali occupatione dignum excidat. Sed ſicut mercatores nullam ſibi pecuniam inanem, aut artem otioſam eſſe ſuſtinent; ſed tempus computant, & ad calculos exactè redigunt: Ita & multo magis Epiſcopus qui in arte artium, & ſcientia ſcientiarum verſatur, quæ eſt hominem regere, animal omnium maxime varium,& multiplex [c], contendere toto animi conatu debet, vt nihil quod ſpirituali ſubditorum ſaluti vtile,& fructuoſum eſſe poſſit, prætermittat; ita vt quod in recreationem etiam honeſtam inſumi tempus aliquando poſtularet,id non aliter, quàm ad maiores vires corporis acquirendas, quibus fructuoſiùs inde exercere, & laborare homo valeat, impendendum eſſe ſacri Doctores tradant [d].

a. Eccleſ. c. 14
b. S. Bernar. lib. 1. de cõſideratione c. 2.
c. S. Nazia. in Apolog.
d. S. Nazia. orat. in Maximum.

Hoc

Hoc ita conſtituto, nihil ſcilicet tē-
poris fruſtra ab Epiſcopo abſumendū,
ſed totum fructuosè occupandum: ſub-
dimus, ſi tēpus quod ei indulgetur eiuſ-
modi eſt, vt rebus omnibus, quæ ad eius
curam pertinent, agendis poſſit ſuper-
eſſe; non putamus Epiſcopum in has an
guſtias redigendum eſſe, vt valde ſoli-
citus ſit, quo tempore hoc, vel illud con
ficiatur, aut quid prius, vel poſterius ge
ratur; niſi euidens admodum ratio ali-
ter omnino perſuaderet. Verùm vbi ſpa
tium non ſufficit rebus omnibus, quæ in
ſtant, exhauriendis; hic noſtra exur-
git difficultas, hic induſtriæ vires ſunt
exercendæ; ac valde cauendum, ne
cum tempore nihil ſit pretioſius, nos
quod maioribus rebus dandum eſſet, id
ad minora transferamus: ſicuti enim
culpa non careret paterfamiliàs, cui cū
in magna domo multa ad familiæ con-
ſeruationem, & ſplendorem curanda
eſſent; ille operam ſuam in leuioribus
quibuſdam contereret, quæ ab atrieñſi-
bus ſeruis geri poſſunt. Sic Epiſcopus
niſi hunc in rebus delectum habeat; vt
prius magis neceſſaria aggrediatur, &
deinde, ſi ſpatium temporis ſuperſit, gra
datim ad ea, quæ inferiorem locum te-
nent, deſcendat; procurans vt totum
horarum ſpatium non ſolum ſolicitè; &
vigilanter; ſed etiam maxime vtiliter
expendat: vix populi, & ſapientum vi-
rorum reprehenſionem poterit euitare.

Et vt propiùs ad rem accedamus,
quando negocia publica cum priuatis,
aut quæ ad plures cum iis, quæ ad pau-
cos, ſiue etiam quæ paucorum ſunt, cū
iis quæ ad vnum tantum pertinent, con
currunt; tunc ex genere ſuo publica pri
uatis, communia ſingularibus, maiora
minoribus, quæ multorum ſunt, paucio
rum vtilitati anteponenda eſſe minime
dubitandum videtur, cum illa fructum
maiorem poſſint afferre. Si quidem,
bonum gentis, vt ille dixit, *diuinius eſt*,
quàm bonum vnius hominis. Quare tunc
ad ſingularia deſcendendum eſt, quan-
do communibus fuerit ſatisfactum.

Qua in re Epiſcopos, qui latam di-
tionem habent, cautos valde eſſe opor
tet; ne nimium attenti rebus ſingulari-
bus, ac priuatis, tempus generalibus,
& publicis neceſſarium præripiant: cū-
que totum diei ſpatium audiendis ali-
quorum contentionibus, aut querimo-
nis, aut literis rerum familiarium legē-
dis, aut litibus tenuioribus terminan-
dis inſumpſerint [a], exiſtiment ſe ſatis
muneri ſuo feciſſe; habentes quidem
zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiā,
cum intelligere debuerint, non ſatis eſ-
ſe illis totum tempus, quod eis à vitæ
neceſſitatibus relinquitur, occupationi
bus etiam honeſtis traduxiſſe; verū am-
plius oportere, vt illa præ cæteris eli-
gant gerenda, tractanda, & expedien-
da, quæ neceſſitate, aut vtilitate aliis
præſtant. Non negamus tamen eam in-
terdum contingere poſſe rerum, aut lo
corum, aut temporum conditionem,
vt id, quod vi ſua, ac natura præſtare a-
liis ſolet, cedat inferioribus, quæ eo mo
mento magis vrgeant: ſicuti dici ſolet,
philoſophari per ſe melius eſſe, quàm
locupletari; verùm eo tēpore, quo quis
neceſſitatem patitur, ſecus tunc ha-
bendum eſſe, prout ab Ariſtotele, & ſa-
cris Doctoribus traditum eſt [b].

a. S. Bernar. lib 1. & 2. de conſider.

b Ariſto. Eth lib. 8. S. Thom. 2. 2. q vbi Caiet. & 2. 2. q 1 4 art 1. vbi idē Caiet. & art. 5.

Quando etiam rerum ſingularium
multitudo confluerer, ſapientis erit, ea
quæ ex genere ſuo neceſſaria videtur,
voluntariis anteferre; alioquin id eſſet
ordinem iuſtitiæ inuertere, quæ exigit,
vt ea prius fiant, quæ ſunt obligationis,
inde alia, quæ ſunt arbitrij: quod Sa-
muel propheta ſignificauit dicens: *Me-
lior eſt obedientia, quàm victima*; obedien
tia enim præcipitur, victima conſuli-
tur. Quo errore implicati ſolent illi, qui
pietatis ſpecie Epiſcopalia muneta in-
termittunt, quando ſcilicet tempus eſ-
ſet viſitare eccleſias, hoſpitalia, infir-
mos, cum canonicis agere, congrega-
tiones parochorum habere, aduenien-
tes ex diœceſi excipere, de Eccleſiarū
ſtatu inquirere, atque alia huiuſmodi
gerere: ipſi tamen ad alia quamuis pia,
& honeſta, non tamen adeo tunc neceſ
ſaria ſe transferunt.

Pariter etiam quando ſpiritualia cū
temporalibus concurrunt, nec tēporis
anguſtiæ

anguſtiæ Epiſcopum vtriſque æque vacare patiuntur; nam illa prius amplectenda cenſeri ſolent, quæ ex genere ſuo, niſi res aliter quandoque prout ſupra dictum eſt, poſtularet, ſunt meliora; atq. inter multa alia ſpiritualia, ea præ eligenda, quæ potiora ſunt; cum ſcriptum ſit: *Aemulamini chariſmata meliora.*

Quibus quidem alia multa præterea ſubiungi poſſent, ſi nobis hæc ex propoſito agere conſtitutum fuiſſet; ſed quoniam in hoc argumẽtum obiter potius incidimus; & materia prudentiæ, vt dicitur in Ethicis [a], ſunt ſingularia contingentia, in quibus actiones hominum verſantur, nec exactam eandem omnia cognitionem poſtulant [b]; propterea hæc Epiſcopali ſolertiæ, ac circumſpectioni cum peritorum conſilio examinanda relinquimus; quamuis deinceps etiā ea, quæ actionibus aliquot congruentia videbuntur, vbi locus poſtulabit, attingere nō prætermittemus, illam Sancti Gregorij Nazianz. ſententiam in memoriam redigentes: *Ordo collatur, rebus præeat; robur enim in ſe eſt, perpetuuſque roboris cuſtos* [c].

Poſt hæc quæ ad tempus partiẽdum, ac res pro earum cōditione diſtribuendas, ac cognoſcendas pertinent; diximus ſuperius, vigilantiam Epiſcopi ex multiplici cum alijs, atque alijs perſonis communicatione longe fructuoſiorem reddi: Nam cum non omnia per ſe ipſum poſſit Epiſcopus, alij neceſſario adſciſcendi ſunt in partem muneris, & oneris, vt ſociatis laboribus, omnia quoad eius fieri poteſt, ſalubriter, atq. ordine conſtituantur. Hi ſunt conſiliarij, & reliqui adminiſtri, qui vel à iure tributi ſunt Epiſcopo, vel ab eo ſponte electi. Tributi ſunt canonici, alij ſunt volūtarii. Ac quod ad canonicos ſpectat, ſcimus magna ratione ſacros canones inſignium virorum collegium, quod capituli, & quod canonicorum cætus vocatum eſt, ei adiunxiſſe, qui illi perpetuo adſiſterent, atque eius conſiliarij, & aſſeſſores haberentur: immo tanta eſſent inter ſe ſocietate coniuncti, vt vnum veluti corpus cōſtituerent, cuius Epiſcopus caput, illi verò membra eſſent, ſibi ipſis pro inuicem in diœceſis gubernatione, & animarum ſalute ſoliciti: adeo vt ſi quid patitur vnū membrum, compatiantur omnia membra; & ſi gloriatur vnum membrum, cō gaudeant omnia membra. Et in ſumma vt Epiſcopus, huius tamquam eccleſiæ ſenatus, in rebus plurimis gerendis, non ſolum conſilium, ſed etiam quandoque conſenſum adhibere deberet, quod quidem clare in libro Decretalium conſtitutum eſt [d].

Quapropter, cum ſummi Pontifices, & ſacri canones, ad eccleſiarum dignitatem, & vtilitatem iuuandam, hos ipſos canonicos veluti coadiutores Epiſcoporum delegerint; quos etiam Tridentinum Conciliū, magiſtros in Theologia, ſeu doctores, aut licentiatos in iure canonico ſaltem ex dimidia parte eſſe optauit [e], vt eo aptiores cōſilijs dādis, ac negociis Epiſcopalibus iuuandis eſſent: non parum certe ille Epiſcopus tum officio ſuo, tum eccleſiæ grauitati, & commodo deeſſet, qui in rebus, quibus oportet, aut conſilium, aut conſenſum canonicorum ſuorum prætermitteret. Sicuti viciſſim Capitula illa canonicorum non bene audirent, qui cum ſubleuandæ Epiſcoporum ſolicitudini intenti eſſe deberent, lites potius excitare, atque Eccleſiam turbare controuerſiis non deſinerent: Quibus magnis incommodis vt occurratur, & ne ſit ſchiſma in corpore: paternæ erit Epiſcoporum prudentiæ, & pietatis, nihil prorſus prætermittere, vt hæc diſſidia quacunque ratione, & quamprimum de medio tollantur, ac planè extinguātur, inpoſterumq. chriſtiana charitas inter eos ad populorum etiam ædificationem coaleſcat.

Præter canonicos autem primarios Epiſcopi conſiliarios, ad vigilantiam illius eo magis excitandam, & fulciendam, poterit prodeſſe plurimum, ſi habuerit etiam ſelectos aliquot viros ad manum paratos, quorum non ſolum cōſilia, & monita libenter audiat; ſed etiam eorum opera, & auxilio in his, vel

a. Ethic. lib. 1. c. 3. & 7.

b S. Tho. 2. 2. q. 47. ar. 9. ad 2.

c. S. Gregor. Nazianz. Orat. de moderatione in diſputat. adhibenda.

d. tit. de his quæ fi. à prælat. & tit. de his quæ fi. à maior. par.

e Seſſ. 24. c. 12.

vel alijs negocijs pro eorum peritia, atque rerũ vſu vtatur; cũ alij in ſedandis iurgijs, extinguendiſquè inimicitijs; alii in renuntiandis, quæ orirentur, tumultibus, iiſque cõponendis; alii in clericorũ diſciplina; alii in diœceſis negociis; alij in rebus domeſticis; & alii in lio officiorum genere valere poſſint.

Quanta vero hinc vtilitas ſoleat prouenire, non eſt neceſſe multa congerere; cum propria vniuſcuiuſque imbecillitas ſatis oẽs admonere poſſit, quàm facile & frequenter proprio iudicio labi ſoleant, niſi alterius præſidio tamquàm baculo nitantur; quod & ſacræ litteræ ſępius nos docẽt, dicentes[a]: *Ne innitaris prudentiæ tuæ, & audiens ſapiens, ſapientior erit*, & alia huiuſmodi. Inter quæ etiam celebre eſt illud Salomonis verbum, qui cum plurimum ſaperet, nõ verebatur tamẽ de ſe ipſo dicere[b]: *Ego paruulus ſum, & neſciens egreſſum, & introitum meũ*, & alia huiuſmodi; vnde illud: *Ibi ſalus, vbi multa conſilia*[c]. Itaque ad vigilantiam hanc dirigendam, acuẽdam, dilatandam, & ſtabiliendam; maxime intererit, Epiſcopum crebro cum delectis viris ſenſum ſuum, & quæ inſtant negocia, libenter communicare.

a. Eccleſ. c. 6. et Prouerb. 1. cap. 1.
b. Reg. 3. c. 3
c. Prou. c. 11

Aliud quoque ſequitur, quod vigilantiam augere, atque tutioribus munire præſidiis ſolet, nempe vt Epiſcopus faciles ad ſe aditus vniuerſis eſſe patiatur; affabilitatem cum dignitate cõiunctam in alloquendo, & audiendo retineat: pateant autes eius querelis omnium; nullius inopiam, aut orbitatem contemnat; neminemque permittat nõ modo ab vllo communi, & populati acceſſu, ſed ne à cubiculo quidem ſuo vnquam excludi; immo quoad eius fieri poteſt, curet triſtem neminem aliqua forte domeſticorum ſuorum acerbitate, atque parum facili, & comi natura durius inde dimitti. Multi enim ſunt, qui aut opera Epiſcopi indigent, aut publicæ rei cauſa aliquid ei indicare contendunt, quos ingreſſu ad eum prohibere inhumanũ, ac rebus publicis dãnoſum, compertum eſt. Vnde ſcimus veteres etiam Principes, qui ſapientiæ nomen meruerunt, id ſummopere curaſſe, vt ciuium ad ſe acceſſus non impediretur, ſed apertæ omnibus fores paterent: aut in magnis occupationibus epiſtolæ, libelli, ſyngraphæ, aut alia huiuſmodi de ſcripto tranſmitterentur: ſic de Octauiano Augusto Imperatore legitur[d], qui tanta comitate adeuntium deſideria excipiebat, vt quendam ioco corripuerit, quòd ſibi libellum porrigere dubitaret, quaſi elephanto ſtipem. De Tito etiam ſcribitur[e], eũ vltro alios adhortatum eſſe, vt peterent pro vt vellent. Et Adrianum eos deteſtatum eſſe, qui ſibi hanc voluptatem humanitatis cum infirmis etiam colloquendi, quaſi ſeruantis faſtigium Principis inuiderent[f].

d Suet. in Aug. c. 53.
e. Suet. in Tit. c. 4.
f. Spartian. in Adriano

Quare ſi præter hanc facultatem ad eum adeundi omnibus quotidie cõceſſam, certas etiam horas Epiſcopus publico quodammodo auditorio decretas, & aſſignatas haberet, vt facilior quibuſcunque ad eum nullo internuncio, aut interprete pateret ingreſſus; cõ vberius communi ciuium deſiderio, ac publicæ vtilitati conſultum iri, non eſt dubitandum.

Poſtremo omittere nolumus, magnũ vigilantiæ promouendæ præſidium ex vita, & rebus geſtis ſanctorum Patrũ de riuari ſolere, ſi ad ea reſpiciamus, quæ ipſi in eorum adminiſtrationibus, vt vitia expellerent, virtutes insererent, Dei timorem diſſeminarent, ac populum omnem ædificarent, magno ſtudio, atque induſtria obſeruati contenderunt.

Cætera, quæ ad eandem vigilãtiam exſuſcitandam, atque exercendã pertinere ſolent; cum varia pro temporis, regionis, & perſonarum conditione ſe offerre poſſint, atque apud multos etiã exploratorum induſtriã in vſu eſſe ſciamus, qui excubias perpetuas in Ciuitatibus, & Diœceſibus agere non deſinunt: ea nos tum locorum neceſſitati; tum Epiſcoporum circumſpectioni, ac prudentiæ examinanda relinquimus. Illud ſubiicientes, quo plenius Epiſcopalis vigilantia his, & ſimilibus alijs externis prę́ſidiis adiuuabitur, eo vberiores inde fructus laudem celebriorem eſſe percipiendam.

Nec

Nec obſtāt ea, quæ principio obijcie bantur; Nam ad primum reſpondemus, quod cum actiones, in quibus vigilantia Epiſcopi verſatur, ſint penè innumeræ; & quamplurimis varietatibus ſubiectæ, quæ ab vno homine ſatis cognoſci, aut examinari nequeunt: nec modico tempore, ſed diuturno indigent; ideo opus eſt homini, non ſolum aliorum cōſiliis adiuuari, & ſingula in diuerſa tēpora partiri, ſed etiam externis auxiliis muniri, ad præcipiendum, cauendum, circumſpiciendum, inquirendum, & cognoſcendum de iis omnibus, quæ animarum ſaluti erunt eò etiam vtiliora, quò Epiſcopo ipſi perſpectiora, & maturiora, ita vt cum vigilantia ſit docilitas coniuncta [a].

Ad ſecundum reſpondetur, Deum omnia diſponere ſuauiter; & rebus creatis tamquam inſtrumentis ita vti, vt ſuos curſus eas agere ſinat; atque ea, quę ſunt gratiæ, perficiant quidem naturam, ſed eam non inuertant, aut immutent: ideo quamuis hominem ad Epiſcopalem dignitatem adſciſcat, & illi elargiatur ea omnia, quæ interiorem vim, ac eſſentialem perfectionem attingunt illius ordinis; hominis tamen ingenium relinquit ſecundum naturæ propriæ vires operari: cumque in rebus agendis facile idem labi poſſit, idcirco vult eūdem externis auxiliis muniri, & ſubleuari; ita vt ſi homo ſibi ipſi non deficiat, ſed vigilantiæ ſuæ induſtriam addat, non ſit illi diuina bonitas defutura. Quod verò ad Chriſti promiſſionem attinet, cum ſit illa affirmatiua, dicunt Doctores eam ad congruū, & neceſſarium tempus referendam [b].

Ad tertium reſpondetur, authoritates illas intelligi collectiue vt aiunt; ſcilicet vt Spiritus ſancti vnctio ſuffragetur Eccleſiæ in vniuerſum, non autem ſingulis eiuſdem Eccleſiæ ſeorſum ſumptis: ſiquidem Spiritus, & vnctio Dei viuificat hoc corpus Eccleſię primo, & per ſe, & neceſſario, ſi totum coniunctum reſpicimus; non autem ſi ſingula membra diuiſum intueamur, vt à ſacris Theologis latius explicatū eſt.

a. S. Tho. 2. 2. q. 49. art. 3.

b. Dom. Ban. 2. 2. q. 11. art. 10. dub. 3.

c. Dom. Ban. 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 3. in reſp. ad 3.

An Epiſcopalis Officii ſolicitudo terminum aliquem admittat, ultra quem non ſit amplius Epiſcopo vigilandum. *Cap. XIX.*

CVM poſt diſputationem de ſingulis Epiſcopalibus virtutibus abſolutam, cōcluſum fuerit, vigilantiæ ſtudium omnium maxime eſſe neceſſariū; cum ea ſit tamquam vallis latiſſima, iugis montium circumſepta, quæ vniuerſos vndique curarum, ac ſolicitudinū riuos ſinu ſuo excipiat: ſubindeque ea adiecta fuerint præſidia, quibus hæc vigilantia foueri, atque muniri præcipuè ſoleat; arbitrabitur fortaſſe aliquis, ſicuti in omnibus vitæ actionibus ſua ſunt initia, progreſſiones, & fines: aliud eſt tempus ſeminādi, aliud metendi, aliud frumentum in horreum condendi: item aliud tempus ingrediendi mare, aliud nauigandi, aliud ad portum appellendi; immo natura ipſa poſt diurnos corporis motus, nocturnā animalibus quietem largita eſt, nec arcus ſemper contentus ſuſtinetur [d], & omnia denique laxationem, ac ceſſationem aliquam expetunt. Sic in paſtorali cura finem aliquem poſt exhauſtos labores conſtituē dum, quo tandem conquieſcat, & fructum præteritorum laborum cum maturitate percipiat. Videmus enim peregrinos poſt longa terrarum ſpatia emēſa, difficileſque viarū anfractus ſuperatos, gaudere tandem ſe in patriam perueniſſe, vbi optata quiete potiantur. Sic mercator tranſactis maris procellis, piratarumque incurſionibus, lætatur deinceps ſe in portum appuliſſe, vbi tranquillitate fruatur: Sic agricola poſt multiplices labores, atque anguſtias exhauſtas, exultat denique, quod præteritorum metat fructum incommodorum.

Adde, quòd qui ab Epiſcopo perpetuam hanc vigilantiam vſque ad extremum

d. 10. Caſſ. collat. 24 de mortif. c. 82.

mum vitæ requirendam putaret, is pro priam quodammodo hominis conditio nem ignorare, & rē ab eius natura alienam exigere videretur; quippe qui cum in intelligendo ſit varius, & in apprehendendo mobilis, nulli poteſt rei perpetuo amore inhærere: hoc enim ſolius eſt Angeli, qui abſque ratiocinatione res apprehēdit, & illis apprehenſis immobiliter per dilectionē inhæret. Quare cum hominis naturæ non conueniat in eodem propoſito ſemper perſiſtere, non videtur hæc ſolicitudo ab Epiſcopo, omnibus diebus vitæ ſuę exigenda.

Et eo magis, quia poſtquam Epiſcopus vitiorum radices ex populorū animis, vt Dei miniſter euulſit, ac virtutū ſemina illis inſeuit, ex quibus fructus oriantur; non videtur tamquam victoriam adeptus, re bene geſta, amplius ad labores, & ſudores compellendus.

Hæc ſunt, quæ dubium facere poſſunt, ſi ſuperficie tenus res proſpiciatur: at verò ſi accuratius, atque attentius cuncta examinētur, facile animaduertetur, Epiſcopalem vigilantiam, nullum in hac vita mortali terminum agnoſcere, atque ideo hac etiā de cauſa iure optimo, artem artium appellari, quòd moleſtia, difficultate, ac perpetuitate omnes alias ſuperet.

Quemadmodum igitur morbi quidam ſunt, non tàm acerbitate, quàm diuturnitate moleſti; & ideo ſi vtroque laborent conflictu, omnium acerrimi eſſe iudicantur; quippe quibus præter languorem, adempta etiam incolumitatis ſpes eſſe videatur. Sic paſtoralis curæ non ſolum ſummum pōdus in vniuerſis illis difficultatibus, ac ſpinarum aculeis verſatur, quas ſupra enumerauimus; & quibus vigili cuſtodia dies, noctesquè occurrendum eſt; ſed etiam id ſecum adiūctum onus habet, vt hęc ſolicitudo vſque ad extremum vitæ ſpiritum ſibi ſit continuanda, nec vllo vmquam tempore intermittenda.

Huius rei ea eſt ratio, quòd cum ſuſceptum à Præſule officium in eo ſit poſitum, vt commiſſos ſibi populos in cæleſtem patriam, quoad per ipſum fieri poteſt introducat, iter hoc non niſi per arctum virtutis callem confici poteſt: virtus autem, cum vitiorum acie vtrinque obſideatur, vix ſuos limites tueri poteſt, quin hoſtes irrumpant, niſi ſuis diligenter ſe copijs inſtruat; idcirco numquam dimittendæ excubiæ, numquam relaxanda cuſtodia. Hincque dici ſolet, Chriſtianæ victoriæ neruos nō in principijs, nec in progreſſibus, ſed in perſeuerātia, quę finem vſque complectitur, conſiſtere; præſertim quòd noui quotidie, inſidioſique prædones emergunt, qui magno labore quæſita, puncto temporis eripiunt; & propterea dictum illud fuit: *Qui perſeuerauerit uſque in finem, hic ſaluus erit*.

Hac etiam de cauſa dicitur Dominus ſibi ſumpſiſſe paſtoris nomen, non ſolum ob curam, & vigilantiam; ſed etiam vt aſſiduitatem, & iugem curam nobis referret, in hoc munere neceſſariam [a], cum cęteræ artes, ſiue officia habeant vices ſuas, & veluti inducias, quibus vacent à labore; paſtor autem nullum tempus, quo cuſtodiam remittat: adeò vt vel ipſa nocte tunc maxime oporteat eum vigilare, propter clandeſtinas luporum inſidias, quod paſtorum in nocte Natiuitatis Domini nobis exemplum declarat [b]. Et Iacob etiam apud gregem ſuum feciſſe legitur [c].

a. Greg. cit. 1. in Domi nicæ 2. poſt paſcha.

b. S. Luc. 2.

c. Geneſ. 31.

Vnde ſatis non eſt, ſæpius populos inſtruxiſſe, admonuiſſe, docuiſſe, ac diſciplinam frequenter in eorum animos inſeuiſſe; niſi hic eorum ager eadem induſtria perpetuò ad extremum vſque vitę articulum excolatur: ſicuti enim nec inter hoſtium agmina, ſatis eſt aliquando prælio viciſſe, arcē aliquam expugnaſſe, trophæum etiam erexiſſe; niſi quod bello partum eſt, liceat perpetua quadam, ac ſecura pace retinere: Sic pariter in re noſtra adeò multiplici, ac incerta, conſtans id eſſe debet, nunquam arma eſſe ponenda, nunquam receptui canendum: ſed in acie ſemper ſtandum, ob recentis alicuius, qui in horas ſingulas excitari poteſt tumultus, aut nouæ ſeditionis ſuſpicionem.

Accedit, quòd cum ſitiens filiorum ſalu-

ſalutis pater, non ſatis habeat, eos à vitijs vulgaribus reuocaſſe, ac virtutibus etiã multis exornaſſe; ſed quotidie magis eos ſpiritualibus donis augere, & locupletare cupiat; cũ ſcriptum ſciat: *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc; & ſanctus, ſanctificetur adhuc* [a]: non poteſt illius mens igne charitatis accenſa, conquieſcere, niſi in dies ampliore eos ſtudeat virtutum theſauro cumulare, & ad faſtigium perfectionis perducere.

a. Ap. c. 22.

Quin etiam maiorẽ in progreſſu Epiſcopalis adminiſtrationis, quàm in principio vigilantiã, ac ſolicitudinem adhibendã eſſe, ex eo ſatis conſtat, vt ait S. Chryſoſt. quòd homo etiã ſi fuerit omnium pigerrimus, quando negociũ aliquod eſt aggreſſurus, plurima initio vtitur diligentia, donec animi vigor, alacritas, & vires integræ ſunt ac recẽtes, ad id, quod propoſitũ eſt, facile conficiendum. Cæterum vbi maior viæ pars nobis peracta eſt, iamque alacritatis vigor emarcuit, vireſque noſtræ defecerunt, nec aliud ſupereſt, quàm vt decidamus; tũc nobis adhortationis, & doctrinæ baculus eſt porrigendus, ne in fine, vt ait Propheta, corrũpamur: tũc.n. diabolus ſpirat vehementius: & quẽad modum piratæ, qui mare nauigiis infeſtum reddunt, non vbi primũ conſpexerint naues è portu ſoluẽtes, vacuas inuadunt, (quid enim fructus caperent, ſi inanẽ demergerent?) ſed onuſtas, mercibusq. ac ſarcinis graues adoriuntur. Ita ſceleratus ac verſutiſſimus dæmon, ſimul atq. vidit aliquos multa collegiſſe, videlicet ieiunia, preces, eleemoſynas, caſtitatem, reliquaſq. virtutes omnes; vbi videt nauigiũ noſtrum eſſe plenum precioſis pietatis lapidibus, tũc irrumpit, vndiq. theſaurũ perfodiens, vt in ipſis portus oſtiis ſcaphã demergat, iamq. nudos nos ad eũ portũ deiiciat [b].

b. S. Chryſoſt. homil. 3. dẽ verb. Iſaiæ. vide Domine.

Quòd ſi alicui arduũ nimis, ac difficile videretur, hãc ſolicitudinem, & vigilantiam ab Epiſcopo requiſitã præſtare, quæ cum aſſiduo, & grauiſſimo labore cõiuncta eſt. Fuit aliàs reſpõſum, eũ qui ad Epiſcopatum vocatur, ad laborum arcem, atq. ad difficultatum faſtigiũ aſſumi: proindeq. mercedẽ ſempiternam, à cælesti Domino ei referendam; cum ſcriptum ſit: *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ* [c].

c. Apocalyp. c. 10.

Verùm, quoniam dum in hoc corporis tabernaculo ſumus, quod miſeriis, afflictionibus, & ſumma imbecillitate ſuapte natura, abſque aliis laboribus refertum eſt; ſi oneremur hoc alio curæ ſaxo, quod aſſiduè vſque ad peregrinationis noſtræ exitum, miſerèque ſit voluendum, vix ad id, naturæ infirmæ vires ſuſtinendum, pares eſſe poterunt; nam, *quod alterna caret requie*, vt ille dixit, *durabile non eſt*.

Propterea ad condiendos hos labores, molliendaſque has ſolicitudines, ingens præſidiũ, theſauri magni loco, ex ſanctorum patrum ſententia in vltimo capite, quod ſigillum huius operis erit, reſeruandum duximus: quo innitus, ac recreatus, Epiſcopi animus, poſſit arduos hos, ac perpetuos labores non ſolum cum alacritate, ſed etiam cum iucũditate, ſuffragante ſpeciali Dei auxilio, ſuperare [d].

d. Medin. 1. 2. q. 109. art. 10.

His igitur non obſtat primum. Nã paſtoralis curæ ratio ab aliis artibus valde eſt diuerſa, dum cæterarum finis ab iis, quæ in hoc mundo poſita ſunt, quodammodo dependeat. At Epiſcopo animarum ſalus propoſita eſt, quæ in futura celeſti gloria demũ abſoluitur: ideò dum homo in terris peregrinatur à Domino, dum mundi illecebris, infirmitate naturæ, dæmoniſque tentationibus miſerè diuexatur; non debet Epiſcopus ipſius hominis cuſtos, & præſes, aliquid de paſtorali ſolicitudine, ac vigilantia remittere, ſed eum quotidie magis incitare: ſiquidem vt vulgatum eſt: *non progredi in via vitæ, regredi eſt*.

Ad ſecundum dicitur: perſeuerantiàm cum ſit virtus [e] inter duo extrema conſtitutam eſſe: alterum, quæ pertinacia, ſeu obſtinatio dicitur, quæ immobilitatem oſtendit in rebus rationi repugnantibus: alterum, quæ dicitur mollicies, quæ deficit, ac retrocedit ab eo, quod oportet [f]. Nos igitur de perſeuerantia nunc agere, quæ in eo perſiſtit,

e. S. Bern. ſerm. 2. de purif. S. Gregor. homil. 3 in Ezech. S. Tho. 2. 2 q. 24. ar. 6. arg. 3.
f. S. Tho. 2. 2. ar. 137. art. 1.
g. S. Tho. 2. 2. q. 138. ar. 1. & 2.

ſtit, quod fini obtinendo congruum eſt.

Ad tertium reſpondetur, hominem prauitate fomitis, quem à corrupta natura contraxit, adeo ad ſcelerum vepres, & ſpinas producendas procliuem eſſe; vt quamuis vitiorum radices euellere, & virtutum ſemina inſerere ſtuduerit; adhuc tamen, ſi in earum cultu omni vigilantia non permaneat, facillimum ſit omnia relabi. Quapropter operis inchoati infirmitas poſtulat, vt manus numquam ab ea amoueatur, ſed per continuatas virtutum actiones, ad finem vſque perducatur.

Vigilantiam ab Epiſcopo erga ſe ipſum, & res proprias in primis exercendam, tum in vita, tum in morte, vt munus ſuum ſalutari fine concludat.

Cap. X X.

QVAM neceſſaria ſit aſſidua vigilantia erga gregem, vt eum Paſtor ad æterna paſcua poſſit perducere, cum ſatis, vt opinor, fuerit ſupra demonſtratum; non obſcure inde ſequitur, illam multo magis ab Epiſcopo erga ſe ipſum, & res proprias omnino eſſe ſuſcipiendam. Nam vt omittamus, eam eſſe hominum aliquando pro ſeruitatem, & dutitiem; vt cum Præſulē viderint ſui ipſius negligentem, & rerum ſuarum quodāmodo oblitum, vix poſſint ſibi perſuadere, eundem erga ſubditos æquè inconſideratum, & ſomnolentum non eſſe; ac ſi quid ab eo vtiliter erga gregem ſuum factum eſt, id potius in ſpeciem laudabilis conſuetudinis retinendæ, quàm paſtorali zelo, aut cura geſtum fuiſſe.

Illud certè per ſe ſatis euidens eſt, abſurdum maximè videri, alienis in rebus aliquem prouidum, cautumq. cenſeri, qui in propriis negligens, remiſſuſque deprehēdatur; & quod dici ſolet, *Hominem alijs ſapere, ſibi ipſi deſipere.*

Itaque quoniam hæc pars, quæ ad vigilantiā erga ſe ipſum, & res proprias ſpectat, niſi in primis neceſſaria Epiſcopo oſtendatur, poſſet ſuperiora omnia valdè imperfecta, aut dubia relinquere: operæ pretiū eſſe duximus, paulo diligentius in ijs eſſe nobis immorandum, quæ Epiſcopum tùm ratione propriæ perſonæ, tùm in adminiſtratione domeſticarum rerum pręſtare oportet.

Quod igitur ad ſe ipſum ſpectat, cū ille ſit in ſtatu perfectionis, vt ſæpè dictum eſt; quis dubitat eum, attentè vigilare debere, non ſolum vt careat grauioribus omnibus vitijs, & culpis, quæ legibus multantur; ſed vt ab alijs etiam leuioribus delictis abſit; quæ licet hominum vulgo vix cerni, aut curari ſoleant, Epiſcopali tamen dignitati non paruam inurunt notam; cuiuſmodi ſunt, ſubita iracundia, pertinacia, impatientia, curioſitas, animi elatio, multiloquium, tenacitas, commeſſationes, exquiſiti apparatus, & alia huiuſmodi, quæ ab eo diligenter cauenda ſunt: ſicuti, & aucupia, venationes [a], ludicris rebus, ac profanis ſpectaculis intereſſe, quæ iure etiā ciuili prohibētur [b]. Nam vt aliàs etiam ſupra attigimus, cum debeat Præſul forma eſſe gregis, aliorumque ſordes quaſcumque abſtergere (nihil enim inquinatum ingreditur regnum cælorū) quomodo hoc ab eo qui mundari indiget, aptè præſtari poterit?

[a] c. 1. & 2. de cler. venato. c. 1. & 2. diſt. 34. cap. non oportet il 2. de conſecr. diſt. 5. Cōc. Agathen. can. 35.

[b] l. 5. interdicimus, auth. de ſanctiſſimis Epiſcopis.

Poſt hæc notum eſt, eundem etiam omnibus interioribus, exterioribuſque virtutibus ita affluere debere, vt quicquid ſit, q ab eo geratur, ſiue cum Magiſtratibus, alijſq. excelſo loco poſitis viris, ſiue cū inferioribus, priuatiſque hominibus, de rebus tā grauioribus, quàm tenuioribus; ille tāquam omniū oculis expoſitus, ſemper in hoc præcipuā det operam, vt ſui ſimilis vbique deprehendatur; ac teſtatam vniuerſis relinquat ſuam pietatē, prudentiam, ac animi ſinceritatem. Et quemadmodū ſancto illo viro IOB in hominum conſpectum prodeunte, omnes relictis rebus leuioribus, geſtus ſuos componebant,

ac modeſtiam præ ſe ferebant, illumq. adeo reuerebantur, vt dicat ipſe [a]: *Videbant me iuuenes, & abſcondebantur: & ſenes aſſurgentes ſtabant; Principes ceſſabãt loqui, & digitum ſuperponebant ori ſuo.* Sic virtutes Epiſcopi, omnibus vtilitatem, omnibus exemplum, omnibus admirationem, ipſi autem Epiſcopo ſummum in Domino decus, & ſplendorem afferre debent.

a. Iob. c. 29.

Amplius excubandum illi in eo erit, vt res proprias, ac domeſticas prudenter admodum, ac debita cum moderatione adminiſtret. Id quoniam valdè difficile, lubricumque eſſe ſolet, cum videamus multos magno conſilio in alijs gubernandis præditos; in familiaribus tamen ſuis cauſis, parùm circumſpectè, & maiore, quàm decet licentia, nonnunquam ſe gerere.

Idcirco optimũ eſſe ducimus, vetus Oeconomorũ inſtitutum ab Epiſcopo obſeruari [b], quod eum ab omni praua tùm auaritiæ, tũ in veritos vſus erogãdi pecuniã ſuſpitione, facile liberum, atque immunem reddere poterit; cum eorum ſit, fructus, & prouentus menſæ Epiſcopalis debita ratione diſtribuere; vnde Oeconomi propriè diſpenſatores vocati fuerunt [c].

b. Conc. Chalced. c. 26. & c. quia. Diſt. 89.

c. S. Hier. in q. 6. ad Algaſiam. & Ianſen. in concor. euã. c. 95.

Quod quidem & iuuabit maxime Epiſcopum, ad vindicandam in omne tempus Eccleſiam ſuam ab importuna Collectorum exactione; cum huiuſmodi munus inſtitutum fuiſſe ob malè con geſtas clericorũ opes, nec obſeruatos ab ijs veterum ſynodorum canones, hiſtoria eccleſiaſtica teſtetur [d].

d. Cæſ. Bar. annal. eccl. tom. 5. an. 397. p. 42.

Hoc igitur, quoniam plurimum ad Præſulis exiſtimationem ſolet pertinere, cum populus diligens ſit ſatis, atque adeò curioſus in rebus domus illius interioribus perſcrutandis; ex quibus iudicium etiam de reliquis eius actionibus, totoque vitæ ſtatu facere conſueuit, ac propterea ab Epiſcopo magni ſit faciendum. Ideo nos de hac Oeconomia inferius loco ſuo [e] latius agendum eſſe duximus.

e. in par. 6. c. pag. 481.

Præter hęc etiam, quæ ad oeconomos pertinent, ſunt alia quædam Epiſcopali domui valdè congruentia, quæ Præſulis vigilantiam maxime teſtatam faciunt, & dignitati eius non leue afferunt ornamentum. Vt enim in palatio Principis nõ vulgaria omnia admittuntur ob loci maieſtatem, quædam etiam inſigniora ibidem requiruntur non alijs cõmunia [f]: ſic maxime decet, vt quæ in domo Epiſcopali oculis omniũ parent, nihil indecorũ, aut indignũ repræſentent: alia præterea ſe ſe ſpectantibus offerant, quæ Præſulis ſolicitudinem, atque in omnes partes circũ ſpectionem, ac perfectionem oſtendãt;

f. l. quicunq. l. fin. l. baſilicam. C. de op. publ. l. fin. C. de off. rector. prou. l. 1 C. de palat. & dom. domi. lib. 11 & l. fi. C. de præpoſit. ſacr. cub. lib. 12.

Vnde, vt omittamus, quæ in eius ædibus ad domeſticos vſus Epiſcopo ipſi, ac familiæ ſuæ, hoſpitibuſque recipiendis neceſſaria cenſeri ſolent; vtique ſi totum illius domicilium ita loci ſitu, ac fabricæ diſpoſitione diſtributum inueniretur, vt propria exercendis Epiſcopalibus actionibus conſtituta loca cernerentur; veluti celebrandis Congregationibus, clericis examinandis, diſputationibus caſuum conſcientiæ habendis, clero conuocando, Parochis alloquendis, aliiſque huiuſmodi functionibus Epiſcopalibus obeundis: dubium non eſt, quin afferrent hæc ipſa rebus ſuis peragendis magnam tùm commoditatem, tùm dignitatem.

Præcipuè verò omittere nolumus; quod nos maximè referre putamus: vt ſcilicet locus illuſtris extruatur ad orientem æſtiuũ in Bibliothecæ vſum [g]; in qua variarum facultatum libri, & præſertim qui ad ſacram Theologiam, iuſque omne Pontificium pertinent; abundè inueniantur; quo parere aditus clericis oĩbus, & pręſertim pauperibus poſſit, ad diſciplinas hauriendas: certo cuſtode, ac Bibliothecario conſtituto, qui præter congruum ſtipendium, & annuos aliquos redditus conſtituendos, ad tuendam, & augendam quotannis librorum copiam; probatas habeat conſtitutiones, ad officium ſuum rectè, & ſapienter adminiſtrandum.

g. Vitr. lib. 1. c. 4. architect.

Hoc aũt loco neceſſe nõ arbitramur tùm rei vtilitatem, tùm paſtoralem, quæ hinc fulgebit, pietatem, ac vigilantiam pluribus commemorare. Nam quod ad opus ipſum attinet, quę vtilior ſupel-

lior ſupellex, theſaurusvè pretioſior relinqui Eccleſiæ, cleroque vniuerſo poteſt, hac in vnum collecta ingenti clarorum authorum comparata copia? ex quibus lepra à lepra dignoſci, errorum tenebræ diſpelli, dæmonum inſidiæ propulſari, peſtilentes hæreſes reuinci, Catholica doctrina propagari, mores inſtaurari, ac veritatis luce omnium mens illuſtrari poſſit? Epiſcopalis verò officij, quid magis proprium excogitari poteſt, quàm vt Præſul, præter concionandi munus, quod per ſe, & alios populo ſuo præſtare tenetur, ad eum inſtituendum in lege Domini; præter etiam publicos magiſtros, quos erudiendo clero in liberalibus artibus, ac in ſacris literis adhibere debet; copioſam etiam ad publica commoda Bibliothecam inſtruere curet, vnde poſsint illi, quibus opus eſt, ſcientias haurire, ac neceſsitati ſuæ conſulere?

Quemadmodum enim ſolent Principes publica quædam armamenta ad vſum belli parata habere: ita Bibliothecę librorum varietate refertæ, tanquã munitiones quædam adornandæ erunt, vbi clerici inſtruantur, exerceantur, ac præparentur, ad pugnandum aduerſus mundi inſidias, atque inuiſibiles hoſtes debellandos. Hoc feciſſe Hieroſolymis Alexandrum eius Vrbis Epiſcopũ teſtatur Euſebius[a]. Hoc idem & Conſtantinopoli apud Sanctam Sophiam ſeruatũ fuiſſe ſcribit Nycephorus[b], vt alia exẽpla multa celeberrimarum Bibliothecarũ, quæ nota sũt, omittamus.

a. lib. 6. c. 15 hiſtor. eccl. l. Niceph. l. 5. c. 14.
b. lib. 1. c. 1. & lib 5 c. 14.

Atque hæc quidem omnia, quamuis multum referant, ad declarandum aſsiduum Epiſcopi in quibuſcunque rebus ſuis prouidentiæ ſtudium; quia tamen pertinent hęc potius ad præſentis vitæ rationem, atque ad illam adminiſtrationem, quæ Præſuli, donec ſuperſtes eſt, à Deo conceditur.

Ideo ſupereſt nunc altera pars Epiſcopalis iſtius vigilantiæ, quæ in illud tempus propriè portigitur, quando ex hoc ſæculo Præſul eſt in aliud migraturus. quod cum longè diuturnius ſit, periculoſeq; in hac te errare valear; ideò cautiorem etiam multo, atque accuratiorem videtur ſolicitudinem illius poſtulare.

Cur enim tam frequenter Saluator noſter in ſacro Euangelio nos monuit[c]: *Vigilate, quia neſcitis qua hora Dominus ue ſter venturus ſit.* Et[d]: *Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam.* Et rurſus[e]: *Si ſciret paterfamilias qua hora fur veniret, uigilaret utique.* Et iterum[f]: *Vigilate, neſcitis enim quando dominus domus ueniat, ſero, an media nocte, an galli cantu, an mane.* Et poſtea[g]: *Quod autem uobis dico, omnibus dico, Vigilate.* Certe tàm crebra repetitio huius vigilantiæ, indicat amplius aliquid à nobis requiri, quàm vt ijs bonis cõtenti ſimus, quæ præſentẽ hãc ſolã vitam reſpiciunt. Nã quamuis hęc ipſa nobis in futuro ſęculo ſint profutura, quia reddet vnicuique Deus ſecundum opera ſua[h]; ſunt tamen alia etiam bona, quæ intuitu præcipuè futuræ vitæ, in ipſo quoque mortis articulo inſtitui, & teſtamento relinqui poſſunt.

c. S. Matth. cap. 24.
d. S. Matth. c. 25.
e. S. Luc. c. 12.
f. S. Marc. cap. 13.
g. in fi. eiuſd. cap.
h. S. Matth. cap. 16.

Itaque vigilare nos iubet, & maximè ſolicitos eſſe aduenientis nouiſſimi diei, quoniam omnem ſpem ille auferet amplius proficiendi, tàm ratione præſentis vitæ, quàm futuræ; tanta enim eſt ſummi Dei erga nos benignitas, vt quibus diuitias, & bona temporalia ad vitę huius vſum contulit; conceſſerit etiã eadem poſt mortem poſſe prodeſſe ad redemptionem animæ, ſi tamen ad eum finem à nobis directa fuerint, vt eorum auxilio, eos nobis amicos cõparemus, qui nos cum defecerimus, recipiant in æterna tabernacula[i].

i. S. Luc. c. 16

Hinc ſcripſit Saluianus Epiſcopus Maſſilienſis, quem Eucherius[k] virum ſanctum, & doctrina eminentem, & Gennadius[l] magiſtrum Epiſcoporum ſui temporis, & alij eundem tamquam nouum Hieremiam appellant[m], libros quatuor nomine Timothei Epiſcopi ad Eccleſiam Catholicam toto orbe diffuſam; quibus fideles monet, hortatur, & vrget, ne theſaurizent ſibi theſauros in terra, ſed theſaurizent theſauros in cœlo; eo quòd

k. Eucher. in præf. ad lib. de quæſt. uet. ac nou. teſt.
l. Genad. in lib. de illuſtr. ſcriptor.
m. Caſ. Bar. Tom. 5. annal. pag. 251. E. & pag. 510. D. E.

ſimus precarij tãtũ poſſeſſores rerũ,quibus hic fruimur,quas licet nobis Dei beneficio in cęleſtes diuitias commutare.

Indeq. inuehitur grauiter in eos,qui tam præclaram occaſionem lucrãdi regnum æternum,ſibi oblatam non agnoſcentes; ſicut io vita rebus terrenis vſquequaque affixi fuerunt, ſic eundem ſtultum affectum & in morte retinent: nec quæ poſſunt bona, curant Eccleſiis, aut pauperibus, aut pijs operibus relinquere; ſed ea tantum ſæcularibus minimè merentibus, nec indigentibus, eo ſolo titulo dimittunt, quòd cognati morientis fuerint, hacque vana ambitione decepti, miſere depereunt.

Immo deplorat maxime ſui temporis corruptelam, quæ presbyteros, & quod feralius eſſe dicit, Epiſcopos etiã inuaſerat; vt moribundi de carne, & ſanguine, plus quàm de animę ſuę quiete cogitarent: ſubdens inter graues, atque mortiferos exitialis peſtilentiæ morbos, quos antiquiſſimi ſerpentis inuidia profuderat, nullum acerbiorem hoc ipſo conſpici, qui fructu miſericordiæ fideles etiam expoliabat: atque ab hoc initio librum primum ſuum exorditur, poſteaq; in aliis ſequentibus hoc idem argumentum pie admodum, admirabiliterquè exaggerat.

Cuius verbis moniti, cum ſciamus eandem ſentẽtiam ab alijs quoque veteribus ſanctis Patribus valdè celebratam fuiſſe, horrantibus ſingulos, vt aliis hæredibus Chriſtum cohæredem omnino aſcribant [a]. Immo quo pluribus ſunt pignoribus onerati, eò largiores diſpertiant eleemoſynas [b]; non potuimus hac occaſione, qua de vigilantia agimus, hoc ipſum extremum tempus Epiſcopis in memoriam oon redigere: quo nullum aliud ad hanc vigilantiam patefaciendam, atq; illuſtrandã magis opportunũ, magis ſalubre, aut neceſſariũ expectari poteſt; Nam vt dici ſolet, *Sapientia in exitu canitur.*

Quid igitur, dicat aliquis, Epiſcopo faciendum erit, vt vigilantiam hanc ſalutarem, ac ſui ipſius, & rerum ſuarum cuſtodiam ſibi præ omoibus aliis, curæ fuiſſe reſtetur? Scilicet prætermiſſis aliis multis, quæ ſancti viri ad inſtructionem fidelium omnium ſcripta reliquerunt: monentes eos variis rationibus, & exemplis, vt theſaurizent ſibi, dum tempus eis ſuppetit, theſauros in cælo, non iram in nouiſſimis diebus.

Nos quia de Epiſcopis præcipuè loquimur, & fructibus eorum Eccleſiaſticis, non poſſumus non ſupra memorati authoris ſententiam referre [d], qui cum multa pręclare dixiſſet aduerſus quorũdam ſæcularium hominum ex hac vita decedentiũ ſocordiã, ac ſomnolentiã, quos parũ ſolicitos extremo tẽpore de iis eſſe oſtenderet, quæ animæ ſuæ maxime ſalutaria eſſe poterant: mox ſubdit eoſdẽ vſq; adeo eſſe agnationũ, & affinitatum laqueis, ac cõtinuandæ familiæ inani ſtudio irretitos; vt alios etiam antea ignotos, & extraneos, hoc ridiculo conſanguinitatis cõmento, ſibi adoptiuos, & hæredes facere nõ vererẽtur.

Indeq. addit, illos qui antea erãt extraoei, in extremis fieri ſolitos propinquos, ac qui nunquã introducti fuerunt in affectũ, tunc repente introduci in teſtamentum. Et poſtea: *Supereſt*, inquit, *de Sacerdotibus, & miniſtris Dei dicere, licet ſuperfluum ſit: quoniam quicquid de alijs omnibus dictum eſt, magis abſque dubio ad eos pertinet, qui exemplo omnibus eſſe debẽt; & quos vtique anteſtare cæteris oportet deuotione, quanto anteſtant omnibus dignitate; cum illos, qui ſacri altaris ſuggeſtu eminent, tamẽ excellere oporteat merito, quantum gradu.*

Quoniã igitur idẽ author valdè abſurdum, ac deteſtãdum eſſe cenſet, clericos Dei miniſtros in extremo vitę ſuæ poſitos, & virium tenuitate cõfectos; cũ videant non amplius ieiunia, non peregrinationes, nõ carnis maceratione͂, nõ diuinorũ celebratione͂, nõ viſitationes infirmorũ, non alia deniq; eiuſmodi pia opera ſibi migrantibus ex hoc ſæculo prodeſſe poſſe; cur ſaltem pias eleemoſynas non amplectantur, quæ illis ſuffragandi vim plurimam habeant.

Quærit, ac inueſtigare cõtendit, vnde nam hæc inſania proueniat; vt ipſi quo-

a. *S. Chriſoſ. hom. de gratus reddẽd. tom. 5. S. Hierony. epiſt. 34. ad Iulian & ep 150. q. 1. ad Edibiã. & S. Aug. in pſal. 48. et in tract. de decem chordis. c. 13.*

b. *S. Cypr. in ſerm. de opere, & eleemoſ.*

d. *Saluian. lib. 2. Ioan. Melan. de pro teſtam. c. 39.*

Digitized by Google

quodammodo ſe ipſos exhæredent, vt propinquos hæredes faciant, concludit [a], hoc non niſi ab incredulitate proficiſci; quia non credunt homines, quòd *ſtabimus omnes*, vt ait Apoſtolus [b], *ante tribunal Chriſti, vt vnuſquiſque referat pro ut geſſit, ſiue bonum ſiue malum*: non metuunt pœnas, aut futura ſupplicia: non ea, quæ Deus ingratis minatus eſt. Alioquin qui ſcirent nihil ſibi cõiunctius, aut charius eſſe debere anima ſua, & qui crederent [c], eos qui vtuntur hoc mundo, debere eſſe tãquam non vtentes, quoniam præterit figura huius mundi; non certè ita deſiperent, vt quod monſtri genus etiã à prudentibus ſæculi habitum fuit, ipſi melius aliis, quàm ſibi eſſe vellẽt; nec tàm anxiè, tamq. pertinaciter in hoc ſuo affectu inhærerent, vt iſtos ſuos conſanguineos in viſceribus cordis vſq. adcò defixos, in perniciem ſuam retinerent, quod ab alijs etiam ſanctis Patribus improbatum fuiſſe legimus [d].

a. Saluian. lib. 3.
b. ad Rom. 14.
c. 1. Cor. 7.
d S. Baſil. homil. 7. S. Hier. contra Iouin. circa fi. & epiſt. 10. S. Sixtus lib. de caſtitate. S. Aug. in pſal. 108.

An ergo cõſanguineos, domeſticos, amicosq. ab Epiſcopis negligẽdos, aut deſerendos eſſe dicimus? minime verò (inquit ille [e]) qui fatemur amandos etiam inimicos, atque omnibus benefaciendum; ſed nihil omnino Deo anteponendum, quem ſupra omnia amare debemus; & ideo qua decet ratione, & conſilio hæc omnia eſſe perficienda.

e. Saluian. lib. 1.

Quòd ſi rurſus hic quæratur, cur hoc periculum clericis, aut Epiſcopis intendimus, qui cum in morte, bonorum eccleſiaſticorum vſuarii tantùm eſſe dicantur [f], minime ad eos debet hæc ſollicitudo pertinere, quinam ſibi hæredes, coniuncti ne, an alij ſint ſucceſſuri?

f. gloſſ. c. præſenti. de off. ordin. in 6. Rota in antiq. 42. de probat.

Reſpondemus non eſſe nobis nunc propoſitũ de perſonis eccleſiaſticis agere, quæ inteſtatæ decedunt; quorum bona, ſeu fructus, ad quos debeant pertinere, ſatis conſtitutionibus Apoſtolicis, canonumque iure definitum, atq. à Doct. variis in locis eſt explicatum [g]. Tantum id monemus, vt quicquid iure, atque incolumi conſcientia ſe facere poſſe ad hunc finem putent, id Theologorum adhibito conſilio, in ſalutem animæ ſuæ vertere non prætermittant.

g. c. ad hæc de teſtam. vbi gloſ. & Doct. & Hoſt. ſum. de pœnit. & remiſſ. §. confiteãdũ Nicol. de Vbal. tractat. de ſucceſſ. ab inteſt. in 2. par. §. finitis.

Verùm ſi facultas epiſcopis reſtandi à ſede Apoſtolica permiſſa fuiſſet, vt ſæpè fieri ſolet, aut iuſto alio titulo id ſibi licere ipſi confidunt; tunc vigilantiam illorum maximè neceſſariam eſſe arbitramur; ac quod Maſſilienſis Epiſcopus iampridem præmonuit, id ſibi omni cautione, & fide ſeruandum eſſe ſtatuant; nec patiantur in fructibus, quos ab Eccleſia ſua ſibi prouenire conſpiciunt, & quod vt Chriſti patrimonium obtinent, [h] alios etiam conſanguineos, præſertim non indigentes, vlla ratione à ſe anteponi; cum & vetus olim Eccleſiæ conſuetudo fuerit, vt quæſita ab Epiſcopo ex bonis Eccleſiæ, eidem Eccleſiæ cederent, nec in alios quouis titulo transferdi ipſi Epiſcop. facultas eſſet [i].

h. cap. cum ſecundum. de praben. c. cum ex eo. de elat. in 6.
i. Caſ. Baron. annal. 5. an. 394.

Quare maxime deplorandam hanc in Chriſtiano orbe calamitatẽ pij oẽs hodie cenſent, vt ſcilicet Eccleſiæ multæ, quæ fabricis, ornamentis, bibliothecis, miniſtris, atque alijs ſubſidiis indigent, à Præſulibus ſuis extremo hoc vitæ tempore tamquam deſtitutæ, & ob liuioni prorſus traditæ relinquantur, atque ad propinquos per eorum teſtamenta fructus Eccleſiaſtici transferantur, cum hoc ſit veluti onus quoddam ſemper fructibus illius annexum, vt in pios vſus, non prophanos diſtribuãtur [k].

k c. vobis. c. quatuor. c. conceſſo & c. de reditibus 12. q. 2 Nauar. de redd. Eccl. q. 1 mon. 40. & 48. & q. 2. monit. 13. & q. 3. monit. 2.

Quare cum præter ſanctorum, & veterum multorum exemplum, qui in teſtamentorum ſuorum tabulis, eccleſias ſuas omnibus aliis prætulerunt [l], ætate etiam noſtra, per Dei gratiam, Antiſtites aliquos viros clariſſimos ſumma eorum cum laude, bona ſua pijs locis reliquiſſe, palam notum ſit; propterea non deſinunt ex altera parte, ſatis mirari quamplures, cum videant hunc carnis affectum erga cognatos in multis Eccleſijs tàm latè ſerpere, vt etiam qui alijsin rebus verè bonos ſe paſtores, & Epiſcopos prẽbent, dum crebras habẽt ad populũ conciones, ieiunant, ſtrenuè pro Eccleſia laborant, ſacrificant frequenter, oues q. ſibi commiſſas prouide paſcunt, eaſque magno, atque forti animo regunt; in hac tamen erga conſanguineos mollitie, & teneritudine indecorè nimis, ac perditè labun-

l. S. Gregor. Nazianz. apud Caſ. Baronium. tom 5. pag. 685 & Briſon. in lib. de formul. pagin. 760. & ſequent vbi Teſtamentum S. Remigij. Hadomundi epiſcopi & apud Molã. de pijs teſt. cap. 21.

tur; quod & Tridentino Concilio grauiter interdictum fuiſſe ſcimus [a].

a. Seſſ. 25. c. 3. de refor.

Nec ad rem valdè pertinet, quod teſtandi facultates amplis admodum, latèque patentibus verbis ſint conceptæ; quoniam non alia ſolet ſummorum Pontificum in ijs concedendis eſſe ſententia, quàm vt illarum vſus ſit in ædificationem, non deſtructionem [b]. Et quod dicebat Apoſtolus [c]; *Omnia in nobis honeſtè, & ſecundum ordinem fiant*; Propterea ſicuti magnum erit Epiſcopi in illius exitu vigilantiæ argumentum, ſi in teſtando eccleſiæ ſuæ neceſſitatem rebus alijs omnibus anteferendam eſſe cenſuerit: Sic nō negant ſapiētes, quin clericorum Eccleſiæ ſeruientium inopiæ, familiaribus benè de eccleſia meritis, alijs probis viris, qui pro Eccleſia laborauerint, propinquis ſecundum eorum ſtatum, indigentibus, Monialibus, Hoſpitalibus, alijsue locis pijs, non poſſit, & debeat benignè cōſulere; cū ita & charitas illius magis dilatetur, & in vtilitatem animæ teſtātis, debeat huiuſmodi diſpoſitio largius redūdare.

b. Io. Molan, de pijs teſt, cap. 40. & Nauar. de reddit. Beneſ. q. 1. monit. 6. n. 3.

c. 1. Cor. 14.

Quare vt finem faciamus, cum alia, quæ ad rectam, & piam teſtandi rationem pertinent, ab aliis tradita legantur [d]; nec nos niſi occaſione tantum huius vigilantiæ, hæc fuerimus ingreſſi; nolumus poſtremo vnum prætermittere, quod huius erga res proprias vigilantiæ ſtudium, tamquam vitæ, & mortis nexu iunctum, eò euidentius omnibus declarabit. Illud autem eſt, quod olim Iſaias propheta dixit ad Ezechiam [e]; *Diſpone domui tua, quia morieris*. Quæ verba ſolent à piis, ſpiritualibusque viris ad ſalutarem admodum meditationem transferri, tripliciter domum hāc interpretantibus. Primo pro domo hac exteriore complectente familiam, quā Deus vnicuiq. ſecundū ſtatum ſuū regendam aſſignauit, vt illi rectè, & ſapiēter iuxta ſacros canones, prouideatur.

d. Clicto. de ſtr. morien. c. 10. Io. Polanc. meth. iuuan. c. 3. Io. Mol. de pijs teſt. cap. 47. & ſeq. Nauar. de reddit. Ben. q. 1. mon. 6. n. 3. Henr. Ryſpen lib. de medit. mort. c. 12.

e. Iſaias. c. 38.

Secunda eſt domus, quæ interior, & conſcientię dicitur, vt eadem ita expurgetur, ne quid ſuperſit, quod hominem redarguat; ſed ea pura, mūda, nitidaq. cuſtodiatur, ita vt cum Apoſtolo dicere liceat [f]: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium noſtræ conſcientiæ*. Tertia eſt domus cœleſtis, Regia magni Dei, vbi ſunt mā ſiones multæ, illis præparatæ à conſtitutione mundi, qui per illius gratiam, & bona opera, in eas recipi merebuntur.

f. 2. ad Corinth. 1.

Quamuis igitur triplicis iſtius domus pręparatio ſit omnibus neceſſaria; cum tamen in præſenti de prima tantum nobis ſit ſermo, quæ ad bona hæc terrena rectè, & prudenter diſtribuenda pertinet; admonendi videntur nobis Epiſcopi, cū quibus modo agimus; vt quamdiu integris ſunt ſenſibus, & recto valent iuditio, illud quod faciendum illis erit ſapientum Præſulum more, ne differāt de die in diem, nec mortis aduenturæ horam expectent, quæ plerumq. homines decipit, atq. incautos opprimit. Præſertim cum videamus aliquando nōnullos re vera tenaces, & plus nimio ad rem attētos, qui magnas opes coaceruāt: putantq. ſe officio ſuo ſatisfacere, ſi cum eas toto vitæ ſpatio penè integras conſeruarint, tempore mortis, cum amplius eis frui non poſſunt, eas in alios conferre deliberent. Hi proculdubio meliùs multo, ac tutiùs ſaluti ſuæ conſulerent, ſi negocium hoc prę omnibus grauiſſimum, in extremum tempus non differrent, memores quod ait Apoſtolus [g]. *Dum tempus habemus, operemur bonum.*

g. Ad Galat. cap. 6.

Epilo-

Epilogus, quo concluditur, quid maxime Epiſcopo ſit procurandum, ad paſtoralem curam non ſolum vigili ſolicitudine, ſed etiam cum iucunditate exercendam. Cap. XXI.

POST commemoratas multiplices virtutes, quibus Epiſcopum fulgere oportet, tum ingentia pericula, difficultates, & incommoda, quæ eum iugiter comitantur; ac denique excelſum vigilantiæ ſtudium, quod nunquam eſt intermittendum, ſed perpetuo vſque ad tabernaculi huius depoſitionem retinendum; poſset aliquis, cum hæc tam grauia, tam oneroſa, atque adeo exquiſita eſse iudicet, vt vires quodammodo humanas ſuperent, ſecum forte exiſtimare, ad ideam potius quandam Epiſcopalis perfectionis exprimendam, à nobis ea congeſta fuiſse, quàm vt verè in mores noſtros induci poſsint, propter humanæ naturæ fragilitatem: ſicuti olim, qui Rempublicam, aut oratorem, aut architectum omnibus numeris abſolutum literis effinxerunt, non id egiſſe videntur, quòd talem omnino aliquem facile inter homines inueniri poſſe putarent, qui eaſdem virtutes referret [a]: ſed vt imaginem ſaltem, ac formam illius deſignarent, qualis ſcilicet eſſe deberet, aut qualem illi eſſe cuperent. Alioquin ſi hæc ipſa, quę memorauimus, contendamus nos, non ad ſpeciem à nobis traditam, ſed quòd ita Epiſcopalis muneris neceſſitas, perfectæquè illius adminiſtrationis ratio omnino exigat: ſuſpicari illi fortaſſe poterunt, paucos futuros, qui ad hunc gradum vocati, rerum magnitudine illis obiecta, non terreantur: ac difficultate obeundi huius muneris confracti, animum in medio etiam itineris curſu non deſpondeant, ex quo totius huius conatus noſtri fructus planè amittetur.

[a] *Cic. 1. de Oratore, & in Oratore ad Brutum. Quint. lib. 2. c. 10.*

Vt igitur animi noſtri ſenſum eò clarius aperiamus, dicimus primùm hoc minimè nobis conſilij vnquam fuiſſe, vt hæc ad ſpeciem traderemus, & quaſi formam quandam futuri Epiſcopi effingeremus. Verùm vt in operis huius initio præfati ſumus, hæc Coadiutori, & Succeſſoribus noſtris conſcribēda duximus: cum quibus ſincere, & ſerio, nec ſane aliter, erat agendum. Deinde certum eſt, quod & omnibus facilè patere poteſt, quæcunque ferè à nobis hic collecta fuerunt, ea vel ex ſacris Euangelijs, & Apoſtolorum Epiſtolis, vel ex ſanctorum patrum monumentis; quæ ex ipſius veritatis fontibus hauſta, maximum apud nos pondus habere debent, excepta fuiſſe.

At verò veteres auctores, qui librorum ſuorum argumenta ad quandam perfectionis imaginem tractanda ſumpſerunt, nulla vrgebat neceſſitas, illa ſic perſequendi, quæ legibus nondum fuerant præcepta: ſed ipſi ea potius ſuo arbitrio complexi fuerunt, quàm vt in certam intuerentur virtutum præſcriptionem, cui conſtanter hærerent. Nobis autem in ijs tantum verſari propoſitum fuit, quæ religio, quæ charitas, iuſtitia, ac diſſeminandi diuini timoris zelus, commiſſaſque oues in cæleſtia atria perducendi munus, ab Epiſcopo poſtulabat.

Quòd ſi dicatur humani corporis tenuitatem non poſſe tantam miniſterij molem ſuſtinere, nec tot aſſiduis oneribus, atque anguſtijs reſpondere; ideoque ſi hæc obſeruare velit, facile futurum, vt præ nimio pondere in medio concidat curſu, ac metam ipſam minime attingere valeat.

Reſpondemus, non deeſſe clarorum multorum Epiſcoporum exempla, qui viam Chriſtiano populo, in hoc regendo munere ſalubriter monſtrarunt; ac qui totos ſe huic paſtorali curæ ad lucri faciendas animas addicentes, læti, & exultantes, itineris huius ſemitam feliciter tranſegerunt.

Et ſi replicetur hoc ſingulari, & extra ordinaria Dei gratia, aliquibus quandoque

doque,ſed paucis,& pertaro conceſſum fuiſſe, ad quorum ſummas virtutes,non ita licet alijs aſpirare.

Reſpondemus, quòd ſi humanam ipſam imbecillitatem inſpiciamus, quæ æſtu perturbationum aſſidue concutitur, in multis errat, in plurimis labitur, in omnibus fere deficit: verum id eſt, & euidens, ſanctorum nos cæleſtem illam viuendi normam imitari, ne dum aſſequi minime poſſe. At ſi ad immenſas illas diuini auxilij opes, quibus animas piorum paſtorum abunde ditat miſericors Deus, animum aduerterimus; omnia illos tantis ſuffultos præſidijs, & intelligere, & prouidere,& præſtare poſſe facile confitebimur.

Quòd ſi hæc etiam ſubſidia ſibi Epiſcopus quandoque ſua culpa,& deſidia deeſſe animaduerteret; non tamē ideo ſpe deijci debet, ſed potius memorare, clementiſſimum Deum, qui cognoſcit figmentum noſtrum, humanæ fragilitati compati ſolere,cum miſerationes ſint ſupra omnia opera eius. Vnde eiuſdem benignitate fretus, tametſi quotidie ruit, quotidie etiam ſpe veniæ exurgere poteſt, & debet, ac virtutem in ipſa infirmitate perficere.

Sed & amplius minime nobis omittendum putauimus,quædam à Patribus ſanctis, paſtorali veluti teſtamento nobis commendata, magno futura præſidio, & ſolatio Epiſcopis, in omnibus laboribus, vigilijs,anguſtijs, ac dæmonis inſidijs, & dolis profligandis.

Illud autem eſt, quod agnoſcentes illi, quantum ſoleant labores, & difficultates, quæ humano ingenio moleſtæ ſunt,molliri,ac ſubleuari, vbi mens hominis ſe ad eas ſuſcipiendas inclinatione aliqua deflectit: idcirco in re propoſita cenſuerunt, ſatis non eſſe, Epiſcopum ſupra memoratas ſedulitatis, ac diligentiæ rationes mente complexum fuiſſe, ſiue quicquid paſtoralis eſt muneris,ex librorū traditionibus, aut Epiſcoporum exemplis didiciſſe: ſed oportere hæc omnia proficiſci ab interno quodam ſpiritu, ac paterno dirigi affectu, qui in eius actus omnes aſſidue influat, quos tanquam ſpiritualium aromatum ſuauitate paſtorali condiat ſtudio: vt ſcilicet eius conſilia, factaque, non ſolum cum pietate, prudentia,vigilantia coniuncta ſint, ſed etiam viuidā quandam vim, & ardentem feruorem habeant,quem SPIRITVM EPISCOPALEM vocamus. Et hunc ſignificaſſe videtur Angelus [a], cum Epiſcopum Epheſinum propter multa bona illius opera laudans, vehementer tamen eundem reprehendit,quòd charitatem primam reliquerit,hoc eſt,ex communi interpretatione [b], antiquum charitatis in operando feruorem.

a. Apoc. c. 2.

b. Cel. Tanon. in Apoc. c. 2.

Debet nempe Antiſtes, quoad eius fieri poteſt, ſtudium omne ſuum in hoc munere ponere, mentemque in eo defigere: atque id non ſolum libenter, ſed etiam ſingulari voluntate, & cupiditate amplecti: ac ſibi vnà perſuadere, ſicuti non alij ex arboribus ſylueſtribus fructus colligūtur, quàm aut ſylueſtres, quales ingenita eorum vis fert, aut ſuauiores alij,quos inſita in ijs aliunde germina parturiunt: Sic in paſtorali agro, niſi exciſo humani affectus oleaſtro, SPIRITVM adſciſcat Antiſtes EPISCOPALEM, fieri nunquam poſſe, vt veri, ac proprii Epiſcopales ab eo fructus expectentur. Hoc verò adepto,dubitandum non eſt, quin Præſul non ſolum quamplurima videat,ſentiat, conſideret,prouideat,quę quempiam alium, quātumlibet perſpicacem, ac ſolertem fugerent; ſed etiam gregi omninò ſit intentus, atque mente quieta ſit, ac trāquilla,& læta, cum in eo officio occupatum ſe totum videat, quod Deus ipſi commiſit, in eoque, vt proprio, ipſum in hac vita perpetuo exerceri voluit.

Itaque,ſicut ex deuotionis actu, quo ſe ipſum quis Deo integre ſubdit, oriri ſolet ſpiritualis quædam mentis lætitia, per quam aduerſa omnia facilia redduntur [c], ita qui Epiſcopale munus ſpiritu hoc interiori adminiſtrat, eximiam lætitiæ voluptatem capit, quòd id cum virtute coniunctiſſimum ſit, ac Deo gratiſſimum; quòdque talentum id habeat, certumque, & vbertimum pecu-

c. S. Th. 2. 2. q. 82. art. 2 vbi Caiet.

peculium, ex quo ſperet ſe ampliſſimos; iucundiſſimoſque æternæ felicitatis, & gloriæ fructus percepturum. Quamobrem cum in eo perfecte, & cum feruote obeundo penitus mentem ſuam, & voluntatem, & ſtudium collocet; alienas ab inſtituto ſuo occupationes omnes, oblectamenta, cogitationes, confabulationes deuitat: & ſi qui alieni à propoſito ſuo nuntij rerum nouarum afferantur, ſi quæ incidãt neceſſitudines, & clientelæ, aut ſi qua alicuius diſciplinæ ſtudia ſibi haud eſſe accommodata cognoſcat; illa omnia fabri exemplo, qui officinam non alijs patitur occupari inſtrumentis, quàm iis, quæ ad artem faciũt, repudiat, ac prętermittit. Hincq; etiam id ſequitur; vt quod antea ſibi pondus, & iugum cenſebatur, nunc invirium cedat adiumentum; ſitq; illi, vt ait S. Bernard. *Onus exonerans, ac ſicus pennæ auium, quæ ferunt, in quibus feruntur* [a].

a S.Bernar. epiſt. 72.

Hæc autem ideo commemoramus, ne quis forte exiſtimet, in paſtorali munere ſatis eſſe, magnarum virtutum theſaurum, veluti probitatis, religionis, induſtriæ, prudentiæ, ac quam ſupra expreſſimus, vigilantiæ, cum labore aſſiduo coniunctæ, adhibuiſſe; niſi præterea cum iis animum hunc, & pectus Epiſcopale coniungat, quod ad gubernandas animas in primis eſt neceſſariũ, ac cæteras omnes dotes copulet; & ad huius finis metam dirigat, vt ſcilicet vtiliter paſcatur commiſſus grex. Quandoquidẽ extitiſſe aliquos olim legimus, qui geſtitẽt ſatis officio ſuo facere, quique paſtoralis procurationis ſolicitudine tangerentur: at ſimul ſponte agnoſcerent, & faterentur, animum ſuum eò propenſum non eſſe, nec ſe huiuſmodi adminiſtrationis feruore, & ſpiritu duci, quod valde ſuſcepti operis progreſſum impedit, vt S. Greg. ait [b]. Nam vt in prouerbiis ſcribitur [c]: *Qui mollis, & diſſolutus in opere ſuo fuerit, frater eſt ſua opera diſſipantis*; ſiquidem dum iſte propoſita initio ſubditis bona non perficit; etiam, quæ cæpta fuerunt, conuellit. Vnde dici poteſt, Euangelicum ſalem huic defuiſſe, parumq; ad alios iuuandos eundem vſui eſſe; quoniam id quod gerendum eſt, niſi ſolicita intentione creſcat, eo ipſo etiam, quod fuerat bene geſtũ, decreſcere cenſetur [d]. Et ideo quamuis hic Synodos habeat, decreta promulget, viſitet Diœceſim, ordinationes celebret, hoſpitalia erigat, eleemoſynas largiatur, aliiſque officiis defungatur: ſibi tamen, & aliis non multum prodeſt, cum deſtituatur hoc ſpiritu, & affectu interiote, qui veluti anima eſt, ac vera forma Epiſcopalis. Quæ poſtquam introrſum radices egit, paſtorales fructus aſſidue profert: quæque ſi abſit, non ſolum delectationem illam minuit, quæ munus ſuum ex quodam mentis habitu exercentes comitari ſolet [e]: ſed etiam impedit, ne id ipſum, quod agitur, ita perfectè, & ad viuum exprimatur, provt ea perfici ſolẽt, quæ ex animo geruntur; quod quidem in aliis etiam actionibus vſu venire videmus; Quare clariſsimum quendam pictorẽ, & ſculptorem [f], cum ſacras quaſdam imagines à quodã religioſo viro [g], miro religionis affectu pictas vidiſſet, dixiſſe accepimus: iſte bonus vir pingebat corde, ita vt interiorem deuotionẽ, ac pietatem foris etiam penicillo repræſentaret, quod ego nequaquam efficere poſſem, quippe qui non adeò bene affectum cor me habere ſentiam.

b S.Greg. in paſt. admonit. 35. &. at cõtra ad mmend. c. 18.

c. prouerb. 18.

d. S.Greg. ſup.

e. Ariſt. 2. Ethic. c. 3.

f. Michael Ang. Bonarot.

g Fr. Io. Angel. Domin.

Quòd ſi obiiceret aliquis, immo Epiſcopale miniſterium non in interiore mentis habitu: ſed in exterioribus actibus, veluti prædicando, viſitando, corrigendo, gubernandoque conſiſtere: & ideo interiorem illam animi propenſionem non ita neceſſariam eſſe, vt ſine illa paſtorale munus rectè, & ex dignitate poſsit exerceri. Præterea quando eadem omninò exigeretur, tũc eam in hominis non eſſe poteſtate, ſed à diuinæ gratiæ beneplacito pendere. Nam, vt Christus Dominus dixit: *Spiritus vbi vult ſpirat* [h]: *& diuiſiones gratiarum illius ſunt, qui diuidit ſingulis, pro ut uult* [k]; *diſtribuitque dona unicuique, ſecundũ menſuram donationis ſuæ* [l]. Vnde cum non eũdem omnibus ſpiritum largiatur, ſed huic vnum, & alteri alium: ſi Epiſcopus hunc,

h. 3. Ioa. c. 3.

k. 1. Cor. 12.

l. Epheſ. c. 4.

Digitized by Google

ARCHIEPISCOPALE BONONIENSE

Siue

DE BONONIENSIS ECCLESIAE ADMINISTRATIONE

GABRIELIS CARDINALIS PALAEOTI

PARS SECVNDA.

Quę ſpectat ad fidem, Doctrinam Chriſtianam, & Prędicationem Verbi Dei.

INDEX

RERVM PRAECIPVARVM

Quæ in hac ſecunda Parte continentur.

DE his, quæ pertinent ad Profeſsionem Fidei; & qui teneantur eam emittere.
Forma Iuramenti Profeſsionis Fidei.
Inſtitutio Doctrinæ Chriſtianæ.
Monitiones, & formulæ plures, ad eiuſdem Doctrinæ vſum in Ciuitate Bononiæ.
Ordo ſeruandus in Diœceſi Bononienſi, in eadem Doctrina Chriſtiana edocenda.
De prædicatione verbi Dei.

PARS SECVNDA
DE IIS QVAE AD DOCTRINAM FIDEI EDOCENDAM, ET EXERCENDAM PERTINENT.

COLLECTOR.

HAEC ſecunda Pars, quæ ad Doctrinam Fidei ſpectat, quamuis vi ſua late pateat, & tamquam ſpeculum ſine macula omnibus in rebus ante oculos haberi, & vbique circumferri debeat: attamen mirabitur nemo, ſi paucis capitibus, præcipuarum quarumdam rerum ad regimen Bononienſis Eccleſiæ ſpectantium, à nobis hoc loco comprehenſa fuerit; cum per Dei gratiam, Bononienſis populus ita ſit in vera pietatis cultu, & veteribus ſanctæ Fidei documentis, à priſcis vſque ſeculis, inuiolabili, ac perpetua ſinceritate inſtitutus, vt alij potius ab eo exemplum petere, quàm ille pluribus hac de re præceptis, aut legibus indigere videatur. Vnde ſicuti bene valenti corpori nullis exquiſitis pharmacis eſt opus, ſed ſola ſalubris victus ratio ſufficere conſueuit, ad bonam valetudinem tuendam; idem curauit Illuſtriſſimus Archiepiſcopus in Clero, Populoq. Bononienſi fieri: neque iccirco hùc alias præceptiones afferemus, quòd ad Religionem attinet, ſed quædam tantum quæ à Concilio Tridentino ſancita ille in vſum præcipuè inducenda, atque exercenda mandauit.

DE PROFESSIONE FIDEI.

Tabella eorum qui Profeſsionem Fidei emittere debent in Ciuitate, & Diœceſi Bononienſi Officij, quod gerunt, ratione.

QVI obtinent Canonicatus, aut Dignitates, non ſolùm coram Illuſtriſſimo Archiepiſcopo, ſeu eius Vicario generali, ſed etiã in Capitulo, licet exempto, quoties prouiſi fuerint.

Item Parochi, & quicumque beneficia conſecuti ſunt curam animarum habentia, intra duos mẽſes, à die poſſeſſionis adeptæ coram Archiepiſcopo, ſeu eius generali Vicario, quoties prouiſi fuerint.

Tum ceteri omnes beneficia Eccleſiaſtica habentes, aut ad Presbyteratum promoti, qui Synodo Diœceſanæ intereſſe debent, in eadem Synodo, & quandocumque ad beneficia admiſſi fuerint: qua de re Notarius authenticum conficiat inſtrumentum.

Quicumq. ad Magiſterij ſacræ Theologiæ, ſeu Doctoratus tàm Canonum, atque Legum; quàm Artium ſuſcipienda inſignia acceſſerint, in manibus Illuſtriſſimi Archiepiſcopi; ſiue eius Vicecancellarij, quẽ pro laurea obtinenda adierint: & amplius ad medicam facultatem promouendi iurare debebunt, ſe Bullam Pij V. fel. mem. de infirmis viſitandis plenè obſeruaturos.

Item ludimagiſtri, ſeù præceptores, & alij quicumq., licet non in publicis gymnaſijs, ſed alibi vbilibet publicè, vel priuatim doceant, & quaſcumque artes, ſeu facultates, Grammaticam, Muſicam, Arithmetricam, Geometriam, aut huiuſmodi alia diſcipulis tradant.

FORMA IVRAMENTI PROFESSIONIS FIDEI

Ex Bulla Pÿ IIII. Pont. Max.

EGO .N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo ſancta Romana Eccleſia vtitur, videlicet.

Credo in vnum Deum patrem Omnipotentem, factorem cæli, & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium. Et in vnũ Dominum Ieſum Chriſtum, Filium Dei vnigenitum, & ex patre natum ante omnia ſæcula: Deum de Deo, lumen de lumine: Deum verum de Deo vero: genitum, non factum, conſubſtantialem patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis: & incarnatus eſt de ſpiritu ſancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas. Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritumſanctum dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit: qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur: qui locutus eſt per Prophetas. Et vnam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas, & eccleſiaſticas traditiones, reliquaſquè eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes, & conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector.

Item ſacram Scripturam, iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum Scripturarũ, admitto; nec eam vnquam, niſi iuxta vnanimem cõſenſum patrum, accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & proprie Sacramenta nouæ legis, a Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria; ſcilicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaquè gratiam conferre; & ex his, Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ catholicæ ritus, in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto.

Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de iuſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium, pro viuis, & defunctis, atque in ſanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem, vnà cum anima, & diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, fieriquè conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem: quam conuerſionem catholica Eccleſia Tranſubſtantiationem appellat: Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie, totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi.

Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari.

Similiter, & Sanctos vnà cum Chriſto regnantes venerandos, atque inuocandos eſſe: eoſq; orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas.

Firmiſſimè aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in eccleſia relictam fuiſſe, illarum-

rumque vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo.

Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco: Romanoque Pontifici beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac iuro.

Cætera item omnia à ſacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor. ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo.

Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam, vſque ad extremum vitæ ſpiritum, conſtantiſſimè (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum:

EGO idem N. ſpondeo, voueo, ac iuro, Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

DE DOCTRINA CHRISTIANA.

Summarium eorum quæ pertinẽt ad ſcholas & diſciplinam Doctrinæ Chriſtianæ Bononiæ tradendæ.

INSTITVTA fuit Bononiæ ab Illuſtriſſimo D. Cardinali Archiepiſcopo Congregatio, ſiue ſodalitas vna virorum, altera mulierum pietate, & charitate præſtantium, quorum præcipuus finis eſt, vt ipſorum opera, & labore, Chriſtianæ fidei præcepta pueri, & puellæ edoceantur; quæ quidem Congregatio multis Priuilegijs, & Indulgentijs a Pio V. & Greg. XIII. fuit inſignita, quæ in ipſo initio libelli Doctrinę Chriſtianę hic referũtur.

Vtrique Sodalitati, tã virorum, quam mulierum Illuſtriſſimus Archiepiſcopus particulares regulas, & ſtatuta præſcripſit, ne fructus, qui inde colliguntur vberrimi, cum ordine caruiſſent, minuerentur. in quibus quidem officia cuiliber diſtincta, eorumque functiones diligenter declarantur, & typis edita Bononiæ publice ſunt expoſita.

Cum autem Bononia in quatuor ſit diſtributa Regiones, ſeu, vt vocãt, Quarteria, in eorum ſingulis quinque Eccleſiæ pro puerorum Scholis, totidemq. pro puellis ſunt deputatæ: illarum tamen quælibet ita alia alij proxima, vt operarij, ſeu miniſtri promptiores ſint pio huic labori commodiùs perferendo. Quadraginta igitur ſcholæ ſunt, in quas diſtribuuntur pueri omnes, & puellæ Ciuitatis, XIIII. annum minime excedentes.

Vt recte huiuſmodi Scholę regantur quolibet anno, ex toto generalis Congregationis corpore, Rector eligitur, cui duodecim ſocij tribuuntur, atque hi omnes vnà omnibus ſcholis pręſident, quas frequenter viſitant, & cum occaſio poſtulat, ſecretas etiam Congregationes celebrant, in quibus de ipſarum ſtatu, & progreſſu diligenter agunt.

Singulis Scholis præſunt Præfectus vnus; ſex magiſtri; ſex alij qui ſubmagiſtri appellantur; duo ſilentiarij, qui ſilentium indicunt, ſedendi ordinem præſcribunt &c. Ianitor vnus, qui modeſte ingredi, & egredi pueros curat. &c.

Idem eſt in ſcholis puellarum ordo, eadem Officialium nomina, & munera mulierum, quæ ſcholas adminiſtrant.

Quare ſexcenti, & amplius ſunt, qui operi Doctrinæ inſeruiunt quolibet Dominico die, tam mares, quàm fœminæ.

Pueri & puellæ Dominicis diebus ſtatim à prandio, campanæ ictibus, ad ſcholas ſibi aſſignatas conuocantur, in quibus

Digitized by Google

bus Officiales ſinguli ſua munera exercent.

Exercitatio ſcholæ duabus horis perficitur. ea vero eſt, in recitatione lectionum, in repetitionibus, in diſputationibus aſſignatis à Præfectis, in Interrogationibus, & reſponſionibus ſuper doctrina Chriſtiana, in ſpiritualium laudum aliquo cõcentu, in quorumdam præmiorum diſtributione ijs qui melius ſeſe habuerint, vt ſunt imagines ſacræ, coronæ, aliaue ſimilia, quibus ad diſcendum pueri animantur; atque huiuſmodi exercitatio ſcholarum communi oratione ſemper inchoatur, & concluditur.

Singulis Dominicis diebus, completa doctrinę exercitatione poſt veſperas, qui bus omnes interfuerũt, Rector Congregationis generalis, & reliqui duodecim Officiales, vnà cũ Præfectis, Magiſtris, alijſque miniſtris particularibus ſcholarum, ad ædem diuæ Luciæ conuenire ſolent, vbi ſimul congregati, de adminiſtratione ſcholarum agunt, de fructu, de diligentia puerorum, & quilibet Præfectus præſertim refert numerũ puerorum, qui eo die ſuæ ſcholæ interfuerunt, Secretarius verò Congregationis illum in ſcriptis adnotat.

Eidem Congregationi interſunt, Ianitores ſcholarum puellarũ, qui viri ſunt pij, & ætate graues, qui loco Præfectarum, pariter de puellarum ſcholis Congregationem admonent. atque hoc modo non ſolum conſtat totus omnino numerus puerorum & puellarum, ſed etiam fructus, & neceſſitates ſcholarum manifeſtantur.

Congregantur etiam ſingulis menſibus mulieres Officiales maiores eiuſdem Congregationis videlicet, illa quæ Rectoris munere fungitur, & duodecim aliæ, quæ quolibet anno mutantur, & ſimiliter reliquæ, quæ vocantur minores Officiales Scholarum, vt præfectæ, magiſtræ &c. ea verò, quæ remedio aliquo indigere vident, ad Congregationem hominum referunt, quorum eſt exquirere, vbi opus ſit, remedia, operis ſtabilimentum, atque incrementum.

Porro Illuſtriſſimus Archiepiſcopus ſingulis annis nõ minus ſaltem, quàm ſemel, ſingulas ſcholas viſitare ſolet; atque vt plurimum, niſi maiora impedimenta aliud requirãt, viſitatio inchoatur prima Dominica poſt feſtum S. Petronij, & ante ſolennitatem Natiuitatis Dominicæ abſoluitur. antequam viſitatio incoetur, Rector, & ſocij de Congregationis, & ſcholarum ſtatu, & neceſſitate illum diligenter admonent, vt paratior paſtoralem curam in ſanctiſsimum illud inſtitutum iuuandum conferre poſſit.

Cum ad viſitationem accedit, adſunt pręcipui miniſtri Congregationis, & alij etiã illius Scholæ, quã viſitat, vbi ſedet in editiore aliquo ad id parato loco, & breuem ſermonẽ habet, de grauitate, & neceſſitate illius miniſterij, de debito puerorum, ſeu puellarum in eius exercitatione officio, monetque omnes paterne, atque incitat ad ipſum amplectendum, & proſequendum. Tum audit aliquam breuem diſputationem Doctrinæ Chriſtianæ; poſtmodum aliquem interrogari ex improuiſo, ſe præſente, iubet; Demum ſecreto alloquitur illius ſcholę miniſtros, a quibus edoceri petit, de fructu operis, de frequentia puerorum, de aſſiduitate aliorum miniſtrorum, deque alijs rebus, quibus ipſe poſtea pro ſua paſtorali cura, & ſollicitudine proſpicere debet.

SEQVI-

COLLECTOR.

SEQVITVR libellus Doctrinæ Chriſtianæ: quam quidem Illuſtriſsimus Archiepiſcopus ſanctiſsimis Concilij Tridentini Decretis inhærens, non ſolum vulgari ſermone conſcriptam in vulgus edendam curauit ad puerorum, & puellarum ingenia diuinis præceptis excolenda; verùm etiam Conſtitutionem illam Concilij Lateranenſis ſub Leone X. celebrati in vſum reuocandam ſibi eſſe cenſuit, vt præter eiuſdem Doctrinæ Chriſtianæ ſcholas Bononiæ erectas, eadem Doctrina in ſcholis etiam Grammaticæ, & Rhetoricæ latinè à Præceptoribus traderetur, atque explanaretur. Porrò hic libellus duplex eſt, alter, qui doctrina parua vulgò appellatur, ad incipientes, & rudiores inſtruendos, alter, qui Doctrina maior dicitur, explicationibus illuſtrata, quæ prouectioribus tradi ſolet.

DOCTRINA
CHRISTIANA

Quæ parua dicitur, pro rudioribus & incipientibus, ad vſum Ciu. & Diœc. Bonon. iuſſu Illuſtriſ. Cardinalis Palæoti Archiepiſcopi, edita.

Decretum Concilij Lateranenſis ſub Leone X. Seſsione IX.

CVM omnis aetas ab adoleſcentia prona ſit ad malum, & à teneris aſſueſieri ad bonum, magni ſit operis, & effectus: ſtatuimus, & ordinamus, vt magiſtri ſcholarum, & præceptores, pueros ſuos, ſiue adoleſcentes nedum in Grammatica, & Rhetorica, ac ceteris huiuſmodi, audire, & inſtruere debeant; verùm etiam docere teneantur ea, quæ ad religionem pertinent, vt ſunt præcepta diuina, articuli fidei, ſacri hymni, & pſalmi, & ſanctorum vitæ, diebuſq. feſtiuis nihil aliud eos docere poſſint, quàm in rebus ad religionem, & bonos mores pertinentibus, eoſq. in illis inſtruere, hortari, & cogere (in quantum poſſint) teneantur; vt nedum ad Miſſas, ſed etiam ad Veſperas, diuinaq. Officia audienda, ad Eccleſias accedant, & ſimiliter ad prædicationes, & ſermones audiendos impellant, nihilq. contra bonos mores, aut quod ad impietatem inducat, eis legere poſſint.

Decretum Concilii Tridentini ſub Pio IIII. Pont. Max. Seſsione 24. cap. 4.

EPISCOPI pueros, ſaltem Dominicis, & alijs feſtiuis diebus, in ſingulis parochijs fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & parentes diligentes ab jis, ad quos ſpectabit, doceri curabunt, & ſi opus ſit, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas compellent, non obſtantibus priuilegijs, & conſuetudinibus.

Ex Litteris Pii V. Pont. Max.

VNIVERSOS, & ſingulos Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, ceteroſque Eccleſiarum prælatos, & locorum quorumcumque Ordinarios vbilibet conſtitutos, præſentes & futuros rogamus, & hortamur, attentè eis, ac eorum in ſpiritualibus, & temporalibus Vicarijs, ſeu officialibus generalibus, per Apoſtolica ſcripta mandátes, quatenus hoc opus ſanctiſsimum toto pectore amplectentes, aliquas eccleſias in ſuis ciuitatibus, & diœceſibus reſpectiuè, ſeu loca honeſta, in quibus præfati infantes, & pueri ad audiendum Doctrinam Chriſtianam conuenire poſſint, deputent, & viros ad id idoneos, vita, & moribus approbatos, qui diebus ſaltem dominicis eoſdem infantes, & pueros, ac alias perſonas diuinæ legis expertes, in articulis fidei, & præceptis ſanctæ matris Eccleſiæ inſtruanr, & confirment

Digitized by Google

firment, cligant; & tot ſocietates ſeu confraternitates, quot ad hoc ſanctiſſimum opus exercẽdum eis opportunæ videbuntur, inibi auctoritate noſtra erigant, & inſtituant. Nos enim, vt promptiùs,& alacriùs ad hanc curam ſubeundam omnes Chriſti fideles alliciantur, & eò libentius curam ipſam ſuſcipiant, quò ex hoc dono cæleſtis gratiæ conſpexerint ſe vberiùs refectos; De omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri, & Pauli, Apoſtolorum eius auctoritate confiſi,omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pœnitentibus, & confeſsis, ſeu ſtatutis à iure temporibus firmum confitendi propoſitum habentibus,qui in aliquã dictarum ſocietatum, ſeu confraternitatum vbilibet conſtitutarum intrauerint, & adſcripti fuerint; illis videlicet,qui tam alios docuerint,quàm qui ab alijs in articulis Fidei, & præceptis Eccleſiæ huiuſmodi inſtructi fuerint, quotieſcumque in præfato ſanctiſſimo exercitio ſe occupauerint,quadraginta dies de iniũctis eis pœnitentijs, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, miſericorditer in Domino relaxamus;præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Cęterùm, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus de eis fides forſan facienda foret,deferri; volumus, quòd ipſarum tranſumptis manu publici Notarij ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis,in iudicio, & extra, vbi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur,ſi forent exhibitę vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die. vi. Octobris. M. D. LXVII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Ex Litteris Gregorii XIII. Pont. Maximi.

CVM itaque,ſicuti nuper accepimus,dudum fel. rec. PIVS PAPA. V. prædeceſſor noſter per ſuas litteras omnibus & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus tunc expreſsis, qui eſſent decripti in Societatibus,ſeu Confraternitatibus ad pueros, & alios Chriſti fideles rudes in bonis moribus, & Doctrina Chriſtiana erudiendos in quocumque loco deputatis ſeu deputandis,ac pueros, & Chriſti fideles rudes huiuſmodi in præmiſsis bene inſtruerent, & qui ab eis inſtruerentur in eiſdem certis diebus, & tẽporibus tunc expreſſis, quadraginta dies de iniunctis eis pœnitentijs Apoſtolica auctoritate relaxauerit, prout in dictis litteris, quas idẽ prædeceſſor perpetuò valere decreuit, pleniùs continetur. Nos tam pium, & numquam ſatis laudandum opus amplioribus etiam gratijs,& ſpiritualibus muneribus proſequi volentes, dictos quadraginta dies, ad centum dies,auctoritate Apoſtolica,tenore præſentium extẽdimus, & ampliamus, ita quòd perſonæ ſupradictæ præmiſſa adimplendo, non ſolùm dictos quadraginta dies, ſed centum dies Indulgentiæ præfatis diebus, & temporibus, vt præfertur, in totum conſequantur, & conſequi poſſint. Præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis manu alicuius Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, Die. xxi. Octobris, milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Pontificatus noſtri anno primo.

Ex Litteris Gregorii XIII. Pont. Maximi.

OMNIBVS, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus Ciuitatis, & Diœceſis Bononienſis,verè pœnitentibus, & confeſſis, qui in eadem Doctrinæ Chriſtianæ Congregatione tempore publicationis præſentium litterarum deſcripti reperientur, & in die, quo in ea ſe adſcribi fecerint, vt debitam in ea præſtent operam; necnon qui ſemel in anno in aliquo die,per Cardinalem præſcribendo, ac etiam in mortis

mortis articulo cuiuslibet ipſorum plenariam omnium, & ſingulorum peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur; Quicumque verò de prædictis Doctrinam Chriſtianam docuerit, ſeu docenti coadiutor extiterit, ipſis centum dies: Patribus autem, ac matribus, & aliis perſonis filios, ac filias, ad ipſam Doctrinam Chriſtianam ediſcendã mittentibus, ac quibuſuis orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam, pro ſanctæ matris Eccleſiæ exaltatione, ac hæreſum extirpatione, & huius laudabilis operæ conſeruatione, & augmento deuotè recitando, etiam dies centum: ac prætera illis, qui diebus feſtis, in eorum ſcholis, Rectori ipſius Congregationis rationẽ reddent, & ſermonem à ſuo patre ſpirituali habendum audiuerint, centum pariter dies de iniunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis, harũ ſerie, relaxamus. Contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Dat. Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris. Die. vi. Iunii. M. D. LXXVI. Pont. Noſtri Anno Quinto.

IDEM Sanctiſsimus D. N. Papa Gregorius per litteras ſuas ſub Dat. Tuſculi, Anno Incarnationis dominicę milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, ſexto Kal. Iunii, anno quinto, conceſsit omnibus; & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui in dictam Confraternitatem Doctrinæ Chriſtianæ ex nunc deinceps intrauerint, in eorum ingreſſu huiuſmodi (quotieſcunque peccata ſua confeſsi fuerint, & ſacram communionem receperint) decem annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentiis.

Item conceſsit dictis Confratribus vtriuſque ſexus, ſi confeſsi fuerint, & receperint ſacram communionem, decem annos, & totidem quadragenas bis in anno.

Item conceſsit dictis Confratribus deſcriptis, & deſcribendis centum annos indulgentiæ, quotieſcunque in huiuſmodi ſancto exercitio ſe occupauerint.

Item dictis Confratribus, quotieſcunque ſe in vnum congregauerint, & de rebus ad promotionem, & felicem ſucceſſum inſtitutionis puerorum in Doctrina pertractauerint, centum dies de iniunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis, in Domino miſericorditer relaxauit.

Item dictis Confratribus, qui ſingulis annis ſemel iuxta determinationem, & prouidam ordinationem ſuorum ſuperiorum, vere pœnitentes, & confeſsi ſacram Communionem receperint, necnon eiſdem ſimiliter contritis, & pœnitentibus pro tempore decedentibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo plenariam omniũ peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſsionem miſericorditer in Domino conceſsit, & elargitus eſt. Dictis litteris perpetuis futuris temporibus duraturis.

De Signo Crucis.

M. *Quodnam eſt ſignũ Chriſtiani?*
D. Signũ ſanctæ Crucis, quod fit dicendo; in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

De oratione Dominica.

M. Quæ eſt Oratio Dominica?
D. Pater noſter, ſeptem continens petitiones.
M. Eas recita.
D. 1. Pater noſter, qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum.
2 Adueniat regnum tuum.
3 Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra.
4 Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.
5 Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.
6 Et ne nos inducas in tentationem.
7 Sed libera nos à malo. Amen.

De Salutatione Angelica.

M. Quæ eſt Salutatio Angelica?

D. Aue Maria, diuiſa in tres partes.

1 Aue Maria gratia plena, Dominus tecum.

2 Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Ieſus.

3 Sancta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis noſtræ. Amen.

De Articulis Fidei.

M. Quot ſunt Articuli fidei?

D. Duodecim.

M. Qui

D. 1. Credo in Deum, patrem omnipotentem, creatorem cæli, & terræ.

2 Et in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, Dominum noſtrum.

3 Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine.

4 Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus.

5 Deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis.

6 Aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.

7 Inde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos.

8 Credo in Spiritum ſanctum.

9 Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem.

10 Remiſſionem peccatorum.

11 Carnis reſurrectionem.

12 Vitam æternam. Amen.

De Septem Sacramentis Eccleſiæ.

M. Ad conſequendum finem, quem fides proponit, quid tandem eſt neceſſarium?

D. Sacramenta, quæ ſunt ſeptem, id eſt.

1 Baptiſmus. 5 Extrema vnctio.

2 Confirmatio. 6 Ordo Sacer.

3 Euchariſtia. 7 Matrimonium.

4 Pœnitentia.

De decem Præceptis.

M. Vt cæleſtem patriam conſequamur, quid eſt agendum?

D. Diuina præcepta obſeruanda, quæ ſunt decem, & habentur Exo. xx.

1 Non habebis Deos alienos corã me.

2 Non aſſumes nomen Dei tui in vanum.

3 Memento, vt diem Sabbathi ſanctifices.

4 Honora patrem tuum, & matrẽ tuam, vt ſis longæuus ſuper terram.

5 Non occides.

6 Non mœchaberis.

7 Non furtum facies.

8 Non loqueris contra proximũ tuum falſum teſtimonium.

9 Non concupiſces domũ proximi tui.

10 Non deſiderabis vxorem eius, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, neque omnia, quæ illius ſunt.

De præceptis Eccleſiæ.

M. Quot ſunt Eccleſiæ præcepta?

D. Multa, ſed præcipua, quinque.

1 Vt omnibus Dominicis, & feſtis diebus rei diuinæ, quæ miſſa dicitur, interſis.

2 Ieiunium ſtatis diebus adhibeas.

3 Decimas ſoluas.

4 Semel ſaltem in anno peccatis tuis confitendis te expies.

5 In Dominica Reſurrectionis Euchariſtiam accipias.

De peccatis capitalibus.

M. Quot ſunt peccata capitalia?

D. Septem.

1 Superbia. 5 Gula.

2 Auaritia. 6 Inuidia.

3 Luxuria. 7 Accidia.

4 Ira.

De virtutibus quæ peccatis capitalibus aduerſantur.

M. Quot ſunt virtutes peccatis capitalibus aduerſantes?

D. Septem.

1 Humilitas.	*Aduerſantur*	Superbiæ.
2 Liberalitas.		Auaritiæ.
3 Caſtitas.		Luxuriæ.
4 Patientia.		Iræ.
5 Abſtinentia.		Gulæ.
6 Amor Proximi.		Inuidiæ.
7 Diligentia ſpiritualis.		Accidiæ.

De

De donis Spiritus ſancti.

M. Quot ſunt dona Spiritus ſancti?
D. Septem.
1 Donum Sapientiæ. 5 Scientiæ.
2 Intellectus. 6 Pietatis.
3 Conſilij. 7 Timoris.
4 Fortitudinis.

De operibus Miſericordiæ.

M. Quot in partes opera miſericordiæ diuiduntur?
D. In duas.
M. Cedo, quas?
D. Corporis, & Spiritus.
M. Quam multa ſunt, quæ corpus attingunt?
D. Septem.
M. Quæ.
D. 1. Cibum ſuppeditare eſurientibus.
2 Potum ſitientibus.
3 Nudis amictum.
4 Captiuis libertatem.
5 Morbo laborantes inuiſere.
6 Hoſpitio peregrinos recipere.
7 Mortuos ſepulturæ mandare.

De operibus Miſericordiæ ſpiritualibus.

M. Quot ſunt opera miſericordiæ ſpiritualia?
D. Septem.
M. Quæ?
D. 1. Bonum conſilium dare.
2 Corrigere peccantes.
3 Docere rudes.
4 Conſolari mœrentes.
5 Condonare iniurias.
6 Orare pro viuis, & mortuis.
7 Ferre aliena errata.

De Virtutibus Theologicis.

M. Quot ſunt virtutes Theologicæ?
D. Tres.
1. Fides. 2. Spes. 3. Charitas.

De Virtutibus Cardinalibus.

M. Quot ſunt virtutes Cardinales?
D Quatuor.
1 Prudentia. 3 Fortitudo.
2 Iuſtitia. 4 Temperantia.

De Corporis ſenſibus.

M. Quot ſunt corporis ſenſus?
D. Quinque.
1 Viſus. 4 Guſtus.
2 Auditus. 5 Tactus.
3 Odoratus.

De animæ potentijs.

M. Quot ſunt potentiæ animæ?
D. Tres.
1 Intellectus. 3 Voluntas.
2 Memoria.

De diebus ieiuniorum.

M. Quot ſunt dies Ieiunij?
D. Tota Quadrageſima, diebus Dominicis exceptis.
Quatuor Anni tempora, nempe
Vere, prima hebdomada Quadrageſimæ.
Aeſtate, in hebdomada Pentecoſtes.
Autumno, primi dies ſequentes feſtum ſanctæ Crucis in menſe Septembri.
Hyeme, poſt feſtum Diuæ Luciæ.
Ieiunatur quarta, ſexta feria, & ſabbatho.

De vigilijs ex præcepto Eccleſiæ obſeruandis.

M. Quot ſunt vigiliæ, ex præcepto Eccleſiæ obſeruandæ?
D. Vigilia Natiuitatis domini noſtri Ieſu Chriſti.
Pentecoſtes.
Aſſumptionis glorioſæ Virginis.
Omnium ſanctorum Apoſtolorum, præterquàm ſanctorum Iacobi, Philippi, & Ioannis Euangeliſtæ.
Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ.
Sancti Laurentij, &
Feſti Omnium Sanctorum.

De feſtis diebus ex præcepto Eccleſiæ obſeruandis.

M. Qui ſunt dies Feſti celebrandi?
D. Natiuitas D. N. Ieſu Chriſti.
Circumciſio eiuſdem,
Feſtum D. Stephani,
D. Ioannis Euangeliſtæ.
Epiphania Domini.
Paſcha reſurrectionis cum duobus ſequentibus diebus.
Inuentio ſanctæ Crucis.
Solemnitas corporis D. N. Ieſu Chriſti.
Natiuitas, Annunciatio, Aſſumptio, & Purificatio Beatæ Virginis Mariæ.
Natiuitas ſancti Ioannis Baptiſtæ.

Omnes feſti dies duodecim Apoſtolorũ.
Sancti Laurentij.
Sancti Michaelis in menſe Septembris.
Omnium Sanctorum.
Omnes dies Dominici, alijq; feſti dies, quos in ſuis Diœceſibus Epiſcopi ſeruari iuſſerint.

De feſtis mobilibus.

M. Quæ ſunt feſta, quæ dicuntur mobilia?
D. Aduentus Domini.
Dominica Septuageſimæ, Sexageſimæ, Quinquageſimæ, & Quadrageſimæ.
Dies cinerum.
Paſcha.
Aſcenſio Domini.
Pentecoſte,
Dominica Sanctæ Trinitatis.
Solemnitas Corporis Chriſti.

De fructibus Spiritus ſancti.

M. *Quot ſunt fructus Spiritus ſancti?*
D. Duodecim.

1 Charitas. 7 Benignitas.
2 Gaudium. 8 Manſuetudo.
3 Pax. 9 Fides.
4 Patientia. 10 Modeſtia.
5 Longanimitas. 11 Continentia.
6 Bonitas. 12 Caſtitas.

De Statibus Eccleſiæ.

M. *Quot ſunt status Eccleſiæ?*
D. Tres.
1 Virginum.
2 Continentium.
3 Coniugatorum.

De Myſterijs Roſarij.

M. Quot ſunt myſteria Roſarij?
D. Quindecim, eaq. tripartita, in myſteria videlicet Gaudij, Doloris, & Gloriæ,
M. Quæ ſunt Gaudij?
D. 1. Cum Angelus Virgini nunciauit, fore vt conciperet filium Dei.
2 Cum beata Virgo viſitauit S. Eliſabeth.
3 Cum peperit filium ſuum Chriſtum benedictum.
4 Cum eum obtulit in templo.
5 Cum eum, poſt tres dies, in medio doctorum inuenit.
M. Quæ Doloris?
D. 1. Cum Chriſtus orauit in horto.
2 Cum fuit flagellatus ad columnam.
3 Cum corona ſpinea redimitus.
4 Cum Crucem pertulit in Caluariæ montem.
5 Cum Cruci fuit affixus.
M. *Quæ Gloriæ?*
D. 1. Cum Chriſtus triumphans, & glorioſus ſurrexit.
2 Cum in Cælum aſcendit.
3 Cum emiſit Spiritum ſanctum in Apoſtolos.
4 Cum ipſa beata Virgo aſſumpta fuit in cælum.
5 Cum fuit coronata ſuper omnes Angelos, & Beatos.

De Quatuor Nouiſſimis.

M. Quot ſunt hominis nouiſſima?
D. Quatuor.

1 Mors. 3 Infernus.
2 Iudicium. 4 Paradiſus.

De examine conſcientiæ.

M. Examinaturus conſcientiam, quid agis?
D. Primùm generaliter peccata confiteor, dicendo.
Confiteor Deo omnipotẽti, beatæ Mariæ ſemper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Ioanni Baptiſtæ, ſanctis Apoſtolis Petro, & Paulo, & omnibus Sanctis, quia peccaui nimis cogitatione, verbo, & opere, mea culpa, mea maxima culpa. Ideò precor beatam Mariam ſemper Virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Ioannem Baptiſtam, ſanctos Apoſtolos Petrum, & Paulum, & omnes Sanctos orare pro me ad Dominum Deum noſtrum.
2 Deinde, gratias ago Deo, de omnibus beneficijs acceptis, præcipuè verò illius diei.
3 Tum precor, vt illuſtrer, & iuuer ad agnoſcenda, & deteſtanda peccata.
4 Exigo rationem ab anima mea de omnibus peccatis, quibus eo die Deum offendi, ſiue cogitationibus, verbis, operibus, aut omiſſione, ea præcipuè animaduertens, ad quæ procliuiorem me ſentio.
5 Peto humiliter veniam omnium peccatorum meorum.
6 Statuo ex animo in poſterum ea caue-

nere, & confiteri, dicendo ad extremum ter: Pater noſter, & Aue Maria, Credo, & Salue Regina.

De Benedictione Menſæ.

M. C*Vm accumbis, quid agis?*

D. Precor in hunc modum.

Benedic Domine nos, & hæc tua dona, quæ de tua largitate ſumus ſumpturi, per Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

Pater noſter. Aue Maria.

M. Poſtquàm accubuiſti, quid ais?

D. Dico hanc precatiunculam.

Agimus tibi gratias omnipotens Deus, pro vniuerſis beneficiis tuis, qui viuis, & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

Pater noſter. Aue Maria.

Dominus det nobis ſuam ſanctam pacem. Amen.

De Salue Regina.

M. P*Ræter ſalutationem Angelicam, habes aliam precationem ad venerandam beatam Virginem?*

D. Imò hãc, in quatuor partes diuiſam.

1 Salue Regina, mater miſericordię, vita, dulcedo, & ſpes noſtra ſalue.

2 Ad te clamamus exules filij Euæ, ad te ſuſpiramus, gementes, & flẽtes in hac lachrymarum valle.

3 Eia ergo Aduocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte.

4 Et Ieſum benedictum fructum ventris tui, nobis poſt hoc exilium oſtende, ò clemens, ò pia, ò dulcis virgo Maria. Dignare me laudare te, virgo ſacrata. Da mihi virtutem cõtra hoſtes tuos. Amen.

De oratione ad Angelum cuſtodem.

M. V*T Angeli cuſtodiæ nos committamus, quid dicendum?*

D. Hæc adhibenda precatio eſt.

Angele Dei, qui cuſtos es mei, me tibi commiſſum pietate ſuperna, hodie illumina, cuſtodi, rege, & guberna. Amen.

FINIS.

DOCTRINA CHRISTIANA.

Explicationib. illuſtrata, quæ maior dicitur, ad vſum Ciuit. et Diæceſ. Bonon. iuſſu Ill.mi Card. Paleoti Archiepiſcopi edita.

PARS PRIMA.

Declaratio de nomine Chriſtiani. Cap. I.

M. L*Audatus ſit Ieſus Chriſtus.*

D. Semper laudatus ſit.

M. Es ne tu Chriſtianus?

D. Sum beneficio IESV Chriſti Domini noſtri.

M. Vnde dicitur hoc nomen, Chriſtianus?

D. A Chriſto, quod eſt profiteri fidem Ieſu Chriſti.

M. Qua dignitate afficitur, qui ſit Chriſtianus?

D. Efficitur filius Dei, frater Chriſti, hæres cæli, omnibuſque aliis muneribus cumulatur, dummodo ſit ſanus, & viuum membrum Chriſti.

M. Quis verò eſt Ieſus Chriſtus Dominus noſter?

D. Verus Deus, & verus homo.

M. Vt eſt verus Deus?

D. Quia verus, & vnicus filius eſt Dei Patris omnipotentis.

M. Vt eſt verus homo?

D. Quia verus, & vnicus filius eſt glorioſæ Virginis Mariæ.

M. Quid ſibi vult hoc nomen, Chriſtus?

D. Significat vnctum affluentiſsima gratia Spiritus ſancti, vt verum Regem ſuper oẽs Reges, & vt verum Meſsiã.

M. Ieſus porrò quid ſignificat?

D. Saluatorem.

M. Cur verò vocatur Saluator?

D. Quoniam ſalutem attulit, pretioſiſsimo ſuo ſanguine redimens nos, & liberans à Dæmone, à peccato, & morte æterna.

M. Cur. Dominus noſter Ieſus Chriſtus de Cælo in terram deſcendit?

D. Vt eriperet nos de poteſtate diaboli, & viam muniret in cælum.

M. *Vt verò liberauit ab hoſte?*

D. Mortē oppetens pro nobis in Cruce.

M. Vt viam docuit ad Cælum?

D. Prædicans, & docens ſuam ſanctam doctrinam.

M. Quæ eſt hæc Doctrina?

D. Quam Ieſus Chriſtus *D*ominus noſter nos per ſe primùm re, & verbis; deinde per Apoſtolos ſuos, & per ſanctam Eccleſiam, docuit.

De Signo Sanctæ Crucis. Cap. II.

M. *EXordientes igitur, dic mihi, quo ſigno diſtinguntur Chriſtiani ab omnibus infidelibus?*

D. Signo ſanctæ Crucis; quod fit, inuocando ſanctiſſimam Trinitatem, ſic dicendo: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

M. *Quid ſignificat hoc ſignum?*

D. Sanctiſſimam Trinitatem, Incarnationem Ieſu Chriſti, eius paſſionem, & mortem.

M. *Quid ſibi vult ſanctiſſima Trinitatis nomen?*

D. Significat tres perſonas diuinas, Patrem, Filium, & Spiritū ſanctum; quæ vnus tantùm ſunt Deus.

M. *Cur primùm admouetur capiti manus, dū dicitur: In nomine Patris?*

D. Vt ſignificetur, Patrem æternum eſſe principium Filij, & Spiritus ſancti.

M. *Cur verò ventri, cum dicitur: & Filij?*

D. Ad ſignificandum, Filium eſſe genitum ex Patre.

M. *Cur ab vno humero, ad alterum ducitur manus, dicendo, & Spiritus ſancti?*

D. Vt indicetur, Spiritum ſanctum amorem eſſe procedentē à Patre, & Filio.

M. *Dic, quo modo ſignum Crucis ſignificat myſterium ſanctiſſimæ Incarnationis Ieſu Chriſti?*

D. Primùm enim tangendo caput, dum dicimus, In nomine Patris, ſignificamus Chriſtum dominum noſtrum venire à Patre: Deinde admouēdo manum ventri, dum dicimus, & Filij, ſignificamus, Filium humanā carnem in vtero Mariæ virginis induiſſe. *De*nique ducendo manum à ſiniſtro humero ad dextrum, dicendo, & Spiritus ſancti, ad ſupplicium Crucis, & inde tranſiſſe ad gloriam, & dexteram *D*ei Patris omnipotentis.

M. *Cur obſignamus nos hoc ſigno?*

D. Vt profiteamur nos eſſe Chriſtianos, & teſtificemur, ꝑ Crucē Ieſu Chriſti nos eſſe ſaluatos, & redēptos; deniq. per ipsā omnia nos bona aſſequutos.

M. *Quid proficit in nobis ſignum ſanctæ Crucis?*

D. Præbet vires ſpiritus aduerſus *Dæ*monem, illum à nobis abigendo.

M. *Quando adhibendū nobis eſt hoc ſignum?*

D. Quoties aliquid inchoamus, cū verſamur in aliquo periculo, cum tentamur: præcipuè verò mane, lecto ſurgentes, domo exeuntes, eccleſiam ingredientes, ſumendo cibum, eundo cubitum; alijs quoque horis, & locis, quò frequentius poſſumus.

M. *Cur toties, & ad initia omniū actorum?*

D. Vt muniamur, & roboremur aduerſus hoſtes, qui vbique, & omnibus horis tendunt nobis inſidias; atque vt omnes noſtræ actiones referantur ad honorem, & gloriam *D*ei; deniq. vt ſæpius paſſionem, & mortem Chriſti commemoremus.

De Oratione Dominica. Cap. III.

M. *QVid vero agendum, vt quæ inſtè optamus, à Deo obtineamus?*

D. Vtilis ad hoc in primis, & efficax eſt Oratio.

M. *Quid eſt Oratio?*

D. Eſt excitatio mentis in *D*eum, & petitio eorū, quæ ſpectant ad ſalutem.

M. *Quæ cæteris Orationibus eſt præſtantior?*

D. Oratio *D*ominica.

M. *Cur ita?*

D. Quia inſtituta à Ieſu Chriſto Domino noſtro vero *D*eo, & ab eo tradita ſuis diſcipulis; quia etiā in ea petuntur quæ præcipuè petenda ſunt.

M. *Quot petitiones continet.*

D. Septem.

M. Ex-

M. *Explica mihi primam petitionem.*

D. Prima bipertita eſt, cōtinet enim breuem hanc inuocationem: Pater noſter, qui es in Cælis. Deinde verò petitionem, ideſt, Sanctificetur nomen tuum.

M. *Quò ſpectat mihi prima pars?*

D. Ad prouocandum Deum ad amorem, & beneuolentiam, dum eum Patrem noſtrū cæleſtem appellamus, & recolimus ſummū illud beneficium, quo per Chriſtū nos ſibi filios adoptauit, & hæredes regni cæleſtis effecit.

M. *Quid continet prima petitio. Sanctificetur nomen tuum?*

D. Iuſtum, & pium deſiderium verorum Dei filiorum, optantium honorem, & gloriam Diuinæ Maieſtatis, & vt agnoſcatur, honoretur, colatur ab omnibus rebus creatis.

M. *Quid in ſecunda petimus. Adueniat regnum tuum?*

D. Petimus regnum gratiæ eius in hac vita, hoc eſt, vt Deus habitet, & regnet in nobis per gratiam, in altera porrò vita per gloriam.

M. *Quid in tertia poſtulamus. Fiat voluntas tua?*

D. Auxilium gratiæ eius, vt integrè, ſincerè, hilariter eius volūtati obſequamur in terra, vt Beati omnes in cælo.

M. *Quid in quarta. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie?*

D. Petimus omnia neceſſaria ad ſuſtentandā vitam tùm corporis per alimēta corporis, tum ſpiritus per ſpiritualia; nimirum per verbum Dei, per ſacramenta ſanctæ Eccleſiæ, maximè verò per ſanctam Euchariſtiam.

M. *Quid optamus in quinta. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris?*

D. Miſericordiam, & veniam à clementiſſimo Patre noſtro Deo, de omnibus peccatis noſtris, parati item nos eius amore ignoſcere omnibus inimicis noſtris.

M. *Quid poſtulamus in ſexta cum dicimus. Et ne nos inducas in tentationem?*

D. Poſtulamus iuuari, & Diuina virtute ſuſtentari, ne vllo modò tentationibus Dæmonis, Mundi, & Carnis ſuccumbentes, peccato conſentiamus.

M. *Quid tandem ſeptima, & vltima. Sed libera nos à malo?*

D. Precamur liberari ab omnibus malis, & miſerijs huius vitæ, tum animæ tum corporis; vt peccato, & omni alio impedimēto liberi, Dei voluntati obſequamur, ad gloriam eius Diuinæ Maieſtatis, & noſtram ſalutem.

M. *Cur ad finem additur. Amen?*

D. Ad confirmationem omnium dictorū: vox enim illa Hebræa valet idem latinè, quod, ſic fiat, ita ſit.

De Salutatione Angelica. Cap. IIII.

M. POst *Orationem Dominicam, quæ Oratio præſtantior, & nobilior?*

D. Salutatio Angelica.

M. *Quis huius Orationis auctor?*

D. Primæ partis Angelus, cum ſic glorioſam Virginem ſalutauit. Aue gratia plena, Dominus tecum.

Alterius ſancta Eliſabetha, cum dixit: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, Ieſus.

Tertiæ Eccleſia, illius videlicet. Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis noſtræ. Amen.

M. *Cur dicitur Aue Maria?*

D. Vt ſalutemus, & veneremur ſanctiſſimā Dei Matrem, Cæli reginam, Matrem gratię, & miſericordiæ, Matrem noſtram, & Aduocatam pro nobis apud ſuum Filium, illiuſque patrocinium imploremus.

M. *Quid prodeſt huiuſmodi ſalutatione vti?*

D. Reuocat primùm nobis in mentem gratam, & ſalutarem memoriam ipſius ſanctiſſimæ Virginis, & Incarnationis Domini. Deinde monet, vt eius gratiam, & patrocinium apud Deum procuremus.

M. *Quid præterea colligimus ex hac Oratione?*

D. Singularia priuilegia, & laudes incomparabiles Beatiſſimæ Virginis.

Eſſe videlicet plenam gratiæ, & omnibus donis & virtutibus.

Eſſe benedictā præ cæteris mulierib⁹.

Eſſe matrẽ Regis Regum, Chriſti Dei, & Domini noſtri.
Eſſe eandem Virginem, & Matrem.

De Symbolo Fidei Apoſtolico. Cap. V.

M. Qvid tenetur credere Chriſtianus?
D. Id totum, quod Symbolo Apoſtolorum continetur.
M. Quid illo continetur?
D. Summa eorum, quæ credit, & profitetur Sancta Catholica Eccleſia Romana, & quiſque Chriſtianus credere, & profiteri debet, eſtque in duodecim articulos diſtinctum.
M. Omnes hi articuli conueniunt ne Patri?
D. Minimè. primus namque Patri, vt Creatori, reliqui ſex Filio, vt Redemptori, quinque Spiritui ſancto, vt Sanctificatori.
M. Quid indicat primus articulus. Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ?
D. Primam Trinitatis perſonam, id eſt Patrem cæleſtem, & æternum, cui nihil impoſſibile, nec difficile factu, qui ex nihilo Cælum, terram, & omnia viſibilia, & inuiſibilia creauit, aſſiduè conſeruat, & ſua ſumma bonitate, & ſapientia moderatur.
M. Secundus articulus. Et in Ieſum Chriſtum Filium eius, vnicum Dominum noſtrum, quem ſenſum habet?
D. Oſtendit ſecundam Trinitatis perſonam, Ieſum Chriſtum Filium Dei naturalem, & vnicum, ab æterno ex Patre genitum, Dominum, & Redemptorem noſtrum; qui nos perditos ſuo ſanguine, & morte redemit, & reparauit pro ſua infinita miſericordia, & charitate.
M. Quid credendum proponit tertius articulus. Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto natus ex Maria virgine?
D. Proponit altiſſimum myſterium Dominicæ Incarnationis, ipſe enim Dei Filius de Cælo deſcendens, naturam humanam modo ſingulari, & admirabili aſſumpſit, ſi quidem conceptus eſt ſine Patre, virtute Spiritus ſancti, & natus ex Maria Virgine immaculata.
M. Quid docet nos quartus. Paſſus eſt ſub Pontio Pilato Crucifixus, mortuus & ſepultus?
D. Myſterium humanæ Redemptionis, & liberationis per ſanctiſſimam Domini noſtri paſſionem, qui ſecundum humanitatem, quamuis ſine peccato, & innocentiſſimus, tum, cum præſes erat Pilatus, acerbiſſimè pro nobis omnibus cruci affixus, verè mortuus eſt, atque ſepultus.
M. Quinto articulo. Deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis, quid credendum proponitur?
D. Myſterium Chriſti Reſurrectionis, qui ſecundum animam cum deſcendiſſet in limbum ad liberandos ſanctos Patres, tertia à morte die, recepto, vi ſua, proprio corpore, reuixit.
M. Quid continet ſextus. Aſcendit ad Cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis?
D. Myſterium glorioſæ Aſſumptionis Chriſti. qui, peracto Redemptionis noſtræ opere, tranſiuit ex hoc mundo ad Patrem, & virtute ſua glorioſus, & triumphans conſcendit in Cælũ ſupra omnes res creatas in æqualitate paternæ gloriæ collocatus.
M. Quid ſeptimo continetur. Inde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos?
D. Extremum Iudicium, quo Chriſtus alio viſibili aduentu ſuo omnes bonos, ac malos iudicabit, & vnicuiq. reddet ſecundum opera eius.
M. Quid indicat octauus. Credo in Spiritum Sanctum?
D. Tertiam in Trinitate perſonã, id eſt, Spiritum ſanctum, qui procedens à Patre & Filio, verus eſt & æternus Deus, vnà cũ Patre, & Filio regnans, ac perinde, pari cum illis adoratione colitur.
M. Quid nonus. Sanctam Eccleſiam Catholicam ſanctorum communionem?
D. Docet nos, Eccleſiam eſſe Congregationem fidelium. quæ vna eſt fide, doctrina, & ſacramentis ſancta, id eſt, mundata ſanctiſſimo Chriſti ſui capitis,

Digitized by Google

capitis, & ſponſi ſanguine: Catholica, ideſt, vniuerſalis, per omnes mundi partes diffuſa, omnes omnino fideles cõprehendens. In qua ſit communio, & participatio Sanctorum; cum enim fideles vnius corporis membra ſint, dum gratia potiuntur, inuicem participes ſunt omnium meritorum, & Orationum eius.

M. Quid oſtendit decimus. Credo remiſſionem peccatorum?

D. Remiſſionem docet peccatorum, quantumuis grauium, & multorum, eſſe tantùm in Eccleſia Catholica ex meritis Chriſti, quæ à Spiritu ſancto illis tantùm confertur, qui ritè vtuntur Sacramentis.

M. Quid ſibi vult vndecimus. Credo carnis reſurrectionem?

D. Affirmat reſurrectionem carpis futuram extremo die, cum omnes boni, & mali à mortuis excitati ſiſtentur ad Chriſti Tribunal, vt iudicentur, & recipiat quiſque, prout ſe geſſit in corpore bene, vel male.

M. Quid duodecimo, & vltimo articulo proponitur. Credo vitam æternam?

D. Vita æterna, vt certo ſciamus poſt hanc vitam aliam eſſe longè ab hac diuerſam, verè tutam, beatam, ac ſempiternam, quam Chriſtus fidelibus, & obedientibus ſibi promiſit, vt contra incredulis, & inobedientibus parauit ſupplicium, & æternam mortem in Inferno.

De Septem Eccleſiæ Sacramentis. Cap. VI.

M. *SI tu es Chriſtianus, & Dei filius per Ieſu Chriſti gratiam, age dic, quomodo hoc es conſequutus?*

D. Per Baptiſmi ſacramentum.

M. Quid eſt Sacramentum?

D. Eſt ſignum quoddam externum gratiæ interioris, & inuiſibilis, quam Deus per ipſum in animam infundit, à Chriſto inſtitutum, vt remedium contra peccatum.

M. Quid eſt Baptiſmus?

D. Eſt ablutio corporis exterior facta ſub forma præſcripta verborum.

M. Quid eſt Chriſma?

D. Eſt ſignatio hominis baptizati in fronte facta ab Epiſcopo ad roborandum hominem in fide.

M. Quid eſt Euchariſtia, ſiue Communio.

D. Eſt realis præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini.

M. Quid eſt Pænitentia, vel Confeſſio?

D. Eſt conuerſio hominis peccatoris ad Deum, qua ex animo odit peccatum, cum propoſito deinceps non peccandi.

M. *Quid eſt Extrema vnctio, ſiue Oleum ſanctum?*

D. Eſt Sacramentum, vnctionis infirmorum, ad ſalutem animæ, & corporis.

M. Quid eſt Ordo ſacer.

D. Eſt Signaculum quoddam in quo poteſtas ſpiritualis traditur ordinato, & officium.

M. Quid eſt Matrimonium?

D. Eſt viri mulieriſque coniunctio maritalis inter legitimas perſonas, indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens.

Finis primæ Partis.

PARS SECVNDA.

DOCTRINAE CHRISTIANAE MAIORIS.

De decem Dei Præceptis. Cap. VII.

M. *QVid aget Chriſtianus, vt rectè viuat?*

D. Obſeruabit legem Dei.

M. *Quæ eſt lex Dei?*

D. Eius præcepta, quæ olim à Deo Moſi in monte Sina data fuerunt, poſtremo à

mo à Chriſto Domino noſtro: in Euangelio confirmata.

M. Quid ſibi vult præceptum Dei?

D. Significat legem à Deo latam, quæ violatores eius peccato obſtringit, & pœnæ item æternæ.

M. *Quid mandat Deus in primo præcepto?*

D. Vt vnum Deum propria illi vnicado ratione colamus, & amemus: omnem infidelitatem, hæreſim, ſuperſtitionem, magiam, omnem denique impiam ſectam deteſtantes.

M. Quid vetat Deus ſecundo præcepto?

D. Ne iuretur, ac nomen Domini temere vſurpetur, ideſt, ne ſine veritate, ac neceſſitate: ne blaſphemetur Deus, nec Sancti; quoniam eſt grauiſſimum peccatum; & ne vota, & Deo promiſſa violentur.

M. Quid tertio præcipitur?

D. Vt Dominicus dies ſanctificetur, & omnis alius dies, quem Eccleſia obſeruari præcepit, ne quod ſcilicet opus vetitum eo die fiat; ſed vt, deuitatis in primis peccatis, occupetur homo in audiendis Diuinis Officijs, Miſſis, Concionibus, & alijs pijs vacet operibus.

M. Quid iubetur quarto?

D. Vt reuereamur, & colamus parentes, illorum iuſtis iuſſis obtemperemus, neceſſaria illis ſuppeditemus: hoc verò præcepto continentur ſuperiores omnes Eccleſiaſtici, ac ſeculares.

M. *Quid prohibet quintum præceptum?*

D. Ne quis per ſe, aut per alium facto, aut animo, occidat, aut lædat proximum ſuum, nec in corpore, nec in anima, præbendo illi occaſionem peccandi.

M. *Quid vetat ſextum?*

D. Adulterium, fornicationem, omnemque impurum, & illegitimum carnalem actum, quidquid denique repugnat honeſtati, tàm verbis, quàm factis.

M. *Quid prohibetur ſeptimo?*

D. Ne vllo iniquo modo auferatur, aut retineatur alienum, contra domini voluntatem: quod accidit in furto, rapina, vſura, & alijs iniuſtis lucris.

M. *Quid præcipitur octauo?*

D. Ne falſum teſtimonium aduerſus quemquam proferatur, nec falsò accuſetur proximus, nec lædatur eius fama, nec vllo modo mentiamur, detractionem, & detractores deuitantes.

M. *Quid fit duobus extremis, nono, & decimo?*

D. Prohibetur quoduis deſiderium, aut conſenſus adulterij, & omnis turpitudinis: cupiditas item rapiendi, & retinendi alienum; nec enim deſiderare licet, quod facere non licet.

De Præceptis Eccleſiæ.
Cap. VIII.

M. P*Rater Dei præcepta, ſunt ne alia?*

D. Sunt præcepta Eccleſiæ, cui obtemperare nos vult Chriſtus, vt ſibi ipſi, dicens: Qui vos audit, me audit.

M. Quæ ratio audiendi Miſſam?

D. Attentè, & religioſè eſt audienda, meditãdo paſſionem Domini noſtri, quæ in ea repræſentatur, & æterno Patri offertur in remiſſionem noſtrorum peccatorũ.

M. Quo modo ieiunatur?

D. Primùm, abſtinendo à peccatis; deinde à comedendis carnibus, ouis, lactariis, & ſemel in die veſcendo.

M. Cur inſtitutum eſt Ieiunium?

D. Ad ſubigendam carnem, vitia expugnanda, puritatem animi, & virtutes conſequendas.

M. Decimas ſoluere, qui, & quibus tenentur?

D. Eccleſiæ, vel Eccleſiaſticis perſonis illi tenentur ſoluere decimas, qui conſueuerunt, quos ad id, mortali peccato propoſito, adigit Eccleſia.

M. Quæ ratio recte confitendi?

D. Cum dolore, & contritione, ac propoſito non iterandi peccata, confiteri ſacerdoti integrè, & verecundè, ſatisfactionemque iniunctã exequi.

M. Quæ ratio rectè percipiendi ſanctiſſimã Euchariſtiam?

D. Pri-

D. Primum neceſſe eſt, vt per confeſſionem purgemur a peccatis. deinde vt humiliter, & reuerenter ſumamus ſanctiſſimam Euchariſtiam, ideſt, verum Domini noſtri corpus, per fidẽ, & charitatem nos illi copulantes.

M. Eſt ne vtile confiteri, & ſumere Euchariſtiam ſæpius, quàm ſemel in anno?

D. Imò eſt vtiliſſimum, ac deberet quiſque Chriſtianus, præcipuis ſaltem quibuſque feſtis confiteri, & communicare, atque etiam ſæpius, pro ſua quiſque religione, & iuxta conſilium Confeſſarij; hinc enim percipitur maximus fructus, & integritas vitæ in dies maior acquiritur.

M. *Quæ ætas apta eſt ad Communionem.*

D. Ea, in qua elucet rationis vſus, & pia affectio ad Sacramentum, iuxta Confeſſoris iudicium.

M. *Quid credis ſumi in hoc Sacramento?*

D. Chriſtum Filium Dei, eundemmet de Maria Virgine natum, & pro nobis in Cruce mortuum.

M. Vnde hoc ſcis?

D. Per fidem, pro qua innumerabiles Sancti ſanguinem ſuum profuderũt.

M. Cur verò debemus percipere ſanctiſſimã Euchariſtiam?

D. Vt Eccleſiæ Romanæ obtẽperemus, quæ errare non poteſt, & vt ingentes diuinos theſauros conſequamur, diuinam ſcilicet gratiam, peccatorum remiſſionem, participationem omnium Chriſti meritorum; propterea enim dicitur Communio.

M. *Quid hanc Communionem impedit?*

D. Conſcientia peccati mortalis, vt docent Doctores, & Concilium Tridẽtinum.

M. *Eſt ne neceſſarium pridie, quàm communices, ieiunare?*

D. Minime, niſi fortè eſſet vigilia ex his, in quibus alioqui tenemur ieiunare; ſed quo quiſque ieiunijs, orationibus, & alijs operibus ſe magis præparabit ad Communionem, ampliorem percipiet gratiam.

M. *Quid agendum eſſet iam confeſſo, & cupienti recipere ſanctiſſimam Euchariſtiam?*

D. Hęc quinque eſſent cogitanda.

Primum, quis ille ſit, quem ſumpturus eſt; eſt enim Deus, ad cuius nutum, Cælum, Terra, Infernus, omnia contremiſcunt, omnium Dominus.

Secundum. Venire in hoſpitium creaturæ egentis, vilis, miſerabilis, quæq. illi fuit inimica.

Tertium. Idq. non ex noſtris meritis, nec quod vlla ex parte noſtri indigeat, ſed pro ſua tantùm miſericordia, & pietate.

Quartum. Venire cum gloria ſuæ diuinitatis, & comitatu totius Paradiſi, vt Patrem, ad nos complectendos, vt ſponſum, ad nos locupletandos, vt paſtorem, ad nos ſua ipſius carne paſcendos.

Quintum. Seipſum tradere in omnem noſtrum vſum, corpus in cibum, animam in redemptionem, omnia opera in meritum.

M. *Quid ageres, ſi Sacerdos plures tibi particulas porrigeret?*

D. Sumerem omnes, æque enim eſt ſumere plures, ac vnam, vnam, ac plures.

M. *Purificatio, quam poſt Communionem ſumunt laici, eſt ne Sanguis Chriſti?*

D. Nequaquam, ſed purum vinum, nec neceſſe eſt illam ſumere; ſed conſueuit ſumi, ad abluendum os, & alijs iuſtis de cauſis.

M. *Quid in nobis efficit hæc Communio?*

D. Affirmant Doctores, hunc diuinum cibum efficere in animis noſtris ſpiritualiter ea omnia, quæ corporalis cibus naturaliter efficit in corporibus. Vitam enim ſpiritualem conſeruat, guſtum internum recreat, vires ſupernaturales reficit, reparat vires debilitatas, roborat aduerſus dæmonis tentationes, perducitq. hominẽ ad ſuam perfectionem, niſi per nos ſteterit.

M. *Quid agendum eſt poſt ſacram Communionem?*

D. Gratiæ Deo agendę ſunt de tanto beneficio. rogandus, vt cor noſtrũ totũ poſſideat. dies pijs exercitationibus, piorum librorum lectione; aut alijs picta-

pietatis operibus tranſigendus, a loquacitate abſtinendum, cuſtodiendus omni diligentia pretioſus Dominici corporis theſaurus, pro ſancta Eccleſia, ac propinquis viuis, & defunctis orandum, ita denique vita inſtituenda, vt cæleſtem hunc, & ſuauiſſimum Dominum intimis viſceribus recipere mereamur.

M. *Qua ratione diſcenda littera?*

D. Non ad auaritiam, & inanem gloriam, ſed vt creatorē noſtrum agnoſcamus, & colamus, noſq. ipſos, & finem noſtrum, viamq., qua ad eum peruenitur. Curandumq., vt & præceptores, viros bonos habeamus, & caſtos libros audiamus, & legamus.

M. *Qua ratio Conciones audiendi?*

D. Concio ſacra audienda eſt ad Dei gloriam, & noſtram ſalutem, eoq. conſilio, vt & vitia deteſtemur, & vitam corrigamus.

De ſeptem Peccatis Mortalibus. Cap. IX.

M. EST *ne vtilis cognitio peccatorum?*

D. Sanè, vt deuites, non vt ſequatis.

M. *Quid eſt peccatum?*

D. Eſt cogitatum, dictum, aut factum contra, aut præter legem Dei.

M. *Quot ſunt genera peccatorum?*

D. Tria,

Primum. Originale, cum quo naſcimur Dæmonis filij, propter Adæ peccatum.

Secundum. Veniale, quod feruorem Charitatis remittit, & ad Mortale præparat.

Tertium. Mortale, quod mortem affert animæ, gratia priuat, mortificat merita, excludit a gloria, & obligat pœnis Inferni.

M. *Qua ratio delendi peccata?*

D. Originale, & quodcunque aliud peccatum Baptiſmo tollitur.

Veniale deletur quouis Sacramento, Oratione, aqua benedicta, quouis charitatis actu, eleemoſyna.

Mortale per pœnitentiæ ſacramentum, ſeu confeſſionem.

M. *Quid eſt Superbia?*

D. Eſt immoderatus appetitus propriæ excellentiæ.

M. *Quid eſt Auaritia?*

D. Inordinatus appetitus facultatum.

M. *Quid eſt Luxuria?*

D. Inordinatus appetitus impuræ voluptatis.

M. *Quid eſt Gula?*

D. Inordinatus appetitus cibi, & potus.

M. *Quid eſt Ira?*

D. Inordinatus appetitus vindictæ.

M. *Quid eſt Inuidia?*

D. Eſt triſtitia de alieno bono, gaudium de malo.

M. *Quid eſt Accidia?*

D. Eſt remiſſi animi languor ad bene operandum, ex quo neceſſaria ad ſalutem omittuntur.

De Septem Donis Spiritus Sancti. Cap. X.

M. Q*Vomodo conſequimur dona Spiritus ſancti?*

D. Largitur ea Dominus Deus ijs, qui vitant peccata, obſeruant eius præcepta, & eo ipſo admittuntur ad gratiam.

M. *Quæ eorum eſt vis?*

D. Vt reddant nos promptos, & faciles in vſu virtutum, & vt ſinamus nos ſuauiter agi à Spiritu ſancto, & vt muniant nos ſpiritualibus armis contra tentationes, & mundi pericula.

M. *Quid eſt Sapientia?*

D. Donum eſt Spiritus ſancti, quo, ſublata in altum mente a rebus his terrenis, & fragilibus, contemplamur æterna, æternam ſcilicet veritatem, Deum amando, & guſtando eum, in quo omne bonum conſiſtit.

M. *Quid eſt Intellectus?*

D. Eſt Spiritus ſancti donum, animæ noſtræ infuſum, quo veritatem fidei, & diuinorum myſteriorum intelligimus, quam alioqui naturali lumine intelligere non poſſumus.

M. *Quid*

M. *Quid eſt Conſilium?*
D. Eſt Spiritus ſancti donum infuſum, quo dirigimur in rebus obſcuris ad ea cognoſcenda, quæ agere debeamus, ad Dei gloriam, & noſtram, proximiq. ſalutem.
M. *Quid eſt Fortitudo?*
D. Donum a Spiritu ſancto infuſum, quo roboramur ad vitanda quæcunque pericula, & aduerſa omnia toleranda, quò tandem finem noſtrum, & beatitudinem conſequamur.
M. *Quid eſt Scientia?*
D. Spiritus ſancti donum, quo rectè de rebus iudicamus, & quomodo illis vti debeamus ad vltimum finem, qui Deus eſt, edocemur.
M. *Quid eſt Pietas?*
D. Donum Spiritus ſancti, quo colimus, & amamus Deum, & Sanctos, pieq. erga proximum propter Deum afficimur.
M. *Quid eſt Timor Dei?*
D. Spiritus ſancti donum, quo veremur offendere Deum, ac proximum ob Dei amorem, quo a malo retrahimur, & ad bonum incitamur.

De Operibus Miſericordiæ.
Cap. XI.

M. *Quæ opera præſtare homo poteſt ad ſalutem conſequendam?*
D. Opera miſericordiæ.
M. *Quid eſt Miſericordia?*
D. Eſt alienæ miſeriæ compaſſio, qua ad opitulandum eorum neceſſitatibus compellimur.
M. *Quæ ſumma eſt operum Miſericordiæ?*
D. Vt, quemadmodum ait Apoſtolus, alter alterius onera portet, in quo cõſiſtit impletio legis Chriſti.
M. *Vnde ducunt originem?*
D. Primum, a lumine naturali, deinde à Chriſto Ieſu, qui ea comprobauit, & mandauit.

De Theologicis Virtutibus.
Cap. XII.

M. *Quid eſt Virtus?*
D. Eſt habitus bonus animæ noſtræ, quo bene viuitur, iuxta rectæ rationis præſcriptum, & diuinum præceptum.
M. *Quot genera virtutum reperiuntur?*
D. Duo, Theologicarum, ſeu infuſarum; Cardinalium, ſeu moralium.
M. *Cur Theologicæ dicuntur?*
D. Quia Deum reſpiciunt.
M. *Cur infuſæ?*
D. Quia eas noſtris viribus parare non poſſumus, ſed à Deo ad finẽ ſupernaturalem, quæ eſt Beatitudo, infunduntur.
M. *Quid eſt Fides?*
D. Eſt virtus à Deo infuſa menti noſtræ, qua credimus quidquid Deus reuelauit, vt nobis Eccleſia proponit, & iubet credere.
M. *Quid eſt Spes?*
D. Virtus à Deo infuſa, per quam certa cum fiducia æternæ vitæ bona ex Dei gratia, & cooperatione noſtrorum bonorum operum expectamus, primùm quidem ad Dei gloriam, deinde verò ad noſtram beatitudinem.
M. *Quid eſt Charitas?*
D. Eſt virtus diuinitus infuſa, alijs duabus virtutibus præſtantior, qua Deũ propter ſe, ſupraq. omnia, proximum verò, vt nos ipſos ex Dei amore diligimus.
M. *Quot ſunt Charitatis præcepta?*
D. Duo; primum, amare Deum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex omnibus viribus.
Alterum, amare proximum, vt ſeipſum, illi ſcilicet optando gratiam, gloriã, & alia bona ipſi vtilia.

De Virtutibus Cardinalibus.
Cap. XIII.

M. *Præter has, ſunt ne aliæ virtutes?*
D. Sunt ſanè, & dicuntur acquiſitæ; quoniam noſtro ſtudio, Dei tamen gratia adiuti, eas comparamus, inter quas, præcipuæ Cardinales appellãtur, licet etiam reperiantur iſtæ mora les virtutes, infuſæ in viro iuſto.
M. *Quid eſt Prudentia?*
D. Eſt virtus, quæ, quid expetendum, quid

quid fugiendum homini ſit, oſtendit.
M. Quid Iuſtitia?
D. Virtus, qua ſuum cuique tribuitur.
M. Quid Temperantia?
D. Eſt virtus, quæ voluptates carnis, ratione moderatur.
M. Quid Fortitudo?
D. Eſt virtus, qua vſque ad mortem aduerſa omnia fortiter, & conſtanter perferuntur.

De ſeptem Virtutibus, Septem peccatis mortalibus oppoſitis. Cap. XIIII.

M. *Qvæ aliæ ſunt virtutes morales præter quatuor præcipuas iã dictas?*
D. Septem, quæ aduerſantur ſeptem peccatis mortalibus, quibus ipſa peccata vitari poſſunt.
M. *Quid eſt humilitas?*
D. Virtus eſt, qua homo maioribus ſe ſubijcit, & cum opus eſt, etiam æqualibus, & inferioribus, non ſibi, ſed Deo tantùm confidens.
M. Quid Liberalitas?
D. Eſt virtus, qua iuxta rectam rationem, moderatè facultates noſtras diſpenſamus.
M. Quid eſt Caſtitas?
D. Eſt virtus, per quam immoderatos carnis motus domamus, & compeſcimus.
M. Quid eſt Patientia?
D. Virtus eſt, per quam cum quadam animi tranquillitate iniurias, & res aduerſas ex amore Dei perferimus.
M. Quid eſt Abſtinentia?
D. Eſt virtus, qua immoderatum cibi, & potus appetitum reprimimus.
M. *Quid eſt Amor proximi?*
D. Eſt virtus, qua proximo optamus ea bona, quæ nobis ipſis vellemus, & de eius malis, vt noſtris, dolemus,
M. *Quid eſt ſpiritualis Diligentia?*
D. Eſt virtus, per quam facilè, & promptè ſpiritualia opera exercemus, ad Dei gloriam, & noſtram ſalutem.

De corporis ſenſibus. Cap. XV.

M. Qvomodo ſenſibus corporis vti debemus?
D. Semper rectè, ad præſcriptum rationis, & Legis diuinæ, in quorum cuſtodia ſumma adhibenda eſt diligentia; ſunt enim quaſi feneſtræ, per quas peccatum, atque adeo mors ad animam penetrat.

De Salue Regina. Cap. XVI.

M. *Ad omnium concluſionem, tenes ne vllam Orationem ad Beatam Virginem, præter Salutationem Angelicam?*
D. Imò verò, & dicitur. Salue Regina.
M. *Quid in ea continetur?*
D. Quatuor capita, cum ſua concluſione.
Primum habet ſalutationem glorioſæ Virginis, plenam amoris in eam, & eius celebrationis.
Alterum. Enarrationẽ miſeriarum noſtrarum, plenam commiſerationis.
Tertium. Implorationem auxilij in hac vita.
Quartum. Precationem pro obtinenda eius interceſſione in hora mortis, & ad conſequendam ſalutem.
M. *Explica primam partem.*
D. Nempe in prima parte, confugientes ad Dei Matrem, vt ad ſingulare perfugium, eam ſalutamus, & laudamus, vt pietatis fontem; & eam, quæ regni filij eius miſericordiam amplè hæreditauit, itaque mediatrix eſt vitæ, & ſalutis noſtræ, dum nobis veniam impetrat, eaque eſt noſtra con ſolatio, & ſpes poſt Christum.
M. *Quid ſit in ſecunda?*
D. Offerimus illi noſtras ardentes preces, & gemitus, lugentes, & dolentes miſeriam noſtram, in quam propter peccatum primorum parentum incidimus, vt infelices Euæ filij, originis

ginis noſtræ calamitatis, dum in hac mundi lachrymarum valle, plena miſeriarum exulamus à patria, ad eam, vt aduocatam noſtram, accurrentes.

M. Quid in tertia?

D. Oramus, & ſupplicamus, vt noſtri miſereatur, & pie intueatur, & vt aduocata, & mediatrix apud Deum, auxilium impetret, vt tot huius vitæ periculis euadamus, & ad portum, patriamq. cæleſtem perducat.

M. Quid petitur in quarta?

D. Obſecramus, vt in hora mortis nobis adeſſe velit, & ad conſpectum ſuauiſſimi fructus ventris ſui Ieſus nos perducere dignetur, & poſt diuturnam relegationem in hanc calamitoſiſſimam vitam, in die iudicij ſecuri illi ſiſtamur, iſque nobis placatus vitam donet æternam.

Concludimus denique illam eſſe ipſam clementiam, pietatem, & ſuauitatem; precantes vt oret pro nobis, dignoſque efficiat, vt eam ſemper celebrare poſſimus; vires præbeat ad ſubigendos eius, noſtroſq. hoſtes, vt tandem ſalutem, & gloriam cæleſtem conſequamur.

FINIS.

FORMVLA MONITIONVM,

Quibus à magiſtris ſcholarum Doctrinæ Chriſtianæ accendi ſolent pueri, ad bene viuendum: quæ item iuſſu Illuſtriſſimi D. Archiepiſcopi in ſcholis diſtribuuntur, & affiguntur.

Fili mi auſculta ſermones meos & ad eloquia mea inclina aurẽ tuam. Prouer. 4.

Filii chariſſimi cũ à Deo creati ſitis, vt vitia fugientes, & virtutes amplectẽtes, ad ęternę gloriæ poſſeſſionẽ acquirendam vos comparetis, animaduertite diligenter hæc, quæ, vt iuuante Deo, voti veſtri compotes efficiamini, vobis commemorantur.

Cum mane e lecto ſurgitis.

Signate ſtatĩ vos ſigno ſãctę Crucis. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.*

Deinde genua flectite ante piam imaginem, atque in honorem S. Trinitatis ter Pater noſter, & Aue Maria, Credo in Deum, & ſequentem orationẽ deuote recitate.

Domine Deus omnipotens, qui ad principium huius diei nos peruenire feciſti, tua nos hodie ſalua virtute, vt in hac die ad nullum declinemus peccatum, ſed ſemper ad tuam iuſtitiam faciendam noſtra procedant eloquia, dirigantur cogitationes & opera, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Commẽdate vos, veſtraſq. totius futuri diei actiones Angelo veſtro cuſtodi. *Angele Dei, qui cuſtos es mei, me tibi commiſſum pietate ſuperna, hodie illumina, cuſtodi, rege, & guberna. Amen.*

Deo Omnipotenti de omnibus acceptis beneficijs gratias agite, quòd creati eſtis; quòd redempti, quòd cõſeruati quòdq. ſi recte vixeritis ex ipſius Dei promiſſione æternam vitam conſequemini.

His pietatis officiis expletis, & quoad Chriſtianum decet, deuote potius quàm ſenſualiter expoliti, ad parentes veſtros, ſeu Superiores reuerenter accedite, ab iiſq. quid eo die agendum vobis ſit, accipite.

Quibuſcunque vero actionibus veſtris ſignũ crucis præmittite, eòq. illas dirigite, vt ad Dei gloriam, & animarum veſtrarum ſalutem ſuccedant.

Cum domo exitis.

Hunc Pſalmi verſiculũ deuoto corde, & elato ad Deũ ſpiritu recitate. *Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me.*

In primis verò, niſi violenter aliquo negotio cogamini, Quęrite regnũ Dei, & ſacro Miſſæ ſacrificio adeſte.

In Eccleſiam introeuntes hac ſacra prẽce Deum flectite.

Introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo,

Ingreſſi in Eccleſiã aqua benedicta vos aſpergite.

Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor; lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.

Ante ſanctiſſimæ Euchariſtiæ altare genuflexi orate, ijsq. Eccleſiæ ſanctæ verbis illam ſalutate.

Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per ſanctam Crucem tuam redemiſti mundum.

Quibus orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam quinquies aut ſepties adiungite.

Cum ſacratiſſimum nomen Ieſu, aut Virginis ſanctiſſimæ Mariæ audietis, caput aperientes, & inclinantes, Chriſtianã Redemptori noſtro, eiusq. genitrici debitã reuerẽtiam exhibete.

Eodemq. modo ſacras imagines per vrbem incedentes colite.

Si Archiepiſcopum veſtrum aliquo in loco obuium offendetis, genuflectite, & illo actu, qui ad Dei honorẽ præcipue dirigitur, benedictionẽ petite.

Necnon etiam reliquos Eccleſiæ miniſtros, & Superiores Ciuitatis in honore habete, tanquã miniſtros Dei, primaq. loca ſemper illis, ceu maioribus cedite.

In quotidiana conuerſatione.

EOrũ qui aliquo vitio inquinati ſunt conſuetudinẽ diligenter vitate, cũ ijs tantũ agite à quibus Chriſtianæ vitæ exempla colligere poſſitis, atq. ita agite, vt & ipſi à vobis in Domino ædificati diſcedant.

Sacerdotem eligite, cui ſemel ſaltem in menſe peccata confiteamini.

Ludos omnes fugite, qui minus honeſti habentur; & tantum abeſt vt recreẽt, vt potius infamiæ notam inurant.

A mendacijs omnibus etiam leuioribus vos abſtinete.

A verbis quæ à Chriſtiana pietate abhorreant, omnino cauete.

Nec crucem ſanctam, nec ipſam fidem in iuramenta adducite, ſed reſponſa veſtra ſint, eſt, eſt, non, non: mendaciũ fugite, veritatem puram omnibus rebus præferentes.

Cum ſeniores, ſeu alios ſuperiores alloquuturi eſtis, reuerenter vt decet, ad eos accedite, ſermonesq. veſtri ſint humilitate, & modeſtia pleni, breues & verecundi, ita vt oculos potius humi defixos habeatis, quàm elatos, aut huc, atque illuc circumgeſtos.

Eos omnes qui vos reprehendent, aut monebunt, quamuis humilis fortunæ ſint amate, ipſisq. gratias agite.

Pauperes Domini libenter audite, iuuateſcum poteritis, omnẽq. ignominiã pro viribus ab eis auertite. ſunt enim redempti Chriſti ſanguine, & fratres veſtri, quos ipſe Redemptor noſter tanti facit, vt hoc præcipuo capite iuſtus Iudex ſit contra damnatos ſententiam laturus, nudus eram, & non operuiſtis me, &c. Ite maledicti in ignem æternum.

Parentibus veſtris, alijsq. quibus obtẽperare debetis, dicto audientes eſtote, & ipſorum mandata libenter accipite, & perficite.

Sericas veſtes, aliaq. nimis elaborata indumenta, aut ornamẽta reijcite, quæ Chriſtianę diſciplinę, & modeſtię nõ ſunt cõſentanea, ſed ea adhibete, quę nobilitatẽ Chriſtianis morib. cõiũgãt.

Coronam Beatæ Virginis frequenter in manibus habete, & ſingulis diebus deuote illam recitate.

Si qua vobis accommodabuntur, ea quamprimum ſocijs reddite, antequam à vobis eadem repetantur.

In diebus feſtis.

TOtũ opus veſtrũ ſit in diuinis officijs, ſacris cõcionibus audiendis, precibusq. Deo effundendis, alijsq. huiuſmodi Chriſtianis exercitationibus.

Iis diebus cauete, ne ſacro Miſſæ ſacrificio intereſſe prætermittatis, cui ſemper genibus flexis adeſte, poſt ſacerdotem; & ſurgite tantùm Euangelij tempore, orate ſemper, colloquia, omniaq. profana, vbi ipſa diuinitas pręſentia ſacramẽtali exiſtit euitate.

In Eccle-

In Eccleſiis ita manete, vt deuotionis aliquod ſpecimen ſemper præbeatis, officiũ beatæ Virginis, libellos ſpirituales, doctrinam Chriſtianam, eum tempus abundat, ſemper præ manibus habentes.

Campanæ ictu moniti ſtatim omnia relinquite, à parentibus, & ſuperioribus veniam petite; ad ſcholã doctrinæ pergite ſic parati, vt bonos & Chriſtianos diſcipulos decet; quò vt perueneritis, ea omnia perficite, quæ à Præfectis, Magiſtris, aliiſque miniſtris vobis demonſtrabuntur.

Nihil verò prorſus vobiſcum afferte, quod non ad illam ſanctam exercitationem pertineat, cui eo tempore, ſine vllo impedimento, aut mentis agitatione vobis vacandum eſt.

Domum redeuntes.

MOdeſte incedite, ſine ſtrepitu, ſine tumultu, & vanis colloquiis; & reditum veſtrum, quauis re impediẽtes, pro viribus, ſed tamen humaniter, dimittite.

Si à quopiam iniuria, aut aliquo ſuperbo reſpõſo afficiamini, patiẽter proximi illius errorem ferte, apud võſmetipſos illum excuſate, nullum vobis ſcandalum huiuſmodi res pariat, nullaque alia ſint verba, præter ea Chriſtiano homine digna, Dominus parcat tibi, &c.

In domum veſtram ingreſſi parentes ſeu Superiores, omneſque alios, qui adſunt reuerenter ſalutate; quod idem humanitatis officium nullo modo prætermittite, ſi qui ad vos viſendos, aut alloquendos accedant.

Si quis pauper ad domos veſtras pro eleemoſyna conſequenda ſe ſe conferat, eum amplectimini, & maiores veſtros, ſiue parentes, aut Dominos rogate, vt Dei memores, illum adiuuent.

Si quos fratres, aut ſorores vobis minores habetis, docete illos fidei noſtræ rudimenta, & curate vt quotidie orationem Dominicam, ſalutationẽ Angelicam, & ſymbolum Apoſtolorũ recitẽt.

Parentibus veſtris, aut aliis qui vobis præerunt, à ſcholis redeuntes quicquid à Magiſtris exceperitis, renuntiabitis, vt id memoriæ mandare diligentiùs poſſitis, iiſque ob progreſſus veſtros ſolatio ſitis.

Cum ad menſam ibitis.

LAuate manus, & ante omnia benedicite, hoc modo.

Benedicite. ℟. *Dominus.*

Benedic Domine nos, & hæc tua dona, quæ de tua largitate ſumus ſumpturi. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Pater noſter &c. Aue Maria &c.

Ad mẽſam ſedete ijs in locis, quæ vobis aſſignabuntur modeſte & humiliter: cibis, & vino parce, & temperate vtimini, Et in Deo potiùs omnium bonorum largitore, quàm in patinis animum habete.

Poſt menſam gratias Deo agite.

Agimus tibi gratias omnipotens Deus pro vniuerſis beneficijs tuis, Qui viuis & regnas in ſecula ſeculorum. Amen. Pater noſter, &c. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos, &c.

Dominus det nobis ſuam pacem. Amen.

Poſtmodum ſurgite, & aperto capite adeſte, & *proſit* omnibus dicto, ad veſtra negotia ſecedite, ne tẽpus conteratis, & imparati ad ſcholas accedatis.

Cum datur ſignum ſalutationis Angelicæ.

VBicunque id audietis, genua flectite, & deuote hoc modo orate.

Angelus Domini nunciauit Mariæ, & concepit de ſpiritu ſancto. Aue Maria.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Aue Maria &c.

Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Aue Maria &c.

Cum itis dormitum.

ANtequàm cubitum eatis, de aliis omnibus actionibus veſtris, ab iis qui vobis præerunt, ſiue parentes ii ſint, ſiue alii, veniam petite.

In cubiculum ingredientes, ſancto crucis ſigno vos ſignate, aqua benedicta aſpergite, & ante ſacram imaginem genuflectite.

ADeo humillimo cordis affectu petite, vt parcat vobis peccata veſtra illo die commiſſa, & de acceptis beneficijs gratias agite.

Ter, Pater noſter, & Aue Maria recitate.

Deinde, Confiteor: poſtmodum has preces adhibete.

Salua nos Domine vigilantes, cuſtodi nos dormientes, vt vigilemus cum Chriſto, & requieſcamus in pace. Oremus.

Viſita quæſumus Domine habitationem iſtã, & omnes inſidias inimici ab ea longe repelle, Angeli tui ſancti habitent in ea, qui nos in pace cuſtodiant, & benedictio tua ſit ſuper nos ſemper. Per Chriſtũ Dominũ &c.

Angele Dei, qui cuſtos es mei, me tibi cõmiſſum pietate ſuperna, hac nocte illumina, cuſtodi, rege, & guberna. Amen. Benedicat, & cuſtodiat nos omnipotẽs & miſericors dominus, pater, & filius, & ſpiritus ſanctus. Amen.

FORMVLA ALIARVM quarundam Monitionum ad Patres Matresq. familiàs præſertim ſpectantium, quæ pro Chriſtianæ doctrinæ vſu, atque eorũ officio, pro tempore ijs in memoriam redigi ſolent.

PARENTES erudite filios veſtros, & curate à pueritia illorũ, vt beatos poſt vos illos relinquatis, apprehendite virgã diſciplinę, ipſa enim fugat ſtultitiã, quæ colligata eſt in corde puerorum.

Faceſſant omnia negotia, procul ſint reliquæ omnes occupationes, quibus filij veſtri impediri poſſint, quominus Chriſtianæ Doctrinæ lectioni diligenter vacent, & ipſius ſcholas ſollicite frequentent, ad quas eos ducere velut ad pabula ſalutis vobis non eſt erubeſcendum, ne cum erubeſcatis Dominum Deum noſtrum in hoc mundo, erubeſcat vos ille in alio: ſed potius eos debetis hortari, præire, quærere, atque intereſſe: hoc enim eſt initium ſapientiæ, vnde timor Domini, atque omnes virtutes quaſi ab inexauſto fonte effluunt.

Cum verò veſtrum ſit familiam veſtram regere, & non ſolum filios, ſed & ſeruos in Chriſtiana diſciplina conſeruare, illis præite opere, atque exemplo, vt Dominum Deum noſtrum ſequantur, ipſum timeant, ipſiusq. mandata cuſtodiant, & non turbentur, & vos veluti paſtores ſequantur. ſcitote quòd peruigilare debetis, quaſi rationem pro animabus ſubditorum, vel ſeruorum veſtrorum reddituri.

Vana mulierũ ornamenta, reliquasq. omnes pompas, quibus in ſacro Baptiſmi fonte renunciaſtis, auertite: ne in familia veſtra, hoc quaſi incendio, non ſolùm corporalia, ſed etiam ſpiritualia bona ſenſim abſumantur.

Curate diligenter vt in domibus veſtris ab omnibus Eccleſiæ Sanctæ præcepta, & ſacræ inſtitutiones obſeruentur, ieiuniorum, feſtorum dierũ, diuinorum officiorum: Miſſæ ſacro omnes interſint, orationibus frequentes adſint: Abſint ludi, abſint ſaltationes, & choreæ, abſint vagationes per Ciuitatem, & reliquæ huiuſmodi vanitates, ſed debitus cultus reddatur Deo, & ipſius Sanctis, præſertim illis diebus, qui eorum nomini dedicati ſunt, & quibus ipſorum obſeruatio ab Eccleſia iubetur.

Efficite vt omnes, & ſinguli in veſtra familia quolibet menſe confiteantur, & communicent.

Iurgia & diſcordias, quæ inter ſeruos, ſiue alios domeſticos veſtros à dæmone zizania ſuperſeminante, proficiſci facile poſſunt, dirimite, & Chriſtiana charitate placate perturbatos: diſcordiæ verò autores, poſtquam à vobis moniti fuerint, neque reſipiſcant, à veſtris domibus excludite:

Coniugalis ſacramenti memores, caſte, & ſanctè viuite, vt Dominus benedicat ſemini veſtro, & multiplicet in vobis gratiæ ſuæ dona.

Libros profanos, imagines laſciuas, & reliqua omnia quæ Chriſtianæ pietati repugnant, à domibus veſtris amouete.

Nil niſi pium, & Chriſtianam pietatem redolens in cubiculis, in atrijs in

omni

omni demum parte domus veſtræ, pictum, inſculptumue appareat.

Orationi quotidianæ ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo vobis præſcriptæ deuote vnà cum tota veſtra familia vacate; & repugnantes, ſeu ſpernentes, ne eorũ malo exemplo cæteri inficiantur, vel vt interſint efficite, vel à domibus veſtris arcete; reliquis verò orationibus, quæ per Ciuitatem haberi ſolent, frequentes adeſte.

Cum quis ex veſtra familia ægrotat, ſiue filius ille ſit, ſiue ſeruus, primùm medicum, hoc eſt Parochũ, qui animam curet, exquirite; & corporalem ſalutem quantum in vobis eſt, omni charitate, & ſtudio procurate.

Ditiores in domibus veſtris ægrotos curate, vt charitatis opus expleatis: qui vero tenuiores opes habetis, ad hoſpitalia deducite, viſitate, & aliqua eleemoſyna loca illa pia iuuate.

Blaſphæmos, aleatores, ſuperſtitioſos, aliosq. enormibus vitijs inquinatos, ſi emendationem recuſent, vt caſtigentur efficite, atque a domibus veſtris, vt peſtem effugate.

In proſperis rebus aduerſarum mementote, ne ijs efferamini, aut Dei obliuiſcamini: in tribulationibus vero ad eum confugite, qui poſt tempeſtatem tranquillum facit, & poſt lachrymationem, & fletum exultationem infundit, bonum enim vobis quia vos humiliat; & corripit Dominus quos diligit, & quaſi Pater in filijs complacet ſibi.

Prohibete ne quis in domibus veſtris proximo ſuo detrahat, otioſos ſermones vitate, de Superioribus veſtris debita reuerentia agite; neminem iniuria vel leui afficite; ſeruis veſtris luſus, & vana colloquia prohibete, vt vnuſquiſque eorum ſine Dei offenſione ſuo muneri diligenter vacet.

Hæc agere, hæc meditari, in his totos vos eſſe cupit pro veſtrarum familiarum recto regimine Illuſtriſſimus D. Cardinalis Archiepiſcopus veſter, ad ea vos hortatur, atque inflammat, hic Concionatorũ ſacrorum finis eſt, aliorumq. miniſtrorum, qui ſunt ad veſtrarũ animarum cuſtodiam ab illo conſtituti; atque iccirco vt aſſidue ante oculos vobis obuerſetur ſumma quædam totius officij veſtri, rerumq. illarum, quas vel præcipue agere, vel à quibus præcipue cauere debetis, in domibus veſtris; paginam hanc veluti notulam quotidiani veſtri negotij affixam quilibet veſtrum teneat, ijsq. qui eam non intelligunt, aut legere ignorant, Chriſtiana charitate, declaret. Dat. Bononiæ in Arch. Pal. &c. *N. Vic. Gener.*

COLLECTOR. *VT diligentiore cura adeo ſanctum opus omnibus adminiculis fulciatur, præter ea quæ hactenus attulimus, ſolet Illuſtriſſimus Archiepiſcopus illud ſæpius commendare, tum in frequenti viſitatione ſcholarum, ipſoque ſermone, tum etiam literis, ſeu chirographis prout neceſſitas poſtulat: formulæ verò harum litterarum ſunt, quæ ſequuntur.*

FORMVLAE LITTERARVM QVIBVS IVSSV Illuſtr.mi Archiep. Doctr. Chriſtianæ ſcholæ commendari ſolent.

Ad Prædicatores verbi Dei.

REVER. Pater. Cum nihil magis in Domino cupiat Illuſtriſſimus D. Cardinalis Palæotus Archiepiſcopus noſter, ac ſcholarum Doctrinæ Chriſtianæ, quæ ab eo paſſim in Ciuitatis, & diœceſis huius parochiis erectæ ſunt, progreſſus, atque incrementum; cumq. nulla re magis, & efficaciùs ſanctũ hoc ſemen creſcere poſſit, quàm veſtris hortationibus, & monitis, quæ in ipſis ſacrarum concionum actionibus, quaſi ſagittæ in manu potentum corda ſcindere, & ad Deum conuertere, ipſo iuuãte, poterunt. Idcirco idem Illuſtriſſimus D.

Archiepiſcopus enixe poſtulat à Reuerentia V. vt in ſuis concionibus frequenter tam ſancti operis mentionem faciat, illiusq. fructus manifeſtet, horteturq. vt cum maxime patres, matreſque, vt filios, & filias ad ſcholas diligenter mittere curent. homines vero quoſcunque, & mulieres, qui huic operi ſancto iuuando aptos ſe eſſe intelligẽt; vt ad Confratrum Doctrinæ Chriſtianę numerum adſcribi ſe poſtulent; atque omnibus Reueren. Veſtra indulgentias explicabit, easq. præſertim quæ a Sanctiſſimo D.N. Gregorio XIII. tam Confratribus, quàm ſcholaribus Doctrinæ ſunt conceſſæ. Bene valeat in Domino Bonon. &c.

Ad Confeßarios tam ſeculares quam Regulares.

REuer. Pater. Vt ex omni parte Doctrinæ Chriſtianæ fundamenta quæ iacta ſunt in pluribus ſcholis ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo in hac Ciuitate deputatis in perfectum creſcant ædificium, cupit Amplit. S. Illuſtriſſima, & à Reuerentia Veſtra enixe petit, vt diligentiſſime quoſcunque pœnitentes vtriusq. ſexus qui R. veſtræ cõfitebuntur, interroget an omnia præſtẽt vt eorum filii ad doctrinæ Chriſtianæ ſcholas accedant, prout idem Illuſtriſſimus D. Archiepiſcopus ſtatuit, & præcepit; quod ſi aliquos negligentiores R. V. hac in re ſe gerere viderit, valde eorum conſcientiam oneret, quamque ſeuera ratio illis à Deo requirenda ſit, toto affectu, & ſpiritu oſtendat, eaque exempla quæ aptiora erunt quibusq. magis moueri, atque accendi poterunt adducat. Eos autem qui ex confraternitate Doctrinæ erunt, hortabitur vehementer, vt ad opus ſuũ hac in re bene exercendum totis viribus incumbant. Bene valeat in Domino.

Ad Officiales ſocietatum Spiritualium.

MAgnifici Domini. Cum deſtinatæ fuerint pluribus ab hinc annis in Ciuitatis huius Eccleſiis plures ſcholæ Doctrinæ Chriſtianæ, ex quibus experientia ipſa docet, quãti fructus iuuante Deo colligantur, atque in dies expectentur; cupit Illuſtriſsimus D. Cardinalis Palæotus Archiepiſcopus noſter, vt non ſolum ipſæ ſcholæ ab eo erectæ ijs regulis & ordine regantur, & conſeruentur, quem ipſe ijs præſcripſit, quoque in præſentiarum vtuntur: verùm etiam, vt ſcholæ aliæ, quoad eius fieri poterit, alijs etiam in Eccleſijs inſtituantur. Quapropter, vt meſſis quantitati, operariorum multitudo ſufficiat, poſtulat à DD. VV. idem Illuſtriſſimus D. paterneq. eas hortatur, vt conuocatis ſuæ ſocietatis hominib. ab ijs requirant, vt Doctrinæ Scholas ſuo labore iuuẽt, ex iisq. ſeligant quos magis aptos iudicabunt, & eos ad hoc ſanctum munus exercendum mittant; quorum nomina, cognomina, & Parochias ad nos referent, vt eorum opera vti poſſimus, in cuius laboris præmium, & maiorem animarum vtilitatem, ſciant DD. VV. ſummos Pontifices Indulgentiarum theſauros ditiſſimos elargiri. Bene valeant in Domino.

Ad Officiales Societatis Sanctiſſimi Corporis Chriſti.

MOnentur Rector, & Officiales Societatis Sanctiſsimi Corporis Domini, quorum eſt eleemoſynas Societatis pauperibus diſtribuere, vt in ipſa eleemoſynarum diſtributione ſollicite hortentur Patres, Matresq. familiàs, vt filios, & filias ad Doctrinæ Chriſtianæ ſcholas mittant ſtatis diebus, & horis ab Illuſtriſsimo D. Archiepiſcopo deputatis. Quod ſi fecerint, prõptiùs eleemoſynis ſuccurrentur, ſin minus tamquam inobedientes, & pręcipuũ hoc Chriſtianę vitę ſubſidiũ neglıgẽtes, eleemoſynis priuabũtur. Dat Bononiæ.

Cum

COLLECTOR.

CVM in Diœceſi Bononienſi pluribus locis deeſſe poſſint aliquãdo Operarij, & miniſtri Scholarum Doctrinæ Chriſtianæ, prout in Ciuitate conſtituti ſunt: Illuſtriſsimus Archiepiſcopus, locorum, atque hominum rudiorum rationem habens, Parochis Diœceſis hunc, qui ſequitur, eiuſdem Doctrinæ Chriſtianæ edocendæ ordinem præſcripſit. In Oppidis tamen, ſeu Terris, vbi commode id fieri potuit, prædictas Societates, & ſcholas quemadmodum in Ciuitate ſunt, erigi curauit.

ORDO
SERVANDVS A PAROCHIS Diœceſis Bononienſis in Doctrina Chriſtiana edocenda.

Parochi omnes, & ſinguli Diœceſis Bononiẽſis Doctrinæ Chriſtianæ Congregationis regulas præ manibus habeãt aſsidue, iuxta quas actiones ſuas dirigere in primis conentur.

Doctrinam ipſam Chriſtianam, tum maiorem, hoc eſt eam, quę explicationes habet, tum minorẽ in Italicũ ſermonem verſas, prout Bononiæ typis datæ ſunt, ſimiliter habeãt, iiſque, prout illis videbitur, & pro ingeniorum, quæ erudituri ſunt, aptitudine vtantur.

Accedant ad ſingulas domos vnà cũ Maſſario loci ſiue Communis, & in tabella deſcribant omnes tã mares, quàm fœminas, tum minores, tum grandiores natu, quibus opus erit Chriſtianam Doctrinam diſcere: notent vero in eadem tabella nomina, cognomina, parentes eorum, nomen loci, ſiue agri, aut fundi quem incolunt, & Domini, cui ſeruiunt; tabellamq. huiuſmodi affigant in Eccleſia, vt à Viſitatoribus, & reliquis omnibus legi commode poſſit.

Singulos publice, & priuatim admonebunt, vt ſtatis diebus ad doctrinæ Chriſtianæ ſcholas conueniant, ad quod idẽ & ipſi infra Miſſarum ſollemnia, & Prædicatores, cum aderunt, eo ſpiritu quem a Deo maiorẽ impetrare ſtudebunt, non deſinant hortari.

Diebus feſtis ſtatim à prandio campanæ maioris ictibus pueros, reliquoſq. omnes, qui intereſſe debebunt conuocent ad Doctrinam.

Ad eorum aduentum præſto ſint, & moneant, vt aqua benedicta ſeſe aſpergant, ante altare genuflectant, orentq. & ad ſua loca ſine ſtrepitu quilibet ſe recipiat.

Cunctis vero ex ordine ſedentibus, Curatus ſuo officio fungatur, & ad præſcriptum ipſius libelli Doctrinæ Chriſtianæ ſe conformet.

Quoniam autem plerumq. villici, eorumq. filij legere neſciunt, hos Sanctæ Crucis ſigno ſe munire, Pater noſter, Aue Maria, Credo, & Decem Præcepta legis diligenter doceat; & reliquos, qui legere ſciunt, Doctrinam ipſam totam docere non prætermittar.

Quod ſi ea ſit puerorum multitudo, vt Parochus ipſis inſtruendis ſufficere nequeat; Officiales, & homines Sodalitatum Sanctiſſimi Corporis Chriſti cuiuſlibet Eccleſiæ Diœceſis Bonon. ea charitate, quam inter ceteros ipſo nomine ſodalitatis profitentur, diſtribuant ſibi inuicem docendi, & Curatum iuuandi onera iis horis, quæ eidẽ doctrinæ Chriſtianæ erunt aſſignatæ.

At Curatus operis neceſſitatem, fructum, Indulgentias declarare opportune nunquam deſinat, vt magis quilibet ad illud iuuandum inflammetur. Porrò Indulgentias, quæ ipſius doctrinæ Chriſtianę initio adiectę ſunt, publice in ſuis Eccleſiis affigat, atque explicet.

Confecta Chriſtianæ Doctrinæ exercitatione Veſperas celebrabit, quib. vt oẽs interſint perficere conetur. illudq. præſertim animaduertat, vt parũ temporis in exercitatione abſumatur, quòd tamen neceſſarium eſt, impendar: cum pleriſque

pleriſque eorum qui ad Doctrinam veniunt, ad agros, ad greges, atque ad alias ruſticas negotiationes ſit reuertendum.

Cathalogum cuiuslibet ſcholæ puerorum, ceterorumque, qui ad eam conueniunt, eorumque qui opus adiuuant, quilibet Curatus ad Archiepiſcopalem Cancellariam referat: erit enim poſtmodum Viſitatorũ munus illud ſæpius examinare, & deficientes adnotare, vt facilius remedia comparentur.

Viſitatoribus ipſis, & Vicarijs foraneis præcipitur, vt diligenter ſuper huius Ordinis obſeruatione animaduertant, & de omnibus Illuſtriſſimum Archiepiſcopum frequenter admoneant Dat. Bonon. &c. *N. Vic. Gener.*

CAVTIO PRO IIS QVI INDIGENT instrui, vt rectè ſciant, & rectè pronuntient Pater noſter, Aue Maria, Credo, & Decem præcepta legis.

QVAMVIS omni cura, & ſollicitudine curauerit Illuſtriſſimus D. Cardinalis Palæotus Archiepiſcopus, vt fidei noſtrę rudimenta, à quorũ ſcientia, & exercitatione fidelium ſalus pendet, communiter, & per ciuitatem, & per Diœceſim; tũ in ſcholis doctrinę Chriſtianę, tum alijs in locis aſsidue pueris imprimantur, tamen cum fieri poſsit, vt aliqui ſuperſint non ſolũ pueri, aut adoleſcentuli vtriuſque ſexus, ſed etiam viri, & fœminæ ætate ingraueſcentes, qui Pater noſter, Aue Maria, Credo, & decem præcepta adhuc non rectè ſciunt, aut nõ bene pronunciant, de nouo remedio, ex officio cogitans, vt tanto malo cum diligentia occurratur, ſtatuit vt præter ea, quæ adhoc vſque tẽpus hac in re prouiſa ſunt, iuxta conſuetudinem antiquam Sanctæ Ecleſiæ Catholicæ, & decreta patrum & Conciliorum, à parochis, confeſſarijs, & ſcholarum Doctrinæ Magiſtris diligentior ratio habeatur huiuſmodi hominum, qui aut ingenij hebetudine, aut ętate, totam doctrinam Chriſtianam diſcere nequeunt, & præcipua illa fidei capita conſequenter ignorant.

Quapropter de mãdato ipſius Illuſtriſſimi Archiepiſcopi, vt magis eadem quatuor ad manus omnium ſint, in ſeparato folio imprimi iuſsimus; omnibusque, & ſingulis parochis Ciuitatis & Diœceſ. Bononien. præcipimus, vt ſẽper infra miſſarum ſolemnia populo denuntient, vt diſtincte diſcant eadem quatuor capita in ſeparato folio deſcripta, moneantque niſi ea recitent firmiter in Confeſſionibus, à ſacramentis tamquam indignos arcendos fore.

Præcipimus item ijſdem parochis, & Confeſſarijs, ſecularibus, & regularibus quibuſcunque Ciuitatis, & Dięceſis noſtræ, vt antequam pœnitentes, quos ipſi rudiores eſſe animaduerterint in ſacris confeſsionibus audiant, eadẽ quatuor diſtincte ab ijs recitari iubeant; in reconciliationibus vero ſaltẽ Credo non prætermittant: qua in re eorundem Parochorum, & Confeſſariorum conſcientias oneramus, eorumque iudicio huiuſmodi diligentiam commendamus, vt vbi opus ſit, eam adhibere non deſinãt, vbi vero id neceſſarium non eſſe intelligant, dicta Confeſsione generali, vt ſolent, pęnitentes audiant.

Quod ſi quempiam reperirent, qui ea neſciat, pro prima vice tantum illum abſoluant, eam illi pœnitentiam iniungentes, inter eas, quæ ſatisfactoriæ ſunt, vt ea addiſcat, tempuſque opportunum ſuo arbitrio illi aſsignent; quod etiam vrgentibus de cauſis aliquibus prorogare poterunt. quod ſi idem iterum ad Confeſsiones, & reconciliationes reuertatur, & eadem quatuor adhuc ignoret, ſi in ciuitate erit, ad pœnitentiarios à parochis, & confeſſarijs remittatur; ſi in diœceſi, ad ſacramenta non admittatur, ſine plebani expreſſa licentia pro prima vice, poſtquam à Confeſſarijs reijcietur; pro ſecunda vice neceſſaria ſit Illuſtriſsimi Archiepiſcopi licentia ad quem, ſiue ad nos, ijdem curati, & plebani

bani

bani, eorum nomina tranſmittere curabunt, quòd ſi ita incapaces & rudes ſint, vt nullo modo erudiri poſsint, ne illo ſacramento omninò priuentur, iniuncta illi pœnitẽtia, debitum hoc in aliud opus pium commutent.

Atque vt faciliùs huiuſmodi homines hæc quatuor doceri poſsint, atque vno eodemque tempore de ipſorum ſenſu, & intelligentia inſtruantur, præcipimus omnibus Curatis, vt diebus feſtis inter miſſarum ſolemnia, vel ad veſperas, vel alio tempore quo frequentior populus ad Eccleſiam conuenit, clara voce, & diſtincte, recitent eadem quatuor ſcilicet Pater noſter, Aue Maria, Credo, & decem præcepta: quòd ſi omnia ſimul recitare non poſſunt, vnum vel aliud eorum non omittant, pro temporis opportunitate, hortenturq. omnes qui aderunt, vt vnà cum Curato eadem exprimãt, qui modo vnam, modo aliam partem prædictorum iuxta Catechiſmum, aliosq. probatos autores declarare ſtudebit.

Præcipimus item iiſdem Curatis, vt in matrimoniorum contractione in prima denuntiatione, quæ in Eccleſia fiet, contrahentes moneant, quòd ad matrimonium celebrandum non admittentur, niſi prius eadem quatuor recitabũt: quod idem obſeruabunt in ijs etiam qui in Baptiſmo, aut chriſmate patrini erũt, atque etiam cum ijs, qui ad idem chriſmatis ſacramentum accedent, qui omnes prædicta omnia recitare tenebũtur, Quod ſi omnino incapaces ſint, non idcirco repellantur a ſanctis ſacramentis, id quod Curati prudentiæ, & conſilio relinquitur deliberandum.

Confeſſariorum verò erit præcipuum munus, patribus, matribusq. familias, alijsq. qui familijs præſunt graues pœnitentias imponere, quos negligentes hac in re repererint, vt omnes qui in eorum familia ſunt, quatuor hæc ſaltem optime ſciant, aliquemq. magis idoneum, qui ea doceat alios in vnaquaque familia deputent. Datum Bononiæ in Archiep. pal. &c. N. Vic. Gener.

DE PRAEDICATIONE VERBI DEI.

COLLECTOR.

ADIICIENDA hic ſunt ea, quæ ad Prædicationem Verbi Dei pertinent; ipſa enim etiam præcipuè verſatur in doctrina fidei edocenda, atque exercenda, quæ huic primæ parti adſcripta eſt.

Ponemus verò primum generalem Inſtructionem, quæ ſequitur; quæ quidem ad particularem Diœceſis Bononienſis vſum ab Illuſtriſsimo Archiepiſcopo edita fuit. Et quamuis videri aliquibus fortaſſe poßit, exordium hoc potius à Ciuitate ipſa, eiusq. Concionatoribus ſumendum fuiſſe; tamen cum iſti ſint viri excellentes, & approbati qui in oculis ipſius Archiepiſcopi prædicationis munus obeunt & in Metropolitana Eccleſia ſui ſpecimen quotannis præbere ſolent, viſi ſunt non indigere huiuſmodi minutioribus documentis, a quibus tamen multa ipſi quoque ad ſe transferre poſſunt. Neque verò prætermittuntur neceßaria quædam Monitiones Aduentus, & Quadrageſimæ tempore, quarum formulas, & particularem etiam inſtructionem pro Concionatoribus ſanctimonialium, poſt hanc generalem hic infrà collocabimus. Demum locum tribuemus exemplo ipſi ſermonum Illuſtriſsimi Archiepiſcopi poſt cognitas regulas, quas ipſe alijs Concionatoribus tradidit. Verùm hac in re aliqua prius noſſe debet lector.

Nam ita Illuſtriſsimus Archiepiſcopus hoc munere perfungi ſolitus eſt, vt ſe non obſtringat ſingulis diebus feſtis, aut alijs continuatis temporibus ad ſermones populo præmeditatos habendos. Cum enim Eccleſia Bonon. Dei benignitate, multis affluat, ijsq. inſignibus Concionatoribus, Theologis, Parôchis, alijsq. diſciplinarum magiſtris, qui nomine quodammodo Archiepiſcopi

piſcopi ipſius aſſidue prædicare, inſtruere, & docere populum ſolent, & Ciuitas ipſa, & Diœceſis ſe in ſumma fidei puritate perpetuò continuerit; ipſe negotiorum mole prægrauatus, in Archiepiſcopales curas quotidie vrgentes, quæ ad rectum regimen ſpectant, ſibi interim incumbendum eſſe exiſtimauit; cum populus ille diſciplina, & reformationibus potius, quàm dogmaticis traditionibus Archiepiſcopi ore proponendis indigeat. Si enim pro dignitate loqui velit, & in animis auditorum proficere, non exiguum temporis ſpatium illi aliquando eſſet inſumendum, cum ea quæ dicenda ſunt, non communia, aut commodato accepta, ſed illius temporis, loci, perſonarum, & actionis quæ inſtat, propria, & ad id quod agitur inſtituta eſſe debeant, ampliusq. ordine aliquo, ac facilitate congrua præparata; id quod nonniſi meditatione graui præeunte, atque attentione non exigua vix obtineri poteſt, & plurimam temporis partem ſibi vendicat. Nam ſi id obiter quodammodo, & ex tempore agatur, Bononiæ præſertim vbi auditores, vt plurimum periti, & clariſſimis concionatoribus aſſueti eſſe ſolent, verendum fortaſſe eſſet, ne populi frequentia etiam in ipſius Archiepiſcopi oculis interdum eſſet deſideranda.

Quare medium quoddam iter tenens ille, præter ſolemnes dies, quibus Pontificalia ſacra ab eo de more aguntur, & præter alias etiam inſigniores celebritates, quibus ſermones ad maiorem grauitatem latine conceptos habere ſolitus eſt, modò ad Canonicos, & Eccleſiaſticos viros, modò ad Magiſtratus, modò ad publicos Gymnaſiorum Profeſſores, ſiue ad Aduocatos, Medicos, cauſarum Patronos, Scholares, aliosue litterarum ſtudioſos, Notarios, Artificum ſocietates aliosq. huiuſmodi, quibus & ſacram Euchariſtiam publice eodem die miniſtrat, non omittit tunc etiam, cum parochiales Eccleſias, cum ſodalitates, ſocietatesue ſpirituales, aliaue Collegia, & Moniales viſitat, tam Ciuitatis, quàm Diœceſis, aut pro tempore aliæ ſe occaſiones idoneæ, atque honeſtæ offerunt, eodem ipſos ſpirituali cibo, ac ſermone, communi tamen idiomate depaſcere, & eò quidem frequentiùs in Diœceſi, quò illius incolis non adeo crebro Paſtoris ſui & præſentia, & colloquijs, & conſuetudine frui licet.

Quod quidem concionandi inſtitutum, cum non eodem ſemper amictu ab eo exerceatur, ſed modo Pontificali, modo ſacerdotali, ſiue etiam quotidiano ſuo habitu obeatur; & nunc ex ſuggeſtu, aliove ſuperiore loco, nunc apud Altare, aut alibi pro commodiore locorum ratione ſermones ab eo habeantur: nos ne nimij ſimus, hæc & alia permulta perſequi noluimus, ſed tantùm operæpretium nos facturos eſſe putauimus, ſi formulas ipſas cum ſe res offeret ſermonum aliquot, diuerſis temporibus, & occaſionibus ab eo habitorum, tanquam modulum quendam, & exemplar in hac Collectione ſuis locis inſeramus, ex quibus cætera quæ omittuntur, conijci faciliùs poſſint.

INSTRVCTIO

Pro ijs omnibus, qui admiſſi, & approbati concionabuntur in Oppidis, Caſtris, ſeu Terris, & alijs locis Diœceſis Bononien.

Dignitas atque officium Prædicatoris.

QVicunque ad prædicationis munus admittitur, tria poriſſimũ conſiderare debet; nempe perſonam quam ſuſtinet, opus quod tractat, finem quò labores ſuos dirigit.

Nam ſi de perſona agamus, intelliget ille profecto, Dei ſe omnipotentis eſſe nuntium, & Prophetarum, Apoſtolorum, aliorumq. Sãctorum, atque adeo ipſius Chriſti Domini noſtri in hoc miniſterio vices gerere, qui prædicauit, & docuit.

Si verò opus ipſum examinemus, eo nihil grauius, nihil excellentius reperiemus, cum cæleſtis hic nuntius, æternas res aſsidue pertractare, diuinæ prouidentiæ conſilia hominibus aperire, ea quæ populo ſuo Deus pollicitus eſt declarare, & fidei ſanctæ veritatem manifeſtare debeat.

Quid autem eo fine dignius, aut nobilius? qui totus ad Dei gloriam, atque honorem dirigitur, cuius in cœlo mera eſt, ad quod demum pulſa ab hominum

mentibus

mentibus errorum caligine, eiectis peccatorum tenebris, inducta luce Chriſti fideles perducantur?

Vita Prædicatoris.

Conſiderata igitur huius miniſterij magnitudine ex his, aliiſque rationibus quæ plurimæ ſunt, longaque argumentorum atq. auctoritatum ſerie corroborari poſſunt; illud in primis Prædicatori ſacro curandũ eſt, vt vitæ integritate rei quam profitetur, reſpondeat, & quidquid ore profert, factis exprimat, ita vt diſciplina & moribus exemplum afferat praxis eorum, quæ theorice docuit, nullaque in re à ſe ipſo diſcrepet, caueatque ab eo, quod præſertim Diuus Paulus admonet, ne cum alijs prædicauerit, ipſe reprobus efficiatur; nequaquam verò id vnquam illi obijciatur, *dicunt, & non faciunt*. Quæ vt facilius aſſequatur, quæ ſequuntur diligenter animaduertet.

Eo habitu, quem illi vel regularis Ordo, cui addictus eſt, vel Clericalis, & Eccleſiaſtica diſciplina præſcribit, modeſto ſemper, & vbique vtatur: ita vt in cubiculo, domi, foriſque quaſi cum ſui s ſuperioribus ſemper tractaturus, degat & reperiatur.

Deuotionem non ſolùm interiore animi affectu cuſtodiat, ſed etiam in exterioribus omnibus actionibus præ ſe ferat.

Quare cæremoniarum in primis ſacrarum ſit peritus, grauiter incedat, præſertim cum in eccleſia ſacra officia illi obeunda erunt, eandemque grauitatem ſumma diligentia ſeruare curet, in Miſſæ ſacrificij oblatione: cum Ieſu nomen audiet, aut proferet, caput Deo humiliet atque aperiat; ante ſãctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſiue accedens, ſiue prætergrediens genuflectat; idem faciat cum in Eccleſiam ingreditur, oretque inſuper aliquantulum; ante ſacras reliquias ſimiliter oret; ſacras item imagines vbique veneretur, per loca alia ſacra incedens, vt puta, per cœmeteria, ſemper aliquo pietatis ſigno vtatur, preces aliquas recitet, & demum omnes actiones ſuas, ad deuotionem ita componat, vt ex omnibus fideles ædificentur.

Neque ſolùm hæc omnia, & reliqua his ſimilia quæ ad deuotionem pertinent ipſemet præſtare debet, ſed etiam totis viribus curare, vt populus ille, cui verbum Dei prædicat, eadem ſolliciteè & pie exequatur, atque idcirco illum de iiſdem moneat, negligentes hortetur, corrigat paterna charitate, vt animas Deo lucretur, atque alia pietatis opera, his iactis fundamentis, facilius erigere poſſit.

Secularium familiaritatem, & conſuetudinẽ omnino vitabit, niſi de rebus ad ipſorum ſalutem pertinentibus cum ipſis agere debeat: in cubiculo, aut Eccleſia ſit, ibi commoretur, ſolitudinem amet; tunc verò aut oret, aut meditetur, aut aliud agat ad munus ſuum ſpectans.

Conuiuia omnia penitus recuſet, ad nullius domum conuiuandi, aut colloquẽndi gratia accedat, niſi id opus ſit, vt aliquod ſpirituale negotium conficiat, qua occaſione aſtrictus, aut à Curato, aut ab aliquo ſeniore ex cõfratribus ſanctiſſimi Sacramenti comitatus, quò vocatur, ſeſe conferat, ibique ea modeſtia, & temperantia vtatur, vt ex illius negotii tractatione, fructus capiat, & meliorem indies opinionem de ipſo populus concipiat.

Si ad aliquod ſacrum officium celebrandum, aut in alia Eccleſia concionandum inuitabitur, cum id muneris ſine præcipui officii ſui præiudicio exequi poterit, libenter atque humiliter illud amplectatur.

Atque dum huiuſmodi viam peragit, cum à colloquio abſtinere poteſt ſine proximi offenſione, coronam Beatæ Virginis deuote recitet, aut librum aliquẽ ſpiritualem in manibus habeat, quem pro tẽporis, & loci opportunitate legat.

Exẽplo ſit aliis ſacerdotibus quomodo ſacra myſteria pertractare debeant, atq. idcirco in ipſis quoſdam abuſus effugiat, in quos incidere ſolent præſertim ſimplices quidam, atque rudiores homines, neque ſolum in ſancto Miſſæ ſacrificio, aliiſque Sacramentis, ſed

etiam

etiam in exequiis & funeralibus, aliiſq. huiuſmodi rebus ſacris eos delere conetur.

Si licentiam obtinuerit confeſſiones audiēdi, caueat ne hoc in munere exercendo pecuniam, aut dona accipiat. In reliquis verò ea, quæ de Confeſſarijs conſtituta ſunt, ad vnguem ſeruet.

Neque in Concionibus, neque alijs in locis, aut actionibus, ſe ipſum commēdet ad eleemoſynā aliquam percipiendam; quòd ſi aliquid illi colligendum ſit quotidiano vſui neceſſarium, id Curato præmonito, modeſte, & prudenter agat.

Neminem extra illam parochiam in qua prædicat, neque vllum aliud pium opus, præter ea, quæ in eadem parochia auxilio indigent, non conſentientibus ijs, qui ad hoc ab Archiepiſcopo deputati ſunt, commendet.

Cum presbyteris, & Curatis locorum in charitate viuat, vt remota omni ſuſpicione, verba, atque opera ab optima voluntate profecta cenſeantur.

Quomodo ad prædicandum comparare ſe debeat.

IN primis meditetur aſſidue prædicationis vtilitatem, dignitatem, atq. eminentiam; non vt inani gloria ſeſe extollat, quòd ad hoc munus ſit electus, ſed vt maiori humilitate à Deo petat vires, quæ ad pondus ſuſtinendum ſufficiant, quò maiores difficultates, atque impedimenta in eo eſſe intelliget. Prædicatoris enim eſt vitia extirpare, & virtutes plantare; contendere vt homines mortales terrena quę vident, deſpiciāt; cæleſtia verò quæ non vident, concupiſcant: eos ita inſtituere, vt penitus rationi ſenſus ſubiaceat, caroq. ſpiritui ſeruiat, indeq. nouæ cogitationes, noua verba, noua denique viuendi ratio proficiſcatur. Quæ omnia quemadmodum inuicem contraria ſunt, & mortalis homo terrenarum rerum facilius quàm cęleſtium, natura ſic dictante, amorem nutrit, ita etiam ſingulari indigent ſtudio, vt in æqua libræ lance poſita, oculis mortalium verum, fictumq. earū pondus indicent.

Quapropter ſacer hic miniſter verbi Dei ab ipſo Deo lumen, & robur ante omnia poſtulare, & orationi inſtare debebit, quæ erit non ſolum primum, præcipuumq. prædicationis fundamentum, ſed continuum inſtrumentum quo ſpiritualis huius ædificii materiā quęrat, congerat, & in vſum conuertat.

In qua quidem pareat præcepto ſapientis, qui docet orationem faciendam eſſe cum agnitione propriæ imbecillitatis, ad impetrandam à Domino ſapientiam, quæ cum omnibus neceſſaria ſit, potiſſimum tamen iis qui regunt, aut docent, Incerta eſt enim humana ſapientia.

Orationem verò huiuſmodi paulo ante concionem illamque ardentiſſimam præmittere debebit.

Poſt illud ſtudium quod ſatis illi erit ad concionem comparandam, ſacros auctores legendos, atque ea quæ magis neceſſaria eſſe iudicauerit annotanda, ſeſe colliget, earumq; omnium rerum ſubſtantiam, atque ordinem in memoriā referet, cui tamen non ita fidat, vt magis Deo ſibi confidendum eſſe non exiſtimet, qui dabit virtutem labiis, & ſpiritum ardentem verbis euangelizantis veritatem.

Memoriæ, doctrinæ, atque eloquentiæ oſtentationem omnino effugiat, ſed is tantum ipſius finis ſit, vt animas fidelium Deo lucrifaciat, non autem populi plauſus, nomenuè, aut famam quærat, aut ſpectet: mercedem enim à Chriſto cuius eſt miniſter, atque operarius debet expectare.

Vt autem alios commoueat, curet ipſe prius commotus ad prædicandum accedere: quare ea de quibus acturus eſt, ita ſecum cogitet, quaſi ad ſe ipſum omnia pertineant, affectuſque omnes propriæ menti prius imprimat, vt in fidelium cordibus recte inſculpantur; ſibique perſuadeat; quòd ſi frigidus erit numquā alios calefaciet, ſique immundus, numquam alios emundabit.

Ratio

Ratio in Prædicatione adhibenda.

QVamuis omnibus in locis eadem eſſe debeat Prædicatoris doctrina, qua fidelium animæ ad ſalutis æternæ portum dirigantur, nauigationis pericula oſtendantur, & vitari doceantur, itetque demum quantum fieri poteſt, tutum reddatur; tamen quemadmodum Medicus in curandis corporum morbis, habita cuiuſque naturæ ratione, an infirma, ſeu ſatis ad morbos propenſa, ſiue robuſta ſit conſiderat, & pro corporum conſtitutione, remedia ſolet exquirere, atque adhibere; ſic etiam prædicator verba, ſententias, comparationes, aliaſque ſacræ concionis partes, temporibus, locis, atque ipſis auditoribus accommodare debebit.

De multis enim in Ciuitate agere poterit, quæ in villis, ſiue alijs diœceſis locis importuna ſunt, nullumque fructum parere poterunt. Ille igitur qui ad loca diœceſis mittitut, quorum incolæ ſunt, vt plurimum literarum ignari, & in quotidianis corporum laboribus verſantur, ad eorum captum atque intelligentiam, concionem omnem texere debet; neque ita prædicationis miniſterio fungi, vt ad exercitationem, aut oſtentationem (vt plurimi faciunt) concionis tecitatot exiſtat, & quæ ab alijs compoſita ſunt memoriter teferat; ſed vt iuuet dumtaxat, eaque omnia relinquens, quæ ſimplicium hominum mentem implicare poſſent, inutilia prorſus, & non mediocre detrimentum allatura; cibum ſacræ doctrinæ porrigat ſimplicem, eoque tantum condimento, quod ipſis conueniat, & digeſtionem ſpiritualem potius facilem reddat, quàm impediat.

Quapropter quædam exempla concionibus intexet, quæ ruſticæ vitę magis appoſita videbuntur, quæ non ſolum faciliorem ſacrarum rerum intelligentiam reddant, ſed etiam quotidianæ vitæ praxi maxime conueniant, eaque vt plurimum ex ſacris euangelijs colligere poterit: vt puta, de Vinea, de Semine, de Torculari, de Grano ſinapis, de Zizania, de Theſauro abſcondito in agro, de Gallina congregante pullos ſuos, de Arbore ficus, de Separatione ouium ab hœdis, de Vino nouo in vaſis veteribus, de Paſtore & mercenario, aliaque his ſimilia, præter quæ multa etiam ex pſalmis, ex Prophetis, aliiſque ſacris doctoribus excipere poterit, atque in hunc qui ſequitur, vel alium meliorem modum concioni applicare.

Agriculturam diuini regiminis eſſe imaginem quandam, Deus enim ad inſtar coloni, qui falce ſpinas reſecat, inutileſque ramos euellit & ſimul fructuoſas arbores colit, bonis præmia, malis pœnas conſtituit.

Vt arbores a fructibus ipſis dignoſcuntur, ita homines ab operibus diiudicantur.

Quemadmodum frumento commixtum eſt lolium, ita probitati improbitas ſæpe adiungitur.

Vt linũ aquis maceratum, candidum atque humano vſui vtile redditur, ita homines tribulationibus agitati, ſi eas patienter ferant, meliores euadunt.

Doctrina Sancta, & Chriſtiana documenta, prauos hominum mores corrigunt, & naturam ad mala propenſam, ad bene viuendum trahunt: non ſecus ac incultus ager, ſpiniſq. omni ex parte horrens operarii induſtria cultus, fœcundus efficitur.

Euellendæ ſunt a cordibus hominum prauæ cogitationes, verba inania, omniaque vitia quæ virtutum incrementa impediunt, vt ſolet bonus colonus in meſſe ſpinas, herbaſque alias, quæ frumenta ſuffocant, extirpare.

Quemadmodum in vite, aut arbore foliorum denſitatem, aut proceritatem præcipue non laudamus, ſed fœcunditatem, & fructus abundantiam; ita a bonis operibus commendandi ſunt homines, non a nobilitate, aut corporis ſpecie, aut gradus excellentia.

Quemadmodum glacies, & niues frumentis vtilitatem maximam afferunt,

quia intempeſtiuam luxuriam impediunt, & earum cauſa radices tenaciùs terræ viſceribus adhærere ſolent; viteſque iccirco putantur, vt maiorem vuarum copiam reddant; ſic tribulationes, & anguſtiæ efficiunt, vt homo ſeſe colligat, & efficaciùs in virtute proficiat: atque aduerſitatum falx, rerum humanarum ſuperfluitates reſecat, redditq. animas in bonis operibus fœcundiores.

His itaque, quaſi luminibus, conciones aſpergat Concionator, quibus ſacræ literæ, & ſacri Doctores vndique redundant.

A vanis verò diſputationibus, atque inutilibus quæſtionibus abſtineat, caueatque, ne hæreticorum argumenta afferat, ſed ſimplici, non autem fucato dicendi modo, & ſincero mentis affectu, puram, catholicam, facilemque doctrinam populum edoceat, cui nullæ apocryphæ hiſtoriæ, reuelationes, aut fabulæ commiſceantur; miracula incerta, vana vaticinia, nouæ allegoriæ aut interpretationes, figuræ, vt vocant, Cabaliſticæ prorſus vitentur, nihilque demum in hoc ſacro miniſterio adhibeatur, quod non ab Eccleſia Sancta ſit approbatum, plenumque ſententiis, explicationibus, rationibus, argumentis certis, ſolidiſque ſanctorum Patrum auctoritatibus, omni ex parte, conſentientibus.

Quæ in Prædicatione tractanda ſunt.

Evangelia ad verborum ſenſum inprimis explicabit, vt ipſorum hiſtoriam rectè omnes capiant, & dum eam explicat, parat æque concionis telam contexit, quædam annectere curabit opportunè, quæ ad vitæ inſtitutionem, moreſque pertineant, & ſi commodè fieri poſſit nulla concio concludatur, in qua caput aliquod obiter non tractetur, & ad propoſitum inducatur, ſiue orationis Dominicæ, ſiue ſalutationis Angelicæ; ſiue ſymboli Apoſtolorum, ſiue decalogi, prout a catechiſmo Romano docetur.

Atque vt certiorem aliquam regulam habeat, qua in concionibus vtatur, modum quem B. Franciſcus ſuis prædicatoribus præſcripſit, communiter ſequi poterit, qui quidem ab aliis etiam ſanctis viris commendari ſolet; hoc eſt, vt facet prædicator quatuor præcipue in rebus verſetur, in vitiis, in virtutibus, in pœna, in præmio; quibus quatuor quaſi rotis tota concionis moles ad metam perducatur. nam in primis duabus rebus Chriſtianæ iuſtitiæ in hac mortali vita, ſumma tota verſatur, quæ in eo eſt, vt vitemus malum, & faciamus bonum, in reliquis autem futuræ vitæ ſtatus conſiſtit, in qua vel de pœnis, vel de præmiis ſecundum vniuſcuiuſque merita agitur.

Quare à vitiis illi exordiendum erit, quæ priùs eradicari omnino debent, vt virtutes inſerantur. eodemque hoc ordine vt plurimum vti poterit in vnaquaque materia pertractanda, quem etiam in Hieremia propheta obſeruamus, vbi ipſorum colonorum exemplum ſe qui poſſumus, qui antequam vites, aut arbores plantent, aut agros ſeminent ſpinas, & inutiles arbores extirpant, terramque idoneam reddunt, quo ſine impedimentis ſemina, & radices nutrire poſſit.

Iccirco prædicator a vitiis, vt dictum eſt, generaliter inchoans, de his quæ ſequuntur aget.

Contra peccata.

Peccatum ſeparat a gratia Dei, cæleſti gloria priuat, æternæ mortis reos facit &c.

Illud

Illud in primis conari debet fidelis toto vitæ ſuæ tempore, vt peccatum tanquam pernicioſiſſimum, teterrimumque humani generis hoſtem longe arceat.

Diuitiæ amittendæ, honores mundani ſpernendi, ac reiiciendi, vita ipſa profundenda potius, quàm mortale peccatum committendum: peccatores iræ filii, diaboli mancipia, æterno demum igne cruciabuntur.

Ne in grauiora peccata, aut mortalia incidamus, non ſolùm cauendum nobis eſt a leuioribus, vt a venialibus; verùm etiam occaſiones omnes effugiendæ, quæ nos ad cadendum ob humanam fragilitatem nimium pronos in præceps mittere facile poſſunt. eæ vero præſertim ſunt in conuiuiis, in conuenticulis in choreis, in ludis, & ante omnia in pernicioſorum hominum conſuetudine, quæ ita fugere debet ille qui ad ſalutem aſpirat, vt corporalem valetudinem curans, cæli aſpirationem grauem ac peſtilentem fugit, temperationem autem amat, & quærit.

Quia verò infinitus eſt peccatorum numerus quibus Deus offenditur, cum ea non ſolùm operibus, ſed etiam verbis, & cogitationibus committantur. Nos nunc prætermittemus ea, quæ cuiuſuis conditionis hominibus ſunt communia, veluti ſeptem peccata mortalia, periuria, blaſphæmias, detractiones, odia, homicidia, proditiones, & ſimilia, cum de his abunde ſatis Chriſtiani auctores agant, pateatq. Prædicatori facilis aditus, quo per amplum plurium argumentorum campum vagari poſſit ad ea deteſtanda, atque ipſorum turpitudinem, perniciemque exprimendam, & in omnibus odium erga ipſa concitandum.

Sed reperiuntur quædam particularia peccata, quæ magis propria eſſe ſolent villicorum, aliorumq. hominum qui extra Ciuitatem degunt, quæ fortaſſe vt plurimum à Prædicatoribus ignorantur. Iccirco cum maximam vtilitatem parere ſoleat, ſi in ea opportune inuehat Concionator; à Curato loci, vbi prædicat, de iis edoceri ſtudeat. Cumque verbi Dei ſeminatori ſciendum ſit quid euellendum, quid amputandum, quid penitus eradicandum, vt fructus vberiores a ſacra prædicatione colligat; huiuſmodi peccatorum quædam hic recenſebimus, quorum alia mortalia ſunt, alia venialia; neque iccirco omnibus locis, aut perſonis communia cenſeri debent, ſed varie Diaboli opera & ſollicite diſſeminata, vt his cognitis, in animis fidelium opportuna cultura adhibeatur, & nuſquam ipſius callidi hoſtis artes locum habeant, ſed omnino iuuante Deo euaneſcant.

Abuſus, & vitia Ruſticorum.

Equam omnium cenſuum ſeu prouentuum portionem dominis non ſoluunt, eoque prætextu ſe excuſant, nempe, quòd grauiores ſint conditiones, quàm ipſi ferre poſſint, aut quòd portio illa quæ ſibi reliqua eſt, non ſufficiat ad eos alendos, qui Domini poſſeſſionem colere debent.

In alienos agros & prata, equos, ſiue boues, ſiue alia animalia depaſtum ire permittunt, ſeu deducunt.

Decimas & primitias quas ſuis Curatis debent, minime ſoluunt.

Arbuſta, ſurculos, plantas ab alienis poſſeſſionibus tollunt, quas aut vendant, aut in propria loca transferant.

Neque agros fodiunt, neque arant opportune, neque ſulcos, vt opus eſt, dirigunt; ſed intempeſtiuæ arborum ſunt amputationes, atque vitium, & alia multa quæ ad eorum curam ſpectant, vel ea negligenter exequuntur, vel omnino negligunt, ſepibus aut foſſis, loca, prout tenentur, non circundant, non ea demum fide

quæ re quiritur. Dominorum bona adminiſtrant, pactaq. cum ijs ſtabilita non ſeruant.

Cum peracto locationis tempore ab vna poſſeſſione ad aliam ſeſe transferunt, ſepes diſrumpunt, aut incendunt, valuas tollunt, & plurima alia damna, præſertim in veteris conductoris contemptum, ſolent committere.

Diuerſis ſuperſtitionibus vtuntur non ſolùm in filiorum procreatione & partu, ſed etiam cum agros ſeminant, aut alia ad agrorum culturam pertinentia exercent, cum de tempeſtate dubitant, cum ægrotant, cum animalia in morbos incidunt, cum lineos pannos abluunt, cum panem excoquunt, cum bombyces nutriunt, cum aliquid ſibi ablatum eſt, vt furem ſciant, cum defuncti ad ſepulturam efferuntur, &c. quæ quidem ſeparatim habentur in eo libello qui iuſſu Illuſtriſſimi Archiepiſcopi de ſuperſtitionibus, editus eſt.

Cœmeteria, ſacraque loca extra Eccleſias, vt tenentur, neque claudunt, neque prohibent, quominus animalia in ea introducantur.

Ad tempus, & plus æquo vendunt, aliaq. illicita, atque vſuraria pacta contrahunt.

Qui poſſeſſiones conducunt, tantum abeſt vt eas tamquam proprias diligenter colant, vt etiam locationis fine appropinquante, eas deuaſtent, & depopulentur.

Non pudet eos locis, ſeu bonis Eccleſiæ vti, æque, ac ſi ipſi eorum Domini eſſent: iis enim vt plurimum pro tranſitu vtuntur, neque id ſolum ſufficit, ſed in ijſdem ſua animalia paſcere, ab ijs vimina, ſarmenta, ſurculos, atque adeo arbores ipſas eripere non erubeſcunt.

Sponſus eo die quo ſponſam ducere debet, ante cum affinibus conuiuatur, quàm Miſſæ ſacro interſit, & benedictionem a ſacerdote accipiat.

A Ciuitate diſcedentes ruralibus curribus vecti, aut ad Ciuitatem eoſdem currus deducentes, cum alius alij per viam locum cedere nequaquam velit, a concertatione, & controuerſia, ad iniurioſa verba, ſæpius etiam ad verbera, & ſanguinis profuſionem, ſine cauſa venire ſolent.

Multi ſunt qui vicinos explorationibus atque accuſationibus affligere non ceſſant, hancq. artem præcipue profitentur, qua victum ſibi comparant.

Pueros ab aliorum domibus, ſiue poſſeſſionibus, lignis, fructibus, vuis, alijſue rebus onuſtos redire vident, quos tamen non reprehendunt, aut corrigunt, quamuis illud manifeſtò furtum eſſe ſciant.

Cum quis Maſſarij munere fungitur, ea quæ patienda ſunt, non pro æquitate, ſed pro amicitiæ tantummodo, & beneuolentiæ ratione partitur.

Plures die Sabbathi in honorem Beatæ Virginis panem conficere nolunt, ijſdemque religio eſt boues iungere in eiuſdem Dominæ noſtræ vigilijs, qui tamen in eius feſtis, ipſisq. Dominicis diebus, neque ab ijs, neque alijs rebus quas illis Sancta Ro. Eccleſia prohibet, abſtinere ſolent.

Colloquia habere audent in ipſis Eccleſijs, ſiue in ipſarum atrijs, & Curatos, ſiue alios presbyteros in ſuis domibus, aut canonicalibus ædibus degentes impudenter adeunt, atque immodeſte perturbant.

Armati aliqui ad Eccleſiam conueniunt, in eamquè arma quælibet inferunt.

Si quid iis agendum eſt, quod ad Commune ſpectet, & campanæ ſignis indigent, vt ſæpius accidere ſolet, Curato non admonito quamlibet ob cauſam campanis Eccleſiæ vtuntur.

Diebus feſtis, nulla habita præcepti Eccleſiæ ratione, nullaque eos cogente cauſſa laboribus ſuis vacant, neque ſi neceſſitas vrgeat, a Curato laborandi licentiam petunt.

Non

Non ea qua decet reuerentia Eccleſias adire, atque in ijs eſſe ſolent: ſed aut rident, aut perſtrepunt, aut altaribus im modeſtè incumbunt, aut inter presbyterorum cancellos, aut ſæpe extra Eccleſiam apud ipſam ianuam commorātur, dum ſacrum miſſæ ſacrificium celebratur.

Toti Miſſæ ſacrificio genuflexi non interſunt, & ante benedictionem ſacerdotis diſcedunt.

Orationem Dominicam, ſalutationē angelicam, ſymbolum Apoſtolorum, & Decalogum ignorant nonnulli.

Filios, filiasq. ad doctrinæ Chriſtianæ ſcholam non mittunt: quos neque Miſſæ, neq. Veſperis diebus feſtis adeſſe curant.

Ad ſocietatem Sanctiſſimi Corporis Chriſti adſcribi negligunt, ipſosq. Confratres ſpernunt, atque irrident.

Creaturis Dei animantibus, ijsque omnibus rebus, quæ ijs ſeſe offerūt, quaſi ue præ manibus habent, & ſæpius etiam filijs ipſis maledicunt.

Conſuetudinibus inhoneſtis vtuntur, verbaq. obſcœna proferunt.

Mendaces ſunt multi, periuri, & fraudibus in venditione aut emptione proximum circumueniunt.

Profitentur ſe indomitos eſſe, & minimam ob cauſam, aut offenſionis ſuſpicionem, ad homicidia proruere, odiaque, ſimultates, atque inimicitias contrahunt, fouent, & ſæpius accendunt.

Prohibitos ludos, choreasq. & procurant, & prouehunt.

Sacerdotes neque ſeculares neque regulares eo qui eos decet in honore non habent, ſed potius aſpernantur: omniaq. eorum geſta notant, & vituperant; idemq. de magiſtratu temporali agere ſolent.

Ciuibus inuident, atque ijs obtrectant, cupiuntq. ipſorum ſtatum, quem ſuo meliorem eſſe exiſtimant, deteriorem effici.

Quod a malo abſtinere non ſufficiat, ſed neceſſe ſit bene agere.

POſt vitiorum reprehenſionem docebit Concionator populum non ſolum à malo abſtinendum eſſe, & peccata omnia fugienda; verùm etiam ad id præſertim Chriſti fideles omnes teneri, vt bene agant, & bonis operibus ad cælum iter ſibi comparent: cum ſcriptū ſit, omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur: & ideo ad ſingulas virtutes vitijs, & peccatis ſuperius enumeratis oppoſitas, ſanctorum exemplis, & auctoritatibus eos excitabit, & declarare conabitur, quàm facile ſit volenti, cum virtute agere.

Circa querelas pauperum.

CVm vero ſæpius pauperes humili conditione nati, atque vt plurimū in eo ſtatu conſtituti, vt neceſſitate maxima aſtringantur, & perpetuis laboribus ſubijciantur, vt viuant, facile ſuadente Diabolo ad dubitandum de diuina prouidentia induci poſſint, atque à Deo deſtitutos ſeſe eſſe, & tamquam illegitimos filios tractari conquerantur, non ſolùm quia ſuos labores atque incommoda, ex aliorum quiete & commodis metiuntur: ſed etiam quia hac ipſa cauſa quòd literarum ſint ignari, neque ſanctis exercitationibus vacare poſſint, ſibi iter ad cælum præcludi exiſtiment: Sacri prædicatoris præcipuæ partes erunt, huiuſmodi homines in Chriſtiano officio continere, in fiducia Dei roborare, qui non eſt acceptator hominum, & præter plurimas rationes atque argumēta, quibus hoc loco vti poterit, hæc quæ ſequuntur proponet, atque amplificabit.

Rationes quibus lamenta pauperum ſedari poterunt.

DEum vnum Patrem omnium, qui eſt ſuper omnes, & in omnibus nobis, æquè cunctos à ſe creatos diligere, qui illius legi obtemperent; ſacratiſſimumque Chriſti Ieſu ſanguinem pro omnibus fidelibus æquè effuſum eſſe, atque ideo æquè omnes ad ſalutem aſpirare poſſe.

Quemadmodum corpus pluribus mẽbris conſtat, quæ tamen omnia ad corporis regimen, & conſeruationem creata ſunt, ita tamen vt ſingula ſuo muneri ſatisfaciant; ſic in Eccleſia neceſſe fuit conſtitui varios ſtatus, gradus, atque officia hominum, quæ omnia totius Eccleſiæ corpori inſeruiant, cuius caput eſt Chriſtus ſaluator noſter.

Deum è cælo in mundum veniſſe, vt ſaluum faceret genus humanum, atque animas cæleſti & immortali gloria ditaret, non autem caducis, & mortalibus mundi diuitijs expleret; eamq. eſſe cauſam, vt varij ſtatus hominum ab eius prouidentia ſint conſtituti, quæ tantummodo cuiuſcunque ſpiritualem ſalutem reſpicit, non temporalem. Quare ſi quis pauper, aut diues eſt; ſi quis nobilis aut ignobilis; ſi quis doctus, aut indoctus; diuitias, inopiam, nobilitatem, ignobilitatem, doctrinam, ignorantiam, omniaq. demum à diuina prouidentia effici, & permitti ſciat ad cuiuſq. animæ profectum; & ſalutem, ſic etiam bonus Paterfamilias filijs eas artes exercendas diſtribuit, quibus eos aptiores fore exiſtimat, quamuis aliæ mechanicæ ſint, aliæ liberales, vt iuuet, non autem vt noceat.

Paupertatem, aut ignorantiam cuiuſuis hominis, diuinæ prouidentiæ præcipuum quoddam eſſe ſignum, atque inſtrumentum, quo Deus tamquam medicus ægrotas animas pro varietate morborum curare ſolet; quòd ſi aliqui inopia vexantur, id à diuina prouidentia factum eſt, quæ optime nouit huiuſmodi pauperum malos affectus, & æternæ mortis periculum in quod inciderent, ſi ijs commodis vti poſſent, quibus idcirco paterne eos priuat, vt æternæ ſaluti incolumes reſtituantur.

Quemadmodum veſtis nimis ampla, aut longior quàm vſus poſtulet, aut pede maius calceamentum ambulantem impediunt, ita etiam plus æquo diues difficile admodum iter ad cælum conficit: ſæpius enim offendit, ſæpius cadit: paupertas vero tamquam vehiculum eſt, quo in hoc peregrinationis noſtræ itinere, laxitudinis atque impedimentorum omnium pericula ſuperamus.

Si labores, ærumnæ, moleſtiæ, ipſaque paupertas, detrimento eſſent mortalibus, ea à Chriſto Domino noſtro minime commendarentur, dum ait. Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuã &c. cuius exẽplum Apoſtoli ardenti pietate, & conſtanti fortitudine vſque ad mortem perſecuti ſunt, & reliqui ſancti viri, qui per ea ad cælum aſcenderunt, ad quæ etiam amplectenda ipſæ ſacræ literæ tam ſæpe nos hortantũt.

Priſcos illos Romanæ Reipub. conditores, non eos quidem ſolum agricultura oblectatos fuiſſe, eamq. inter duas artes honore dignas recepiſſe, verùm etiam ab Hebræis ſecundum legem à Deo ſibi præſcriptam, lucrum quod è terræ cultu percipitur, inter omnia honeſtiſſimum eſſe habitum, vt pote quod humana parit induſtria, eiuſq. vſura, quamuis licita, maior eſt reliquis omnibus.

Præter laudes, quibus ſacræ literæ agriculturam extollunt, referar quoque plurima exempla Patriarcharum, Prophetarum, aliorumque Sanctorum Patrum qui paſtores erant, quos in ipſis agris omnipotenti Deo alloqui placebat, vt ſunt Abel, Noe, Abraham,

ham, Iacob, Moyſes, Dauid, Amos, aliique, &c.

Opera omnia ad quæ perficienda labor eſt neceſſarius, ſiue agricultura ea ſit, ſiue ars alia quælibet mechanica, cum ad præſcriptum Chriſtianę legis in Dei gratia exercentur, & ſatisfactoria ſunt pro peccatis, & meritoria pro fidelium animis, idque inter cæteros teſtatur Paulus Apoſtolus, dum proprijs manibus, nocte, dieq. ſæpius ſe laboraſſe ſcribit.

Rerum penuriam, abundantiam, pluuiam, ſiccitatem, ventos, tempeſtates, fluminum inundationes, atque alia huiuſmodi à Deo mitti, vt excitemur ad bene agendum, ipſumque præcipuum Dominum rerum omnium agnoſcamus, atque ad ipſum cōuertamur in toto corde noſtro, effundamusq. cor noſtrum coram ipſo, à quo tribulationum noſtrarum remedia expectare debemus.

Quia verò ex eo præſertim pendent ſpirituales fructus, quos Concionator à ruſticis colligere ſtudet, nempe, vt intelligant & ſentiant verè, per paupertatem, & labores viam ad cælum faciliorem comparari, eorum vocationem eſſe, vt in ſudore vultus ſui veſcantur pane ſuo: quemadmodum aliorum eſt vocatio, vt doceant, aliorum vt peregrinentur, aliorum vt prædicent, omnes tamen his tanquam inſtrumentis cæleſtis patriæ aditum ſibi aperiant. Icci rco in qualibet concione curare debet, vt hæc opportune inſerat, repetat, exaggeret, rationibus, argumentis, atque exemplis corroboret, quæ à Pſalmorum, Prophetarum, & ſacrorum Doctorum auctoritatibus haurire poterit, quibus ij non ſolum aliquo ſolatio afficiantur, ſed ad amplectendam libēti animo inopiam, perferendoſq. labores inflammentur, quibus tanquam tuto nauigio fluctus mundi huius ſuperare poſſint, atque ad æternæ fœlicitatis portum peruenire.

Quòd in quolibet hominum ſtatu, opera meritoria eſſe poſſunt.

ITaque declarabit illis Concionator, ad quid vnuſquiſque eorum teneatur, & præter diuina præcepta quæ cunctis communia ſunt, omnes & ſingulos ad ea, quæ ad ſuam priuatam conditionem, & vocationem pertinent teneri oſtendet. Nam aliud eſt Curati munus, aliud Doctoris, aliud Militis, aliud Mercatoris, aliud denique ruſtici. Cumq. vnuſquiſque teneatur ad illud recte exequendum, Deoque rationem reddendam de officij ſui adminiſtratione, qui ad illud magis eum vocare voluit, quàm aliud opus eidem exercendum præbere. hinc fit, vt quæcunque in ea vocatione, ſi in gratia exiſtat, conficit, terram fodiat, aret, ſeminet, comedat, aut alia quæcunque peragat, quibus Deus non offendatur, virtutes euadant, & opera meritoria efficiantur.

Quicquid igitur agit villicus, ſiue rus colat, ſiue Ciuitatē adeat, ſiue quid vendat, aut emat, ſiue ad piſtrinum pergat, ſiue gregem paſcat, ſiue domum inſtruat, aut aliis cuiuſcunque generis rebus vacet, dum in gratia exiſtens ita iis vacat, vt Chriſtianum virum decet, & ad Sanctæ Romanæ Eccleſiæ præcepta ſeſe conformat, iis omnibus tamquàm mediis ad vitam æternam promerendam, adiuuari poteſt.

Quia verò, hac in re, exempla aliorum hominum, qui ruſticam vitam egerunt, commouere vehementer ſolent; Concionator eorum aliqua, quæ magis ad rem faciēt adducere curabit, quæ ex ſacris literis, ſanctisque Patribus colligere poterit, vt illud eſt, quod Caſſianus refert de quodam ruſtico, qui nullum vmquam opus inchoabat, aut perficiebat, quin aut Deo illud commendaret, aut gratias ageret; terræque fructus nō ante ſibi adſumebat, quàm Deo illorum primitias daret, nec vnquam boues per aliorum agros deducebat, quin os illis obturaret, ne arboribus, aut ſementi detrimentum afferrent, eaque

demum

demũ fuit vitæ innocentia, vt ſola præſentia Dæmonem ab obſeſſo corpore expelleret. Climacus etiam aliud exemplum affert cuiuſdam, qui dum res coquebat quotidiano victui neceſſarias, illo ignis intuitu, æterni ignis memoriã renouabat, illumque aſſiduè meditabatur, & monachis tanquam Dei miniſtris ſumma patientia & hilaritate inſeruiebat. Legimus quoque in ſanctorum Patrum vitis tres quoſdam ſanctos viros adeo pie, & patienter artem ſuam exercuiſſe, vt Abbati Paphnutio qui heremum multos iam ante annos incolebat, à Deo fuerint præpoſiti.

Quia verò in eo præſertim res eſt, vt edoceantur qua ratione vti debeant, ut eorum opera Deo ſint accepta, & mercedem æternam mercantur: iccireo curabit concionator eos his, quæ ſequuntur, documentis inſtruere.

Qua ratione ruſticorum labores, atque opera meritoria efficiantur.

CAueant in primis ne à gratia Dei ſint alieni, ſed à peccato mortali liberi, quod quaſi venenum mortiferum bona opera perimit. Quapropter cum quis peccauerit, ſtatim ſine mora peccatum confiteri deberet, aut certè contrito corde, & confitendi propoſito dolere, ne interim quicquid operatur, ſit à Dei gratia alienum, & nihil inde apud Deum mereatur.

In omnibus operibus ſuis, ille præcipuus ſit ipſius finis, vt Deo placeat, atque ad Dei gloriã omnia dirigat, quãuis etiam ex ijs temporale lucrum ſperare poſsit: ſibique perſuadeat, bonum exitum, atque incrementum omne à Deo prouenturum, licet ſuus etiam labor, atque induſtria requiratur.

Artes ſiue opera quæ tractabit, à legibus permittantur, eiusq. ſint conditionis, vt ex eorum exercitatione animæ ſalus in diſcrimen non afferatur.

Neceſſe eſt vt ad ea, quæ agit ſit idoneus, cum multa ad ſeculares pertineant, quæ non ad religioſos ſpectant, item alia ſint hominum propria, non autem mulierum, plura etiam ciuium, non autem ruſticorum, ſic etiam incolarum Comitatus Bononienſis, non autem exterorum, aut aduenarum.

Tempus eſt animaduertendum, vt à lege permittatur, nam diebus feſtis laborare non licet, niſi ijs caſibus, quos inferiùs explicabimus.

Locus quoque conſiderandus, ne huiuſmodi opera in alienis locis, neque publicis neque priuatis ſine dominorum permiſſu, neque in Eccleſijs, clauſtris, cœmeterijs, alijsuè ſacris locis exerceantur.

De modo etiam cogitandum eſt, non enim ſufficit rem bonam facere, niſi ea qua decet ratione, & modo fiat.

Quapropter omnia opera fieri oportet integre, & rectè, ſine mendaciis, fraudibus, iuramentis, detractionibus, inuidia, vſura, obſcœnis verbis, & cogitationibus, omnia denique mala pro viribus euitentur.

De dierum feſtorum obſeruatione.

PRæterea inſtruere debet ruſticos Concionator, quid dierum feſtorum obſeruatio poſtulet, atque ad eam efficacibus verbis & rationibus eos inflammare, cum hoc modo Deus præſcripſerit nobis cultum, quem a nobis requirit, quiq. illi debetur. vt per eum etiam nos ſanctificemus: quia verò rudes illi homines præceptum hoc præcipuè ignorant, aut negligunt, de quatuor his præſertim capitibus, quæ ſequuntur admoneri poterunt.

Deus quotidie a nobis colendus eſt, verùm vt quotidianis noſtris neceſſitatibus conſulamus, ab illius prouidentia conſtituti ſunt dies, quos in operibus & laboribus mundi licet tranſigere, ſic tamen vt legi ſuæ non repugnent, ſed integros feſtos dies ſibi reſeruauit, quibus alia opera ſeruilia ceſſare debent, ſoliq. Deo vacandum eſt.

Præci-

Præcipuum opus ſeruile eſt peccatum, a quo omni tempore abſtinere debemus, ſed præcipue in feſtis diebus, quibus inſuper peccandi occaſiones diligentius ſunt nobis effugiendæ.

Feſtis diebus omnia mechanica opera prohibentur, præter ea, quæ in edicto ſuper feſtorum obſeruatione promulgato excipiuntur, quod edictum Concionator legere non prætermittet, populoq. declarare.

Cum vrgente aliquo caſu aut neceſſitate villico laborandum eſt, ad Parochum accedat, ab eoq. antequam opus incipiat, laborandi licentiam petat; id quod ſi ſtatim agere non poteſt, ſaltem poſt confectum opus exequatur: Parochus autem licentiam concedet ea benedictione, aut commutatione, quæ conſcientiæ ſuæ magis ſatisfactura videbitur.

Quibus rebus occupati dies feſtos tranſigere debeant ruſtici.

NOn ſolum diebus feſtis a peccatis, & ſeruilibus operibus eſt abſtinendum, ſed iis relictis, ſpiritualia opera, atq; exercitationes ſunt amplectēdæ, cū ad hoc vnum dies feſti in Eccleſia Dei ſint inſtituti, vt Deus glorificetur, & animæ fidelium in Dei gratia recreentur. De hoc igitur inter cætera diligenter Concionator ſuum populum admonebit, docebitq. quàm arcto obligationis vinculo, ex omni parte vnuſquiſque teneatur, ad dies illos Deo dicatos cum ſpirituali fructu, atq; vtilitate totos pro viribus tranſigendos. Sed quia hac in re multi nonnullas excuſationes afferre ſolent, quaſi vero nihil agendum reperiant, vbi ſe occupent, niſi ludos, ſaltationes, conuiuia, aliaq. ab huiuſmodi cultu penitus aliena. Iccirco admoneri debent, atque inſtrui, modeſtas animi relaxationes ab Eccleſia permiſſas, & ijs circumſtantiis quæ Chriſtianum virum decent adhibitas minime prohiberi; ita tamen adhibendas, vt animus quaſi peregrinus longo itinere fatigatus paululum quieſcat; & poſtmodum fortior ad ſpiritualia opera redeat proſequenda. Pauca vero quædam quæ ſequuntur huc attulimus, vt eorum exemplo præcipuæ feſtorum dierum exercitationes declarentur.

Sacro miſſæ ſacrificio ab Introitu vſque ad finem interſint, itemq. litaniis, concioni, Veſperis, doctrinæ Chriſtianę & proceſſionibus, cum celebrantur.

Orent plus ſolito, tum domi, tum in Eccleſia: coronā, & roſarium, itemq., ſi legere ſciant, officium Beatæ Virginis, ſeptem pſalmos pœnitētiales, aut alias orationes pro cuiuſq. deuotione attente recitare poterunt, atque aliquem ex familia legentem domi vitas ſanctorum Patrum, hiſtorias ſanctorum, aut alium quēlibet ſpiritualem librum, audiant, cui lectioni tota familia præſens ſit.

Viſitent ægrotos in domibus, aut hoſpitalibus commorantes; pauperes eleemoſynis, & conſilio iuuent, & conſolentur.

Cum officialibus, ſeu miniſtris ſocietatis ſanctiſſimi corporis Chriſti agant de rebus, quæ ad ipſius rectam adminiſtrationem, atque incrementum pertinent, eoſque qui in eam adſcripti non ſunt, hortentur vt adſcribi curent.

Eccleſias, atque Oratoria, cappellas, deuotas imagines, quæ in illo Communi erunt deuotè viſitent; quolibet in ſacro loco genuflectant, orent, aqua benedicta ſe aſpergant.

Peccata confiteantur, communicent, atque aliquod ſingulare deuotionis & pœnitentiæ ſpecimen Deo præbeant in honorem ſacri illius diei, & præſertim pro fidelibus defunctis.

Vnà cum officialibus iis quorum id muneris erit, pro pauperibus Cōmunis illius, puellis maritandis, carceratorū auxilio, mancipiorum liberatione, ſiue pro aliis quibuſcumque piis operibus ab Illuſtriſsimo Archiepiſcopo commēdatis eleemoſynas colligere curent.

Pueros ad Doctrinam Chriſtianam inuitent; illi ſancto miniſterio iuuando pro viribus aſſiſtant.

Si quid

Si quid accideret Parocho, in quo ipſorum opera egeat ad Eccleſiam exornandam, aut aliud quidpiam ſimile agendum, illi in charitate inſeruiant.

Vnà cum alijs Communis hominibus ad id deputatis explorent, an invijs, cauponis, aut alijs in locis prohibiti luſus exerceantur, aut alia publica peccata committantur, ſiq. poterunt, hæc mala delere conentur, ſin minus ea ad Superiores deferant.

Paces tractent, lites componant, differentias concordent, de quibus inquirant, & certiores fieri curent.

Interdum cum tota familia, ad Eccleſiam Archipresbyteralem ſe conferant, eam inuiſant, ſacras reliquias venerentur, & Stationum indulgentias conſequi ſtudeant.

Spiritualibus colloquiis interſint, vbi ea habebuntur, atque ex iis doctrinam ſanctam haurire, & recte operari diſcant.

De Patribusfamilias, de familiæ gubernatione, alijsq. virtutibus.

PRæter hæc, quæ hactenus pro Concionatoris instructione hac in re attulimus, id quoque animaduertendum existimauimus, vt Patresfamilias admoneat, qua obligatione teneantur ad rationem reddendam Deo totius familiæ cui ipſi præſunt, cuiq. opere, & exemplo ipſi præire debent. Qua in re hæc illis quæ exempli gratia hic adnotauimus, frequenter, & opportune in memoriam reuocare poterunt.

Cum quis è lecto ſurgit genuflectat ac oret ante ſacram imaginem, quæ in cuiusq. cubiculo eſſe debet, offeratque Deo omnia, quæ eo die peraget, vt eius Maieſtati ſint accepta. Idem agat quotidie veſperi, antequam cubitum eat, & ſimul examen conſcientiæ faciat, atque veniam omnium peccatorum a Deo efflagitet, bonorum operum eidem omnium bonorum largitori gratias agens.

Nihil incipiat, niſi ſe primum ſigno ſanctæ crucis muniat, ſi ea quæ agere debet magni momenti erunt, adiiciat etiã preces ad Deum, quæ operi ipſi præmittantur, vtaturq. Parochi, vel alicuius religioſi viri conſilio.

Vaſculum in quo aqua benedicta aſſeruetur vnuſquiſque in ſuo cubiculo habeat, cumque ingreditur, exit lecto, ſurgit, aut cubitum vadit, ſemper eiuſdem ſacræ aquæ rore ſeſe aſpergat.

Habeat vnuſquiſque etiam imagines illas cereas ſacras, quæ Agnus Dei appellantur, ſimiliter coronas, & grana benedicta, & indulgentiarum notam: quòd ſi iis caret, aut ea habere non poſſit aliunde; ſi ad Archiepiſcopales ædes aceeſſerit & noſtros miniſtros de ijs requiſiuerit, quantum ſatis erit ad familiæ ſuæ vſum obtinebit; ſuperſtitioſas verò res, ſcripta, aut alia huiuſmodi relinquat omnino, neuè aliud ſecum habere curet, niſi quod a ſuo parocho approbetur.

Semper menſæ ſigno crucis benedicat, & antequam accumbat Orationis Dominicæ, & ſalutationis Angelicæ deuotam recitationem cibo præmittat. idemq. faciat poſt menſam, vt Deo gratias agat.

Quotidie veſperi orationem communem cum tota familia faciat, multis ab hinc annis ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo inſtitutam, & Paterfamilias, niſi quis clericus adſit, ea confecta, omnes aqua benedicta aſpergat.

Vnuſquiſque quotidie, ſi poterit Miſſæ deuote interſit.

Primo cuiuslibet menſis Dominico die communicet, prout ex præcepto ſtatutorum ſocietatis ſanctiſſimi Sacramenti tenetur, ſi eſt ex Confratribus.

Itemq. ſingulis feſtis diebus ex antiquo Eccleſiæ ſanctæ inſtituto inter Miſſæ ſolemnia Deo aliquid piè offerat.

Coronam vnuſquiſque habeat, eamque ſemper ſecum ferat, quam cum per agros, aut alia loca incedit recitare poterit, dum vrgentibus occupationibus non detinetur.

Velato

Velato capite mulieres ad Eccleſias accedant, atque in ijs honeſte, & ſancte verſentur.

Feſtum diem illius Sancti, cui parochialis Eccleſia dedicata eſt, deuote colant, & ſanctificent, in vigilia eiuſdem ieiunent, & in feſto communicent.

In matrimonijs contrahendis, pueris baptizandis, aut confirmandis ea omnia ſeruent, quæ aliàs his de rebus præſcripta ſunt, quæ ſi neſciant, à Parocho doceri curent.

Dum aliquod opus tractant manibus, ſiue arent, ſiue ſeminent, ſiue aliquid ſimile agant, mentem cogitationibus pijs applicent, adque Dei gloriam omnia dirigant, atque in ipſo laboris opere interdum genuflectant, & breuiter orent, hac enim ratione laboris moleſtiam minuent, & plurimum apud Deum merebuntur.

Dum gradiuntur, iter faciunt, aut aliud quidpiam agũt, meminerint, ſe ab Angelo ſibi aſsignato cuſtodiri, qui eos comitatur, verba, cogitationes, & greſſus numerat; cogitent demum in omnibus actionibus ſuis vbique Deum adeſſe, atque omnium operum eſſe animaduerſorem, iuſtiſsimumque iudicem.

Doctrinam Chriſtianam omnes in vnaquaque domo ſciant, aut neſcientes diſcant.

Cum campanæ pulſantur tempeſtatum tempore, ſi fieri poterit, ad Eccleſiam confugiant, ibique orent; ſin minus domi, aut in loco vbi aderunt, id efficere non prætermittant, meminerintque fulgurum, & coruſcationum, igniumque, qui iudicij diem præcedent.

Itemque cum ſignum dabitur Communionis ad infirmos afferendæ, ipſi Patres familiàs ſanctiſſimum Sacramẽtum candela accenſa comitentur; quod ſi is agere non poſsit, aliquem ex domeſticis, aut familiaribus ſuis mittat, qui huic debito officio ſatisfaciat.

Blaſphemos, obſcœnos, homicidas, latrones, non communicantes, proximo iniuriam non remittentes, Doctrinæ Chriſtianæ fundamenta ignorantes, alijſque huiuſmodi enormibus criminibus notatos, domi ſuæ nequaquam eſſe permittant.

Conſuetudines verò bonas, ſanctaſque obſeruari, non autem prætermitti curent, nempe domum benedicendi; palmas, ſiue oliuarum benedictos ramos, & benedictas etiam candelas ad Chriſtianos vſus aſſeruandi: placentas, & fructus agrorum, & alia huiuſmodi benedicendi, &c.

De pœnis, quæ a Deo dantur in hoc mortalis vitæ curriculo.

HAC in re Concionator totis viribus inniti debebit, nam ad ſalutis adeptionem plurimum facit, idque hoc modo agere poterit.

Si fames, rerum omnium egeſtas, imbres, tempeſtates, fluminum eruptiones, incendia, ædificiorum ruinæ, hominum, atque animalium interitus, aliaque huiuſmodi fera, atque inſolita accidant, quibus homines vt cum maxime affligi ſolent; doceat Concionator, ea volẽte Deo, ob bonum aliquod noſtrum euenire, atque iccirco verè mala non eſſe, ad inſtar culpæ, quæ à Deo proficiſci non poteſt: in his verò malis pœnæ, bonos eſſe effectus agnoſcimus, & ſalutaria remedia ad animarum ſalutem. Nam hæc, & ſimilia ad hoc probandum argumenta, ex ſacrorum auctorum libris colligi poterunt, exempli gratia.

Vt minor pœna ſit noſtrorum peccatorum, nam quicunque legem offendit, iure offenſioni ſatisfacere tenetur; ideo cum plurima, & quotidiana ſcelera noſtra grauiſsime puniri mereantur, placet Diuinæ miſericordiæ, vt pro minore noſtro malo in hac mortali vita potius caſtigemur, dum caſtigationem patienter, atq. humiliter feramus, ne poſt mortem multò grauiori pœna mulctemur.

Quia omnes pœnæ, quibus olim Deus mundum afficiebat vt caſtigaretur, per Ieſu Chriſti Domini noſtri paſſionem, ſi ijs vti ſciamus, conuertuntur in exercitationem ad æternam gloriam cõſequendam

dam, atq. ideo ijs frænantur appetitus; vanitates eraduntur, paſsiones mortificantur, ſuntque ad inſtar medicinæ, quæ quidem licet amara ſit, ſalutem tamen operatur.

Iis homines ſtimulati magis, magiſque virtutibus efflorcſcunt, meritiſque cumulantur; fortitudo, patientia, mundi ſpretus, manſuetudo, humilitas, alięque plurimæ virtutes excitantur, quæ ſine hoc perpeſſionis ſtimulo languerent, atque in tenebris delitefcerent.

Non ea peiora damna noſtra ſunt, cum grandine meſſes expilantur, aut glacie vites exſiccantur, aut ventis fructus, arboreſque concutiuntur, atque euelluntur; ſed ea damna magis timenda ſunt, cum poſt huiuſmodi res, quæ à Deo mittuntur, vt excitemur ad bene agendum, in malis operibus perſeuera mus, nec vitam in melius commutamus.

De pœnis quæ mortem conſequuntur.

QVOD ad pœnas futuri ſeculi attinet, referet Concionator breuitatem, fragilitatem, & miſeriam humanæ vitæ: in memoriam reuocabit, quàm incerta ſit mortis hora, quàm tremendum tribunal, ac iudicium, ante quod anima ſtatim atque ex hac vita diſceſſerit ſiſtenda eſt, vbi de cogitationibus, verbis, atque operibus quibuſcunque arctiſſima ratio eſt reddenda. Quia verò huiuſmodi res plurimùm affectus commouere ſolent, iccirco diuerſa ad ipſas ſpectantia commemorari poterunt, & præſertim ea quæ ſequuntur.

Ea quæ morientem, atque expirantem circumſtant, mortiſque ipſius horror, & pericula.

Quàm incertus ſit futuri de nobis iudicij exitus.

Ea de quibus rationem reddituri ſumus ab eo die, quo rationis vſum habere cœpimus, vſque ad vltimum vitæ ſpiritum.

Iudicis ſeueritas, & iuſtitia.

Qualitas pœnarum, & tormentorum inferni, quæ malis præparata ſunt.

Aeternitas ipſorum, ita vt nunquam vllo tempore minui poſsint.

Quapropter excitatos huiuſmodi ſermone Concionator ad pœnitentiam hortabitur, quæ ſola Dei gratiam conciliare poteſt, atque ea omnia, quæ ſuperius breuiter attigimus auertere, cum enim quæſierimus Dominum Deum noſtrum, inueniemus eum in tota tribulatione animæ noſtræ.

De bonorum præmijs, & mercede.

RELiquum eſſet, vt huc afferremus quæ à Concionatore tractanda etiam ſunt de bonorum præmijs, & mercede. Nam etiamſi Chriſtianus vir prò nihilo habeat terrena hæc omnia tanquam momentanea, atque incerta, verum ad æterna bona mentis oculos attollat; tamen Pater ille miſericordiarum bona opera etiam in hac mortali vita recognoſcere ſolet, in qua futuræ immortalis quandam quaſi arrham accipimus, dum ſupernaturali lumine illuſtrati, ſpirituali tranquillitate fruimur, & in ſpe futuræ vitæ æternæ læti, in Dei gratia breues hoſce mortalis vitæ dies traducimus, & temporalibus etiam bonis, ſi ita animarum noſtrarum ſaluti expediat, à diuina clementia augemur. Quia verò perfecta fœlicitas non eſt in his terrenis mundi gaudijs, ſed in cælis vbi beati ijs bonis cumulati ſunt, quę oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt: ideo Concionator hæc, & ſimilia in medium afferre poterit.

Amplitudinem, atque inenarrabilem gloriam Paradiſi.

Angelorum, & ſpirituum beatorum fœliciſsimam ſocietatem, & conſuetudinem.

Dotes, quibus glorioſa corpora exornabuntur.

Summi boni, qui Deus trinus, & vnus eſt, præſentiam, viſionem, & fruitionem ſempiternam.

Aeter-

Aeternitatem, quæ his omnibus bonis adiungetur in ſecula ſeculorum.

Hæc verò, & alia plurima excipiet Concionator à ſacris auctoribus, inter quos pater Ludouicus Granatenſis illi vſui eſſe poterit in eo opere, quod meditationum conſcripſit.

Hac itaque ratione opus ſuum Deo iuuante rite implebit, quod faxit ille, qui dat verbum euangelizantibus virtute multa, vt hoc ſacro prædicationis miniſterio, animę fidelium è laqueis venantis inimici ereptæ, ad ſalutem perueniant ſempiternam.

Dat. Bonon. in Archiep. Pal. &c.

COLLECTOR.

PRAETER inſtructionem hanc generalem, ad Concionatores omnes pertinentem, cum particulares quaſdam res tractare debeant illi, qui Sanctimonialium prædicationi deſtinari ſolent; ijs etiam, quæ infra ponuntur, præceptis, eorum laboribus, vt ſalubriores ſint, vberioresque fructus pariant, conſultum eſt ab Illuſtriſsimo Archiepiſcopo.

MONITIONES QVAEdam ad Concionatores pertinentes, qui Sanctimonialibus Ciuitatis, & Diœceſis Bonon. verbum Dei prædicant.

QVAMVIS arbitremur ſacros Concionatores, qui à nobis Sanctimonialibus Ciuitatis, & Diœceſis noſtræ deſtinabuntur, in timore Domini, qui initium eſt ſapientiæ, ambulaturos, nihilque penitus ſpectaturos, niſi Dei ipſius gloriam, & animarum ſalutem; eamque prudentiam, & circumſpectionē adhibituros, quæ rebus, quas pertractant, temporibus, locis, perſonisque ſit conſentanea. Nihilominus vt in hoc ſacro munere nihil iis deſit auxilii, quod à noſtra cura, atque ſollicitudine proficiſci poſſit, æquum eſſe duximus, vt eos de quibuſdam, ad huius miniſterii præcipuas quaſdam partes ſpectantibus, admoneremus.

De diſciplina Prædicatoris.

TAM priuata, quàm publica colloquia cum Monialibus omnino euitare ſtudeant.

Caueant ne literas vnquam, aut ad Moniales ſcribant, aut ab iis accipiant, à muneribus item dandis, aut recipiendis omnino abſtineant, ſed eleemoſyna illa ſint contenti, quæ a Monaſterio ſibi impertietur, quam quidem eo animo accipiant, vt etiamſi ea careant, ad Dei gloriam labores omnes ſe ſuſcepiſſe, ex animo profiteantur.

Concio habeatur ex ſuggeſtu ante crates Altaris maioris Eccleſiæ, ianua ſemper clauſa, nemineque præſente, niſi eo, ad quem Confeſsiones audire pertinebit, omnibus alijs, tam maribus, quàm fœminis omnino excluſis.

Nullo vnquam tempore comedant, aut cibum ſumant in locis intra ſepta Monaſterii conſtitutis, neque in cubiculis Cappellanorum Monaſterii, aut Confeſſariorum.

De Prædicatione ipſa.

QVOD attinet ad ea, de quibus agere debebunt, hæc ipſis ſint generalia quædam documenta.

Vt ſcilicet difficiles quæſtiones fugiant, eaque omnia, quæ extra inſtituta monialium eſſe intelligent. Sacrum Euangelium moraliter, & ſimpliciter exponant, ad virtutes hortentur, vitiaque inſectentur.

In concione exemplis abundare curent Sanctorum præcipue eius Ordinis, vbi prædicabunt, nam ſi ad Moniales Ordinis Diui Dominici conciones habebunt, Sanctæ Catherinæ Senenſis exempla opportuna erunt, & ſimiliter Sanctæ Claræ, ſi cum aliis ordinis minorum, aut huiuſmodi.

B Quoad

Quoad fieri poterit, curabunt illius Monaſterij, vbi prædicandi munus exercent, regulas intelligere, vt eas opportune declarent, laudẽt, aut eas allegent etiam, quaſi omnium auctoritatum concluſionem & vinculum, quo ad aliquod bonũ agendum moniales aſtringuntur.

Totis viribus curent, vt in primis, Monialibus explicent accurate quali, quàmq. arcto vinculo teneantur ad tria vota; quàm certæ, quàmque magnæ impendeant pœnæ ijs, quæ huiuſmodi vota frangunt: qualia vero quantaque ſint præmia obſeruantium, nempe tàm pœnæ, quàm præmia ſempiterna.

Ad particularem verò vniuſcuiuſque voti tractationem accedant, & modò obedientiam, modò caſtitatem, modò paupertatem in concione proſequantur.

De Obedientiæ voto.

NAM de obedientia quoties illis agendum erit, præter eſſentiales res ad ipſam ſpectantes, hæc, & quæ ſequuntur, attingere poterunt.

Cum quid à ſuperioribus iubetur, ſuſurrationem, ſeu murmurationem, rem pernicioſiſſimam, eſſe euitandam.

Superiorum mandatis nihil replicandum, illorum executionem nullatenus differendam, aut impediendam: cauendum vero omnino eſſe, ne illa penitus negligant, aut aſpernentur; meminerintque ſententiæ Dei dicentis, En propono in conſpectu veſtro hodie benedictionem, & maledictionem: ſi obedieritis, benedictionem: maledictionem, ſi non obedieritis.

Doceant præter peccatum, & voti fractionem, adeſſe publicum, aut priuatum quoque ſcandalum.

Doceant etiam, quæcunque à præfectis, ſiue alijs miniſtris, aut ſuperioribus mandantur Monialibus, animarum ſalutem, bonum publicum, honorem & dignitatem monaſterij ſpectare.

Quia verò prima duo præcepta ad quę obligantur moniales, ab ipſis ordinis ſeu Religionis inſtitutis & regulis, ea ſunt, quæ à Chriſto Domino noſtro toti humano generĩ mandantur, vt diligamus Deum ex toto corde noſtro, tota mente noſtra, totiſq. viribus noſtris; & proximum noſtrum, vt noſmetipſos: ideo oſtendere ijs curabit Concionator, perfectiore modo ad illas pertinere, vt id exequantur, præter ea, ad quæ Euangelica legẽ tenentur.

Quapropter oſtendat quantopere iis fugienda ſint multa, quæ charitati erga Deum, atque erga proximum repugnant, præſertim verò non ſolùm ſimultates, atque odia, ſed etiam altercationes, detractiones, ſuſpiciones, vana & extra tempus colloquia, temeraria iudicia & ſimilia: ideo hortetur eas valde, vt charitatem fraternitatis inuicem diligentes colant.

Aetate grauiores reuereantur, à quibus viuendi nomam, & documenta libenter accipiant, & requirant: corrigique ſuos defectus, iuxta regularum præſcriptionem, æquo animo patiantur.

De Caſtitatis voto.

SAepiſſime etiam de caſtitate ſermones, aut digreſſiones ad rem, quam tractant accommodatas, in concione miſceat: illud enim alterum Votum eſt, quod ex omni parte amplificare, atq. extollere poterit Concionator.

In primis vero declaret maieſtatem, omnipotentiam, & pulchritudinem illius, cui deſponſatæ ſunt, vt beata Agnes dicebat. *Ipſi ſum deſponſata, cui Angeli ſeruiunt, cuius pulchritudinem ſol, & luna mirantur.*

In hac autem huiuſmodi pulchritudinis exaggeratione, eã circumſpectione, ſententiis, verbiſque vtatur, quæ caſtas aures, caſtumque argumentum decent, profana omnia penitus euitans, nihilque quod humanam fragilitatem ſapiat commiſceat.

Cum verò caſtitas non ſolum ſit intrinſeca, ſed etiam extrinſecus dignoſca-

gnoſcatur (quod attinet ad eam, quæ in animo ſedem habet, à qua etiam corporis caſtitas naſcitur) edocebit Concionator puritatem cogitationum, atque ab omni carnis affectu alienationem propriam eſſe debere monialium. Atque hoc ſane ipſis facile ſuccedet, ſi cuiuſcunque generis vana colloquia euitabunt, non ſolum inter clauſtra, ſed etiam ad crates, cum conſanguineis, tam maribus, quàm fœminis, quos etiam aſpicere, atque audire non curent; fugiant quoque illorum aſpectum, qui ob Monaſterij neceſsitates, in illud ingredi poſſunt, neminemque alio plus ament, quàm diuina charitas, & Eccleſiæ ſanctæ præcepta permittunt.

Hortabitur vt ſymphonias, cantusq; omnis generis fugiant, præter eos, qui in diuinis officijs ſuperiorum permiſſu adhiberi iubentur. Itemque caueant à profanorum librorum lectione, quæ mentes earum, moresque labefactant: ea verò eſt poetarum, comœdiarum, fabularum, & ſimilium, ex quibus qualia, quantaque damna caſtitatis internæ viribus afferantur, Concionator diligenter enarret, & declaret.

De caſtitate verò externa; oſtendet pariter ipſam multum in geſtu, & actione corporis conſiſtere; curent igitur, vt ita in ijs ſeſe gerant, vt oculorum motu, inceſſus grauitate, veſtium modeſto cultu, oſtendant ſeſe Deo dicatas eſſe, non dæmoni: tempus vero quo nihil pretioſius eſt, minime conſumant, ſeſe præter modum expolientes. ſpeculorum verò vſum damnabit apud illas, quarum ſpeculum Crux eſſe debet; damnabit etiam picturas vanis quibuſdam adinuentionibus fucatas, oſtendetque Sanctorum imagines, quas in cubiculis ad venerationis memoriam habere debent, ita pictas eſſe oportere, vt nullius viri, aut mulieris, quam ipſæ fortaſſe nouerint, effigiem referant: indutasque, non autem nudas eſſe debere.

Inuehetur verò contra eas, quæ comas nutriunt, declarabitque quid ſignificet virginalis ille faciei cultus ab Eccleſia præſcriptus, & quam ob rem velari moniales ab Eccleſia conſtitutum ſit.

Admonebit, quàm diligenter inuigilare debent, quantoque ſtudio laborare, vt pretioſum caſtitatis theſaurum cuſtodiant, exemplaque ſanctarum virginum, & Martyrum adducet; hortabiturque ad orationem, ieiunium ſacramenta, ſacras & ſpirituales lectiones, honeſtas deuotasque occupationes, quibus, ſponſo cæleſti dicatam margaritam aſſeruare poterunt.

De paupertatis voto.

NEQVE verò paupertatem, & communis victus conſuetudinem; rationibus atque argumentis, quæ ex ipſa re & ſacris Doctoribus elicere poterit, Concionator exaggerare deſinet, quin illud Monialibus perſuadere conabitur, vt proprietatem omnem non ſolum effectu, ſed etiam ipſo affectu animi exuant; quòd ſi quid ad vſum quotidianum illis conceditur, id humanæ fragilitati à ſuperioribus permiſſum eſſe cenſeant, communibus enim veſtibus, communi victu, in communi loco ad id deputato, ad præſcriptum, normamque ſui ordinis, & Monaſterii inſtitutionem vti debent, ſi huic voto ex omni parte ſatisfacere velint.

Hac etiam in re repetet frequenter Concionator bona Monaſterii, ad communem vſum Monialium, non autem ad particularia alienorum, ſiue ipſarum Monialium, quæ ea adminiſtrant, commoda, atque vtilitatem eſſe conſeruanda.

Cùm verò huiuſmodi ſacra paupertas ad ſpiritum ſeſe extendat, eas inflammare conabitur, vt viliora Monaſterij munera, atque officia non ſolum oblata libenter amplectantur, ſed cupiant, & à ſuperioribus petant, pannos abluere, culinam inſtruere, ægrotis inſer-

inſeruire, & ſimilia, quæ magnarum mulierum exemplis comprobari poterunt, vt ſunt quæ leguntur de S. Eliſabeth Regina Vngariæ; quæ quidem huiuſmodi exempla non ſolùm ad commodum victus cómunis maximè faciunt, ſed etiam ad caſtitatis conſeruationem, atque humilitatis profectum excitandum plurimum iuuant.

Doceat quoque paupertatem, ſeu victus communitatem, non hæc tempora ſolum ſpectare, ſed etiam in quibuſdam ſpiritualibus, ſacriſque actionibus eandem communitatem eſſe aſſeruandam, ſingularitateſque omnes penitus fugiédas: nempe, vt vnà omnes Miſſæ ſacro interſint, non vt peculiarem ſacerdotem, ſeu Miſſam affectent: orationem cum alijs hora aſſignata faciant, non ſegregatæ in cubiculo, aut priuatis in locis, & ſimilia. nam radix omnium bonorum operum, quæ ex ipſis proficiſci poſſunt, meritorumque, eſt obedientia charitati coniuncta, quæ victus, operumque communitatem, vt ſupra diximus, poſtulat, & præcipit.

De clauſura.

QVia verò quædam ſunt quæ reſpiciunt trium ſupradictorum votorum obſeruationem, nempe clauſura, oratio, & ſilentium.

Quod ad primum attinet, oſtendet efficacibus argumentis Concionator, quantum ea commodi afferat ad ſalutem animarum conſequendam: per eam enim tutius tria vota obſeruant Moniales: dum à mundo diſiunctæ viuunt, refeſretque hoc loco plurimorum ſanctorum exempla, qui id vitæ genus elegerunt, & arctiſſimis clauſtris ſeſe incluſerunt, alius enim ſpeluncas, alius ſaxa, alius cubicula, alius ipſa vincula, quibus columnis alligaretur ſponte elegit. Ideoque à Monialibus arctiori etiam modo clauſuram cuſtodiendam eſſe oſtendat, neque ad portas, neque ad rotas, & feneſtras alloquutoriorum accedendũ, neque hac in re ſuperiorum reformationem expectandam eſſe, ſed ſponte & ex animo quęcunque ad clauſuram pertinent exequenda. Quæ quidem clauſuræ cuſtodia non ſolum ipſis Monialibus maximo erit profectui, ſed etiam toti Ciuitati, quæ ab earum exemplo in Domino ædificabitur, cum hac ratione declarent, & manifeſtent, veram clauſuram murorum ſolo ambitu, cratibus, ianuis, alijſque huiuſmodi rebus non circumſcribi, ſed in ſancta animæ compoſitione, quæ huc, atque illuc vagari ne quidem cupiat, contineri.

De oratione.

QVod ad ſecundum attinet, quod eſt oratio communis quæ in choro haberi ſolet, hortabitur eas concionator, vt ad eam frequentes, diligentes, & ſollicitæ diu, noctuque conſtitutis horis, temporibus, & locis accedant: ſimiliterque diuina recitent officia, deuote, grauiter, & diſtinctè, vt Angelis qui ipſas audiunt, & laudantes Deum aſſociant, adſtantque ibi inuiſibiles, placeant: non autem officium recitent per clauſtra, aut in hortis deambulantes: atque ad hanc rem adducet Concionator cauſas rationeſque, quibus magis commoueri poterunt.

Cumque dies feſti Deo toti ſint conſecrati, vt illum laudemus, & exaltemus, tunc præſertim abſtinere debent à rotis, & clauſtris; ſimiliterque eo tempore quod ieiuniis, & pœnitentiæ eſt attributum, tunc eò magis orationi publice & priuatim intereſſe debent.

De ſilentio.

POſtremum erat ſilentium, quod Concionator vt cùm maxime extollet, ac laudabit, atque ad illud ſeruandũ totis viribus exhortabitur. eſt enim obedientiæ filius, & caſtitatis cuſtos; neque ſolum in omnibus locis, quoad fieri poterit, cuſtodiendum eſt Monialibus,

ſibus, ſed præcipue in choro, in dormitorio, in refectorio, in Capitulo, in locis laborum, alijſque locis vbi congregari ſolent.

Quòd ſi ſilentium non cuſtodire, eſt præter religionis regulam, & præcepta; contra eandem magis eſt vanus ſermo, aut malus, qui quamuis ad plura extendatur; de quibus concionator agere poterit, tamen id potiſſimum curabit, vt oſtendat, & probet, peccare eas, quæ facta, & verba vana ad ſe non ſpectantia aliarum referunt; Nam quemadmodum bene merentur apud Deum, ſi corrigant ſe inuicem in charitate fraterna, & in neceſſarijs occaſionibus ſuperiores moneant de ijs rebus, quæ correctione, aut reformatione indigent; ſic peccant quæ aut in ſpretum, aut odio, vel ſimultaribus adductæ, vel alijs huiuſmodi malas ob cauſas, defectus Sororum, & leuia etiam errata diuulgant, præſertim ſecularibus. Similiter peccant, quæ errores in Monaſterio commiſſos, pœnitentiaſue à ſuperioribus impoſitas reuelant, cum ad eos, qui huiuſmodi res relatas audiunt, non pertineat in Moniales animaduertere, eaſque corrigere, aut caſtigare.

Præter hæc omnia, quæ hucuſque breuiter attigimus, hæc quæ ſequuntur, ijs rebus quæ in concionibus tractantur, ſæpiſſime, & aſſidue ſi fieri poterit, inſerere, deque ijs conſultò in aliqua concione plenè Prædicator agere poterit.

De paſſione Chriſti Domini noſtri.

De Beatiſſima Virgine.

De vita Sancti, ſeu ſanctæ titularis monaſterij.

De imitatione ſanctorum.

De præteritæ vitę pœnitentia.

Quàm difficilis ſit emendatio peccatoris, qui in peccatis habitum fecerit, & conſeneſcat, atque in quàm periculoſo vitæ ſtatu ſit.

Quòd Religioſi cũ Dæmoni obſtinate inſeruiunt, difficilius quàm alii emendari poſſint, peioreſque ſint aliis peccatoribus, quàmque graue, ſeuerumque Iudicium illis impendeat.

De beneficiis à Deo acceptis, & præſertim de vocatione ad religionem.

De vanitate, miſeriis, & contemptu terrenarum rerum.

De morte.

De Iudicio.

De Inferni pœnis.

De Paradiſi gloria.

De Purgatorii pœnis.

De fœlicitate eorum, qui Deo fideliter inſeruiunt.

De vita ſolitaria.

De humilitate.

De virginitate.

De patientia.

De perſeuerantia in bonis operibus.

De meditatione, &c. huiuſmodi.

Dat. Bonon. N. Vicat. Gen.

COLLECTOR.

CVM in dies multa accidant, quæ præter ſupradicta documenta Concionatores non ignorare debeant, & ijs denuncianda, commendanda, ſiue damnanda ſint: particularibus quibuſdam ſcriptis impreſsis, quæ ipſis quolibet anno diſtribuuntur, ante Aduentum, & Quadrageſimam, & alijs etiam infra annum temporibus, admoneri ſolent, quorum hic formulam vnam, aut alteram ſubiungemus.

QVAEDAM QVAE PRAEcipue prædicatores verbi Dei in Ciuitate, & Diœceſi Bonon. tractare debent in Aduentu Domini.

REVERENDE Pater, Ad vberiores ex concionibus fructus colligendos, Hæc capita in ſuis concionibus Reuerentia veſtra frequẽter exaggerabit in hoc ſacro aduentus Dominici tempore.

Quòd ex ſacrorum indumentorum mutatione facta in Eccleſia Dei colligat populus, dimittendas etiam eſſe vanas, & luxum vndequaque redundantes veſtes, ſumendaſque ad exemplum Eccleſiæ eas, quæ pœnitentiam, contritio-

nem, & dolores referentes, modeſtiam Chriſtianam præſeferant; de quo præſertim mulieres R. veſtra admonebit.

Omnes verò hortabitur, vt aliquos ſibi dies infra hebdomadam aſſumant, quibus aut ieiunent hoc tempore, aut ſaltem aliquo modo à qualitate, & quantitate cibi abſtineant.

Patres, Matresque familias inflammabit ad Doctrinæ Chriſtianæ opus ſtudioſe, atque alacriter proſequendum, atque adiuuandum; filios vero vt aſsidui Doctrinæ ſcholas adeant, in ijsque proficere ſtudeant.

Quòd multæ mulieres ad ſocietatem doctrinæ ſunt adſcriptæ, ſed ab incœpto curſu defecerunt: perſeuerantes R. V. laudabit, cæteras animabit, atque indulgentiarum theſauros, qui ijs parati ſunt in memoriam reuocabit.

Orationem veſpertinam commendabit enixe omnibus, vt ad eam frequẽter & aſſidue cõueniant eo ordine qui ab Illuſtriſſimo D. Cardinali Archiepiſcopo eſt præſcriptus, præſertim hiſce temporibus calamitoſiſſimis, quibus diuino auxilio ſummopere indigemus.

Moneat populum, ne ſpiritualibus, aut temporalibus Superioribus, & miniſtris detrahat, cum rerum quæ ab ijs fiunt, aut mandantur, cauſam, originem, & alia ignoret; ſed quicquid ab iis ſtatuitur in bonam partem accipere debeat.

Vt dies feſtos colant, & ſanctificent, præſertim vero ij, qui nobiles, & diuites ſunt ſanctiùs huic cultui vacent totis atque integris feſtis diebus, quorum dignitatem, & excellentiam ſæpius declaret, cum multi tempore tantum pluuio ad conciones ire ſoleant.

Vt mulieres ijſdem diebus præſertim vanitates fugiant; ne per vias curribus vectę vagentur, aut deambulent, aut è feneſtris, ſiue in ipſis domorum veſtibulis, & portæ limine ſcandalum tranſeuntibus pariant.

Vt ad orationem feſtorum dierum frequentes, & deuotę conueniant, cui ſingulis diebus feſtis binæ deſtinatæ ſunt Eccleſiæ, alia pro viris, alia pro mulieribus. Oſtendat quantas gratias Deo agere deberent hanc vnam ob cauſam, occaſionis ſcilicet, quam habent, cum ſpirituali lucro indulgentiarum, dies illos ad Dei gloriam tranſigendi.

Circumſtantia temporis huius pericula ſæpius, & in qualibet ſi fieri poſſit Concione, commemoret, vt iceirco ad bene viuendum vnuſquiſque ſeſe comparet.

Hortetur, vt eleemoſynas largiantur Congregationi infirmorum, quam Ill. D. Cardinalis Archiepiſcopus inſtituit, vt mala omnia Deus auertere dignetur, & ſemper in charitate Domini, in promptu ſint ægrotis remedia victus, & reliqua: cum plurimos inopes, & quotidiano victu ſummopere indigere videamus.

Adiiciat inſuper multos religioſos viros ſeſe obtuliſſe, vt ægrotorum curam habeant, eiſdemque ſpirituales medelas exhibeant; eo verò magis diuites ad eleemoſynas elargiendas, promptos eſſe debere, oſtendant.

Hortetur vt ad oratorium, quod ſingulis diebus in Eccleſia Cathedrali habetur conueniant, præſertim verò nobiles, qui in otio ſunt. Item ad lectionem caſuum conſcientiæ quæ habetur feria quinta, & ſexta, cum ea ſit vtilis etiam mercatoribus, aliiſque omnibus, ob errata in quæ incurrunt grauia quotidie, quæ tamen ipſi leuia eſſe exiſtimant.

Vt fugiant luſus, choreas, conuenticula, quæ pluribus in locis, & quòd peius eſt diebus feſtis noctu fieri ſolent maximo animarum detrimento.

Hæc R. veſtra opportunè exaggeret, amplificet, deprimat, & quod in Domino prætenditur, argumentorum, rationum, atque exemplorum viribus, in animis fidelium imprimere conetur.

Dat. Bonon. N. Vic. Gen.

ALIA

ALIA FORMVLA EORVM DE quibus Concionatores in Quadrageſima, prout ratio temporis expoſtulat, præmoneri ſolent.

REVER. Pater. In hoc tempore ſacro, quo à Deo verè pœnitentibus copioſi gratiarum fontes aperiri ſolent, curet R. veſtra ita munus ſuum, quod præcipuum eſt, ipſique ieiunio ſummopere coniunctum, explere, vt ſementem verbi Dei faciens, fructus inde quàm vberrimos colligat. Quare inſtructionem illam Illuſtriſſimi D. Cardinalis Archiepiſcopi iuſſu editam, quamuis ad Diœceſanos prædicatores directa ſit, præ manibus tamen habeat, atque ad eam mores, & vitam componere ſtudeat, cætera que excipere, quæ magis ad rem ſuam facere arbitrabitur.

Præterea, quæ ſequuntur, opportunè, & frequenter concioni inſerere non prætermittat.

Quòd ad ieiunium quadrageſimæ tenentur omnes, qui poſſunt ieiunare poſt xxi. annum; illudque ſeruari debet ex præſcripto Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſin minus, peccatum mortale committitur.

Quòd in licentijs petendis, & extrahendis, rectè conſcientias examinent, an verè indigeant cibo, qui ſit præter quadrageſimale ieiunium, nam neminem alium fallet quàm ſeipſum, qui fraudem hac in re adhibet.

Quòd eleemoſynæ eo tempore præſertim largius exhibeantur, quæque proprio ſenſui demuntur, pauperibus diſtribuantur.

Quòd mulieres velato capite Eccleſias adeant, in ijſque modeſtè verſentur, & eo potiſſimum ieiunij tempore ſericas veſtes, aliaque vana ornamenta dimittant.

Dies feſti ſanctificentur integri.

Conciones ſacræ, & pomeridiani ſermones in Eccleſijs frequententur.

Luſus, choreæ, aliaque huiuſmodi Diaboli inuenta aboleantur.

Confeſſiones non vlteriùs protrahantur.

Quòd expediens ſit confeſſarios non quolibet anno mutare: nam, veluti medici, naturam morbi non agnoſcentes, opportuna remedia afferre minime poſſunt.

Quàm arcto vinculo teneantur hæreticos publicare, eoſque qui libris vtuntur prohibitis ad Archiepiſcopales miniſtros deferre.

Inſuper reprehendat R. veſtra eos, qui laſciuas imagines in domibus habent, libroſque etiam minus honeſtos, aut vanos legere delectantur.

Sæpius agat de temporis omnium rerum precioſiſſimi iactura, otioque omnium malorum origine.

De cultu, qui debetur Eccleſijs ab omnibus, qui ad eas accedunt.

De obligatione, qua tenentur Patreſfamilias ad bene domus ſuas regendas; quantorum malorum cauſam afferant, qui huic rei diligenter ſuam operam non deferunt.

De obligatione, qua inter ceteros aſtringuntur nobiles viri, & ij præſertim qui ſunt diuites, ad Chriſtum non erubeſcendum, ſed præ aliis exemplum præbendum bene agendi, recteque viuendi.

Item de morte, & iudicio R. V. frequenter agat.

Inuehat in eos qui bona Eccleſiaſtica vſurparunt, aut alienarunt; atque in eos qui pia legata non ſoluunt, eoſque excommunicationis vinculo teneri, oſtendat.

Mulieres hortetur, vt cum ſacras reliquias ſolemniter per Ciuitatem deferri videat, è curribus, quibus vehuntur, deſcendant, eaſque deuotè ad Eccleſiam comitentur, niſi vrgenti admodum cauſa impediantur. quod officium ſi Sanctis debetur, eo magis Sancto Sanctorum Chriſto Domino, cum ad infirmos ſanctiſſimum viaticum Euchariſtiæ deferri viderint, præſtare tenentur.

Doceat

Doceat quoque quantorum malorum cauſa ſit obtrectatio: præſertim verò cum Superiorum facta vellicantur; quin potius ipſorum præceptis prompte obediendum eſſe oſtendat.

Moneat omnes, in Eccleſia Cathedrali ſtatis diebus lectionem caſuum conſcientiæ haberi; vt non ſolum Eccleſiaſticis viris, ſed etiam ſecularibus, & mercatoribus conſulatur.

Singulis quoque diebus ſermones in Oratorio Confeſsionis haberi nunciet, quibus vt omnes intereſſe curent, ſuadere conetur. reliqua Reuerentiæ veſtræ zelo commemoranda relinquuntur.

Dat. Bononiæ in Archiepiſcopali Palatio &c.

FORMVLA BREVIS INSTRVctionis, quæ quibuſcunque Concionatoribus Diæceſis Bononienſis præberi ſolet, quo tempore ad prædicationis munus exequendum ſeſe conferunt, benedictione ab Illuſtriſſimo Cardinali Archiepiſcopo prius obtenta.

REVER. Pater. Quamuis in eo libello qui anno. 1578. Iuſſu Illuſtriſsimi D. Cardinalis Archiepiſcopi noſtri editus fuit, vbi de veſtro prædicationis munere pleniùs agitur, quid in ea fugiendum, quid totis viribus contendendum ſit, liquidò appareat; tamen præter ea, quæ ibi habentur, pauca hæc etiam adijcienda, & in memoriam reuocanda R. veſtra, eodem Archiepiſcopo ſic mandãte, duximus, vt rectiùs, & faciliùs tantum miniſterium adimpleatur.

Curet in primis R. veſtra, vt libellum illum præ manibus frequenter habeat; atque vt de hac re certiores ſimus, cum, vt benedictionem, & licentiam accipiat, ad Archiepiſcopum, aut ipſo abſente, ad nos accedet, prædictum libellum, niſi neceſſitas aliqua impedierit, oſtendet; vt hoc modo omnem negligentiæ, ſeu cuiuſuis cauſæ inanis ſuſpicionem effugiat. Inſtructionem verò hanc, & licentiam in ipſius calce adiectam à Curato illius Eccleſiæ vbi prędicabit, ſubſcriptam ad nos referet. Quòd ſiquis in his rebus, quas illi præſcribimus deficiet, aut quæ ſui muneris ſunt & illi præcipimus, non obſeruabit, ad conciones in poſterum in Ciuitate, & Diœceſi Bonon. non admittetur. Parochi verò, quorum culpa id euenict, pœnis arbitrio noſtro reſeruatis punientur.

Ea verò quæ R. V. curare debet, ſunt quæ ſequuntur.

In primis, vt hoc officium præſter ad charitatis munus explendum, populorumque ſaluti conſulendum.

Quapropter caueat, ne inter Concionem, ſiue in domibus priuatorum hominum, alijſue in locis, quauis ratione & prætextu, eleemoſynas petat, ſed expenſis quotidiani victus, illiſque eleemoſynis, quæ ſibi offerentur, acquieſcat.

Mandamus tamen Maſſario ſocietatis Sanctiſsimi Sacramenti, & Maſſario Communis, vt a duobus, qui aptiores erunt eiuſdem Societatis Confratribus ſociati, quærant ab hominibus loci, vbi prædicatio habebitur, eleemoſynas, quæ Concionatori poſtea tribuentur. qui poterit, ſi ita videbitur magis expedire, ſemel populum admonere eleemoſynas pro ſe colligendi curam eſſe demandatã Maſſarijs, vt ſupra dictũ eſt.

Quæcunque eleemoſynę cauſa R. V. tribuentur, cuiuſcunque generis ea ſint, neque per ſe vendat, neque vendi palam ab aliis, ſi præſertim id ſcandalo eſſet, permittat.

Qui Concionatores ad confeſsionem admiſſi erunt, Parocho licentiam a nobis hac de re obtentam oſtendent, eiq. in hoc munere ſuffragabuntur quoties opus erit. Quòd ſi accidat, vt pœnitentiæ ſint iniuugendæ reſtitutionis pecuniariæ, vel aliarum rerum: vel pœnitentiæ gratia, pro miſſarum celebratione, eleemoſynæ largiendæ, caueant omnino, ne huiuſmodi pecunias, aut res a pœnitente ſibi tribui curent, aut ullo modo permittant.

In Ec-

In Eccleſiæ Canonicalibus ædibus cum Parocho, neque alibi nobis inſciis cohabitabunt, vbi ita mores, vitæque rationem inſtituent, vt ſancta conuerſatione, & exemplo non minus doceant, quàm verbis, & prædicatione.

Illuſtriſſimum D. Cardinalem Archiepiſcopum, aut Archiepiſcopales miniſtros literis admonere ſtudeant interdum de ſtatu fidelium, quibus verbum Dei miniſtrant, deque alijs, quæ aliqua prouiſione indigere poterunt; poſtea verò quàm confecto prædicationis munere reuertentur, eundem Illuſtriſſimum Dominum conuenient, & de omnibus coràm certiorem facere curabunt.

Hæc ſunt de quibus R. V. admonitam eſſe volumus, Bene valeat in Domino.

FORMVLA TESTIMONII
à Curato de Concionatore perhibendi.

EGO. N. Parochus Eccleſiæ . . . teſtor R. Patrem . . . Concionatorem in hoc loco . . . omnes ordines qui hac inſtructione continẽtur ſeruaſſe; In quorum fidem præſentes literas mea manu ſubſcripſi, & meo ſigillo muniui. Die . . Men. . . An. . .

FORMVLA LICENTIÆ
concedendæ Concionatoribus Diœceſis Bononienſis.

REVERENDO . . N. qui ad prædicationem verbi Dei, moribus doctrinaque approbatus eſt a nobis (ſeu eius ſuperioribus, vt nobis per patentes ipſius literas cõſtat) licentiam concedimus, vt hoc tantum quadrageſimali tempore huius anni . . vſque ad octauam paſchæ incluſiue prædicationis munere fungatur, & confeſſiones audire poſſit, dum tamen ſupra ſcriptis ordinibus pareat. Quare illum enixe in Domino Reuerendis Parochis, & fidelibus diœceſis noſtræ commendamus. Dat. Bonon. in Archiepiſcopali Palatio die.

N. Vic. Gener.

FORMVLA LITERARVM
quæ ad Curatos Diœceſis Bonon. ſcribi ſolent, cum Concionatores ad ea loca mittuntur.

REVER. Parochie. Deſtinauit Illuſtriſſimus D. Cardinalis Archiepiſcopus noſter R. Patrem N. qui in iſta plebe .N. hoc quadrageſimæ futuræ tempore verbum Dei prædicet. Qua de re præmonendam R. veſtram cenſuimus, vt de ea populum ſuum certiorem faciat, atque ad audiendas deuote, & frequenter conciones incitare, ſimulque opportune ea, quæ ad ipſum concionatorem excipiendum neceſſaria ſunt, comparare poſſit. Conſignauimus illi inſtructionem Illuſtriſſimi Archiepiſcopi iuſſu editam, & ipſius etiam ſigillo communiuimus, vt ab vtriſque veſtrum quæcunque vobis in ea præcipiuntur, aut in Domino admonentur, inuiolabiliter ſeruentur. Curate vt veſtri omnes labores ad Dei gloriam, & populorum ſalutem dirigantur; atque vnà animarum remedia, toto hoc præſertim ſacro ieiunij tempore, exquirite, ſi quid verò acciderit, in quo noſtra opera, ac conſilio indigeatis, ad nos ſcribite. Bene ualete in Domino

QVAM-

COLLECTOR.

QVAMVIS conſilij noſtri minimè ſit, ſermones referre, quos in ſolemnibus præcipuis diebus, & ſanctorum celebritatibus, alijsq. etiam temporibus habuit ad populum Illuſtriſſimus Cardinalis Archiepiſcopus, (nam amplum nimis volumen occuparent) ſed potius aliquos tantum ex ijs, quos ipſe ad certas actiones dirigere ſolitus eſt, veluti in ſacramentorum adminiſtratione, aut morum reformatione, ſeu cum nouum aliquod opus religioſum inſtituendum eſt, ſeu cum Clerum, Societates, vel Collegia alloquitur, aut alijs huiuſmodi paſtoralibus muneribus ipſo ſermone perfungitur. Tamen in hac ſecunda parte, cum de Prædicatoribus Verbi Dei multa iam allata fuerint, viſum eſt duos ſaltem ex plurimis eiuſdem Archiepiſcopi ſermonibus hic collocare, qui in Pontificali actione ſolemniter habiti fuerint. Inter cæteros autem ſe nobis obtulerunt, vnus in die feſto Sancti Petri Apoſtolorum Principis, qui titulus eſt Metropolitanæ Baſilicæ Bononienſis, & alter in die feſto Sancti Petronij, quæ Eccleſia eſt inſignis Collegiata Epiſcopi, Patroni, & Protectoris Bononiæ. harum enim Eccleſiarum dignitas, & Patronorum ſolemnis memoria poſtulare videbatur, vt præcipuam aliquam illorum mentionem faceremus.

SERMO PONTIFICALIS, in die Sancti Petri Apoſtoli in Metropolitana Eccleſia.

Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Alij Ioannem Baptiſtam: Alij Eliam: Alij Hieremiam, aut vnum ex prophetis: Vos autem, quem me eſſe dicitis? S. Matth. Cap. xvi.

POSTQVAM aliàs hoc ipſo die, qui beato Petro Apoſtolorum Principi, huiusque Eccleſiæ noſtræ patrono conſecratus eſt, multa a nobis de præclariſſimis eius laudibus, rebuſque geſtis commemorata fuerunt; exiſtimauimus ſacri Euangelij verba, quæ in præſenti eius ſolemnitate à ſancta Eccleſia leguntur, nobis nunc perſequenda eſſe, ea præſertim in parte, qua Dominus Saluator noſter eum eodem Petro, atque alijs Apoſtolis loquens, exemplum nobis vitæ, ſermoniſque noſtri in quotidianis actionibus, & familiari conſuetudine dirigendi, relictum eſſe voluit, dum ait, *Quem dicunt homines eſſe filium hominis? vos autem quem me eſſe dicitis?*

Verùm antequam hæc aggrediamur, verba nonnulla, quæ in ipſo Euangelij limine occurrunt, explicanda eſſe videntur, ex quibus aditus ad reliqua, quę ſequuntur, faciliùs patefiet. Nam cum Chriſtus Dominus Apoſtolos ſuos interroget, *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* poſſet aliquis dubitare, idem ne ſit appellari hominem, & appellari filium hominis, an verò potius hæc ſint diuerſa, & quomodo ſint accipiēda, quod quidem varijs ſcripturæ locis conſideraris, difficultatem aliquam afferre poteſt.

In primis enim legitur in [a] Pſalmo. *Quid eſt homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quia reputas eum?* quo loco ex illa dictione, *Aut*, adnotauit Sanctus [b] Auguſtinus multum hæc inter ſe differre, cum omnis filius hominis dicatur homo, quamuis non omnis homo filius hominis dici poſſit; Adam, inquit ille, quippe homo fuit, ſed non filius hominis; Hincque ſubdit, illos, qui ferunt imaginem terreni hominis, hominum nomine ſignificari; qui vero imaginem cæleſtis, hominis filios appellari; ita vt homo dicatur vetus, homo ille, de quo Apoſtolus; [c] At filius hominis, nouus veluti homo dicatur, ex vetere quidem genitus, ſed ſpiritualis vitæ nouitate, & morum emendatione veluti in alium tranſlatus.

a Pſal. 8.

b S. Aug. Pſ. 8. & ibidem Beda.

c Epheſ. 4.

Verùm

Verùm vt nos non negamus, eo in pſalmo diſtingui homines à filijs hominum; ſic in alijs ſcripturæ locis, hæc interdum confundi, & promiſcue accipi certum eſt; atque vt homines dicunt, de quibus Apoſtolus, *nonne homines eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?* ſic etiam filios hominum eodem ſenſu ſumi, prout in

a Pſ. 16. pſalmo [a] *veruntamen vani filij hominum*,

b Pſ. 4. & in alio [b] pſalmo, *filij hominum vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* & rurſus in alio pſal-

c Pſ. 145. mo [c], *Nolite confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus.*

d S. Hier. in Eccleſ. c. 9. Sanctus igitur Hieronymus [d], S. Hilarius [e], Origenes [f], & alij tradiderunt [g],

e S. Hilar. in pſ. 53. filios hominum vocari Hebraica phraſi homines ab Adam profuſos, & ex humo

f Orig. hom. 1. in Ezech. el. originem trahentes, ad quos Hieremiæ eſt ſermo ille, *terra, terra, terra, audi* &c.

g Pint. in Ezechiel c. 2. Hieron. 22. Qua ratione Chriſtus Dominus ſaluator noſter ſe filium hominis frequentiſſime, vt noſtis, ſolet appellare, vt hoc nomine veritatem naturæ ſuæ ab Adam profectæ, quæ calamitatibus eſſet obnoxia, oſtenderet, & ſe cum Deus eſſet; infirmitates tamen noſtras ſibi adſciuiſſe, & languores, ac dolores noſtros vere in ſe tranſtuliſſe declararet. hincque & pro-

h Ezech. c. 2. & 3. 6. phetæ nonnulli, & præſertim Ezech. [h] in prophetijs ſuis, ſæpe filius hominis vocatur ea ratione, vt aiunt ſacri doctores, vt admoneretur, quàmuis ad illum excellentem prophetici vaticinij gradum eſſet euectus, non ideo tamen inſoleſceret, aut ambularet in magnis, & mirabilibus ſuper ſe, ſed memor eſſet ſe filium hominis, ideſt obſcurum, abiectumq. eſſe, ex eorumque numero, quos Latini terræ filios vocant; & Dauid in-

i Pſ. 48. quit [i], *quique terrigenæ, & filij hominum*; hincque nos diſcamus, ſi quando nobis Deus chariſmata ſua, donum ſapientiæ, linguarum, prophetiæ, miraculorum, aliaue quæcumque beneficia ſingulariter impartiri dignatur; ne more eorum, qui cum ſunt gratioſi apud Principes ſæculi, ſtatim alios deſpicere, & inani faſtu ſolent intumeſcere, nos quoque his efferamur, ſed cò magis deijciamus nos, dicentes nobiſcum, quid ha-

bes quod non accepiſti? & ſi accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? quid *S. Greg. Nazian. ſ ... in carmine. De itineribus vitæ.*
aliud eſt homo, quàm vanitati ſimilis, cuius dies, ſicut vmbra prætereunt? quid aliud ſumus, quàm ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur exaruit? quid aliud quam ſpiritus vadens, & non rediens? & vmbræ ſomnium, vt Græcus ille dixit.

Hoc igitur loco, filius hominis non aliud, quam humanitatẽ infirmitati ſignificat ſubiectam, ac ſi Chriſtus diceret, Quem dicunt homines eſſe filium hominis? illum ſcilicet Meſſiam venturum; ſic enim denotat articulus Græcè appoſitus, illum inquam qui cum ſit filius Dei ab æterno, voluit tamen in tempore filius hominis fieri, & humanæ, infirmæque carni hypoſtaticè vniri.

Nunc ad Euangelij myſteria pergamus, nam ex hac interrogatione, *quem dicunt homines eſſe filium hominis?* opportunum nobis ſe offert argumentum ad commune quoddam vitium corrigendum, quo laborare vehementer Ciuitas noſtra ſolet. Nouimus complures eſſe, qui pruritu quodam aliorum facta inquirendi, & res nouas curioſè indagandi, quotidie quid literæ ex vrbe afferant, quid ex Bizantio, quid ex Belgio ſollicitè quærere ſtudent; hocque primum ſingulis diebus videtur eis eſſe negotium, ſcrutari, ſi quid noui in ciuitate noſtra acciderit, quanti fundum ille emerit, lautè ne in conuiuio illi ſint epulati, quid ſoli in angulo nonnulli ſint collocuti, quid in foro heri actum fuerit, quæ & qualis ſit huius, vel illius vita, & alia huiuſmodi.

Nos cum vſus venit, publicè, priuatimq. hoc hominum genus monere non deſinimus, ne ſe alienis curis implicent, ſed ſibi ipſis, domuique ſuæ vacent, partes has eſſe magiſtratuum, & eorum qui publica funguntur auctoritate, tanquam ex ſublimiore ſpecula omnia circumſpicere, ciuium mores, rerum euenta, Principumque conſilia, quoad eius fieri poteſt, perſpecta habere; vt vigilantia ſua incommodis occurrere, & ſubitos caſus prudentia anteuertere, ac populi incolu-

incolumitatem vigili ſolertia tueri poſſint; ad reliquos verò cogitationem hanc minimè pertinere; non enim vacat, vt ſcripſit ille,[a] ocium ad iſtas ineptias, ingens negotium nobis in manibus eſt, mors ſequitur, fugit vita, aduerſus hæc inſtruamur; *odiſti* ait propheta[b] *obſeruantes vanitates ſuperuacue*.

a Senec.

b Pſ. 30.

Hinc Locrenſium legibus mulcta in eos animaduerſum fuiſſe legimus,[c] qui rogaſſent numquid noui; rectè S. Chryſoſtomus,[d] ſi Deus, inquit, mandaſſet nobis, vt percunctaremur facta aliorum, & mores aliorum diſcuteremus, & quid noui accideret ſollicitè indagaremus, vnuſquiſque diceret, rem nimis difficilem Deus nobis præſcripſit, quis ſum ego, qui poſſim aliorum vitam inquirere? ignoro quid illi admiſerint.

c Plutarc. de curioſ.

d Hom. vlt. in 1. ad Corinth.

At cum omni hac curioſitate nos Deus liberauerit, vltro tamen nos totos in eam proijcimus, & nihil vnquam ex ea proficimus, nec emendamur, & cum ille dixerit, *Attende tibi*, nos alijs vacamus; perinde ac illi, qui malè oculis affecti, vident res longe poſitas, & quæ prope ſunt, minimè intuentur.

Hic forte dicet aliquis, quorſum hæc? aut quid commune cum Euangelio noſtro? Attendite quæſo; nam dum hæc chariſſimorum filiorum noſtrorum auribus frequenter inculcamus, atque eò cautius eſſe vitanda monemus, quo minus ſe eo nomine vnquam homines peccare exiſtimant, nec vnquam audimus aliquem, qui conſcientiam ſuam tanta temporis profuſione, inaniſque curæ ſollicitudine morderi ſentiat, præter innumera alia, quæ ex hac curioſitate priuatim, publicèque incommoda, & mala inuehuntur; hæc inquam dum dicimus, grauiterque hunc errorem deteſtamur; tum illi confugiunt ad præſens Euangelium, quo ſaluator noſter ſciſcitari videtur, quem dicunt homines eſſe filium hominis? ſi enim ille, aiunt, non alia de cauſa diſcipulos ſuos interrogat, niſi vt quid dicant alij, perſpectum habeat; cur, inquiunt, non licebit nobis non malitioſè, nec in alicuius fraudem, ſed bona fide, ac veritatis cognoſcendæ cauſa, cuius Deus auctor eſt, multa diſquirere, ex quibus etiam fructum in tempore opportuno comparemus?

Succurrit mihi quod ſcribit Irenæus[e] interdum accidere, vt regiam imaginē ex pretioſis gemmis a ſapiente artifice compoſitam, nequior artifex ſoluat, atque gemmas illas, in ſerpentis, lupique figuram conuertat; Quis hoc videns non indignetur, acerbèque ferat, tam præclaram materiam, vnde imago regia effulgebat, in terram ſpeciem, humanæque naturæ inuiſam, translatam fuiſſe? ſic multi ſunt in Chriſtiana Republica huiuſmodi artifices, qui Dei eloquia ad impia dogmata deflectunt, atque diuinæ legis patrocinium ad cupiditates ſuas, vitæq. licentiam tuendam adhibere moliuntur.

e Iren. lib. 1. c. 1.

Illud igitur in Euangelio noſtro primum animaduertēdum eſt, Saluatorem noſtrum hic de ſe ipſo, non de aliorum rebus quærere, quod maximum prudentiæ, & humilitatis argumentum eſt; idcircoque nobis ad imitationem reliquit, vt meminerimus ſapientis eſſe, alios de moribus, vitæque ſuæ actionibus conſulere, vt ſi quid perperam actum eſt, corrigatur: ſi quid prouidendum, ex aliorum ſententia rectiùs deliberetur: *Interroga*, inquit Propheta[f], *patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi*; ſic olim Moyſes vir regius, & diuinis virtutibus excultus, ſocerum ſuum Iethro, virum ſibi meritis, & auctoritate longè inferiorem, libenter auſcultabat.

f Deutr. 32.

Scrutari igitur ab alijs non vicinorum facta, non exterorum negotia, ſed ea quæ ad nos pertinent, & vitæ noſtræ informandæ prodeſſe poſſunt, hoc longè ſaluberrimum eſt, & Chriſtiani hominis ſapientia dignum. S. Baſilius in præclara illa Hom. *Attende tibi*, vehementer nos adhortatur, vt oculos ad nos ipſos reflectamus, ac conſcientiæ noſtræ fores ingreſſi, illius latebras excutiamus, nobiſcum meditantes, cur a Deo procreati, cur in hac valle lachrymarum poſiti, quid hic agamus, quò peregrinemur, quis tandem exitus tot laborum,

rum, curarum, miſeriarumque noſtrarum ſit futurus.

Verùm accidit nobis, inquit Clem. Alex. quod mulieribus ſolet, quæ ſpeculum abijciunt, quòd turpitudinem ſuam, oriſque fœditatem nequeunt ſuſtinere; ſic homines multi, cum ſe ipſos intueri, & prioris vitæ improbitatem, conſcientiæque ſuæ ſordes explorare incipiunt, tot illis ſe fœdæ imagines, tot periuria, tot fraudes, tot maledicta, tam denſa denique flagitiorum phalanx eis occurrit, & ramquam ſepulchrum patens, plenum amaritudine, & dolo, ſic prodit ſe cor eorum, vt ſcelerum atrocitate deterriti, atque horrore perculſi, cum intus ſedere nequeant, foras exiliant, & tanquam inteſtino bello victi, proprijſque ſedibus ignauia eiecti, alienos fines peragrare incipiant.

Vtinam qui pondus hoc tam ſalutaris cogitationis ferre non poſſunt, ab his ſaltem Saluatoris noſtri verbis exemplum hodie ſumerent, vt alios in conſilium adhiberent; non enim ſemper crimen eſt ignorare [a], ſed nolle diſcere vbi oportet: non, indoctum eſſe, ſed doctrinam deſpicere; non, reprehendi, ſed non emendari; nec tam noxium eſt cadere, quàm non erigi, neque ita malum peccare, ſicuti nolle corrigi.

[a] S. Chriſoſt. hom. de ſcand. reprah.

Diſcat igitur Parochus qui animarum curam gerit, aliquos ſibi viros non auribus prurientes, ſed graues, prudentes, ac Deum timentes deligere, a quibus interdum quærat, quem dicunt homines eſſe ſuum Parochum? an pecuniæ cupidum? an libidine diffluentem? an gregis ſui parum amantem? an eum, qui de fuga cogitet, ſi Epidemiæ morbus accedat? oblitus ſe paſtorem eſſe, qui animam ſuam pro ouibus ponere debeat, atque filiorum ſalutem vitæ propriæ diſcrimine redimere.

Itidem paterfamilias interdum, à viris non fictis exploret, quem dicunt homines eſſe me in familia mea? an eum qui debita famulis, mercenarijſque ſtipendia differam? an eum, qui domum meam luſoribus, aleatoribus, otioſiſque hominibus aperiam? an eum qui vxorem, filias, neptes ſue tanquam theatrales feminas ſe populo ſpectandas exhibere permittam? & aperto capite, oreque impudenti, in ſanctam Dei Eccleſiam ingredi? an eum qui veſperrinã orationem quotidie in familia mea haberi prætermittam? an eum, qui obſcœnas imagines, impuroſque libellos domi meæ apparere patiar? an eum, qui ſicarios, impudicos, blaſphemoſque in ædibus meis alam?

Pariter qui ſenator eſt, qui doctor, qui mercator, qui iudex? an iuſtitiam diligat vultus eius? an dextera eius repleta ſit muneribus? ſic qui alio quolibet munere fungitur, ſui ipſius rationem exquirere, alios de ſe ipſo frequenter interrogare non deſinat, vt ſibi proficiat, ac reliquos exemplo ſuo ædificet.

Sicut enim cognitione propria ſui ipſius nihil eſt difficilius, ita nihil ea poteſt inueniri ſalubrius. Difficultatem cognoſcendi ſe ipſum, aiunt Doct. ex illo inter cætera ſacræ ſcripturæ loco euidenter deprehendi, quòd cum Adam rerum omnium infuſam notitiam haberet, cunctiſq. ac ſingulis creaturis nomen adeò appoſitum indidiſſet, vt quod cuique rei nomen tribuiſſet, hoc eſſet proprium illius: ſibi ipſi tamen peculiare nomen imponere, non æquè valuit; ſed Dei opè ac miniſterio indiguit, qui illum ſuo vocabulo inſigniret. Ex quo colligimus facilius multo eſſe, quarumcunque aliarum rerum, quàm ſui ipſius cognitionem conſequi.

Quod & philoſophi non leuiter adumbrarunt, dicentes, ex cognitione ſenſibilium, ea quæ ſunt extra hominẽ, ac quæ primo conſideranda intellectui proponuntur, reuocari, & reduci intellectum in notitiam ſui proprii actus; hincque; vt ijdem aiunt, aſcendendo, ac reflecten do ſupra ſe, cognoſcere indirectè ſe ipſum, adeo quòd faciliori negocio omnia, quę extra nos ſunt, dignoſci poſſunt ab vnoquoque, quàm quæ intra nos; cum anima, qua ſumus, viuimus, & intelligimus, nequeat vi propria, qualis eſt, per phantaſmata repræſentari.

S. Thom. in 1. q. 86. art. 1. & q. 87. art. 1.

Cæterum quòd huiuſmodi cognitio

ſit ad ſalutem maximè neceſſaria, inde conſtat [a], quia vbi quis ſe imperfectionibus repletum, atque ignorantia, & cæcitate circumfuſum, ac in medio laqueorum poſitum animaduertit, ad diuinam miſericordiam implorandam ardentiùs inflammatur. Hinc Dauid, *Scientia tua confortata eſt ex me, & non potero ad eã.* Et de S. Franciſco legitur, integram noctẽ orando, & contemplando conſumpſiſſe, his paucis verbis cum Deo agẽdo, *Quis ſum ego, & quis es tu?* Et de S. Apoſtolo Petro ſunt, qui ſcribant, nunquã illum ſe ita ſalubriter cognouiſſe, quàm cum lauante Chriſto eius pedes dixit, *Tu mihi lauas pedes?* Imò non aliunde hominem adeò perfectè, nec tam vtiliter diuinæ Maieſtatis cognitionem haurire, quàm ex notitia ſui ipſius. Ad hanc igitur in Euangelio Chriſtus nos adhortatur, cũ de ſe ipſo interrogans diſcipulos ait, *Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Et vos quem me eſſe dicitis?*

a S. Antonin. par. 4. tit. 2. c. 3.

Hæcque demum eſt cognitio illa, ad quam Chriſtiana mens debet aſpirare, non quæ in cuiuſlibet veritatis inquiſitione vagetur, ſed quę nobis gradum ad ſummam veritatem muniat, ac ſtatus illius conditioni, quem a Deo nacti ſumus, congruat; alioquin vana eſt cognitio, vana eſt ſcientia illa, quæ ſe in nuda quadam audiẽdi, diſquirendi, ſciendiq. oblectatione ſiſtit, & quæ quæſita, & inuenta, nihil ideo vitæ tuæ proficit.

S. Auguſt. de vera relig.

S. Thom. 2. 2. q. 166. S. Antonin. 2. p. fol. 153. & ſeq.

Sed, & illud accedit, quod præcipuum eſt, quòd ſcilicet quemadmodum Saluatoris noſtri petitio ad ea, quæ fidei, & religionis ſunt, in primis pertinet; ſic debent Prælati, & Parochi, quibus animarum ſalus commiſſa eſt, de fide ſubditorum diligenter ante omnia ſcrutari, quoniam eorum rationem ſunt reddituri; explorare etiam errores, ſi qui fortaſſe rudibus mentibus inhærerent, vt quid de religione orthodoxa, quid de Sacramentis, quid de Chriſto, populus ſibi commiſſus ſentiat, planè perſpectũ habeant: vt errores, ſi quos inuenerint, deſtruant, & diſpergant, veritatem verò muniant, & confirment.

Sic monentur cęteri cuiuſcunque ordinis viri, in rebus quibuſlibet, negotiiſue gerendis, vt ad probitatem, religionemque illius, cum quo ſibi res futura ſit, in primis reſpiciant; ſi filiam pater ſit collocaturus, id primum Saluatoris more ſciſciterur, quem dicunt homines eſſe illum, cui filiam meam cupio deſpondere? cuius religionis? cuius fidei? cuius probitatis? cuius continentiæ? an perambulet in innocẽtia cordis ſui? ſi ſocietatem cum alio initurus, an integræ ſit conſcientiæ? an res illi benè parta? an defecerit de corde eius vſura, & dolus? an proponat ante oculos ſuos rem iniuſtam? Si operas alicuius ſis conducturus, prior illa ſit interrogatio, quem dicunt homines hunc eſſe, an detrahat ſecretò proximo ſuo? an bonis moribus fulgeat? an fidem ſeruare, an dies feſtos colere, an Deum timere nouerit?

Quòd ſi quis obijceret, non videri vitioſum, perquirere facta aliorum, cum vnicuiq. mandauerit Deus de proximo ſuo [b], & quia naturaliter concupiſcit anima hominis res cognoſcere [c], quod quidem potiùs ad virtutem illam pertinere videtur, quæ ſtudioſitas a Theologis appellatur [d], ad quam Salomon nos inuitat, cum ait [e], *Stude ſapientiæ fili mi, & lætifica cor meum, vt poſſis reſpondere.*

b Eccleſ. 17.

c Lib. 1. Metaphyſ. in princ.

d S. Thom. 2. 2. q. 160. art. 1. & 2.

e Prou. 27.

Poſſet dici, quòd aliorum facta ſcrutari ad propriam, vel ad aliorum vtilitatem ex regula charitatis, eſt laudabile, dicente Apoſtolo [f], *Conſiderate vos inuicẽ: in prouocationem charitatis, & bonorum operum.* hinc differũt curioſus, & ſtudioſus, quòd ille de ijs quærendis ſollicitus eſt, quę non oportet, aut quando non decet, aut quæ muneri ſuo non congruunt, aut varijs alijs modis a Theologis damnatis [g], Studioſus vero ea diligẽter perquirit, quæ ad Deum ordinantur, aut animo nutriendo proficere poſſunt [h], quod & in præſenti Euangelio admonemur illis verbis, *Quem dicunt homines, eſſe filiũ hominis?*

f ad Hebr. 10.

g S. Th. 2. 2. q. 167. ar. 1. in concluſ.

h S. Th. 2. 2. q. 167 ar. 2. ad 3.

Verùm quid ad hæc reſpondent diſcipuli? alij dicunt Ioannem Baptiſtam, alij Eliam, alij Hieremiam, aut vnum ex Prophetis: Omitto hoc loco S. Hieronymi expoſitionem, quæ legitur in Breuiario; nos ad ſpiritua-

lem

lem ſenſum tranſeuntes, dicimus hodie in Chriſtiano populo multos inueniri, qui in Chriſti beneficijs interpretandis ita errent, pro vt illi in Chriſto ipſo dignoſcendo lapſi fuerunt.

Quemadmodum enim illi, tot ſigna videntes, & certiſſima diuinitatis argumenta, totque veterum prophetarum oracula in eo conuenire agnoſcentes, debuiſſent vnanimes dicere; hic eſt verè Chriſtus, venite adoremus, & procidamus ante eum; illi tamen omiſſo Chriſto, alios potius Chriſto inferiores prætulerunt. Sic hodie cum graſſante in alijs ciuitatibus peſtilentia, vrbemque, & agros noſtros minimè attingente, hoc ſummæ Dei clementiæ acceptum ferendum eſſet, quo miſerante hæc flagella auertuntur; quot ſunt tamen, qui hoc cæli potius conſtitutioni, aut humanæ vigilantiæ adſcribant? ſi pace, atque tranquillitate, ſi annonæ fertilitate, ſi aeris ſalubritate fruimur, quàm multi hæc in alios auctores magis, quàm in Deum ipſum referunt?

Quòd optimorum hodie magiſtratuum ſapientia regimur; quòd ciuium concordia fouemur; quòd immanes hinc exulant hæreſes; quòd litterarum ſtudia, bonæque artes a clariſſimis, & doctiſſimis ducibus, & magiſtris quotidie prouehuntur; quid aliud hæc ſunt, quàm Dei munera, qui de præparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper terram noſtram? & tamen nos ingrati, nos perditi, nos infœlices, adhuc eum vt bonorum omnium fontem non agnoſcimus, non illi gratias agimus, non illius miſericordiam in æternum cantamus.

Sunt alij etiam, qui Hebræorum populum in eò imitantur; nam cum præſentem, atque ante oculos Chriſtum poſitum haberent, Meſſiam tamen futurum expectabant, nec præſentem complectebantur. Sic hodie iſti nolunt ſe ei præſenti adiungere, eiuſque beneficijs iuuari, maluntque venturum tempus, poſterioreſque dies expectare; differunt ſacramenta, ſalutares ipſiùs medicinas, ſacratiſſimamq. Euchariſtiam, vbi Chriſtus ipſe verè præſens eſt, in aliud tempus protrahunt.

Rurſus Hebræi videntes Chriſtũ mortali carne indutum, humilem, pauperem, abiectum, non credebant eſſe Chriſtum, & decipiebantur. Sic hodie multi eum vident inopes, afflictos, & bonis ſpoliatos, calamitatibuſq. preſſos, auertunt ſe ab eis, nec eos conſuetudine ſua dignos putant: falluntur ij amictus ſpecie, exiſtimant in ſplendore, opibus, ac potentia, regnum Chriſti ſitum eſſe, ad hæc omni ſtudio feruntur; at ille amat tenuitatem, habitat cum ſimplicibus, atque in ſinu inopum requieſcit; nam, *tibi derelictus eſt pauper, oculi eius in pauperem reſpiciunt*, ait propheta [a], *&, aſtitit a dextris pauperis* [b], *&, cum ſimplicibus ſermocinatio eius* [c].

a Pſ. 9.
b Pſal. 108.
c Prouerb. 3.

Sed pergit deinde Dominus diſcipulos interrogare, *Vos autem quem me eſſe dicitis*? perinde ac ſi diceret, quicquid alii de me ſentiant, quicquid ipſi agant, parum ad vos pertinet; nam ſi ſic volo eum manere, quid ad te, alibi dixit Saluator idem; *Vos, vos ipſi quid dicitis*? a vobis erit veſtri ipſorum ratio reddenda, vos veſtra curate, vos rem veſtram agite, nam illi fortaſſe aut imperitia, aut ſimplicitate, aut errore labi potuerũt; ſed vos qui ab aliis ſeiuncti eſtis, quibus datum fuit noſſe myſterium regni Dei, qui tantum ſuperni luminis eſtis adepti, qui toties a Deo moniti, & excitati eſtis, quid tandem dicitis? nonne noſtis quòd cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo?

Exiſtimate nne, Dilectiſſimi, Dominum noſtrum ita vos interrogantem, *Vos quem me eſſe dicitis?* Dudum mores, inſtituta, diſciplinamque veſtram obſeruaui; & quoniam hæc video longe a præceptis meis abhorrere, nondum ſatis videmini me cognitum habere: qui enim fieri poteſt, ſi me noſceretis, quis ſim, quid iubeam, quid a vobis exigam, vt tam pugnantia conſiliis meis

ſtudia teneretis? ſi ego pater veſter, vbi honor meus? ſi Deus veſter, vbi timor meus [a]? lachrymas, pœnitentiamque, & carnis afflictionem ab illis requiro, qui regno meo potituri ſint: quomodo vos incontinentia, luxu, iocis, inanique mollitie oblectamini? Ecce, quomodo diem feſtum Petri Apoſtoli, quem Eccleſiæ meæ præfeci, cui tradidi claues regni cælorum, vos hodie celebratis? quæ ſunt hæc vanitatis ſpectacula, quæ inania equorum certamina, quæ in illius honorem adhibetis? hoccine eſt illius memoriam colere, aut in cælo regnantem venerari? legiſtis ne vnquam illum dum viueret, aut alios ſanctos, dilectoſque meos, huiuſmodi ludos, otioſaque ſpectacula frequentaſſe? cur ſcriptum eſt, *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini noſtri inuocabimus. non in fortitudine equi voluntatem habebit?* Quem me eſſe dicitis? quem me exiſtimatis? an Deum voluptatis? an Epicurum aliquem? an Apoſtolos meos veſtri ſimiles, qui fabulis iſtis, ludicriſque imaginibus oblectentur? an ignoratis regnum cælorum vim pati, & arctam eſſe viam, quæ eò perducit, & per tormenta, anguſtias, & crucem eò contendendum eſſe? ſicut hodie videtis hunc ipſum beatum Petrum inuerſo in terram capite cruci ſuffixum fuiſſe? miſeri, quæ eſt iſta dementia, aut tanta potius animi peruerſitas? vixiſſe Apoſtolum Petrum in plagis, & calamitatibus, & vos illius crucem, riſu, iocis, facetijſque proſequi?

Auertat Deus, pro eximia ſua clementia, ne aliquando hæc nobis obijciantur, & qui habitat in cælis, irrideat nos, & Dominus ſubſannet nos; & ſi ſpectacula hæc prioribus ſæculis ad rudem plebem exhilarandam inſtituta ſunt, abſcedant ab his ſaltem qui ſaniore ſunt conſilio; nam Sanctus Auguſtinus inquit [b], quòd Deos colere, qui ludis delectentur, ſimile furoris eſt, Varronemque accuſat, qui ſingulos Deos ſingulis vitæ muneribus, ac neceſſitatibus præfecerit, & nullum inter hos Deum retulerit, a quo vita æterna poſcenda eſſet, propter quam vnam nos propriè Chriſtiani ſumus.

Quibus ex rebus, cum euidenter admoneamur, tam multa eſſe in hac breui vita, quæ nobis cogitanda, curanda, atque agenda incumbunt, ſi ad æternam patriam cupimus peruenire; idcirco cætera omnia, quæ ad rem noſtram non pertinent omittenda prorſus, ac procul abijcienda eſſe, exemploque hodierni Euangelij illud nobis antiquiſſimum eſſe debere, vt de filio hominis, Chriſto ſcilicet Saluatore noſtro, atque eius regno noſtri ſint ſermones, noſtræque petitiones, qui nobis æternam ſuam gratiam largiri dignetur.

[a] Malach. 1

[b] S. Aug. de Ciuit. Dei li. 7. cap. 9.

SERMO PONTIFICALIS in die Sancti Petronij, in Eccleſia inſigni eiuſdem ſancti Epiſcopi, & Patroni Ciuitatis Bononiæ.

Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ. *S. Ioan. Cap. X.*

HIC dies Bononienſi populo noſtro lætiſſimus, & celeberrimus, qui beato Petronio patri, paſtori, patronoque noſtro ſacer, & ſolẽnis eſt, iure à nobis exigit, Dilectiſſimi, ea ſanctæ venerationis ſtudia, ac veræ religionis officia, quæ pietati illius acceptiora ſperemus, atque eiuſdem erga nos gratiã, & patrocinium validius confirmatura. Opportunum verò nobis affert argumentum, quod in hodierno Euangelio de boni paſtoris officio legitur.

Quam-

Quamuis enim de ſe ipſo Chriſtus Dominus noſter ea verba pronunciauerit, cum tamen ille exemplum ſe omnibus ad imitandum propoſuerit, omniaque ab eo tradita ad noſtram doctrinam ſint conſcripta; dubium non eſt, hæc boni paſtoris officia, quæ miro ordine hic deſignantur, cæteris quoque paſtoribus præſcripta eſſe voluiſſe, vt hinc veram paſcendi rationem, ac diſciplinam paſtores omnes ediſcerent: quã cum ſanctus Epiſcopus noſter Petronius in adminiſtranda olim hac Ciuitate mirabiliter, fœliciterque expreſſerit, reliquum eſt, vt nos filij eius ſtudioſiſſimi paternis veſtigijs incedentes, ad illius exempla mores noſtros componere, atque eandem paſtoris imaginem, quantum infirmitati licet noſtræ, aliqua ex parte referre ſtudeamus.

Hoc verò, vt eò clariùs, & faciliùs conſequi valeamus, verba ipſa Euangelij, quæ huc pertinent, diſtinctim perſequi conabimur, cum, mira verborum breuitate, ſenſuumque fœtunditate, quatuor illas cauſas complectantur, quas ſapientes ſolent, in argũmento aliquo accuratè tractando, ſubtili quadam methodo obſeruare.

Nam in primis hic perſona deſcribitur, cuius officium eſt paſcere, cum ait, *Ego ſum paſtor bonus*; quod quidem ad cauſam, quam efficientem vocant, refertur. Tum rationem paſcendi indicat, quam in hoc munere præſtare debet, cum inquit, *Cognoſco*; quod ad cauſam formalem pertinet. Tertio, materiam ipſam deſignat, in qua paſtoris officium verſatur, cum dicit, *Oues meas*; quæ cauſa materialis vocari ſolet. Tandem, ad quem finem munus hoc paſcendi inſtitutum fuerit, declarat, cum ſubdit, *Et cognoſcunt me meæ*; quæ cauſa finalis appellatur; vt cognoſcamus finem Chriſtiani paſtoris eò ſpectare, vt Deo hæreamus, illi ſeruiamus, & cæleſti illius

S.Ioan.c.17. gloria perfruamur. Quod S. Ioan. ait, *hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum* &c.

Quare à prima exordientes, quæ cauſam efficientem attingit, dum ait, *Ego ſum paſtor bonus*, declarandum in primis illud occurrit, quid paſtoris nomine contineatur: ſiquidem multiplex illius ſenſus eſt, & vnus quidem proprius, omnibuſque notiſſimus, nempe eorum qui paſcendi pecoris miniſterium exercẽt: alter vero tranſlatus, ad eos pertinens, qui gubernandi alios munere funguntur, & hoc etiam dupliciter. nam ſicuti in iure pontificio alij dicuntur Legati facti, ſiue miſſi, qui ſcilicet a ſummis Pontificibus ad negocia grauia mittuntur, ad certum locum, & ad certum tempus: alij dicuntur Legati nati, qui legationem quandam habent innatam, & ingenitam alicui dignitati, & pridem a lege inſtitutam, non ab vllo aut Principe, aut homine tunc demandatam.

Ita duplex dicitur hoc paſtorum genus: alij qui facti ſunt, & iuriſdictionem ſpiritualem, ſiue temporalem, aut vtramque in alios exercent; quemadmodum eſt ſummus Pontifex paſtor vniuerſalis Eccleſiæ, non natus, ſed factus ſuffragio Cardinalium; Archiepiſcopi, Epiſcopi omnes facti a ſummo Pontifice; Parochi qui exercent curam animarũ, facti & ipſi paſtores per concurſum, & approbationem Ordinarij; Reges, Principes, Magiſtratus, ſunt & ipſi paſtores facti, vnde antiquitus vocabantur Græcè ποιμένες: Sic hodie non abſimili ratione Abbates, Præfecti monaſteriorum, Patresfamilias, doctores qui publice docẽt, Capita ſodalitatum, Magiſtri artium, & alij huiuſmodi dicuntur paſtores facti, quoniam ſuſcipientes illud munus, obligant ſe fideliter gubernare, ſeu inſtruere eos, qui ſibi ſubiecti ſunt, de quibus nos in præſenti non ſumus loquuturi, cum crebræ de eorum officijs conciones publicè audiri ſoleant.

Alij verò ſunt Paſtores, quos natos vocamus, quoniam a Deo ipſo, nullo hominum miniſterio intercedente fuerunt olim inſtituti, exemplo Legatorum, quos ſupra memorauimus. Etenim vnuſquiſque noſtrum cum primum in hanc lucem editus eſt, atque hanc

præſtantiſſimam dignitatem eſt adeptus, quòd ſit homo creatus ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, eo ipſo, altera ei hæc accedit paſtoralis amplitudo, quæ hominis dignitati, & naturæ inſita eſt, innata, & intus radicibus defixa; ita vt ſi vtrumque hoc Paſtoris officium ſit inter ſe conferendum, apertè vnuſquiſque videat, alteram paſcendi rationem intrinſecus genitam, alteram extrinſecus profectam, alteram à natura prodeuntem, atque hominis vitam perpetuò comitantem, alteram vt vocant accidentalem, incertam, ac mutationi, temporiſque viciſſitudini obnoxiam.

Et ſi quæras quis tandem ſit iſte paſtor, & quis ſit grex, qui illi paſcendus committitur. Reſpõdemus: Cum anima in homine regium quiddam, & diuinum referat, non exiſtimandum eſt, eam ſolam, & nudam in humano corpore relictam eſſe, nullo ſociatam comitatu, nulla circumſeptam familia, & nullis roboratam præſidijs; veluti, ſi quis Regem videret in regali ſolio poſitum, diademate fulgentem, ac ſceptro inſignem, cæterum omnibus deſtitutum famulis, nullis ſatellitibus communitum, & omni familia orbatum, non reſponderet certè id Regiæ dignitati. Superna igitur ſapientia, quæ homini animam diuinitus impreſſit, magnam illi etiam familiam, aut militiam potius adiunxit, cuius præſidio vteretur. Itaque cum ſummum, quod eſt in anima hominis, ſit ratio, fungitur hæc paſtoris loco, ad ipſamque pertinet ius regendi, moderandi, coercendi, corrigendi, & reliqua omnia obeundi, quæ paſcendi vocabulo continentur.

S.Th. 2.2. q. 47. art. 7. & 8.

Et rurſus, ſi quæras, quænam illa ſint, quæ gubernatione indigent. Reſpondemus plurima ea, & innumera eſſe; Triplex enim cuique noſtrum grex cuſtodiendus traditus eſt, diſtinctus tribus illis bonorum generibus, quæ vocantur bona animi, bona corporis, & bona externa.

S. Th. 2.2. q. 72. art. 3.

Duo ex his greges ouili corporis noſtri includuntur, tertius extra ouile vagatur quidem, non longe tamen ab oculo paſtoris diuertit. Ratio ipſa, vt dicebamus, cum clauum teneat, ac principatum gerat, præſidet toti huic familiæ, inuigilareque aſſiduo huic gregi cuſtodiendo debet, qui varius eſt, multiplex, lubricus, difficilis, præceps, & contumax.

Hinc S. Baſilius in quadam homilia inquit,[a] *aliud nos ſumus, aliud ſunt noſtra, aliud quæ extra nos, nos ſumus (quodam dicendi modo) id quod ratione conſtat, & intelligentia noſtra, ſunt alia ſiue animi, ſiue corporis, quæ nobis commiſſa ſunt, ſicuti affectiones gaudia, triſtitiæ, timor, ſpes, vis concupiſcendi, vis iraſcendi, ſenſus exteriores, & interiores: extra nos ſunt alia quæ poſtea acceſſerunt, veluti diuitiæ, dignitates, amicitiæ, opes, diſciplina, artes.* Videtis, dilectiſſimi, quàm ſtultè decipiantur ij, qui exiſtimant magnam partem hominum ab omni onere, & ſollicitudine curandi, & gubernandi ſolutam eſſe?

a S. Baſil. hom. Attende tibi.

Quòd ſi alicui abſurdum videatur, eundem eſſe hominem, qui paſcit, & qui paſcitur; cum inter agentem, & patientem debeat eſſe diſcrimen, ſicut & inter diligentem, & eum qui diligitur;

Huic reſpondendum eſt, quòd homo eſt quid compoſitum ex duplici ſubſtantia, anima, & corpore, ſpiritu, & carne, cumque ex his diuerſæ actiones oriantur, iſta diuerſa principia tanquam diuerſa agentia quodammodo diſtinguunt concretum hoc hominis in duplicem hominem, quorum alter interior ab Apoſtolo appellatur, qui innititur rationi, alter exterior, qui ad ſenſum, & corpus pertinet: & ideo ad Romanos ſcribens[b], dicebat, *condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem*, & ad Corinthios aiebat[c], *licet is qui foris eſt noſter homo corrumpatur, tamen is, qui intus eſt, renouatur de die in diem.* hincque videmus, quòd dilectio, quamuis ad alterum pertinere videatur, tamen propriè nos ipſos quoque complectitur, imò mandatum eſt nobis, *dilige proximum tuum ſicut te ipſum.*

S.Th. 2.2. q. 58. art. 2.

b Rom. 7.

c 2. Corint. 4

Idem

Idem in miſericordia reſponſum eſt à ſapienre, cum ait, *miſerere animæ tuæ placens Deo*, idem in iuſtiria inueniemus, cuius munus eſt, vr quod Deo, quod proximo, & quod nobis deberur tribuamus. hæc aurem omnia ſiue metaphoricè, ſiue latiore loquendi modo vſurpentur, manant tamen ab eadem ratione, quòd ſcilicet homo dicitur geminus eſſe, vt S. Baſil. ſcribit, & ſacri Theologi appellauerunt portionem ſuperiorem, & portionem inferiorem a.

a S.Th. 1. q. 79. art. 9.

Verùm non ſatis eſt ſcire nos eſſe paſtores, niſi & illud intelligamus, debere eſſe nos bonos paſtores, ob id enim ait Euãgelium, *Ego ſum paſtor bonus*, hinc Zacharias propheta; *O paſtor, & idolũ derelinquens gregem.* vocar paſtorem, & idolum ſimul; quomodo? quoniam multi ſunt paſtores nomine, verè autem & intus ſunt idola, & ſimulacra muta: quemadmodum olim in Aegypto erant extructa templa magnifica, & in ſublime elata, columnis preriofis exornata, & miro opere exædificata, ita vt homines ea extrinſecus ſpectãtes raperentur in admirationem, quòd ſi quis ea ingrediebatur, inueniebar deinde murem, aut felem, aur crocodilum, aut ſimiam, ſiue canem in ſublimi ara poſitum omnibus ſpectaculo, & venerationi eſſe. quid ſtultius, & monſtro magis ſimile? ſic homines multi ſplendore intumeſcentes, apparatu magno effulgent, circumfuſa eſt illis multitudo, exiſtimes illos graues & ſpectabiles eſſe viros, & paſtores bonos, qui gubernacula teneant, at ſi intus eorum penetralia inſpexeris, nihil inuenias, niſi idolum manufactum: ac ſimulacrum mutum nullius admodum rei ſollicitum, & monſtrum quoddam naturæ.

Ioan. 10. Zachar. 11.

Propterea que Philo ille hebræus à S. Hieronymo ſummopere commendatus ſcribebar, alios dici paſtores gregis, alios pecuarios, ſiue paſtores brutorum; inquit enim ipſe, ex vna radiee animæ, duas pullulare ſtirpes in homine, in altera, rationem ſedem ſuam figere, alteram in multos ramos diffundi, vnde ſenſus, affectiones, cupiditates, & alia huiuſmodi proficiſcuntur Vbi igitur homo rationis miniſterio non vtitur, hæc mulritudo quotidie magis inſoleſcit, fit petulantior, & totum ſoluit gregis ordinem, & tãdem in bruta exit. Qua ex re fit, vt miſer homo, qui intus hæc monſtra alit, nec ratione ea coercet, ſed delinitus blandirijs minime virilibus, indulget omnia ſenſibus, & fræna relaxat, nunc libidini, nunc crapulæ, nunc ambitioni, modò iracundiæ, modò auaritiæ, brutorum paſtor procul dubio redditus ſit; alit enim non pecus humile, & fœcundum, ſed immanes belluas, vrſos, lupos, onocrotalos, ſtruthiones, leones, & viperas, nec in illius ouili quidquam, prærer hæc monſtra inuenias, & ferarum porrenta; ob id ait idem auctor, ſanctos illos patres Moyſem, Iacob, & alios, qui paſtores erant, Deo adeò placuiſſe, non quòd illum gregem, vellere tantum, & lacte vberem in montibus paſcerent, ſed quia primum nouerant ſe ipſos paſcere, & mentis aciem, lumen ſenſibus præferre.

Philo in lib. de agricultura & in lib. de ſacrific. Ab. & ca.

Sequitur verbum, *Cognoſco*, quod diximus ſuperius, rationem paſcẽdi nobis indicare, atque ad cauſam formalem referri; quod cum dupliciter ſumi poſſit; vno modo pro vt ſolam cognitionẽ ſignificat, quæ ad vnum intellectum pertinet: alio modo pro cognitione affectiua, quæ voluntatem, & amorem complectitur, videndum eſt nunc de qua cognitione hic Dominus loquatur.

Cognitio, pro vt ad ſolum intellectum ſpectat, videtur eſſe apprehenſio quædam alicuius obiecti, quod percipi poſſit; quæ cognitio triplex eſt, animalis, rationalis, & ſupernaturalis. Eſt animalis, quæ ſenſu percipitur. Rationalis, quã ratione, & intelligentia conſequimur. Supernaturalis autem, quæ ſuperno, & infuſo Dei lumine per fidem nobis communicatur, de qua in Euangelio Dominus, cum ait, *Beatus es Simon Bariona, quia caro, & ſanguis, non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cælis eſt*. Et S. Petrus Apoſtolus, *Non voluntate humana eſt allata prophetia, ſed ſpiritu ſancto inſpirante, locuti ſunt Dei homines*.

Hunc

Hunc triplicem intelligendi gradum ſignificauit nobis Ezechiel propheta [a], cum eum deſcribit, qui tranſiturus fluuium, aquam ſenſit attingere talos, vlteriùs progreſſus, vidit eam aſcendere vſque ad genu, ſed nec ibi ſiſtens, cum longiùs proueheretur, ad renes vſque ea peruenit, ita vt amplius non poſſet fluuius vado traijci. Idem deſignauit nobis Saluator in parabola Eunuchi apud S. Matth. nam dicens [b], *ſunt Eunuchi qui de Matris vtero ſic nati ſunt*, cognitionem oſtendit naturalem; *ſunt Eunuchi qui facti ſunt ab hominibus*, oſtendit rationalem; *ſunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum*, hoc ad cognitionem cæleſtem pertinet, vt S. Io. Chryſoſt. declarauit [c].

a Ezech. 47.
b S. Matth. c. 19.
c Hom. 63. in S. Matth.

Veniamus nunc ad alteram illam affectiuam cognitionem, quæ uoluntatē amplectitur; quam diximus eſſe neceſſariam bono paſtori, eò quòd humana omnis perfectio duobus tamquam ſummis cardinibus nititur, quod eſt, ſcire, & velle. Nec quemquam moueat, quòd tertium omitti videatur, hoc eſt poſſe; nam qui plenè vult, poteſt etiam, aut ſi impediatur, eſt ei voluntas pro facto. Sic Iuriſconſ. in conditionibus arbitrarijs inquiunt, *Vbi impedimentum ſuperuenit, quo minus impleas, quod optabas, tunc conditioni ſatisfactum cenſeri* [d].

d L. Iure ciuili. ff. de regul. iur.

Verùm illud potius quærendum eſt, cur accedere debeat voluntatis affectio, ſeu approbatio ad cognitionem intellectus, quæ iam præceſſit.

Reſponſio clara eſt, nam intellectus eſt tamquam medium, & voluntas tamquam finis, ideo parum eſt in mediis laborare, niſi ad finem perueniamus; ſicuti Architectus, qui totus eſſet in materia, & cæmentis colligendis, ac præparandis, & numquam ædificium erigeret, vtique ridendus eſſet. Sic multi hodie ſtultè labuntur, qui ſtudiis literarum dant operam, vt ſciant tantum, & ibi conſiſtunt, præpoſterèque nimium agunt, ſumentes medium pro fine; non enim Chriſtiani legunt ob id ſolum libros, vt nota habeant ea, quæ in ijs continentur, ſicuti hiſtorias Græcorum, & Romanorum, ſed vt ad ea afficiantur, quæ legerint, & virtutes libris compreheñſas veritate colant, & vitia procul abijciant. Hincque ſanctus Franciſcus, cuius etiam hodie memoriam colimus, dicere ſolebat, *Tantum ſcio, quantum operor*, Vnde concludimus, bono paſtori non ſatis eſſe intellectus acie rem cognoſcere, niſi & vtiliter eandem velit exequi.

Quod ſi quis fortè petat, quare Chriſtus rationē promerendi in actu voluntatis gratia eleuato potius locauerit, quã in intellectu; ſiquidem, amore, & charitate ſanxit, vt cęleſtem patriã emeremus.

Reſponderi poteſt; quòd homines in intelligendo ſæpè ſunt inter ſe inæquales, ſi facultas naturalis ſola conſideretur, cum aliqui rudes, aliqui perſpicaces acumine intellectus inueniantur. imò Angeli in intelligendo longè omnes homines præcellant; in voluntatis autem affectu, ſeu in amando, ſi ſermo fiat de amore diuino à charitate producto, valemus Angelis eſſe æquales [e]: imo datur ex noſtro genere beatiſſima Virgo, quæ in hoc omnes Angelos tranſcendit: propterea placuit Domino, promerendi rationem in voluntatis actu, ſi tamen adſint alia requiſita, conſtituere.

e S. Thom. in 1. q. 20. ar. 4. ad ſecundum & q. 108 ar 8. et Caie. ibi.

Et ſi rurſus illud ſe alicui obiiciat, quòd lex Chriſtiana contemplatiuam vitam maximè commendat, quæ tamen in veritatis conſideratione poſita eſt.

Reſpondemus; illam non quidem in eo ſitam, vt nudè in meditando conquieſcat, ſed vt inde magis diligat Deum, & data occaſione ea præſtet extrinſecus, quæ dilectioni illi congruant: ſic Dauid propheta, *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.* Ex quo ſequitur, quòd cũ Dominus dixerit, *Cognoſco Oues meas*, ſignificauit nobis in hac cognitione affectiua, & in vero amore, quo quis ſe & ſua in Deum ordinat, includi cæteras omnes actiones ad curam ouium neceſſarias; vnde & alibi pro regula conſtituitur, *Dilige*, quia qui vere diligit, & omnia ſua in Deum refert, nihil agere poteſt, quod Deo diſpliceat, cum om-

nia

nia ad Deum,tamquam finem,redigat.

Sequuntur verba illa, *Oues meas*, quæ eſt tertia pars, quam diximus initio ad cauſam materialem referri; cum oſtendat res illas, quibus cognoſcendis debet ſe bonus paſtor vtiliter occupare. Vnde cum dicit, *oues*, duo principaliter demonſtrat: vnum eſt, quòd ea, quæ paſcenda ſunt, eiuſmodi ſunt, vt ſibi ipſi ſubiecta eſſe debeant, & talia, quæ illius gubernationem pati, & admittere debeant, atque illi ſubeſſe, non præeſſe; quo in numero ſunt ea, quæ dicuntur bona animi; bona corporis: & bona externa; quæ quidem rationi ſubiecta eſſe debent tanquam oues manſuetæ, quæ huc, & illuc ad paſtoris voluntatē deducuntur: non verò tanquam lupi, aut leones, qui in paſtorem irruant, totumque gregem lacerent, & diſpergant. Nam cum hæc omnia tamquam inſtrumenta homini à Deo data ſint, vt obtemperent rationi, & ab ea regantur, & gubernentur, cum non propter ſe, ſed propter vtilitatem animæ, creatæ fuerint; idcirco hinc facile colligere quiſque poteſt, an bonus ſit paſtor, atque has oues ſibi in cuſtodiam traditas tamquam oues manſueras in officio contineat, an verò ab ijs ſe tranſuerſum potius agi patiatur, & non rationi, ſed ſenſibus magis blandiatur.

Qua in re cum latum nobis ſpatium, ampluſque loquendi campus ſe poſſet offerre, non patitur tempus, vt in eo longiùs digrediamur; cum præſertim vnuſquiſque, ſi conſcientiæ ſuæ penetralia ingredi velit, ſatis perſpicere poſſit, cuiuſmodi familiam alat, an eam cui leges, & imperium ipſe præſcribat: an eam potius, à qua ſe vinci, & abduci patiatur.

Cum etiam ait, *Meas*, clarè indicat, bono paſtori non eſſe laborandum in ijs rebus, quæ ad ſe non pertinent, ſed in propriis, & quæ curæ ſuæ, ac gubernationi commiſſæ fuerunt, ex quibus videlicet poteſt fructum capere, cum à proprio grege vtilitas in paſtorem proueniat, ab alieno autem, non niſi incommoda, & damna oriantur. Vnde imprudentia, & ſtultitia eorum notatur, qui curioſè aliena inueſtigātes, proprii muneris obliuiſcuntur, cuius rationem Deo reddituri ſunt.

Vltimum illud eſt, quod dicitur. *Et cognoſcunt me meæ*, quod quidem reſpicit finalem cauſam, vt aliàs diximus, breuiterque à nobis concludi poteſt: quòd ſicuti animæ finis eſt Deus, nec voluntas hominis in alia re poteſt conquieſcere, niſi in Deo ipſo; ita finis aliarum rerum, ſiue ſint intra nos, ſiue extra nos, in eo tantùm ſitus eſſe debet, vt inſeruiat animæ noſtræ, fideliter propter Deum, cum illa propter Deum fuerit creata. Vnde huc cuncta dirigenda, & ad eiuſdem vtilitatem omnia referenda, qui vnus, & præcipuus finis eſſe debet omnium hominum. Quod quidem Deus vobis omnibus, qui hic adeſtis, largiatur per infinitam miſericordiam ſuam.

NONNVLLA ALIA, QVAE AD FIDEI PRAESIDIVM, EX SANCTI OFFICII INSTITVTO, PERTINENT.

COLLECTOR.

POST illa, quæ ad fidei prædicationem magis facere videbantur, hic collocanda cenſuimus, quæ ad eiuſdem puritatem cuſtodiendam pertinent; quæ præſertim ea ſunt, quæ in Inquiſitionis Sanctæ Tribunali verſantur, vt falſæ doctrinæ, ſuperſtitiones, blaſphemiæ, aliaque omnia, quæ illam polluere poſſunt, arceantur. Atque vt à doctrinæ falſæ (quæ à librorum lectione præſertim proficiſcitur) contagione, Bononienſis Ciuitas, & Diæ-

& Diœceſis tuta ſit, Indicem ante omnia librorum prohibitorum Illuſtriſſimus Archiepiſcopus in omnibus bibliothecis in conſpectu omnium verſari, & apud omnes Curatos eſſe iuſſit; & edicta alia plura de libris promulgauit, ex quibus quadam hic ſubijcientur.

Indicem verò ipſum, & rationem, officia, ſeu precum libellos expurgandi, hic inſerere ſuperuacaneum eſſe duximus; cum propediem Romæ auctoritate Apoſtolica ſit edendus Index; ad quem huius generis omnia erunt conformanda; Atque ideò in Edictis etiam quæ ſequuntur, ſiquid fortaſſe diuerſum ab eo inueniretur, quod Romæ aut iam conſtitutum ſit, aut deinceps conſtituetur, illud omne ad eandem formam vt redigatur, Illuſtriſſimus Archiepiſcopus omnino ſentit, & teſtatum eſſe voluit.

EDICTVM NE QVIS IN Ciuitate & Diœceſi Bonon. habeat, legat, vendat, emat, ſeu accommodet cuiuſcunque generis libros prohibitos.

Quidque in hac re à Typographis ſeruandum ſit.

INTER cæteras ſacri Concilij Conſtitutiones, ea apprime vtilis, & neceſſaria ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ fuit, qua librorum lectioni conſultum eſt; ex quibus ſi directa ad orthodoxę fidei normã doctrina ſit, virtutes hominum animis inſeruntur; ſin verò praua, non ſolum vitiorum omnium peſtis illabitur, ſed etiam impio, & lethali hæreſis morbo inficiuntur.

Quapropter, vt non ſolum ſacri Concilij decreta, ſed etiam quæ ſpeciatim à Pio iiij. fel. record. Summo Pontifice de libris prohibitis ſancita ſunt, quæq; à Pio V. & reliquis Summis Pontificibus in ipſo Indice comprehenſa, omnino ſeruentur in Ciuitate, & Diœceſi Bononien. vtque clariùs appareat, atque omnibus & ſingulis innoteſcat, quid in hac re ſibi agendum ſit, neù quis in ea ignorantiam excuſationis loco obijciat, per præſens publicum Edictum omnibus, & ſingulis infraſcripta mandamus.

In primis omnes & ſinguli impreſſores, ſeu Typographi, aut bibliopolæ, ſeu librarii in ſua quiſque officina Indicem librorum prohibitorum habeant, qui in conſpectu omnium eſſe poſſit.

Omnes & ſinguli Impreſſores, ſeu Typographi, ſiue libros, ſiue quinternos, ſiue folium imprimant in hac ciuitate & Diœceſi Bononien. infra terminum triũ dierum proximè futurorũ; atque ii, qui huic arti operam nauare volent, antequam eam incipiant, teneantur coram nobis, aut R. Inquiſitore, noſtriſue miniſtris comparere, ſuumque nomen, cognomen, patriam, & ſignum illud quod officinæ præfixum eſt, atque exemplar omnium, & ſingulorum characterũ quibus vtuntur, aut vti volũt afferre, neque præter eos, quos indicabunt, alios retinere, aut adhibere poſsint.

Nullus verò Impreſſor, ſiue Typographus imprimat libros, ſeu quinternos, aut folia cuiuſcunque generis, etiamſi verſum tantummodo continerent, quin priùs in ſcriptis in ipſo originali facultatem obtinuerit à nobis, & R. P. Inquiſitore, ſeu noſtris miniſtris.

Nemo inſuper opus vllum edi curet, aut etiam manu ſcriptum diuulget, niſi priùs nobis aut iiſdem Inquiſitori, & miniſtris aſſignarit copiam, quæ ab ipſis retinebitur, à quibus, vel edendi, vel promulgandi licentiam in ſcriptis vt ſupra obtinebit.

Facultates autem huiuſmodi in quolibet libro ſiue impreſſo, ſiue manu ſcripto appareant in ipſius initio; ſciantque omnes licentias, & examina huiuſmodi & reliqua quæ in hac re efficientur, à miniſtris, quorum id munus erit, gratis fieri.

Item mandamus omnibus, & ſingulis bibliopolis, iiſue qui exercent, aut exercere volunt artem vendendi, & emendi libros in hac Ciuitate, vt ſimiliter infra terminum trium dierum conſignent in ſcriptis ſuum nomen, cognomen, & officinæ

officinæ ſignum; & infra terminum. xv. dierũ proxime futurorum, ipſorum quilibet faciat, & aſſignet nobis, aut R. P. Inquiſitori, ſeu noſtro Vicario Inuentarium omnium librorum, quos ad præſens habet. eorum verò quos in poſterum accipiet, infra terminnm trium dierum ab ipſo die, quo eos receperit. Inuentarium autem ipſius Bibliopolæ manu ſit ſubſcriptum, & apud noſtros miniſtros aſſeruabitur: cui aliud ſimile ipſi Bibliopolæ in ſuis officinis, noſtra vel Inquiſitoris, aut Vicarij ſui manu ſignatum identidem habere curent; neque alios libros vendant, præter eos, quos in inuentariis deſcriptos aſſignauerint.

Item prohibentur bibliopolæ, aliique omnes cuiuſcunque generis, gradus, & conditionis, ne vendere audeant, donare, cõmodare, habere, legere genus aliquod librorum prohibitorum, aut ſcripta prohibita cuiuſuis tituli, materiæ, & authoris, abſque legitima, & expreſſa licentia in ſcriptis, vt ſupra.

Item ne quis aliam artem exercens præter librariam, quam etiam officina aperta profiteantur, vendat, aut ad vendendum habeat libros, aut aliud impreſſorum foliorum genus, exceptis iis, quibus à nobis, ſeu ab Inquiſitore, ſeu alijs deputatis officialibus, pro bono publico licentia concedetur.

Ne Hebræi librorum aliquod genus emant, aut vendant cuiuſcunque generis, ſine expreſſa in ſcriptis licentia, vt ſupra.

Item præcipitur ne quis publicanus ſiue doganerius eiuſdem Ciuitatis, extra doganam dimittere poſſit, neque dimittat quodlibet genus librorum quouis inſtante, ſine eadem licentia in ſcriptis. Quicunque verò libros in Ciuitatem afferri curabunt, qui Datio, ſeu Doganæ non conſignentur, eos ſtatim nobis denuntiare teneantur, nemoque huiuſmodi libros antequam denuncientur, & licentia in ſcriptis obtenta ſit, habere, vendere commodare poſſit.

Quod ſiquis moriens, cuiuſcunque generis libros relinquat, defuncti hæredes, & teſtamenti executores teneantur ſtatim eorum librorum indicem nobis conſignare, neq. ijs ante vtantur, quàm licentiam inſcriptis obtinuerint vt ſupra.

Præter autem pœnas quæ iniunguntur ijs, qui huic edicto non parebunt, in Concilio lateranenſi, Tridentino & Indice Romano expreſſas, omnes, & ſinguli hac in re delinquentes, quingentorum aureorum ſolutione, qui pijs locis diſtribuentur, ipſorumque librorum amiſſione, alijsque etiam corporalibus pœnis ad arbitrium noſtrum & R. Patris Inquiſitoris multabũtur, quin etiam ij, qui delinquentem aliquem accuſabunt, accuſationis precium conſequentur, & non manifeſtabuntur. Dat. Bonon.

N. Vicarius Gen.

REFORMATIO
Pro cauſis ſancti Officij Inquiſitionis.

Et denunciationibus ſiue accuſationibus maleficiorum, aliorumque impiorum hominum.

Et rationis ſeruandæ in venditione, & impreſſione librorum.

Quomodo tractari debeant cauſæ ad ſanctum Officium pertinentes.

QVICVNQVE ſine Iudicum Tribunalis ſancti Officii licentia, contra ſacrorum canonum conſtitutiones, in graue ſuarum animarum præiudicium admonent eos, qui inquiri debent, aut eos, qui iam in carceribus ſancti Officii, ſiue Curiæ Archiepiſcopalis reperiuntur, de delictorum, ſuper quibus inquiri debent, qualitate, & probationibus ſancti Officii, deque modo, quo vel debent examinibus reſponſuri, pro complicibus reorum in iis delictis habebuntur, & contra ipſos procedetur pœnis, quæ à ſacris canonibus præſcribuntur, aliisque

aliiſque ſecundum perſonarum qualita tem arbitrio noſtro reſeruatis.

Pœnis etiam arbitrio noſtro reſeruatis,& declarandis punientur quicunque cuiuſuis gradus & conditionis ſint, pietatis,conſanguinitatis, aut quouis alio prætextu, audebunt, contra eaſdem ſacrorum Canorum ſanctiones loqui pro defenſione carceratorum, aut inquiſitorum ad inſtantiã S. Officii,eoſque in iudicio,vel extra defendere, aut commendare,niſi prius licentiam in ſcriptis à nobis obtinuerint.

Nemini verò liceat quo ſtatu huiuſmodi reorum cauſæ ſint inueſtigare, aut à votis Conſultorum San. Officii quid in iis decretum ſit exquirere,ſeu quouis modo perſcrutari.Prohibemusq. ne quis cuiuſcunque gradus & conditionis, aliquem ex iis qui conſultiua vota habent in Sancto Officio alloqui audeat de huiuſmodi rebus,aut ipſorum ſententiam explorare,ſub pœnis,quæ à ſacris Canonibus & Apoſtolicis conſtitutionibus ſuper hoc promulgatis, & promulgandis proponuntur,aliiſque arbitrio noſtro reſeruatis.

Et ſub ijſdem pœnis curent DD. Doctores Theologi, Canoniſtæ,& Legiſtæ, qui à nobis requirentur, vt in cauſis Sancti Officii ſuum votum præſtent: vt puncta, motiua, ſcripta, informationes,aliaque huiuſmodi ſecretiſſimo loco fideliter cuſtodiant, ne ad aliorum manus vllo modo perueniant; caueant item ne cui verbis, nutibus,aut chirographis,alioue ſcripto, ſua, aut aliorum vota extra Congregationem Sancti Officii aperiant,aut quouis modo indicent.

Qui igitur vota daturi ſunt, ij eligantur, qui doctrina,ætate, probitate vitæ, atque integritate ſint præſtantes:eorum vero electio penes. R. P. Inquiſ. & R. Vicarium noſtrum erit : quorum etiam munus erit Procuratorem vnum conſtituere, qui Sancti Officii cauſas agat,& defendat; itemque alterum,qui reos conuentos in Sancto Officio ſimiliter defendat, ipſorumque cauſas pariter agat. Vnusquiſque verò,tam hi procuratores, quàm reliqui in Congregationem Sancti Officii admiſſi, ita de hoc negotio, quod eſt maximum agant, vt charitatis officio omnino,atque ex animo ſatisfacere conentur,frequentes Congregationibus adſint, niſi legitimis impedimentis teneantur,& res ſancti Officij eo zelo pertractent, quem decet deſtinatos ad opus fidei ſanctæ Apoſtolicæ Romanæ promouendum.

Ordinationes contra Magos, Maleficos, & Superſtitioſos.

AD præſcriptum ſacrorum Canonum, & Apoſtolicarum conſtitutionum illiusque præſertim,quam Sixtus V. fel. recor. Pont. Max. fecit; omnibus & ſingulis vtriuſque ſexus cuiuſcunque gradus & conditionis ſint: Præcipimus & mandamus,vt ſtatim atque præſentium tenor ad eorum aures peruenerit, ſi quos Maleficos,ſeu Maleficas,Magos,aut Magas nouerint, aut vllibi eſſe ſciuerint in Ciuitate,& Diœceſi Bonon. aliosue qui in caſibus dictæ Bullæ comprehendantur, illos, illasue ad nos deferant ſub pœnis in eadem comprehenſis, alijſque arbitrio noſtro reſeruatis, pro exceſſuum qualitate.

Qui verò huiuſmodi peſſimum hominum genus ſciens celarit, neque detulerit, vt ſupra dictum eſt, vt extirpentur; tanquam complices delictorum,& fautores ipſorum habebũtur,& punientur, prout ſacri Canones, & Bullæ Apoſtolicæ diuerſis temporibus ſuper hoc emanaræ ſtatuerunt.

Item ſub iiſdem pœnis,aliiſque arbitrio noſtro reſeruatis,omnes,& ſinguli teneantur reuelare, & denunciare Sancto Inquiſitionis officio, ſi quos in Ciuitate hac, & Diœceſi Idololatras nouerint, ſortilegos, aut alios etiam,qui ad maleficia, & ſortilegia ſanctiſſimis ſacramentis, aut rebus ſacris nefarie abutuntur.

Quod ſi quis huiuſmodi libros ſortilegiorum, maleficiorum, aut necromantiæ habeat, infra terminum quindecim

die-

dierum, ab huius edicti publicatione incipiendorum eos denunciare, & conſignare Sancto Inquiſitionis officio teneatur, iiſdem, quæ ſupra, conſtitutis pœnis.

Circa Typographos, & Bibliopolas ordinationes aliæ.

EDictum infraſcriptum bibliopolæ & Typographi omnes & ſinguli obſeruare teneantur, ſub pœnis quæ in eo continentur.

Cumq. in primo Edicto illud inter cætera præceptũ ſit, ne quis Typographus imprimere poſſit cuiuſcunque generis ſcripta, carmina, epiſtolas, aut alia quamuis minima, niſi prius approbata fuerint à nobis, & à R. Inquiſitore, noſtroque Vicario ſubſcripta, illud idem confirmamus: & inſuper notum facimus eos omnes & ſingulos, qui aliquid imprimentſine ſupradictis ſubſcriptionibus, & approbationibus, aut impreſſa opera cuiuſcunque generis diuulgabunt, abſque *publicetur*, ſubijciendos ijs pœnis quę in Edicto ſuper hoc promulgato habentur, alijsque arbitrio noſtro reſeruatis.

Quia verò multis aliquid imprimendi facultas à nobis negatur, vtpote quod indignum, aut inutile eſſe exiſtimetur, atque ij alibi illud idem imprimi curant, quod poſtea Bononiæ vendunt & diuulgant: ideo mandamus ſub pœnis in eodẽ Edicto contentis, ne quis huiuſmodi opera quæ à nobis Bononiæ imprimi conceſſum non fuit, nec in Ciuitate, nec in Dięceſi vendere, aut diuulgare audeat.

Mandamus item omnibus & ſingulis bibliopolis, Typographis, aut alijs qui vendendi artem profitentur, ne vendant libros nouos, literas, carmina, aut aliud quippiam quod in Ciuitatem ab alijs quibuſcunque locis impreſſum afferatur, niſi prius à nobis noſtriſue miniſtris, & R. P. Inquiſitore reuiſum & approbatum fuerit, ſub pœnis ijſdem ſacrorũ Canonũ, alijsq. noſtro arbitrio reſeruatis.

Item ſub pœnis in infraſcripto Edicto contentis, grauioribuſque etiam arbitrio noſtro reſeruatis præcipimus, & mandamus, ne quis libros aliunde aduectos, aut de nouo impreſſos, cuiuſcunque generis ſint, poſſit vendere, niſi prius à nobis aut à noſtris miniſtris ad id deſtinatis recogniti, adijciantur Indici, qui in Sanctæ Inquiſitionis Officio aſſeruatur.

Cum vero Bibliopolarum nonnulli ſuſpenſos libros in ſuis officinis aut domibus habere intelligatur, ab hæreticis compoſitos, licet in ijs de fide non agatur, eoſque neque etiam deleto auctorum nomine hæreticorum, ſine licentia vendant. Ideo mandamus ne quis huiuſmodi libros apud ſe habeat, aut vendat niſi prius à nobis noſtriſque miniſtris, & R. Patre Inquiſitore licentia in ſcriptis impetrata, deletis prius tamen hæreticorum auctorum nominibus, ſub pœnis noſtro arbitrio reſeruatis vt ſupra.

Sub iiſdem pœnis & grauioribus etiã prout nos iudicabimus, nemini liceat neque ad Conuiuia per Ciuitatem & Dięceſim Bonon. neque ad Monaſteria, aut Conuentus, libros, hiſtorias, aut miracula vendenda afferre, aut vllibi vendere, niſi vt ſupra prius omnia reuiſa fuerint, & ſignata.

Edictum generale pertinens ad Bibliopolas, & Typographos Ciuitatis, & Diœceſis Bononienſis.

VT Ex omni parte, quantum fieri poteſt, animarum ſaluti conſulatur in ijs rebus quæ ad librorum impreſſionem, ſeu venditionem pertinent, ne à prohibitorum librorum doctrina, & lectione inficiantur, ex qua ipſa hæreſis in Eccleſia Dei graſſari potiſſimum cœpit.

Iccirco renouamus in primis, & in præſenti Edicto pro renouatis, & expreſſis haberi volumus, quæ de hac re Bibliopolis, & Typographis pręcepimus in

G alijs

Digitized by Google

aliis noſtris edictis, & præſertim in eo quod anno 1566. die 19. Aprilis promulgauimus, quod impreſſum affigi in omnibus Bibliothecis, & Typographiis Ciuitatis & Diœceſis noſtrę, & omnia ac ſingula, quæ in eo habentur, exacte obſeruari iubemus ſub pœnis in eo contentis, aliisque etiam arbitrio noſtro reſeruatis.

Præterea, ne quid vnquam imprimatur, aut diuulgetur in hac Ciuitate, & Diœceſi, quod contra Sanctam Romanam Catholicam Eccleſiam, aut negligentiam, ſeu maliriam, aut ignorantiam ſapiat; mandamus omnibus, & ſingulis Typographis, atque ijs pariter qui libros, aut alia quæuis ſcripta, ſua, vel aliena imprimi volent, vt ea nullo modo recipianr, aur de iis imprimendis agāt, niſi opus illud, cuiuſcunq; generis ſit, foliis, numero annotato ſimul colligatum, ita vt nullum aliud folium poſt reuiſionem inſeri poſſit, aut demi, aut commutari, titulo præpoſito, ſi liber ſit, præfationibus, aliiſque prout cum impreſſum erit, diuulgari debebit, R. P. Inquiſitori & noſtro Inquiſitionis Vicario prius conſignetur, & recte examinatum reſtituatur.

Quia R. P. Inquiſitor, noſterque Vicarius, vt plurimum grauioribus negotiis impediuntur, quo minus huiuſmodi reuiſionibus, & correctionibus vacare poſſint: idoneos homines ad id deputauimus, quorum erit diligenter examinare libros, opera, ſeu alia ſcripta quæ imprimi debebunt vt ſupra; quòd ſi huiuſmodi deputati ſubſcribent ijs operibus, ſeu ſcriptis, fidemque facient, in iis nihil contineri quod de hæreſi aliquo modo ſuſpectum ſit, aut ſcandalum parere poſſit, contra Principes, aut alios, ſeu contra bonos mores, tunc & nos etiam approbabimus, & ſubſcribemus: nihilque omnino ſine approbatione & ſubſcriptione noſtra, aut Inquiſitoris, aut Vicarii noſtri imprimatur.

Poſt operis, libri, aut cuiuſuis ſcripti impreſſionē, præcipimus Typographis, vt illius originale, & copiam impreſſam Noſtro Vicario, & Patri Inquiſitori cōſignent, qui eam cum originali quamprimum conferri curabunt: quod ſi eam cum ipſo originali concordare repererint ſubſcribent, copiæ collatam eſſe & concordare, quam Typographo reſtituent. Non autem ante opus impreſſum vendatur, aut diuulgetur, quàm huiuſmodi copiam ſic ſubſcriptam à prædictis Vicario, & Inquiſitore Typographus acceperit, eamque diligenter aſſeruabit. Originale verò penes ſupradictos Inquiſitorem & Vicarium aſſeruari volumus.

Item mandamus omnibus & ſingulis Bibliopolis, aut aliis quibuſcunque librorum venditoribus, vt ſiue libros vendant domi, ſiue in bibliothecis, ſiue in plateis, aut viis, aut alibi, vt eidem Edicto quod ſupra nominauimus, tam in conſignatione indicis librorum quos habent, quàm in aliis rebus omnino pareant, idemque Edictum loco, vbi ab omnibus legi poſſit, affigant.

Volumus autem tam à bibliopolis, quàm à Typographis omnibus, & ſingulis in manibus ipſorum Vicarii, & Inquiſitoris, formale iuramentum ad Sancta Dei Euangelia præſtari quolibet anno, ſe neque vendidiſſe, aur impreſſiſſe, neque venditùros, aut impreſſuros libros, qui ab eiſdem Vicario, & Inquiſitore approbati non fuerint.

Quia verò aut mortis cauſa, aut aliis caſibus venduntur interdum bibliothecæ integræ Doctorum, ſiue aliorum hominum particularium. Præcipimus, & mandamus omnibus & ſingulis, qui huiuſmodi bibliothecas penes ſe habent, ne eas vendendas proponant, niſi prius indice aſſignato Inquiſitori, & Vicario prædictis, ab iiſdem approbati libri illi fuerint; neque aliquis eos emat, niſi ante huiuſmodi approbationem, & licentiam in ſcriptis in manibus venditoris viderit.

Quæ omnia, & ſingula ſupradicta inuiolabiliter obſeruari iubemus, ſub pęna excommunicationis ad ſacrorum Canonum præſcriptum propoſita; & etiam

etiam ſub pęna ſolutionis ſcutorum centum locis piis applicandorum, & amiſſionis librorum, & prohibitionis, ne delinquens, artem Impreſſoriam ſeu librariam imposterũ exerceat: nouerintque præterea contrafacientes, & inobedientes contra ſe actum iri, tanquam contra Hæreticorum fautores, eiſdemq; pœnis ac illi ſunt, ſe fore ſubiectos, vt iidem ſacri canones præcipiunt. Dat. Bonon. In Archiep. palatio, die &c. N. Vicarius Gen.

COLLECTOR.

PRAETER ea, quæ attulimus de hac fidei tuendæ parte, quæ tum in librorum, tum in impiorum hominum ſanctâ inquiſitione, & caſtigatione verſatur; adiecimus etiam nonnulla contra perfidos Iudæos. nam etſi hodie ob ſummam benignitatem Clementis VIII. Pont. Max. Iudæis Bononiæ habitare, aut merces exercere, ſub grauibus pœnis eſt interdictum; quia tamen non vbique in Diœceſi Bononienſi adhuc ſunt illis prohibita commercia, & quia etiam vtile eſt, has Apoſtolicarum Conſtitutionum cautiones, & prouiſiones noſſe, quas Illuſtriſsimus Archiepiſcopus ſuperioribus annis adhibuit, ideo earum ſummarium ſubycere viſum fuit.

SVMMARIVM APOSTOlicarum conſtitutionum Pauli Papæ iiij. & Pij Papæ V. circa Iudæorum viuendi modum.

CVM Ad notitiam deueniſſet Pauli Papæ iiij. Fel. recor. Iudæos Romæ, & in nonnullis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ciuitatibus, terris, & locis, in id inſolentię prorupiſſe, vt non ſolum mixtim cum Chriſtianis, & prope eorum Eccleſias, nulla intercedente habitus diſtinctione cohabitare, verùm etiam domos in nobilioribus Ciuitatum, Terrarum, & locorum, in quibus degunt, viis & plateis conducere, & bona ſtabilia comparare & poſſidere, ac nutrices & ancillas, aliosque ſeruientes Chriſtianos mercenarios habere, & diuerſa alia in ignominiam, & contemptum Chriſtiani nominis perpetrare præſumant; cumque ipſi Iudæi tolerentur ab Eccleſia Romana in teſtimonium verę fidei Chriſtianæ, & adhoc vt ſedis Apoſtolicæ pietate & benignitate allecti, errores ſuos tandem recognoſcant, & ad verum Catholicæ fidei lumen peruenire ſatagant; & propterea conueniat, vt quamdiu in eorum erroribus perſiſtunt, effectu operis recognoſcant ſe ſeruos eſſe, Chriſtianos verò liberos per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum: icciרco volens Sanctitas ſua in pręmiſſis ſalubriter prouidere, ſtatuit, & decreuit.

Vt Iudæi tam Romæ, quàm in quibuſuis aliis Romanæ Eccleſiæ Ciuitatibus & Terris, in vno & eodem, ac ſi ille capax non fuerit, in duobus aut tribus, vel tot quot ſatis ſint contiguis, & ab habitationibus Chriſtianorum penitus ſeiūctis vicis, ad quos vnus tantum ingreſſus pateat, & quibus ſolum vnicus exitus detur, omnino habitent.

Synagogam vnicam habeant in Terris in quibus permanent, nec aliam de nouo conſtruere poſſint; quinimo omnes eorum ſynagogæ, præter vnam tantum, demoliantur, & deuaſtentur.

Bona immobilia poſſidere non poſſint; quòd ſi qua ad præſens poſſideant, infra tempus eis per Magiſtratus præfigendum, Chriſtianis vendant.

Vt pro Iudæis vbique dignoſcantur; maſculi biretum, fœminæ verò aliud ſignum patens, ita vt nullo modo celari, aut abſcondi poſſit, glauci coloris palam deferre teneantur, & astricti ſint: nec ſuper non delatione bireti, aut alterius ſigni huiuſmodi, quouis prætextu excuſari, aut per Sanctæ Romanę Eccleſiæ Camerarium, aut Cameræ Apoſtolicæ Clericos, ſeu alias illi præſidentes perſonas, aut ſedis Apoſtolicæ legatos, ſeu eorum Vicelegatos

quouis modo diſpenſari, aut abſolui poſſint.

Nutrices, ſeu ancillas, aut alios vtriuſque ſexus ſeruientes Chriſtianos habere, vel eorum infantes per mulieres Chriſtianas lactari, aut nutriri facere non poſſint.

Dominicis vel aliis de praeceptо Eccleſiæ feſtis diebus in publico non laborent, aut laborari faciant, aut Chriſtianos quoquomodo grauent.

Contractus fictos, ſeu ſimulatos cum Chriſtianis celebrare, aut cum ipſis ludere, aut comedere, vel familiaritatem ſeu conuerſationem habere, nullatenus præſumant.

In libris rationum, & computorum, quæ cum Chriſtianis pro tempore habebunt, alijs quàm latinis literis, & alio quam vulgari Italico ſermone vti non poſſint; & ſi vtantur, libri huiuſmodi contra Chriſtianos nullam fidem faciant.

Sola arte ſtrazzariæ, ſeu cenciariæ, vt vulgo dicitur, contenti ſint; nec aliquam aliam mercaturam frumenti, vel hordei, aut aliarum rerum vſui humano neceſſariarum facere poſſint.

Ex eis qui medici fuerint, etiam vocati, & rogati ad curam Chriſtianorum accedere, aut illi intereſſe nequeant.

Nec ſe à pauperibus Chriſtianis Dominos, alioue honoris titulo vocari patiantur.

Menſes in eorum rationibus, & computis, ex triginta diebus completis omnino conficiant, & dies qui ad numerum triginta non aſcenderint, non pro menſibus integris, ſed ſolum pro tot diebus, quot in effectu fuerint computentur; & iuxta ipſorum dierum numerum, & non ad rationem integri menſis eorum credita exigant.

Pignora eis pro cautione pecuniarũ ſuarum pro tempore conſignata, niſi tranſactis prius à die, quo illa eis data fuerint, decem & octo integris mẽſibus, vendere nequeant, & poſtquam menſes prædicti effluxerint, ſi ipſi Iudæi pignora huiuſmodi vendiderint, omnem pecuniam, quæ eorum credito ſuperauerit Domino pignorum conſignare teneantur.

Statuta Ciuitatum, Terrarum, & locorum, in quibus pro tempore habitauerint, fauorem Chriſtianorum concernentia inuiolabiliter obſeruent.

Si circa præmiſſa in aliquo quomodolibet defecerint, iuxta qualitatem delicti, etiam tanquam rebelles, & criminis læſæ maieſtatis rei puniantur.

Reuocantur à Summo Pontifice in hac conſtitutione omnes aliæ conſtitutiones, ordinationes, & priuilegia Apoſtolica à quouis Summo Pontifice, aut Apoſtolicis legatis in fauorem Iudæorum quomodolibet conceſſa.

Sub Dat. Romæ apud S. Marcum anno 1555. prid. Id. Iul. Pontif. ſui anno primo.

Pius V. fel. record. eandem Pauli 4. Conſtitutionem confirmauit, voluitque inuiolabiliter obſeruari tanquam legẽ perpetuam, non ſolum in Ciuitatibus, terris, & locis ſedi Apoſtolicæ ſubiectis, ſed etiam in alijs omnibus ciuitatibus terris, locisque cuiuſuis dominij ſint, aut habeantur.

Declarat colorem bireti, & ſignum quod Hebræi tam maſculi, quàm fœminæ ferant vt ſupra, non glaucum, ſed croceum eſſe debere.

Inſuper mandat Sanctitas ſua in virtute Sanctæ obedientiæ omnibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis & Epiſcopis, vt in ſua quiſque Ciuitate, & Diœceſi, conſtitutiones has promulgari faciant, & obſeruari curent; rogatq; Principes omnes ſeculares, alioſue Dominos, aut Magiſtratus temporales, vt in harum rerum obſeruatione, & cura, ſuam opem prædictis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, atque Epiſcopis præſtent, & inobedientes puniant, etiam temporalibus pœnis.

Poſtremo reuocat Sanctitas ſua priuilegia quæcũque, literas Apoſtolicas, & indulta à fel. recor. Pio Papa iiij. etiam conſiſtorialiter, & per viam legis generalis, & per virtutem contractus ſtipulati, etiam obiurgantiſſimam & onero-

onerofiſſimam cauſam in fauorem Iudęorum conceſſa contra prædictam conſtitutionem Pauli iiii. &c. vt in prædicta conſtitutione Pii V. ſub dat. &c.

Hæc omnia ad pleniorem obſeruationem, & omnium & ſingulorum notitiam, lecta & promulgata fuerunt, à publico & conſueto loco Palatii Magiſtratus Bonon die, menſe, anno & c.

N. Vicar. Gener.

COLLECTOR.

RELIQVVM eſt, vt hic adÿciamus ea, quæ contra periuros, & Blaſphemos, qui impietatis, & infidelitatis quodammodo argui poſſunt, in Ciuitate, & Diœceſi Bononia prouiſa ſunt ab Illuſtriſsimo D. Archiepiſcopo. Ea verò cum ad aſsiduā miniſtrorum diligentiam, & curam pertineant: & pro temporum & caſuum ratione, ac inter conciones, & inter confeſsiones plurima eis remedia adhibeantur, vt deteſtandum hoc vitium penitus eradicetur: ea huc referre ſuperuacaneum viſum fuit. Ponemus autem tantummodo Summarium Bullæ Pÿ V. quod Edicti more, & de publico loca legi, & promulgari conſuetum eſt, & per Ciuitatem, & Diœceſim affigi; vt omnes intelligant quibus pœnis coerceri debeant, ÿ qui tantum ſcelus committere audebunt.

EDICTVM EX CONſtitutione Pij Papæ Quinti contra Blaſphemos.

AD Abolendum nefarium, & execrabile blaſphemiæ ſcelus, quod in antiqua lege Deus morte puniri mandat, Sanctitas ſua innouat ſtatuta Leonis X. in nouiſſimo Lateranenſi Concilio.

Decernit, vt quicunq. laicus Deum, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vel glorioſam Virginem Mariam eius genitricē expreſſe blaſphemauerit, pro prima vice pœnam vigintiquinq; Ducatorū incurrat: pro ſecunda pœna duplicētur: pro tertia cētum Ducatos ſoluat, & ignominia notatus exilio mulctetur.

Qui plebeius fuerit, nec erit ſoluendo, pro prima vice, manibus poſt tergum ligatis, ante fores Eccleſiæ conſtituatur per diem integrum: pro ſecunda fuſtigetur: pro tertia lingua ei perforetur, & mittatur ad triremes.

Clericus blaſphemans, pro prima vice fructibus vnius anni omnium & quorumcunque beneficiorum ſuorum: pro ſecunda beneficiis ipſis priuetur: pro tertia omnibus etiam dignitatibus exutus deponatur, & in exilium mittatur.

Quòd ſi Clericus nullum obtinuerit beneficium, pœna pecuniaria, vel corporali pro prima vice puniatur: pro ſecunda carceribus mancipetur: pro tertia verbaliter degradetur, & ad triremes mittatur.

Quicunque reliquos Sanctos blaſphemauerit, pro qualitate blaſphemiæ, atq. perſonæ, arbitrio Iudicis puniatur.

Mulctę autem pecuniarię applicabuntur pro duabus partibus locis piis, arbitrio Ordinariorum; pro tertia accuſatori, qui delinquentes detulerit.

Atq; vt huius delicti notitia faciliùs habeatur, vult Sanctitas ſua, quòd in ſingulis caſibus non ſolum per accuſationem & inquiſitionem, ſed etiam ad ſimplicem & ſecretam denunciationē, procedatur per quoſcunque Iudices competentes, tàm ratione delicti, quàm perſonarum; ita quòd inter eos locus ſit prę uentioni.

Monet præterea omnes & ſingulos, vt ſolum Dei timorem præ oculis habentes, & non alia animi praua affectione ducti, culpabiles tantum deferant, innocentes non vexent. Quòd ſi aliqui ex calumnia aliquos denunciaſſe comperti fuerint, eos ad pœnas talionis teneri vult & mandat.

In quorum executionem, Illuſtriſ. D. Cardinalis Palæotus Archiepiſcopus Bononienſis & Princeps, ex præſcripto, & mandato Sanctitatis ſuæ, diligentiſſime incumbet. delinquentes verò cuiuſcunque gradus, & conditionis grauiter, & ſeuere ſe puniendos fore nouerint. N. Vicar. Gener.

COLLECTOR. *CVM Epiſcopi ſit munus, non tantùm gregem ſibi commiſſum errantem, & a ſpirituali cuſtodia alienum pœnis mulctare; ſed etiam ante eniti, ne aliquo modo extra diſciplinam vagetur, & manum porrigere ne in peccata incidat. Iecirco Illuſtriſsimus D. Cardinalis Sodalitatem Sanctiſsimi Nominis Dei in Ciuitate Bononien. erigere curauit, quæ ad omnia Diœceſis loca extenditur: cuius prima inſtitutio eò in primis ſpectauit, vt eius Confratres, periuria, & blaſphemias, exemplo, monitionibus, alijsque pijs artibus tollere profiterentur. Hæc autem ſodalitas cum in Italia, Romæ primum erecta fuerit in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſupra Mineruam Ordinis Sancti Dominici, in qua regulas habet, & ſtatuta priuilegijs Summorum Pontificum confirmata; hac nos huic libro non inſeremus, ad qua Confraternitas eadem Bononiæ inſtituta ſeſe conformat, ſed quadam tantummodo, ab ijſdem generalibus ſtatutis excerpta, vt inde quanti fructus & colligantur, & expectentur appareat, & ad eam promouendam fideles omnes accendantur, hic addere volumus.*

EX REGVLIS SEV Statutis Sodalitatis Sanctiſsimi nominis Dei in Ciuitate Bononiæ erectæ.

Quæ in Archiepiſcopali Palatio Congregatur bis in hebdomada.

SINGVLI qui ſunt in hanc ſodalitatem adſcripti, ſummo ſtudio, ſummaque diligentia cauere debent, ne Sanctiſſimum Dei nomen, ac Sanctorum eius, vanè ac profanè commemorent: & quò tutius hoc aſſequi poſſint, abſtineant omnino à iureiurando, niſi quando neceſſitas, fraterna charitas, vel legitima ſuperioris auctoritas illud exigat, iuxta id quod ſcriptum eſt, *Dico vobis, non iurare omnino: & ſit ſermo veſter, eſt eſt, non non*. Sed ſi contingat quempiam abſque vlla legitima cauſa iuramento vti, ipſemet ſibi peccati ſui pœnam imponat, aliquid in eleemoſynam erogando, vel Dominicam orationem cum ſalutatione Angelica recitando, vt hoc quaſi fræno coerceatur, ne iterum in idem peccatum incurrat. At ſi quis ex Confratribus dictæ ſodalitaris, Sanctiſſimo Dei nomini, vel Beatiſſimæ Virginis, aut quorumuis ſanctorum iniuriam dicat, debet is qui deliquit, eodem die (ſi commode poſſit) ad Eccleſiam ſe conferre, ibique genibus flexis veniam ſui ſceleris à Deo humiliter petere, ternis vicibus orarionem Dominicam, & ſalutarionem Angelicam piè, ac deuotè pronuntiando, & aliquid eleemoſynę in arculam ad hoc paratam coniiciendo.

Patresfamiliàs, qui ſunt ex hac ſodalitate, ſeuerè præcipiant filiis, cæterisque, quorum curam gerunt, ne vanè, & abſque debita reuerentia venerandum Dei nomen vſurpent: & quos in hoc errare compererint, moneant primùm, & caſtigent, vt tandem hoc vitium deteſtabile eradicetur, & euellatur omnino è domibus ipſorum. Ac ſi alium quempiam, cui ipſi non præſint, blaſphemantem audierint, aut temerè & inconſideratè iurantem, debent eum, ſi ſe profuturos credant, omni modeſtia, ac manſuetudine adhibita, quoties opus fuerit, fraterna correctione monere: ita vt ſemper aliquis inter ipſos reperiatur, qui honoris nominis Dei cupidum ſe, ac defenſorem exhibeat.

Solent dicti confratres ſacro Dominicæ Circumſionis die, ſacramentali peccatorum confeſsione expiati, ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum accedere, refectique illo cœleſti cibo, quanta poſſunt maxima ſolemnitate, celebrare feſtum illum diem

glo-

glorioſi nominis Ieſu: ſolent præterea ſingulorum menſium ſecundis Dominicis diebus, Eccleſiam ab ipſis electam adire; & antequam ſolemniter ſacrum Miſſæ officium peragatur, vnà omnes intereſſe Miſſæ priuatæ; deinde verò ſinguli pro ſua quiſque voluntate, ac facultate, elargiri aliquid, quod in altaris ornatum, & diuini cultus neceſſarias res in ſumitur.

Indulgentiæ, quas Pius IIII. Pius V. & Gregorius XIII. Pontifices Maximi, huic Confraternitati conceſſerunt.

SIngulis Confratribus, qui verè contriti, & ſacramentaliter confeſſi, feſto Circumciſionis Saluatoris noſtri die, ſacroſanctum Corporis Chriſti ſacramentum ſumpſerint, & in totum, vel pro parte præſentes fuerint feſtiuitati ſolitæ dicto die celebrari, plenaria omnium peccatorum Indulgentia conceditur; inſtar illius quæ anno Iubilæi concedi ſolet viſitantibus Eccleſias Vrbis Romæ, tam intra, quàm extra ipſius mœnia ſitas; idque ſingulis annis conſequentur, quibus dictæ celebritatis die ea omnia, quæ diximus, præſtabunt.

Iis etiam Confratribus, qui ſingulorum menſium primo Dominico die aderunt Miſſæ illi priuatæ, cui intereſſe debent, quoties id fecerint, decem annorum indulgentia conceditur.

Iis qui modeſte, & cum charitate monebunt eos, qui temere iurant, vel alio quocunque modo ſanctum Dei nomen blaſphemant, quoties id egerint, centum dies indulgentur.

Et vnicuique verbi Dei Concionatori, ſeculari, vel cuiuſuis ordinis regulari, qui Chriſti fideles dehortabitur a peſſimis iurandi conſuetudinibus, & ad huius ſodalitatis regulam amplectendam hortabitur, decem anni.

Atque, vt prædicti Confratres facilius Deo adiuuante, dictæ plenariæ Indulgentiæ participes fiant, permittitur eorum ſingulis, vt pro dicta Circumciſionis feſtiuitate eligant ſibi in Confeſſarios, quoſcunque volent ſacerdotes idoneos, ſiue ſeculares, ſiue cuiuſcunque ordinis regulares, per Ordinarios locorum approbatos; qui auditis diligenter illorum confeſſionibus, facultatem habeãt abſoluendi ab omnibus cenſuris, & pœnis, & a quacunque excommunicatione etiam maiore, quauis de cauſa, vel occaſione lata, atque impoſita; & relaxandi quæcunque iuramenta, ſaluo tamen iure, ac intereſſe aliorum; præterea abſoluendi ab omnibus peccatis quantumuis turpibus, grauibus, & enormibus, etiamſi locorum Epiſcopis, vel ſedi Apoſtolicæ reſeruata fuerint, illis tamen exceptis, quæ continentur in Bulla Cœnæ Domini. Poſſunt etiam hi Confeſſarij in alia pietatis opera commutare ipſorum vota quæcunque, his tantum exceptis, nempe peregrinationis in Hieruſalem, viſitandi Baſilicas Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ad Vrbem, ac Sancti Iacobi in Compoſtella: demptis etiam votis caſtitatis, & religionis. Licet præterea dictis Confratribus, non obſtante quocunque interdicto, publicè celebrare primo anni die prædictum Circumciſionis feſtum, ac Miſſam illam priuatam ſingulis menſibus primo die Dominico, & funeralia ſolemnia, ſi quis eorum decedat ex hac vita: vt latius continetur in Bulla plumbata Pij Papæ IV. quæ data fuit anno Dominicæ incarnationis M.D.LXIIII. die 12. Aprilis, & in ipſius Breue aperto eiuſdem menſis die xiij. confecto.

Ad hæc Pius Papa V. per quaſdam ipſius literas in forma Breuis, datas die xxj Iunij anno M.D.LXXI. ſtatuit, ne prædicta priuilegia, & indulgentiæ communicari poſſint, neuè huiuſmodi Sodalitates fundari, niſi in Eccleſijs ordinis Prædicatorum, in locis vbi dictæ Eccleſiæ reperiuntur; vel vbi illæ non ſint, ad has Sodalitates inſtituendas, neceſſariò adhibeatur conſenſus dicti ordinis, cuius opera Sodalitas hæc fundata, & ſupra

ſupra commemoratis indulgentijs, ac priuilegijs aucta eſt.

Gregorius quoque Papa XIII. confirmans omnes prædictas Indulgentias a ſuis prædeceſſoribus conceſſas, Indulgẽtiam plenariam elargitur ſingulis Chriſti fidem in eius Eccleſia profitentibus, qui poſt ſacramentalem abſolutionem ſumpto ſanctiſſimo Altaris Sacramento, curabunt ſe conſcribendos in hanc Confraternitatem, quæ eſt in Eccleſia Beatæ Mariæ ſuper Mineruam in Vrbe; & hanc eandem indulgentiam concedit ſingulis Confratribus in articulo mortis conſtitutis, vt conſtat per ipſius Breue datum die ix. Iulij anno . 1580.

Præterea, vt Sanctiſſimi nominis Dei cultus augeretur, idem Pontifex Miſſam, quę a dictis Confratribus prima die Dominica cuiuſque menſis celebrari ſolebat, tranſtulit in ſequentem diem Dominicam, vel aliam, ſi legitimum obſtet impedimentum; cui Miſſæ qui aderunt ex Confratribus; eandem decem annorum indulgentiam conſequentur, quam Pius IIII. conceſſit.

Porrò ijs Confratribus & Sororibus, qui proceſſioni dictæ ſecunda die Dominica ab ipſis celebrandæ præſentes fuerint, verè pœnitentes, & confeſſi, &c. quemadmodum fieri ſolet a Sodalitate ſanctiſſimi Roſarij, conceſſit idem Gregorius plenariam peccatorum indulgentiam, vt patet per ipſius literas datas die v. Septembris anno M.D.LXXX.

Inſuper, vt vnuſquiſque magis incitetur ad cultum ſanctiſſimi nominis Dei, & erga hanc Sodalitatem magis afficiatur, conceſſit, vt Kalendis Ianuariis (quo die præcipuum feſtum huius Sodalitatis celebratur) omnes ij Chriſti fideles Indulgentiã plenariam conſequantur, qui verè contriti, & in Sacramentali confeſſione a peccatis abſoluti, ſumptoque reuerenter ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, piè, deuotèque viſitauerint capellam in honorem Sanctiſſimi Nominis Dei fundatam in templo Sanctæ Mariæ ſuper Mineruam Romæ, vt conſtat per quoddam Breue datum die. xxix. Decemb. M.D.LXXIX.

Idem Gregorius Papa XIII. in alio Breui, quod incipit, Ex paſtoralis officij &c. Datum Romæ die xxi. Decemb. anno Domini M.D.LXXXII. Pontificatus ſui vndecimo, Declarauit hanc Confraternitatem pertinere ad ordinem Prędicatorum, ita vt de facultate ſuperiorum eiuſdem Ordinis, & non aliàs poſſit inſtitui, communicari, & celebrari in alijs Eccleſijs, & hoc virtute Breuis ſanctę mem. Pij V. dicto Prædicatorum ordini conceſſi, ſub dat. Romæ die xxi. Iunii anno MDLXXI. Pontificatus ſui anno ſexto. Quæ verò ante dictum Breue fundatæ erant Confraternitates in aliis Eccleſiis extra dictum ordinem, idem Gregorius remanere in ſuo vigore declarauit, ex verbis diſpoſitiuis dicti Breuis Pii V. quę ad prętérita, nõ ad futura determinãtur.

Idem ſanctæ mem. Gregorius XIII. in alio Breui, quod incipit, Aliàs fel. recor. Pius Papa IV. Conceſſit Confratribus huius Sodalitatis in prouinciis Hiſpaniæ, nunc & pro tempore exiſtentibus, vt indulgentiam, quam dictus Pius IV. conceſſerat iis tantum, qui in ipſomet die Circumciſionis Domini peccata ſua confiterentur, & ſacram Euchariſtiam ſumerent, conſequi etiam poſſent illi, qui per tres dies ante dictum Circumciſionis feſtum hæc facerent. Nam creſcente Confratrum numero, viſum eſt, non deberi ad vnius diei ſpatium, indulgentiam prædictam coarctari.

Priuilegium eiuſdem Sodalitatis Bononiæ.

Pius Papa V. concedit Confratribus, & ſororibus Sodalitatis ſanctiſſimi nominis Dei Bononiæ, vt qualibet ſecunda Dominica menſis in loco ſolito congregati Miſſę ſacrum audientes, eandem Indulgentiam conſequantur, quæ prima Dominica menſis a Pio Papa iiii. fuit conceſſa, hoc eſt decem annorum.

Priuile-

Priuilegium Reuer. P. Generalis Ordinis S. Dominici, vt apparet ex eius literis Bononiæ datis die iij. Octob. M.D.LXVII. incipien. Veſtræ deuotionis.

REuerend. Pater Frater Vincentius Iuſtinianus Magiſter generalis Ordinis S. Dominici omnibus, & ſingulis, qui in Sodalitatem ſanctiſſimi Nominis DEI, Bononiæ adſcribentur, concedit participationem omnium orationum, & bonorum operum, quæ quotidie fiunt in toto Ordine Sancti Dominici.

FINIS SECVNDAE PARTIS.

Digitized by Google

ARCHIEPISCOPALE BONONIENSE

SIVE DE BONONIENSIS ECCLESIAE ADMINISTRATIONE.

GABRIELIS CARDINALIS PALAEOTI

PARS TERTIA

Quæ ad ſancta Sacramenta pertinet.

COLLECTOR.

TERTIAM hanc partem, quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem pertinet, cogitauerat antea Illuſtriſſimus Archiepiſcopus minimè attingere; eum ſciret pridem à ſummis Pontificibus in Vrbe Roma mandatum fuiſſe ſelectis aliquot Theologicæ profeſſionis viris, vt Ritnale Romanum integrum, & abſolutum, ad vniuerſarum Eeeleſiarum vſum conficerent, atque in lucem ederent. Verùm cum deinde laborem hunc illorum longè nimis protrahi, opus verò hoc quotidie inſtare, atque à Parochis frequenter efflagitari animaduerteret; viſum fuit Illuſtriſſimæ D. ſuæ, re cum eruditis multis, & ſapientibus communicata, Eccleſiæ Bononienſi, illiusque Parochis, hoc qualecunque auxilium interim non auferre, ſed ſingulorum Sacramentorum praxim, eorundem peritorum conſilio probatam, illis ſcripto aſſignare. Hoc tamen animi propoſito, vt cum Deo lagiente, Ritnale Romanum, Sedis Apoſtolicæ auctoritate ſuo tempore perfectum, & emiſſum fuerit; tunc ſi qua in hoc Archiepiſcopali Bononienſi diuerſa fortaſſe ab illo inuenientur, ea ſtatim ad illius normam, & præſcriptionem debeant conformari.

Ceterum hoc ordine in ſingulis ſacramentis vtemur; vt primum cuilibet Inſtructio generalis ad Parochos præmittatur, ex pluribus ſelecta ab eodem Illuſtriſſimo Cardinali Archiepiſcopo promulgatis; deinde afferatur ipſius adminiſtrationis Ritus, & forma; Tum vnicuique Sacramento ſermo vnus eiuſdem Archiepiſcopi adyciatur, in quo poſt cognitam vſus, & adminiſtrationis rationem: ipſius etiam Sacramenti dignitas, & vtilitas dignoſcatur; & Parochi, ceterique omnes ad Sacramentum illud, de quo agitur, vel diligentiùs colendum, vel ſanctius recipiendum inſlammari poſſint.

INDEX

INDEX RERVM PRAECIPVARVM QVAE IN HAC TERTIA PARTE CONTINENTVR.

DE Sacramento Baptiſmi.

De Sacramento Confirmationis.

De Sacramento Pœnitentiæ.

De Sacramento Euchariſtiæ.

De Sacramento Ordinis.

De Sacramento Matrimonij.

De Sacramento extremæ Vnctionis.

In his ſunt, Inſtructiones ad Parochos, Ritus adminiſtrationis, exempla Monitionum ad Parochorum vſum. Sermones nonnulli Illuſtrſs. Archiepiſc. & plura alia.

Digitized by Google

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

COLLECTOR.

NVNC ad ſingula Sacramenta deſcendentes, atque a Baptiſmo inchoantes, lectorem admonitum volumus, ex antiquiſſimo inſtituto vnum tantummodo Baptiſterium in Metropolitana Eccleſia Bononiæ poſitum, non ſolùm Ciuitati, ſed etiam ipſius ſuburbijs vſui olim fuiſſe. Verùm Illuſtriſſimus Archiepiſcopus animaduertens, hæc ſuburbia ad tria ferè millia paſſuum ab vrbe produci, multaque ob loci diſtantiam contingere poſſe pericula, quo minus hoc Sacramentum opportunè adminiſtretur; idcirco unicuique ſuburbio fontem unũ Baptiſmalem aſſignauit. In Diœceſi uero Bononienſi, quæ latè ſatis patet, cum non in qualibet Parochiali Eccleſia Baptiſmus aſſeruaretur, ſed tantum in Eccleſiis Archipresbyteralibus, idem Archiepiſcopus, nonnullis etiam Parochialibus Eccleſiis Baptiſteria diſtribuit, quas ob locorum interualla, aliaſuè difficultates ijs indigere perſpexit.

INSTRVCTIO DE SACRAMENTO BAPTISMI.

Ad Parochos Ciuitatis, & & Diœceſis Bonon.

Præcipua quædam pertinentia ad perſonam Parochi, qui Baptiſmi eſt miniſter.

INTER ea, quæ curare debet Parochus, qui Bononiæ, aut in Diœceſi Bonon. Baptiſmi adminiſtrandi munere fungitur, illud eſt præcipuum, vt ſuas partes eſſe exiſtimet, non ſolùm hoc Sacramentum iuxta ſynodalium Conſtitutionum, & Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Viſitationis decreta aſſeruare, ac debito cultu cuſtodire, iuxtaque præſcriptos ritus illud adminiſtrare; ſed etiam cum ſciat, a ſe per hoc ſacramentum, æternæ ſalutis ianuam illi, quem baptizat, reſerari; eam, quam alijs apetit, cauendum eſſe, ne ſibi ipſi, ob peccatorum ſordes, occludar.

Quemadmodum enim ſacerdotali miniſterio a Deo dignatus eſt, electuſque vt animas paſcat, & ſanctiſsimi illius lauacri regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti ſit miniſter; ita etiam candidiſsimæ ipſius puritati reſpondere tenetur ijs virtutibus, quæ in Sacerdote ad tam ſanctum munus exercendum vocato requiruntur.

Atque iccirco ſancta Mater Eccleſia tot præmittit in omnium Sacramentorum adminiſtratione ſacros apparatus, atque in hoc præſertim tot contra peccata poteſtationes adhibet, vt non quocunque modo, ſed cum debitæ reuerentiæ cultu, ſancta Eccleſiæ Sacramenta tum ſuſcipienda, tum adminiſtranda eſſe oſtendat.

Quare Sacerdos aſſidue, & illo præſertim tempore, quo ad baptizandum vocatur, mentem erigat, ſpiritumque colligat, quidque ſibi agendum ſit, deuoto mentis intuitu, circumſpiciat; nēpe ſe tanquam de cælo miſſum nuncium paciſque conciliatorem inter Deum, & baptizandum, vt ſacro illo miniſterio

filium itæ, & in iniquitatibus conceptum, Dei filium, & hæredem Ieſu Chriſti, ſecundum ſpem vitæ æternæ efficiat. Sic enim agnoſcet operis præſtantiſſimi, quod præ manibus habet, dignitatem; atque fieri vix vnquam poterit, vt maculatus, immaculati Agni munera perficere audeat, ſentiens præſertim illam vocem in cordis auribus perſonantem: *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum ſanctificentur, ne forte percutiat eos.*

Hanc autem mentis puritatem in ſe facile nutriet Sacerdos, tum attenta eorum librorum lectione, in quibus catholica de hoc ſacramento doctrina verrimè traditur; tum morum, affectuum que ſuorum quotidiana reformatione; ita vt ceſſet in eo non ſolum quæſtus, ſed etiam omnis terreni lucri cogitatio in eo adminiſtrando; nulla leuitas, aut vanitas, aut aliud quidpiam indecorum in eo appareat: diligentiam, & aſſiduitatem ſuam in hoc onere ferendo à nemine deſiderari patiatur, & nunquam bis vocari, vel per Ciuitatem, aut alia Diœceſis loca perquiri: nulla vana colloquia cum ijs, qui præſentes aderunt miſceat; ſed in contemplatione miniſterij, quod peragit, ſit ita defixus, vt oculi, manus, inceſſus, & omnis exterior corporis motus, interiorem piæ deuotionis affectum comitentur.

Præcipua quædam curanda a Parocho in ipſa Baptiſmi adminiſtratione.

VOcatus igitur Parochus ad hoc Sacramentum adminiſtrandum, ſtatim, & ſine vlla cunctatione ad Eccleſiam ſe conferre debebit; indutuſque ſuperpelliceo, & ſtola ad Eccleſiæ ianuam conſiſtat, vbi ante omnia ab illis, qui infantem ad Baptiſmum deferunt, quærat de nomine infanti imponendo: qui ſint Patrini; an infans domi ob caſum aliquem fuerit Baptizatus.

Quod ad Infantis nomen attinet, ſicuti Chriſtiani a Chriſto dicuntur, ita æquum cenſetur, vt ipſi a Chriſti militibus, qui ſancti fuerunt, nomina ſua ducant, non autem ab infidelibus, aut gentilibus, qui Chriſtum non agnouerunt; nec ab alijs etiam denominationibus, quæ cum religione non ſunt coniunctæ, veluti familiarum titulis, ſeù alijs euentibus, inanibuſque actionibus; quæ potius Idololatrias, obſcœnitates, immanitateſque referre ſolent, quàm illam ſanctitatem, quam in Baptiſmo induere profitemur. Ideo iuxta ſacrorum Canonum, & Conciliorum præſcriptum Parochus, ſi nomen infantis non eſſe ſancti alicuius animaduertat, moneat placide illum deferentes, vt omiſſo illo, aliud nomen inquirant, & pronuncient, quod Sancti, vel Sanctæ alicuius ſit cuius vitam, pro viribus imitari conetur, & cuius interceſſione in cælis apud Deum vti poſſit; cum bene norint, quot, quantiſque periculis, & calamitatibus humana vita ſit obnoxia, quantùmq. indigeamus aſſiduo Sanctorum patrocinio. Nomen quod infanti imponendum eſt.

Quod autem ſpectat ad Patrinos; animaduertat item Parochus, an illi qui hoc onus ſuſcepturi acceſſerunt, admitti poſſint: hoc eſt, an ſint baptizati, an Confirmati, an Catholici, an ſanæ mentis, an bonæ famæ, an eodem anno in Paſchate confeſſi fuerint, & ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumpſerint, an Doctrinam Chriſtianam ſciant; itemque excommunicatos, interdictos, facinoroſos, & criminoſos, ab infantis ſuſceptione arcebit. Patrini ſeu Matrinæ.

Patrinus vnus tantùm ſit, vel vna Matrina, aut ad ſummum vnus Patrinus, & vna Matrina ſimul infantem teneant, nunquam verò plures. ij tamen non ſint Clerici in ſacris conſtituti, ſiue ſeculares, ſiue regulares, ſine licentia. Neque maritus ipſe coniugis ſuę filiū ſuſcipiat, licet filius ex alio viro ſit genitus; neque vxor filium viri ſui.

Poſtquam Patrinos, ſeu Matrinas defectibus, qui illos iuxta ſacros Canones inhabiles reddunt, carere, eoſque idoneos eſſe ad tenendum illum qui baptizan-

ptizandus eſt cognouerit Parochus; eos de his, quæ ſequuntur admonebit.

Primo affinitatem, ſeù cognationem ſpiritualem in illa ſacra regeneratione contrahi inter ipſos, & baptizatum, eiuſque Patrem, & Matrem; atque idcirco matrimonium inter ipſos omnino prohiberi.

Deinde doceat breuiter onus, cui ſe ſubijciunt, grauiſſimum eſſe: nempe, vt ſint perpetui fideiuſſores illorum, quos ſuſcipiunt: ſpondeantque pro ipſis Deo, illos nec a fide, nec a lege male viuendo declinaturos. quare ſciant ſe teneri ad ipſos in viam domini dirigendos, & orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, ſymbolum Apoſtolorum, aliaque ad Chriſtianam doctrinam pertinentia, eoſdem edocendos; pro vt ſacri Doctores declarant. *S.Th. 3.p.q. 67.art. 4. in corp.*

Tum moneat Parochus eoſdem Patrinos, vt depoſitis armis, & Matrinas aliaſque mulieres, vt velato ſint capite, atque humili deuotione, profana omnia excludant, & genufle xi debitam erga hoc Sacramentum reuerentiam teſtentur.

Baptiſmus in caſu neceſſitatis. Quærere inſuper debet Parochus, & ſcire, an caſu aliquo, ita poſtulante neceſſitate, infans domi baptizatus fuerit.

Quòd ſi eum baptizatum eſſe comperiet, quærat adhuc, a quo ſit baptizatus: tum qua materia, & qua forma, & an ea omnia peracta ſint, quæ in hoc ſacramento in caſu periculi mortis extrà Eccleſiam adminiſtrando requiruntur, & quæ hic inferiùs breuiter adnotantur.

Si verò Parochus in periculo mortis Sacramentum rite perfectum, & baptizatum infantem eſſe viderit, nequaquam iterum baptizabit, alioquin in irregularitatem incideret; ſed alias ſolennitates, & cæremonias ab Eccleſia fieri conſuetas explebit, hoc eſt, eos omnes exorciſmos recitabit, eaque omnia faciet, quæ in fine huius inſtructionis adiectus Ritus adminiſtrandi baptiſmi edocet, incipiens ab ijs verbis. *Quid petis ab Eccleſia Dei*, vſque ad ea verba. N. *Credis in Deum* excluſiuè; & reliqua prætermittet vſque ad ea verba, *Pax tecum* incluſiuè; poſt quæ dicet orationem, *Deus omnipotens ſempiterne Deus* &cet. vt infra, cum reliquis, quæ ſequuntur, de veſte, & lampade.

Si verò infans non fuerit baptizatus, perſequatur ſacerdos munus ſuum, iuxta ritum, atque ordinem adminiſtrandi Sacramentum baptiſmi, incipiens. *Quid petis ab Eccleſia Dei*, vſque ad finem.

Præcipua quædam curanda a Parocho, cum continget extra Eccleſiam Baptiſmum adminiſtrari.

PRæter ſupradicta, quæ a Parocho diligenter curanda ſunt, circa Baptiſmum in Eccleſijs adminiſtrandum, in quibus fons baptiſmalis aſſeruatur; cum ſæpe accidat, ob imminens aliquod mortis periculum, vt infans extra Eccleſiam, domi vbi naſcitur, aut alibi baptizari debeat, non ſolùm Parochus ſcire tenetur ea, quæ modo ſubijcentur; ſed etiam vlterius, in id maxime illi incumbendum eſt, vt eadem & fideles tam mares, quàm fœminæ rectè intelligant; atque ideo ſumpta in Confeſſionibus audiendis occaſione, aut etiam ex profeſſo in prædicatione Verbi Dei, ſæpius quolibet anno, obſtetrices, patres, matreſque familias, alioſque doceat, quomodo hoc caſu gerere ſe debeant, vt infantis periclitantis animæ ſalutem tueantur, & Baptiſmus ritè adminiſtretur.

Sciendum itaque primum eſt illi, & edocendum, quæ materia in baptiſmo ex diuina inſtitutione requiratur, quæue prohibeatur. *Materia baptiſmi.*

Debet enim eſſe aqua naturalis, pura omninò, mundaque, & ſincera, abſ-

que mixtione alicuius materiæ, quæ ſol-uat ſpeciem.

S. Th. 3. p. q. 66. art. 4.

Prohibetur verò omnis aqua mixta, & arte facta, aut per diſtillationem a roſis, aut alijs floribus, herbis, rebuſue cuiuſ-uis generis extracta, aut expreſſa: & ipſa etiam ſaliua, & cetera, quæ veræ aquæ ſpeciem non habent.

Forma baptiſmi.

Ratio baptizandi, vbi neceſſitas poſtulat, extrà Eccleſiam, ea eſt, vt aliquo vaſculo, aut alio inſtrumento, quod ſi deſit, ipſa etiam manu, ter aqua ſuper caput infantis effundatur, atque effundens ipſe, non alius, hæc expreſsè verba, quæ ſunt baptiſmi forma, pronunciet. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.*

Quæ verba vtrum vulgari, an latino ſermone proferantur, nihil intereſt, dum diſtinctè, & intelligibili voce ſint prolata: & qui baptizat, certo baptizandi animo ea proferat, & id facere intendat, quod à ſancta matre Eccleſia in huius Sacramenti adminiſtratione intendirur.

Ita tamen hæc verba diſtribuantur, vt cum prima vice aqua effunditur, baptizans dicat, *Ego te baptizo in nomine Patris*, ſecunda vice dicat, *Et Filij*, tertia vice dicat, *Et Spiritus ſancti. Amen*.

Qui baptizare poſſint extra Eccleſiam.

Doceat inſuper Parochus grauiter peccare obſtetrices, & alium quempiam qui domi, vel alibi extra Eccleſiam baptizet, niſi maximo vrgente neceſſitatis caſu, hoc eſt, cum probabiliter dubitari poterit, Infantem baptizandum euidenti mortis periculo ſubiacere, antequam ad Eccleſiam deferatur.

In eo verò caſu doceat habendam eſſe rationem perſonarum, quæ baptizare poſſunt, ita vt ſi nullus vir adſit, obſtetrix ipſa, aut ea deficiente, alia quæuis mulier baptizet. ſi adſit ſecularis vir, qui baptizandi formam nouerit, illi obſtetrix, & aliæ omnes fœminæ munus hoc exequendum relinquant; ſi Clericus, aut Sacerdos, is ſeculari, tam mulieri, quàm viro, vt æquum eſt præferatur in Baptiſmi adminiſtratione.

Quòd ſi repentinus ſit caſus, & tam vrgens mortis periculum, vt nemo adſit alius, præter patrem, matremque Infantis; eorum alter in extremo huiuſmodi neceſſitatis articulo baptizare nō prohibetur, dum tamen poſtea Confeſſario id quamprimum denunciet, qui in quibuſdam rebus, quæ requiri poſſent, eius conſcientiæ conſulere debebit.

Aliquot caſus periculi mortis in Baptiſmo extra Eccleſiam.

Quàmuis autem caſus periculi mortis varij eſſe poſſint, tamen ex his paucis, qui ſequuntur, facilè Parochus colliget regulam in ceteris obſeruandam.

Infans in ventre matris baptizari non poteſt, ſed expectandum eſt, vt quamuis ipſa etiam Mater mortis eidem periculo ſuccumbar, aut totus, aut aliqua ipſius Infantis pars, quæ viua exiſtat, è ventre prodeat.

Si infans totus prodierit, & poſtquam narus fuerit, vrgeat mortis periculum, baptizetur ea materia, formaque adhibita, prout ſuperiùs dictum eſt.

Si infans antequàm totus è ventre prodeat in periculo mortis fuerit, & capite tantùm extra ventrem appareat, baptizari in capite debet, adhibita materia, & forma vt ſupra.

Si infans priùs manu, aut pede, vel alia aliqua minima parte corporis, veluti digito, de ventre prodire incepérit, & in euidenti mortis periculo verſetur, antequàm reliqua membra de matris ventre exeant, illicò ſuper illam partem, quæ prodierit, aqua effundatur, adhibita forma vt ſupra, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.* idem verò ſi viuus poſtea totus prodierit, & mortis periculum adhuc inſtet, vt cautiùs, & rutiùs cum eo agatur, baptizandus eſt ſtatim in capite ijs verbis conditionalibus, *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.*

Si du-

Si dubitetur, an infans, cuius pars e ventre prodijt, viuus ſit, an mortuus, baptizari debet conditionalibus verbis, *Si non eſt mortuus, ego te baptizo in nomine Patris, & filij, & Spiritus ſancti. Amen.*

Expoſiti verò infantes, alijque, quorum certa ſcientia non habetur, an ſint baptizati, vrgente mortis periculo ijſdem conditionalibus verbis baptizari debent, *Si non eſt baptizatus, ego te baptizo &c.* eandemque formam adhibere debebit ſacerdos, etiamſi non adſit periculum mortis in ipſa Eccleſia, ad quam huiuſmodi infans expoſitus, baptizandus afferatur.

Quædam admonenda a Parocho de Baptiſmi adminiſtratione.

Antequam verò dimittat ſacerdos patrinos, matrinaſque, obſtetrices, aliaſque mulieres, & omnes, quicunque ad Baptiſmum ſuſcipiendum, infantem ſunt comitati, eos moneat, incertam eſſe hominum vitam, neque vlli ſcientiam datam eſſe, vt ſciat quandiu modo natus infans ſit victurus. Quare ne aliquo caſu contingat, vt infanti hoc regenerationis antidoto ſubueniri non poſſit, curent, vt ſtatim atque partus editus eſt, ſi fieri poteſt, ad Eccleſiam deferatur, ibique baptizetur, & fidelium cœtui adſcribatur.

Studeat etiam vt, poſtquàm domum baptizatum infantem retulerint, patrem, matremque Infantis, ipſamque nutricem moneant, vt caueant omnino, ne illum in lecto reneant, ob ſuffocationis, & oppreſſionis periculum, donec ipſe infans annum integrum ſaltem perſoluerit.

Moneant etiam puerperas, vt exacto puerperii tempore, quàmprimum ſe ad Eccleſiam conferant, in qua tum ob periculum mortis, a quo a diuina bonitate liberatæ ſunt, tum ob prolem cæleſtis Regni hæredem factam, Deo gratias agant, & a Parocho ſacra benedictione purificentur.

Animaduertat inſuper diligenter, vt ſuperſtitionibus, ſortilegijs, aliiſque aduerſarii noſtri nequiſſimi artibus occurratur, ne ſiquid ſalis, in Baptiſmi adminiſtratione, a ſe iuxta ritum Eccleſiæ benedicti ſuperfuerit, aut candelæ etiam ipſæ, intortitiaue, aut alia huiuſmodi, extra Eccleſiam aſportentur.

De libro Baptizatorum.

Habeat demum Parochus librum, in quo nil aliud deſcribatur, niſi nomina & cognomina tam baptizatorum, & eorum parentum, quàm patrinorum, pariterque dies, menſis, & annus, in hanc quæ ſequitur formam. qui quidem libri quotannis renouentur, & diligentiſsime aſſeruentur.

Liber Baptizatorum in Eccleſia Archipresbyterali ſiue Parochiali Sanct. N. pro anno . . .

Die . . . Menſe . . . anno . . .

Ego N. Archipresbyter, ſiue Rector, ſiue Cappellanus Eccleſiæ Sancti. N. baptizaui. N. filium. N. & N. (*hic ponantur parentum cognomina, & loca ubi habitant*) ſecundum ritum, & præſcriptum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ: Patrinus, & Mattina fuerunt N. & N. (*hic ponantur cognomina Patrini, & Matrinæ &c.*

Quòd ſi infans ſpurius, & illegitimus fuerit, & parentes cognoſci nolint, ſcribatur.

Ego. N. &cet. vt ſupra. baptizaui. N. filium parentum ignotorum, ſecundum ritum, &c. vt ſupra.

Quòd ſi dômi baptizatus ad exorciſmum fuerit allatus, adnotentur nomina patrinorum, qui in exorciſmo eum tenuerunt, in hanc formam.

Fuit baptizatus, & ſuſceptus. N. filius & N. &c. ſecundum ritum, &c. vt ſupra, quem ego N. &c. exorcizaui, & fuerunt Patrini N. & N. (*hic ponantur eorum cognomina ut ſupra*) qui ad exorciſmum tantum eum tenuerunt. Dat. Bonon. in Archiepiſcopali Palatio.

RITVS ADMINISTRANDI SACRAMENTVM BAPTISMI.

Inprimis Sacerdos ad ianuam Eccleſiæ indutus cotta, & ſtola albi coloris, intellecto nomine baptizandi foris manentis, exquirit a Patrino, aut a Matrina, quidnam ab Eccleſia petat dicens.

Sacerdos. Quid petis ab Eccleſia Dei?
Patrinus. Fidem.
Sacerdos. Fides quid tibi præſtat?
Patrinus. Vitam æternam.
Sacerdos. Si vis habere vitam æternam, ſerua mandata. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis; & proximum tuũ ſicut teipſum.

Item inſufflet in faciem eius, & dicat.

Exi ab eo, ſpiritus immunde, & da locum Spiritui ſancto paraclito.

Adiuratio.

Ergo maledicte diabole recognoſce ſententiam tuam; & da honorem Deo viuo, & vero: & da honorem Ieſu Chriſto eius filio, & Spiritui ſancto; & recede ab hoc famulo Dei N. quia ipſum ſibi Deus noſter, & Dominus Ieſus Chriſtus, ad ſuam ſanctam gratiam, & benedictionem, fontemque Baptiſmatis dono vocare dignatus eſt; vt per hoc ſignum ſanctæ Crucis, quod nos eius fronti da ✠ mus, tu maledicte diabole nunquam audeas violare. Per eum, qui venturus eſt iudicare viuos, & mortuos, & ſeculum per ignem. ℟. Amen.

Hic ſacerdos imponat manum ſuper caput eius, & dicat.

Omnipotens ſempiterne Deus, pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, reſpicere dignare ſuper hunc famulum tuum N. quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es; omnem cæcitatem mentis, & cordis ab eo expelle, diſrumpe omnes laqueos Sathanæ, quibus fuerat alligatus; aperi ei domine ianuam pietatis tuæ, vt ſale ſapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fœtore careat, & ad ſuauem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Eccleſia tua deſeruiat, & proficiat de die in diem, vt idoneus efficiatur accedere ad gratiam, Baptiſmi tui percepta medicina. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Tunc ſacerdos capiat de ſale benedicto, & ponat in os eius dicens.

N. Accipe ſal ſapientiæ. quod propitiatio ſit tibi in vitam æternam. Amen.
℣. Pax tecum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.
Oremus. Deus patrum noſtrorum: Deus vniuerſorum, conditor veritatis, te ſuppliciter exoramus, vt hunc famulum tuum reſpicere digneris propitius; vt hoc primum pabulum ſalis guſtantem non diutius eſurire permittas, quominus cibo repleatur cæleſti; quatenus ſit ſemper diuino Spiritu feruens: ſpe gaudens: tuo ſemper nomini ſeruiens: & perduc eum Domine, quæſumus, ad nouæ regenerationis lauacrum: vt cum fidelibus tuis promiſſionum tuarum æterna præmia conſequi mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde ſignet illum ſigno Crucis cum pollice in fronte, dicens.

Signo tibi frontem ✠ vt ſuſcipias Crucem Domini.

In auribus.

Signo tibi aures ✠, vt audias diuina præcepta.

In Naribus.

Signo tibi nares ✠ vt odorem ſuauitatis ſentias.

In ore.

Signo tibi os ✠ vt loquaris verba vitæ.

In pectore.

Signo tibi pectus ✠ vt credas in Deum.

In ſcapulis.

Signo tibi ſcapulas ✠ vt ſuſcipias iugum ſeruitutis eius.

In toto pectore.

Signo te totum ✠ in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ſancti: vt habeas vitam æternam, & viuas in ſæcula ſeculorum. Amen.

Oremus. Preces noſtras, quæſumus Domine, clementer exaudi, & hunc electum Crucis Dominicæ ✠. N.

Hic fiat ſignum Crucis ſuper totum puerum vel puellam, à capite ad pedes, & à brachio ſiniſtro ad dextrũ.

cuius impreſſione ſignamus, virtute cuſtodi: vt magnitudinis tuę rudimenta ſeruans, per cuſtodiã mandatorum tuorum, ad regenerationis gloriam peruenire mereatur. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Deinde ſacerdos, pollice, accepto proprio ſputo tangit ei aures, & nares, & tangendo vtramque aurem dicat.

Epheta. quod eſt adaperire, *& tangendo nares dicat.*

In odorem ſuauitatis *ſubdens.*

Tu autem effugare Diabole: appropinquabit enim regnum Dei.

His peractis ſacerdos imponat extremam partem ſtolæ baptizando, ſi ſit adultus, vel adulta: vel ſi minor, ei qui eum defert, & introducat illum in Eccleſiam, dicens;

N. Ingredere in ſanctam Eccleſiã Dei; vt accipias benedictionem à Domino Ieſu Chriſto,

Et poſtquam Eccleſiam ingreſſi fuerint, Patrinus, uel Matrina ſtatuat eum ſuper pauimentum Eccleſiæ propè baptiſterium; & tam ſacerdos, quàm baptizandus; uel eius Patrinus, aut Matrina dicat ſuper eũ uoce intelligibili, orationem Dominicam. Videlicet.

Pater noſter qui es &c.

Item ſalutationem Angelicam.

Aue Maria gratia plena, &c.

Item Symbolum fidei.

Credo in Deum patrem omnipotentem, &c.

Item Decem præcepta Dei.

Vnum cole Deum. Nec iures vana per ipſum. Sabbatha ſanctifices. Habeas in honore parentes. Non occiſor eris. Fur. Mœchuſ. Teſtis iniquus. Alterius nuptam. Nec rem cupies alienam.

Poſthac eleuetur infans è pauimento per Patrinum, vel Matrinam, & ad ſacrum fontem deferatur: tuncque ſacerdos interroget eum dicens.

N. Abrenuncias Sathanæ?
℟. Abrenuncio.
Et omnibus pompis eius?
℟. Abrenuncio.
Et omnibus operibus eius?
℟. Abrenuncio.

His dictis, pollice, Oleo catechumenorum intincto, baptizandum in pectore, & inter ſcapulas ungat in modum Crucis, dicens.

Ego te linio oleo ſalutis in Chriſto ✠ Ieſu Domino noſtro, vt habeas vitam æternam Amen.

Et ſtatim tergat unctiones cum linteolo, uel bombice, qui poſt Baptiſmum ſtatim in ſacrarum comburetur, & poſtea interroget eum dicens.

N. Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorẽ cęli & terræ? ℟. Credo.

Credis,

Credis, & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, Dominum noſtrum, natum, & paſſum? *Reſp.* Credo.

Credis & in Spiritumſanctum: ſanctam Eccleſiam Catholicam: Sanctorum Communionem: remiſsionem peccatorum: carnis reſurrectionem: & vitam æternam? *Reſp.* Credo.

Et expreſſo nomine baptizandi dicat ſacerdos.

N. Vis baptizari? *Reſp.* Volo.

Tunc Patrinus, uel Matrina teneat eum ſuper ſacro fonte, & ſacerdos baptizet eum, dicens.

Ego te baptizo, in nomine Patris ✠ *& infundat aquam ſemel.*

Et Filij ✠ *& infundat aquam ſecundo.*

Et Spiritus ſancti ✠ Amen. *& infundat aquam tertio.*

Deinde ſacerdos pollicem tingat in ſancto Chriſmate: & faciat ſignum Crucis in uertice capitis Baptizati: & dicat.

Pax tecum. *Reſp.* & cum ſpiritu tuo.

Oremus. Deus omnipotens, pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te regenerauit ex aqua, & ſpiritu ſancto: qui que dedit tibi peccatorum omnium remiſsionem, ipſe te liniat ✠ *hic linit in uertice in modum Crucis.* Chriſmate ſalutis, In Chriſto Ieſu Domino noſtro, in vitam æternam. Amen.

Et ſtatim tergat cum linteolo, uel bombice, quæ in ſacrario comburatur.

Deinde ſacerdos ponat linteum album ſuper caput baptizati: & ſi adultus eſt, induat eum albis ueſtibus, dicens.

Accipe veſtem candidam, ſanctam, & immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt habeas vitam æternam. Amen.

Demum dat ei candelam accenſam dicens,

Accipe lampadem ardentem, & irreprehenſibilem, & cuſtodi Baptiſmum tuum, vt cum Dominus noſter aduenerit ad nuptias, poſſis ei occurrere vna cum ſanctis, & electis Dei, in aula cæleſti. Amen.

Vade in pace. & Dominus ſit tecum.

Benedictio Salis.

Oremus. Benedic ✠ omnipotens Deus hanc creaturam ſalis tua benedictione cæleſti: & in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti ✠ virtute ſpiritus ſancti ✠ ad effugandum inimicum; quem tu Domine ſanctificando, ſancti ✠ fices; benedicendo, bene ✠ dicas: fiatque omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in viſceribus eorum, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem.

SERMO DE BAPTISMI SACRAMENTO.

In Sabbato magno Paſchæ, aut Pentecoſtes, cum conuenit Clerus ad benedictionem Fontis.

N*ISI quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu ſancto non poteſt introire in Regnum Dei. S. Ioan. cap. 3.*

Sacroſanctum iſtud Catholicæ Eccleſiæ inſtitutum priſcis vſque temporibus pia fidelium traditione, perpetuaque obſeruatione ad nos perductum, vt hoc ipſo die, qui Dominicæ Reſurrectionis, aut Pentecoſtes celebritatem, præcedit, inter multas, ac religioſas benedictiones, quæ intra atrium Eccleſiæ fiunt, hæc ſacri Fontis conſecratio accerſitis Parochis, adſtanteque Clero ſolemniter perficeretur; admonent nos (Dilectiſsimi) vt vobiſcum nonnulla, ac cum ijs præſertim, quos in animarum curatione ſocios, atque adminiſtros habemus, de ſingulari hoc Dei bene-

nefi-

neſcio agamus, quod per Baptiſmi lauacrum nobis collatum eſt, proindeque de ſumma cautione, ac vigilantia à nobis adhibenda vos moneamus, ne illi, qui fidei, paſtoralique curæ noſtræ ſunt commiſſi, minus forte inſtructi, tanti muneris fructum aliquando amittant.

Notum in primis illud eſt, cum nos ex præuaricatione primorum parentum noſtrorum filij iræ naſceremur, placuiſſe Deo, per infinitam miſericordiam ſuam vnigenitum filium ſuum è cœlo in terras demittere, qui merito ſacratiſſimæ ſuæ paſſionis nos à Sathanæ faucibus erueret, atque ad ſalutem æternam obtinendam, aditum nobis aperiret. Cum igitur ille ſeptem ſacramenta tanquam præcipuos, ac neceſſarios ad ſpirituale incolumitatem gradus, per quos vitæ noſtræ curſum dirigeremus reliquiſſet, ſtatuit inter cæteros, hanc ſacri Baptiſmatis ablutionem, aliorum omnium initium eſſe, qui ideo ianua ſalutis, regeneratio vitæ, fundamentumque Chriſtianæ ſobolis appellaretur.

Hic autem Baptiſmus cum certa materia, & forma à Chriſto inſtituta, ſacriſque alijs multis ritibus, ac cæremonijs ab Eccleſia præceptis conficiatur, quas partim oculis modò conſpexiſtis, atque auribus percepiſtis, partim in Sacro Tridentino Concilio, & Catechiſmo Romano expreſſas habemus, non eſt opus pluribus nos ea de re in præſenti agere; præſertim cum in Præfatione huius Sacramenti, & in libro Rituali qui in Vrbe auctoritate apoſtolica edendus expectatur, omnia quę antequàm ad Baptiſmum accedatur præparanda: & quæ tempore ipſo quo adminiſtratur, adhibenda ſunt, erunt comprehenſa; quæ à vobis diligenter perlegenda, ſtudioſeque vt obſeruentur, procurãda erunt, ne in tanta re præſtanda, erroris aliquid, aut labis, aut periculi quouis modo aduéniat.

Nunc igitur ad ea potius nos conuertimus, quæ poſt ſuſceptum Baptiſmum ex Sanctæ Eccleſiæ inſtituto diligentiſſime cauenda, ac proſpicienda ſunt, non ſolum, ne ſummum hoc Dei beneficium inane, & irritum reddatur; ſed etiam ne aliquis error vos ipſos, & fideles plurimos grauibus implicet reatibus, ac tanquam diuinæ transgreſſores legis ſupplicijs addicat æternis.

Tres enim ſunt hominum gradus, ſiue hominum genera, qui ex hac Baptiſmalis Sacramenti adminiſtratione, qui fons ſalutis exiſtit, vitio ſuo propriam aliquando perniciem hauriunt.

Hi ſunt primùm paſtores animarum Epiſcopi, Parochi, aut alij eiuſmodi, quibus hæc adminiſtratio commiſſa eſt.

Sunt deinde illi, qui Patrini dicũtur, cõpatres, ſeu commatres appellatæ, qui infantem ex ſacro fonte ſuſcipiunt.

Sunt tertio vniuerſi illi, qui hoc Baptiſmi lauacro abluti fuerunt, qui quidẽ omnes cum ea forsaſſe minime præſtent, quæ eorum munus, ac ſponſio Deo facta omnino poſtulat, non poſſunt non graui apud eundem ſcelere obſtringi.

Quod igitur ad eos pertinet, quibus hæc adminiſtratio credita eſt, qui (niſi aliter neceſſitas compellat) Sacerdotes eſſe debent, quo in numero omnes ferè nos ſumus, qui hic conſiſtimus; manifeſtum eſt tripliciter peccare poſſe, Primùm in actu ipſo Baptiſmi adminiſtrandi, quod aliàs attigimus, & præſertim ſi ipſi mortali culpa inquinati, extra caſum neceſſitatis baptizent[a], cum ipſi tamquam inſtrumenta animata ad opus hoc ſanctum, & ordini ſuo annexum exercendum adhibeantur, imo & ad effectum internum gratiæ, non vt cauſa principalis, ſed miniſterialiter vt aiunt, concurrant; oportet, eos à lethali immunditia, & ſorde procul abeſſe.

[a] S. Thom. par. 3. quæ. 64. art. 6. ad 3.

Secundum eſt genus eorum, qui ex uetuſtiſsima Catholicæ Eccleſiæ conſuetudine olim ſuſceptores, ſiue ſponſores, aut fideiuſſores, nunc communi vocabulo Patrini vocantur, quorum meminit S. Auguſt. ſæpe, & veteres Sancti Patres, imo ab ipſis Apoſtolorum temporibus Sanctus Dionyſius Areopagita eorum mentionem facit.[b]

[b] Diony. de Cæl. Hierar. cap. 6.

Vocantur autem his nominibus, non tanquam ob titulum nudum honoris, aut cœremoniæ gratia, vt fortaſſe qui-

dam noſtris temporibus ineptè nimis exiſtimant,ſed propter officium,&onus, quod ſuſcipiunt circa infantem baptizatum: ſicuti enim poſtquam infans natus eſt,nutrice, & pedagogo indiget, a quibus educetur, ac erudiatur; ita qui per Baptiſmum regenerantur, ac vitam ſpiritualem viuere incipiunt, neceſſe habent aliquibus committi, a quibus Chriſtianæ Religionis præcepta haurire debeant[a]; vnde tanquam ſponſores promiſſione facta Deo obligant ſe,quantum in ipſis eſt,curaturos, & effecturos, vt infantulus in Chriſto adoleſcat, atq; ei ſeruiat in ſanctitate, & iuſtitia omnibus diebus vitæ ſuæ.

a Catech. Roman. de Sacr. Baptiſmi c.6.

Quod qhidem clarè conſtat ex verbis ſancti Dionyſij, qui verba ipſa ſponſoris exprimens ait. [b] Spondeo puerum me inducturum cum ad ſacram intelligentiam peruenerit ſedulis adhortationibus meis, vt profiteatur peragatque diuina, quæ pollicetur. & Sanctus Auguſtinus inquit [c]. Debēt eos admonere, vt caſtitatem cuſtodiant, iuſtitiam diligant, charitatem teneant. & ante omnia Symbolum,& Orationem Dominicam eos doceant, Decalogum etiam;& quæ ſunt prima Religionis Chriſtianæ rudimenta.

b S. Dionyſ. de cap.3.

c. Aug. ſerm. 163. & 215. & in c. nos autem omnia de cōſ. diſt. 4.

Cuius quidem obligationis, & muneris vt hi magis memores ſint, Eccleſia pronuntiauit, inter Patrinos, & Baptizatum cognationem quandam ſpiritualem contrahi;tum, vt eos vehementius ament; tum, vt exemplo Parentum theſaurizent illis, tanquam filiis omne ſpirituale bonum.

Cum igitur hodie nudum tantùm huius functionis nomē relictum videatur, & iſti ſuſceptores non ſolum ea,quæ ſolennibus verbis polliciti ſunt,re ipſa nō præſtent,ſed etiam nec ſe vllo ad id obſtrictos vinculo recordentur;imo nec filios ipſos progrediente ętate, vt plurimum ex facie dignoſcant, nec quo loco habitent, quam diſciplinam profiteantur prorſus ſciant, & cum eos videant in peccata labi, non ſatagant eos admonere, ſed penè quantum ad hoc pertinet, pro deſertis,ac derelictis habeāt.

Noſtrum eſt (fratres cariſſimi) qui Curatorum officium gerimus, hæc ſæpe illis in memoriam reuocare, ac eorum negligentiam, atque incuriam, quantum in nobis eſt corrigere, & ſupplere. Quamuis enim ob multiplicia huius muneris noſtri onera, atque impedimenta tantum temporis non ſuperſit, vt priuatam illam curam pueros in fide erudiendi, ſuſcipere poſſimus, & ideo inſtituti hi Patrini fuerint, qui ſpirituales filios perpetuo commendatos haberēt,ſeque illis duces in Chriſtiana diſciplina præberent: attamen poſtquam obliuionem hanc omnium ferè mentes, tam arctè obſediſſe videmus; non debemus vllatenus prætermittere, quin ſaltem ſermonibus ad populum, tum communibus, tum peculiaribus, vbi ſe occaſio offert, & ſacris etiam Confeſſionibus, tam graue & neceſſarium eorum munus in vſum reuocare, atque auribus frequenter inculcare non ſtudeamus; cum tanquam paſtores ouium nobis creditarum, ſemper de earum profectu quærere, & vnde ſterilitas in earum animis oriatur, explorare debeamus.

Tertium genus perſonarum omnes, quotquot hic ſumus complectitur: nemo enim noſtrum eſt, qui ex ſumma Dei benignitate, cum paruuli eſſemus, per Baptiſmi Sacramentum non fuerimus effecti filii Dei, & ad hæreditatem Regni Cæleſtis vocati, abrenuntiantes Sathanæ,& pompis illius;qui cum deinde ad annos illos perducti fuerimus, qui bus rationis vſum adepti ſumus, fideliùs,& feruentiùs Chriſto ſeruire debueramus, ac promiſſionem noſtram factis, atque exemplis vitæ cōprobare:(ò ſummam miſeriam, & deplorandam calamitatem) in grauiores quotidie ipſius offenſiones, & legis illius tranſgreſſiones prolapſi fuimus, ita vt poſt Sacramentalem illam Baptiſmi regenerationem, rurſus ſpirituali alia renouatione indigeamus, ad quam toties nos Apoſtolus Paulus adhortatur dicens[d], *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem*, & rurſus[e], *Expoliantes veterem hominem cum actibus ſuis,*

ſuis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem ſecundum imaginem, eius, qui creauit illum. De vtraque Gregorius Niſſenus[a] loquens ait, Regenerationem intellige eam, quæ cogitatione cernitur, oculis non videtur: non enim vere (quemadmodum Hæbreus ille Nicodemus dixit, atque craſſiùs intellexerat) ſenex mutatur in puerum, ſed inquinatus malis moribus, & inueteratus vitæ ſordibus morum mutatione, diuina gratia accedente, ad innocentiam, ſicut infans redigitur, ac in nouam vitam reformatur, ex ſignisquè operum nouus homo oſtenditur. Exempli gratia, erat prius homo proteruus, auarus, ſacrilegus, intemperans; nunc modeſtus, caſtus, iuſtus, liberalis, timensq; Deum deprehenditur. Quod & Sanctus Chriſoſtomus[b] egregie declarans ait. Non exiſtimes, cum de veteri homine, & nouo, ſcriptura loquitur, agi de ſubſtantiæ mutatione; nam quo ad ſubſtantiam nulla fit mutatio, nec ſubſtantiæ diſcrimen eſt inter Chriſtianum hominem, & infidelem; inter iuſtum, & peccatorem. verùm idem ſubiectum in ſubſtantia manet, immutatio verò fit circa accidens, ſicuti cum vnum ſit corpus, indumenta verò duo ſunt, vnum quod exuitur, alterùm quod induitur, deponitur enim vitium, & aſſumitur virtus, vnde ſicuti ex vitio vetus homo dicebatur, ita nunc ex virtute adſcita, nouus homo appellatur, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis.

[a Sb de Baptiſmo.]

[b Homil. xiij. ad Eph.]

Quod ſi quæratur, quæ ratio, aut quis modus ineundus ſit ad hanc renouationem ſpiritualem conſequendam, certe conſtabit, eandem ab exemplari regenerationis ſpiritualis eſſe petendam: cum hæ renouationes ſimilitudinem quandam inter ſe habeant. Nam ſicut in illa baptiſmali, quædam præparationes requiruntur, ſic & in pœnitentiali opus eſt præparatione, & conſcientiæ excuſſione; ibi ſignantur membra, in quibus ſenſus vigent, vt frons, aures, nares, os, & pectus; hic ſimiliter opus eſt ſignari tanquam ſigillo, & claudi organa ſenſuum, ne amplius attrahant contagionem diabolicam; inſuper, ſicut per Baptiſmum homo gratiam adeptus, fit alter, & ex filio iræ adoptatur in filium Dei, & ex carne fit ſpiritus, iuxta illud apud S. Ioãnem[c] *Quod natum eſt ex carne caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu ſpiritus eſt:* ita per hanc pœnitentiæ reformationem homo fit alter, & qui antea ſeruiebat cupiditatibus, & ſenſui, nunc ſeruit ſpiritui, & rationi, atque ita ad ſimilitudinem prioris regenerationis baptiſmalis exercet nouam hanc vitam, quæ fructus cæleſtes, & Deo dignos parit.

[c Ioann. iij.]

Quapropter, vt ait Sanctus Ambroſ. Recognoſcamus, fratres, genus noſtrũ, & recordemur promiſſi Deo facti, renunciando Diabolo, & operibus eius, mundo, & luxuriæ eius, & quam veſtem albam, & cãdidam initio ſumpſimus, eam inuiolatam ſeruemus, & præcipue nos etiam, cum aliorum ductores, & cuſtodes ſimus in hoc mundo conſtituti, curemus, vt vitæ in primis exemplo alios in cæleſtem Patriam perducamus.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

COLLECTOR.

SACRAMENTVM hoc Illuſtriſsimus Cardinalis Archiepiſcopus in Ciuitate quidem Bononiæ ſingulis annis, ſecunda, & tertia feria poſt Dominicam Pentecoſtes, & duabus etiam Dominicis proximè ſequentibus, in Diœceſi verò, quolibet tempore, & loco, dum ipſe perſonalem Viſitationem peragit, adminiſtrare ſolet; cuius miniſterij dignitati, & ſanctitati, ut ex omni parte, reuerentia, cultusq. reſpondeant, hæc quæ adijciemus, ab eodem Archiepiſcopo ſunt prouiſa.

Sequens autem Indictio, atque Ordo Eccleſiarum, exempli cauſa poſitus eſt, non enim eædem quotannis Eccleſiæ ſeceraauntur, ſed ita commutantur, prout quælibet loca hoc miniſterio magis indigere videntur.

INDICTIO ADMINISTRATIONIS SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

In Ciuitate Bononienſi.

NOTVM ſit omnibus & ſingulis Parochis Ciuitatis Bononienſis ceteriſque quibuſcumque in eadem Ciuitate commorãtibus, Illuſtriſſimum, & Reuerendiſſimum D. Gabr. Cardinalem Palæotum Archiepiſcopum hoc anno . . . . Sacramentum Chriſmatis iuxta ritum ſanctæ Rom. Eccl. adminiſtraturum quatuor diebus, qui infra adnotabuntur. Atque vt commodiùs, & faciliùs vnuſquiſque ad illud accedere poſſit, ijs quatuor diebus adminiſtrationis huius Sacramenti, quatuor etiam regiones ſeu quarteria, in quæ tota Ciuitas eſt diſtributa, ſunt aſſignata, & in quolibet quarterio, in iis Eccleſiis, quæ magis aptæ viſę ſunt, S. Amplitudo Illuſtriſsima hoc munere fungetur in hunc qui ſequitur ordinem.

Quia verò accedentes ad ſacramenta, mundos ab omni labe eſſe decet; idcirco eiuſdem Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi D. Cardinalis Archiepiſcopi iuſſu in memoriam reuocatur omnibus, qui ad hoc Sacramentum accedent, priùs, non ſolùm confirmandi, ſed etiam Patrini, & Matrini peccata ſua confiteantur.

Caueant verò Patrini, & Matrinæ, ne minores ſeptem annis ſint illi, quos ſuſcipiunt, & reliqua quæ in Inſtructione, quæ quotannis de huius ſacramenti adminiſtratione affigitur, & nuper affixa, & promulgata eſt, omnia penitus ſeruent, atque animaduertant. Dat. Bon.

Ordo.

Eccleſiarum Parochialium, dierumque quibus hæc ſacra actio celebrabitur.

Prima dies Chriſmatis erit ſecunda feria poſt Pentecoſten videlicet die . . .

Adminiſtrabitur ab Illuſtriſſimo D. Cardinali Archiepiſcopo in parochiali Eccleſia S. Proculi.

Parochiæ autem quæ ad eam conuenire debent, hæ ſunt, videlicet.

Sancti Andreæ Scholarum.
Sanctæ Barbaræ.
Sanctæ Catherinæ de Saragozza.
SS. Coſmæ, & Damiani.
S. Iacobi de Carboneſijs.
S. Io. Baptiſtæ Cæleſtinorum.
S. Mametis.
S. Mariæ de Moradellis.
S. Martini de Cruce Sanctorum.
S. Matthæi de Piſcarijs.
S. Silueſtri.
S. Margaritæ.
S. Mariæ de Baroncella.
S. Mariæ de Cararijs.

S. Sil-

S. Saluatoris.
S. Michaelis Archangeli.
S. Michaelis de Mercato.

Secunda dies Chriſmatis erit, feria tertia poſt Pentecoſten hoc anno &c.

Adminiſtrabitur autem in Eccleſia parochiali ſancti Martini maioris.

Parochiæ, quæ ad eam conuenire debent, hæ ſunt quæ ſequuntur.

S. Benedicti.
S. Cæciliæ.
S. Donati.
SS. Iacobi, & Philippi de Plateſijs.
S. Laurentij de Guerinis.
S. Sigiſmundi.
S. Vitalis.
S. Mariæ Magdalenæ.
S. Mariæ maioris.
S. Mariæ de Maſcarella.
S. Martini maioris.
S. Nicolai de arboribus.
S. Petri maioris.
S. Thomæ de mercato.

Tertia dies Chriſmatis erit Dominica Sanctiſsimæ Trinitatis, hoc anno &c.

Adminiſtrabitur in Eccleſia parochiali ſancti Blaſij.

Parochiæ, quæ ad eam conuenire debent, ſunt ſequentes.

S. Agathæ.
S. Bartholomæi de Porta.
S. Blaſij.
S. Chriſtinæ de fundatia.
S. Luciæ.
S. Mariæ de Carrobio.
S. Michaelis de Leproſetis.
S. Thomæ de Braina.
S. Catherinæ de via maiori.
S. Ioannis in monte.
S. Iuliani.
S. Leonardi.
S. Mariæ de Ceriola.
S. Mariæ de Maſone.
S. Stephani.

Quarta dies Chriſmatis erit Dominica infra Octauam corporis Chriſti, hoc anno &c.

Adminiſtrabitur in Eccleſia Parochiali ſancti Gregorij.

Sequentes autem Parochiæ ad eam conuenire debent, videlicet.

S. Antonini.
S. Barbatiani.
S. Chriſtinæ de Predela.
S. Columbani.
SS. Geruaſij, & Protaſij.
S. Georgij.
S. Nicolai de porta ſteriæ.
SS. Petri, & Marcellini.
S. Proſperi.
S. Gregorij.
S. Iſaiæ.
S. Laurentij de porta ſteriæ.
S. Mariæ de charitate.
S. Marini.
SS. Naboris, & Felicis.
S. Proculi.
S. Sebaſtiani.

INSTRVCTIO

Ad Parochos Ciuitatis & Diœceſis Bononienſis, de ijs, quæ curare debent in ſacri Chriſmatis adminiſtratione ab Illuſtriſſimo D. Cardinali Archiepiſcopo habenda.

Quædam præparanda a Parocho ante conſtitutum Confirmationis diem.

Poſtquam Parochus de conſtituto die Chriſmatis adminiſtrandi, ex Illuſtriſſimi D. Cardinalis Archiepiſcopi Indictione admonitus fuerit; ijs diebus, qui ſacram hanc actionem præcedent, eos omnes, qui confirmandi ſunt in ſua parochia perquirere debebit; & non ſolum ipſos ſeparatim, ſed etiam vniuerſum populum ſuæ curæ, & cuſtodiæ ſpirituali commiſſum, inter Miſſarum ſolemnia diligenter edocere ea omnia,

I quæ

quæ ad ſacramentũ hoc rite adminiſtrãdum, & recipiendũ pertinere intelliget.

Quapropter etſi hæc Inſtructio per Ciuitatem, & Diœceſim in quibuslibet Eccleſijs parochialibus, alijsque publicis locis affixa erit, & ab ipſis etiã Concionatoribus iuſſu eiuſdem Illuſtriſſimi Archiepiſcopi diuulgata; non tamen ipſe Parochus ſuo muneri, hac in re, vlla ex parte deſit; ſed illam pariter inter Miſſarum ſolemnia legere, & declarare non prætermittat.

Atque vt paratiores fideles ad hoc Sacramentum ſe conferre poſſint, illiuſque ſanctitatem, vtilitatem, & neceſſitatem, recte expendere; ex Romano Catechiſmo, alijſque Eccleſiaſticis auctoribus colligere curet quædam præcipua ipſius capita, doceatque opportunè, quàm neceſſaria ſit huius doctrina ſacramenti; declaret nomen ipſum Confirmationis, ipſiusque vim; aperiat, quid inter Baptiſmum, & Confirmationem interſit; quæ ſit eius materia, quæ forma; quis miniſter eſſe debeat; quos effectus pariat, aliaque huiuſmodi, quæ tanquam incitamenta erunt, vt ipſi fideles eo præſertim tempore intelligentes ſe Chriſti milites fieri, ardentiore animo, totiſq. viribus ad dimicandum contra humani generis hoſtem, & contra peccata toto ſuæ vitæ tempore, ſe comparent.

Et quia per hoc ſacramentum Spiritus ſancti gratia, in corda fidelium infunditur, hortetur in primis Parochus confirmandos, vt eorum vnuſquiſque, ſi ſint in idonea ętate, per ſanctam confeſſionem illa purificet, & munda eiuſdem ſancti ſpiritus vaſa, templaque efficiat.

Hortetur inſuper, vt ſi fieri poteſt ad illud recipiendum ieiuni accedant, aut ſaltem parcam & ſobriam corporis refectionem adhibeant, comeſſationes verò, & crapulam tanti ſacramenti ſanctitati maximè repugnantem effugiant.

Moneat, curetq; vt tam Confirmãdi quàm patrini in parochialem Eccleſiã hora, dieque præſtituto conueniant; vnde ad illam Eccleſiam eundum erit, in qua Chriſma adminiſtrabitur, deuote, & proceſſionis ritu, crucis vexillo præcedente, eoque ordine, vt mares à fœminis ſegregentur, tam inter eundũ, quàm in ipſa Eccleſia; & prius mares, quàm fę minæ ad Confirmationẽ recipiendam accedant. Demũ hortetur vt quiſquis ad hoc ſacramentum accedit, ſiue patrinus ſit, ſiue confirmandus, modeſtè, & reuerenter depoſito omni armorũ genere eò ſe conferat, mulieres verò uelato capite ſint, eamque pietatis, & religionis ſpeciem pręſeferant, quæ huius myſterij celebrationi à deuoto præſertim fœmineo ſexu debetur.

Quaedam animaduertenda de Confirmandis ipſis.

CVm ſacramentum hoc character imprimat, atque ipſum iterari ſit nefas: qui ſemel eo confirmati fuerint, caueant ne illud iterum recipiant.

Quòd ſi quis cõfirmatum ſe eſſe ignoret, aut non meminerit, de hoc certior fieri diligentiſsime ſtudeat, à parẽtibus, aut affinibus, alijſue, quos id ſcire poſſe exiſtimet.

Si verò nec ab ijs aliquid certi accipere potuerit, tunc re prius cum Illuſtriſſimo Archiepiſcopo cõmunicata, illius conſilium ſequatur.

Nemo ſiue mas, ſiue fœmina ad Confirmationem recipiendam adducatur, qui annis ſeptem minor ſit natu, vt aliqua ex parte illius ſacramenti vim intelligere poſſit, cumq. adoleuerit, ſe illud percepiſſe reminiſcatur.

Nemo item adducatur, aut ad idem Sacramentum accedat, quin ſit ex Ciuitate, aut Diœceſi Bononienſi; niſi legitimam aliquam ob cauſam, quam Illuſtriſſimo Archiepiſcopo proponat, vt illa cognita antequam confirmetur, ab eodem vel admitti, vel dimitti poſſit.

Confirmandi verò omnes & ſinguli faſciam albam, mundamque ſecum afferant, qua poſt Confirmationem receptam, ſacra illa vnctio, donec exiccetur, alligari debet. poſtmodum autem à frõte ablatam igni comburendam tradent, & per aliquot dies à capitis ablutione abſtinebunt.

Affe-

Afferant etiam ſchedulam ipſorum parochorum ſubſcriptione cõmnnitam, in qua nomina, & cognomina ipſorum confirmandorum, item Patris, Matriſque eorundem, & Patrini ſeu Matrinæ, & Parochiæ in qua habitant, deſcripta ſint, in hanc quæ ſequitur formam.

Die .... Menſ. .... Ann. ....

N. ætatis annorum ..... filius, vel filia N. &. N. in Parochia ſancti. N. Chriſmatis Sacramento confirmari petit. Patrinus erit N. ſiue Matrina erit N. ex Parochia S. N.

Ego N. Parochus S. N. manu propria.

Quædam animaduertenda de Patrinis, ſeu Matrinis.

IN hoc Sacramẽto Patrinus, ſiue Matrina, neceſſarius eſt; vnus tamen, aut vna tantum; neque enim admittuntur Patrinus, & Matrina ſimul, quemadmodum in Sacramento Baptiſmi. Eorum verò eſt, de gerẽdo aduerſus principem tenebrarum bello, confirmatos inſtruere, & non ſolum ſpirituali, ſed etiam temporali ope, vbi neceſſe ſit, pro viribus iuuare: atque iccirco antiquiſſimi ritus obſeruatio illa myſtica eſt, vt Patrinus, ſiue Matrina dextra confirmandum teneat, quem Epiſcopo offert; aut ſi iam adultus ſit, pedem ſuum ſuper dexterum Patrini, ſiue Matrinę ponat; nempe vt intelligat, ſe ad id vſque tempus imbecillem ſpiritualibus viribus fuiſſe, neque aduerſus ſathanam fortiter pugnare potuiſſe, niſi per hoc Sacramentum confirmaretur, & ſuſtentaretur.

Patrini & Matrinæ, maiores natu eſſe debent ipſis confirmandis, vt officio ſuo erga eos quos ſuſcipiunt, melius ſatisfacere poſſint; neque verò omnino minores ſint ſexdecim annis, niſi neceſſitate aliqua, aut caſu maxime vrgente, minores eſſe tolerari debeat.

Viri pueros, fœminæ puellas ſuſcipere in hoc Sacramento debebunt.

Iiſdemque eodem die duos, aut tres ad ſummum pueros, puellaſuè ſuſcipere licebit, non autem plures.

De libro Confirmatorum a Parocho aſſeruando.

HAbeat vnuſquiſque Parochus librum, qui nulli alij vſui inſeruiat, niſi vt in eo deſcribantur nomina, & cognomina Confirmatorum, Patrumque, & Matrum, Parochiæ in qua habitant, item ſimiliter patrinorum, ſeu Matrinarum, nec non ipſius Epiſcopi adminiſtrantis; Tum, dies, menſis, & annus, & nomen ipſius Eccleſiæ in quo Chriſma fuit adminiſtratum, in hanc formã.

Liber Confirmatorum ſacramento Chriſmatis Parochiæ S. N.

Die ... Menſ. ... Ann....

N. ætatis annorum .... filius N. & N. ex parochia S. N. Chriſmatis ſacramento fuit confirmatus ab Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo D. Cardinali Palæoto Archiepiſcopo Bononiæ. *Patrinus ſeu Matrina* fuit. N. ex parochia S. N. adminiſtratum verò fuit hoc Sacramentũ in Eccleſia Parochiali, S. N.

Poſt Confirmationem receptam curet Parochus, vt nemo ab Eccleſia recedat, niſi vrgente aliquo caſu, antequam benedictio ab Illuſtriſsimo Archiepiſcopo de more ſit data.

Bonon Dat. in Archiep. &c.

COLLECTOR. *QVAMVIS ea quæ ad hoc Sacramentum adminiſtrandum pertinent ſuperius ſatis comprehenſa videantur; tamen quia in Diœceſi non ita aliquando hæc perſpecta ſunt, quemadmodum eiuſdem Sacramenti dignitas expoſceret; præter, ea quæ ſupra dicta ſunt, quæ vnuſquiſque Parochus diligenter cognita habere ſtudebit, viſum etiam fuit Ordinem, qui ſequitur, ab Illuſtriſsimo Archiepiſcopo in Diœceſi adhiberi ſolitum hic inſerere.*

FORMVLA LITERARVM quibus monentur Parochi Diœceſis, cum in aliqua ipſius Eccleſia Archipresbyterali Illuſtriſsimus Archiepiſcopus Confirmationem eſt admini ſtraturus.

Archipresbyter. Illuſtriſſimus D. Cardinalis Archiepiſcopus ſe confeſet, iuuante Deo, ad iſtam Eccleſiam Archipreſbyteralem S. N. die.. Menſ.... vt præcipue ſacramentum Confirmarionis adminiſtret in toto iſto Plebanatu, ijs omnibus, qui adhuc non ſunt Confirmati. Quare Reuerentia veſtra his diebus, qui ante diem ipſum Confirmationis adminiſtrandæ ſuperſunt, ad illam fideles omni ſtudio cōparare contendat, curetque vt vnuſquiſq. Parochus inſtructionē de hac re ab eodem Illuſtriſſimo Archiepiſcopo promulgatam habeat, & quicquid in ea præcipitur, ſeu monetur, diligenter perficiat; tum de illa populo declaranda inter Miſſarum ſolemnia, tum de populo ad reuerentiam, & deuotionem excitando erga hoc Sacramētum: item de Confirmandis, de Patrinis, de ſchedulis, de libro Confirmatorum, de ſermone Illuſtriſſimi Archiepiſcopi audiendo, alijſque omnibus, quę in eadem Inſtructione pleniùs habentur.

Ceterùm Illuſtriſſimum D. Archiepiſcopum Reuerentia veſtra excipere debebit conſuetis Eccleſiæ cæremoniis in ſua Archipresbyterali Eccleſia, omniaque ita parara habere, vt ſtatim atque Illuſtriſsima Ampl. ſua iſtuc peruenerit, quæcumque ad hoc ſacramentum adminiſtrandum pertinent, ritè exequi poſſit. Bene ualeat in Domino. Bononiæ. &c.

N. Viſitator Generalis.

ORDO SERVANDVS à Parochis Diœceſis Bonon. cum in aliqua ipſius Eccleſia ſacramentum Confirmationis adminiſtrabitur.

PRoprium quidem Parochi vniuſcuiuſque munus eſſe debet, vt fideles ſuæ cuſtodiæ commiſſos, diligenter inſtruat, qua ratione ſeſe comparare debeant ad ſancta Eccleſiæ ſacramenta cum ſpirituali fructu recipienda. Verùm ſi in omnium ſacramentorum adminiſtratione hoc illi curandum eſt, in ſacramento Cōfirmationis maiori quodam ſtudio, & diligentia idem perficere debet. Nam ob populi frequentiam, & multitudinem difficile admodum eſt, vt eo quo decet ordine, & pia recipientium ipſorum deuotione, niſi prius rectè inſtruantur, hoc ſacramentum adminiſtrari poſsit.

Quapropter vt Parochi Diœceſis Bononien. ſuum munus hac in re rite expleant, ante Illuſtriſsimi D. Cardinalis Archiepiſcopi aduentum, hæc quæ ſequunrur, diligenter omnino perſequi conentur.

Inſtructionem illam generalem habeant ab Illuſtriſsimo D. Archiepiſcopo editam: ad quam non ſolum ſeſe accommodare ſtudebunt, ſed etiam illam ipſo die quo Chriſma adminiſtrari debet, ante ipſam adminiſtrationem, populo clara voce legenr.

Cum certus illis dies prænunciatus erit Confirmationis habendæ, Dominica, quæ diem illum præcedit, inter miſſarum ſolemnia propulo illam indicant; hortenturque vt quicumque ſiue mares, ſiue fœminæ, ſiue adulti, ſiue pueri in ætate tamen idonea conſtituti non minores ſeptem annis, qui hoc ſacramento confirmati non fuerint, ſe ad illud recipiendum deuotè comparent: atque iccirco infra terminum trium dierum omnes, & ſingulos eorum ad ſe venire iubeant: quorum nomen, cognomen, Patris item, & Matris eorum deſcribant, vt hac deſcriptione con-

conditionem, & numerum confirmandorum ſcire poſſint.

Nonnullis diebus ante diem Confirmationis, populum edoceant de ſacramēti huius ſanctitate, vi, & dignitate, in concionibus, ſeu ſermonibus quos habebunt, & iuxta doctrinam Catechiſmi, & ſanctiones S. Concilij Tridentini quantum vtilitatis afferat fidelibus declarent.

Moneant confirmandos, de Pattinorum, & Matrinarum in hoc ſacramento munere, & obligatione: maresque à Pattinis, fœminas autem à Matrinis tenendas doceant.

Eo die, qui confirmationem præcedit à prandio, & poſt ſalutationem Angelicam, Veſperi ſolemni campanarum ſonitu, illius adminiſtrationem prænuncient, vt omnes & ſinguli, eo tempore quod ſupereſt diligentiùs ſe præparent, & ad Eccleſiam conſtituta hora, ſe conferre non prætermittant.

Si Sacramentum hoc mane adminiſtrari poterit, quod in primis optat Illuſtriſsimus Dominus Archiepiſcopus, moneant Parochi, vt vnuſquiſq; ieiunus ad illud accedat. Quòd ſi neceſſe ſit à ptandio illud adminiſtrari, moneant etiam, atque hortentur, vt vnuſquiſque eo die quo maiori fieri poterit ſobrietati, & abſtinentiæ det operam.

Ipſo die Chriſmatis parochi, qui ad aliā Eccleſiam vbi Chriſma adminiſtratur, confirmandos ducere debebunt, curent vt deuote, & bini procedant; crux & vexillum à Clerico, ſeu ab aliquo ex Confratribus Sanctiſſimi Sacramenti, qui ſacco indutus ſit anteferantur; & parochi etiam ſtola, & ſuperpelliceo amicti incedant.

Curent inſuper iidem, vt confecta ſacra miniſterii huius actione, poſt datam ab adminiſtrante benedictionē, eodem quo dictum eſt ordine, & deuotione ſub ſuis quiſque vexillis ad parochias ſuas reuertantur: deuotè pſallentes, & Deo gratias agentes, quòd in fide cōfirmati fortiores etiam contra diaboli inſidias, per Spiritus Sancti gratiam ſunt effecti.

Dat. Bononiæ. &c.

Sermo Illuſtriſſimi Archiepiſcopi de Sacramento Confirmationis Pentecoſtes tempore.

Deus, qui hodierna die corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere.

Animaduertimus Dilectiſſimi, orationē hanc, quę in diuinis huius diei officiis à S. Eccleſia nobis proponitur, antiqua Sanctorū patrum pietate, ſic ſemper exceptam, & celebratam fuiſſe; vt non ſolum his ipſis diebus, quibus ſacrum Chriſma Chriſtiano populo miniſtratur; ſed etiā aliis quoq. temporibus, cum opus aliquod graue aggrediēdum eſſet, ſemper ex veteris diſciplinæ inſtituto, huius ipſius orationis patrocinū, inuocato Spiritu ſancto, præmitteretur. Nos igitur hodie, tum ad Sacramentum Confirmationis digniùs miniſtrandum, tum ad Pentecoſtes celebritatem ſanctiùs colendam, tum deniq. ad fidei noſtræ ſtudium pleniùs excitandum, opportunum duximus, eodem ſancto Spiritu nobis fauente, & veſtris nos precibus adiuuantibus, nonnulla ad eiuſdem orationis explicationem, cum veſtris charitatibus communicare.

Deus, qui corda fidelium. Notum eſt vobis Dilectiſsimi, ſolemnitatem illam hodie in Chriſtiano populo celebrari, quæ olim *Pentecoſtes* appellata eſt, à numero dierū quinquaginta, quibus poſt egreſsū ex Aegypto lex Hebraico populo data fuit; ſiue feſtum hebdomadarū dicta eſt, à ſeptē hebdomadis tranſactis poſt primitias Deo oblatas, & meſſem iam peractam, vt in Leuitico, & Deuteronomio legitur. Hodie quoque duplex nomen retinet, nā & *Pentecoſtes* vocatur à quinquaginta diebus elapſis poſt Chriſti reſurrectionē, & dicitur feſtum S. *Spiritus* ob myſteriū, quod in eo agitur, dum memoria S. Spūs qui hoc die in diſcipulos delapſus eſt, a nobis celebratur.

Cuius quidem ſolēnitatis quanta ſit

dignitas & amplitudo, facile inde patere poteſt, ſi myſterij quod in præſenti agitur, maieſtatem, cum reliquis celebritatibus conferamus. Nam cum finis alijs rebus, quæ ad finem tendunt, longè ſit nobilior & præſtantior, conſtat vtiq. vniuerſam Saluatoris noſtri in tedimendo homine operam, & ſollicitudinem, labores, vigilias, ieiunia, afflictiones, paſſionem denique, & Crucis ſupplicium hùc pertinuiſſe, vt Spiritum Sanctum in fideles demitteret: hùc totius peregrinationis ſuæ à Cœlo in terras deſcenſum: & rurſus à terris in Cœlum curſum ſemper tetendiſſe; vt cœleſti ſpiritu corda fidelium illuſtrarentur; quod ipſemet ſæpius conteſtatus eſt di-
a S. Ioan. 16 cens [a], *Expedit vobis, vt ego vadam, nam ſi non abiero, paraclitus non veniet ad vos.* Quibus verbis hoc tanquam ſummum, pręcipuumq. actionum ſuarum omnium fundamentum eſſe indicauit, vt ſcilicet Spiritus Sancti gratiam in fideles demitteret, quaſi ea non adueniente, cætera omnia parum eſſent nobis profutura, tantusq; laborum apparatus fruſtra quodammodo fuiſſet ab eo ſuſceptus. Et ideò ſæpius hoc idē repetijt, [b] *Multa ha-
b S. Ioan. 16 beo uobis dicere, ſed non poteſtis portare modo, cum autem uenerit Spiritus Paraclitus, docebit uos omnem ueritatem.* & rurſus, *Va-
c S. Ioan. 14. do uobis parare locum* [c]. Et apud S. Lucā [d],
d. cap. 24. *Sedete in Ciuitate, donec induamini uirtute ex alto.* & in actibus Apoſtolorum
e Act. c. 1. cū ait [e], *Accipietis uirtutem Spiritus Sancti superuenientis in uos.* & cùm præcepit eis, *ab Hieroſolimis ne diſcederent, ſed expectarent promiſsionem Patris.* Quæ omnia, & alia huiuſmodi oſtendunt nobis ſummam neceſſitatem, vt hic Spiritus Sanctus in corda fidelium tranſmitteretur, prout hodie factum eſt. Quamuis enim
f S. Chriſoſt. in Act. Apoſtolorū homil. 4. prioribus etiam antea ſeculis, orbis terrarum Spiritus Sancti gratia non caruerit; hodie tamen pleno, effuſoque cornu, ille diuitiarum ſuarū opes fidelibus
g S. Leo ſerm. 2. de Pentec. deprompſit. Olim fuerunt illæ frugum primitiæ, hodie vberrima meſſis ex cæleſti campo demeſſa fuit, atque in hor-
h S. Thom. 1. 2 q. 106. art. 4. reum Apoſt. transfuſa, vt S. Chroſt. [f] S. Leo, [g] & alij ſacri Doctores [h] atteſtātur.

Merito igitur S. Eccleſia hac oratione ſummum hoc, & ſingulare Spiritus Sancti commemorans beneficium, ſimul & illius fructum admirabilem, ac præſtantiſsimum recenſet, qui hodie Chriſtiano populo ex hac ſuperna gratia collatus fuit, & ille eſt, qui in principio illius refertur, dum ait, *Deus qui hodierna die corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti.* Quamuis enim multiplex ſit gratia, plurimaque ſint dona, atque innumerabilia ſubſidia, quę ab eo in homines proficiſcuntur, cum & Iſaias ſeptem
recenſeat [i], & S. Apoſtolus diuiſiones i Iſai c. 11.
gratiarum memoret [k], attamen in hac k 1. ad Corint. 12.
breui oratione viſum eſt Sanctæ Eccleſiæ id pręcipuè attingere, quod maxime eſſet inſigne, potiſsimumque mortales iuuare ſolet. Id autem eſt, *docere corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione.* Quibus verbis duo continentur eximia; primum eſt opus ipſum, quod eſt *docere corda fidelium*: ſecundum eſt ratio, & modus docendi, qui eſt per viā *illuſtrationis.*

Quoad primum, quod eſt docere corda fidelium, illud verbum, *Corda*, duo nobis innuit, quæ in homine ſunt præcipua, & quibus ab alijs animantibus maxime differt, intellectus ſcilicet, & voluntas, id enim verbum, *Corda*, modo in-
tellectum indicat, pro vt in pſal. [l] *In toto* l pſal. 118.
corde meo exquiſiui te. Et in Deuter. [m] *Ne* m Deuter. 4
obliuiſcaris uerborum, & ne excidant de corde tuo: modo etiam voluntatem oſtendit
prout in Deuter. [n] *Diliges Dominum* n Deuter. 6.
Deum tuum in toto corde tuo.

Cum igitur vtrumq. abſolute in præſenti oratione proferatur, admonemur à Spiritu Sancto doceri, ſimul intellectum, & voluntatem; Quod quidem magnum Dei munus eſt, quoniam aliæ diſciplinæ, quæ à mundo docentur, ea tantum præſtare ſolent, quæ ab hominibus lumine naturali, atque humana induſtria percipi poſſunt, nec ad ea perueniunt, ex quibus ſalutem, ac æternæ gloriæ præmia poſſumus haurire: ideoque inanes admodum, ac parum fructuoſæ
redduntur, cum dicat Hierem. [o] *Non glo-* o Hier. c. 9.
rietur ſapiens in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, nec diues in diuitijs ſuis, ſed

in

in hoc glorietur, ſcire, & noſſe me. & Apo- a ad Rom. 1. ſtolus Paulus de iiſdem loquens ait[a], *quòd euanuerunt in cogitationibus ſuis, exiſtimantes enim ſe ſapientes eſſe, ſtulti facti ſunt*. At verò Spiritus Sanctus docet nos intelligere, quæ ſupernaturalia ſũt, & cæleſtem beatitudinem attingunt.

De voluntate verò certum eſt, res illas quæ ab hominibus docentur, in voluntatem vires non habere, nec ad cordis affectum neceſſariò pertingere. Nam leges humanæ, aut præcepta hominum, circa exteriora tantum, & quæ eorum oculis ſubiecta ſunt, verſantur, non interiora compellunt; hinc fit, vt quæ aliqui legendo, audiendo, ſcribendouè percipiunt, non tamen eadem intimo corde tueantur; ſicuti etiam omnes qui Deum ipſum aliqua ex parte intelligunt, non tamen iidem omnino timent Deum, aut diligunt; cum dixerit Apo- b ad Rom. 1 ſtolus[b], *quòd Philoſophi Deum cognouerunt, ſed non ut Deum glorificauerunt*, propterea quòd eorum doctrina in corde illorum minimè erat defixa, cum hoc proprium ſit Spiritus ſancti, vt intimos ſenſus afficiat, voluntatem penetret, atque ſtudium illius, quem docet, totum ad ſe c Pſal. 18. rapiat, & conuertat. Hinc dicebat pſal.[c] *Lex Domini immaculata conuertens animas*.

Quare ad verbum *Corda*, additur, *fidelium*, non tantum, vt intelligamus hoc fidelium, & Chriſtianorum eſſe priuilegium, quibus hanc doctrinam Spiritus ſanctus voluit communicare, ſed etiam vt agnoſcamus, eam fidelibus omnibus conferri cuiuſcunque gradus, ac generis ſint, quoniam diues eſt Dominus in omnes, qui inuocant eum.

Sed maior adhuc, & mirabilior illius gratia, & miſericordia oſtenditur in modo docendi, quem ait Oratio noſtra, eſſe per viam *illuſtrationis*; Quod vt clariùs intelligamus, ſciendum eſt, duobus modis ſolere homines conſequi rerum cognitionem: altero, diſcendo ab hominibus, vel propria induſtria res inueniendo, quæ dicitur doctrina humana, vel acquiſita: altero, intelligendo diuino lumine, & ſupernaturali luce, quæ doctrina per ſe infuſa, ſeu diuina appellatur. Vnde hæc differentia non pendet à rebus quæ diſcuntur, aut à materia in qua homines cognitionem ſuam exercent, quoniam poſſunt res ipſæ terrenæ eſſe, & tamen earum cognitio diuina vocari; ſicuti eſt creatio mundi, fabricatio hominis, & reſurrectio corporum, quorum materia licet ad res corporeas pertineat, cognitio tamen ſuperna eſt. Et rurſus poterit cognitio aliqua ad Deum aſcendere, quæ tamen diuina non dicetur, ſicut intelligere Deum vnum eſſe, & incorporeum, & æternum, & cauſam vniuerſalem omnium rerum. Nam hoc lumine naturali, & humana cogitatione comprehendi poteſt, quod ideo Paulus Apoſtolus appellauit manifeſtum Dei, quoniam & Gentilibus notum fuit[d]. d ad Rom. 1.

Oritur verò hæc differentia a principio vnde hæc doctrina deriuat; ſiquidem ea quæ principium accipit ab hominibus, humana dicitur ſcientia, ſiue acquiſita: at quę principium à ſolo Deo ſumit, illa diuina, ſeu infuſa per ſe appellatur; vnde aliqui priorem illam, Doctrinam rerum, eo quòd ab ipſis rebus per inſtrumenta ſenſuũ oritur: hanc verò ſecundam, Doctrinam vocis nuncuparunt, quoniam hæc à Spiritu ſancto deſcendit, quæ per internam reuelationem, quæ eſt Spiritus ſancti locutio, & per externam Eccleſiæ vocem exprimitur, de quo dictum illud in Sapientia accipiunt[e], *Spiritus Domini repleuit* e Sap. 1. *orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis*. Aiunt enim Spiritum cæleſtem illum eſſe, qui docet hanc *ſcientiam vocis*, quæ alio nomine dicitur *ſcientia fidei*; Fides enim, vt ait Apoſtolus, eſt ex auditu, & auditus per verbum Dei. Nec obſtat, quòd Theologia in ſcholis addiſcatur, & doctrina Chriſtiana in Eccleſijs doceatur, nam vt modò diximus, attenditur principium eius, quod ex hominum inuentione non eſt; ſed ex ſola Dei reuelatione. Iis enim omnibus, quæ Eccleſia nobis credenda proponit, ideo aſſentimur, quia a Spiritu ſancto reuelata ſunt, & eatenus hæc cognitio ſupernaturalis dicitur, de qua ait S. Petrus[f], *Non voluntate humana allata* f 2. Pet. 1.

eſt ali-

eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines. Et Baruch Propheta [a], *Hic eſt Deus noſter, hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit eam Iacob puero ſuo.* Et eadem eſt, quam fides tradit, quæ literis nequaquam primùm prodita, & conſcripta inuenitur, ſed à cœlo in homines per reuelationem primum infuſa, deinde per inſtrumentum vocis manifeſtata, ac per ſcripturam tradita, & demum ab vno in alium per traditionem deducta fuit.

a Baruch. 3.

Quare eadem fidei doctrina, quam nos Chriſtiani profitemur, ab initio mundi ſemper fuit, per Spiritus ſancti illuminationem in mentes fidelium demiſſa, tam & ſi poſt filij Dei in carne aduentum, maioribus eiuſdem diuini Spiritus donis fuerit exornata. Nam ipſe Chriſtus quæ vidit, & audiuit a Patre, noſtræ ſaluti maxime neceſſaria, nota fecit Apoſtolis; vt hi qui Eccleſiam repræſentabant, diuino ſpiritu illuſtrati, quæ credenda eſſent Chriſtianis omnibus proponerent. Vnde merito hæc ipſa ſcientia vocis, cum totum cor imbuat, tam ſpeculatiua, quàm practica eminenter à Theologis dicitur, vt quæ non modò Deum docentem, & vera reuelantem conſiderat: ſed ad eundem tanquam ad finem vltimum, actiones omnes noſtras dirigendas eſſe docet: & ſic intellectum ſuperno lumine ad diuina contemplanda illuſtrat, vt voluntatem credibilibus omnibus obſequentem, & ſecundum fidei regulas operantem efficiat [b], tantumque diſtat ab altera illa ſcientia rerum, quantum diſtãt cæleſtia à terrenis, æterna à caducis, ſolida ab infirmis, magna à paruis. Duplex huius ſcientiæ differentia ex Geneſi vtcunq. etiam colligi poteſt, nam primi parentes cum ſcientia vocis a Deo ornati fuiſſent, dixiſſetque Adam [c], *Vocem tuam Domine audiui in Paradiſo*, poſtea ea relicta deflexerunt ad ſcientiam rerum, quæ ſenſu tanguntur, & viſu percipiuntur, & cum vidiſſent lignum ad veſcendum ſuaue, atque aſpectu delectabile, paſſi ſunt ſe aſtu ſerpentis perſuaderi ad illa amplectenda, quæ oculis cernebant: & priore ſcientia vocis aliquantulum remiſſa, ac debilitata, à rerum æternarum accenſo per charitatem amore, miſerabiliter decidere [c]. Hæc eſt igitur ſuperna illa doctrina, quam Sancti Patres, maioreſque noſtri ob progenitorũ noſtrorum præuaricationem, cum ſe vaſta demerſos caligine agnoſcerent, ardentibus quotidie votis à Deo efflagitabant dicentes, *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum: doce me iuſtificationes tuas: mitte Domine doctorem iuſtitiæ in lucem gentium.* Hodie poſt Chriſti aduentum cum illam Spiritus ſanctus fidelibus abundè infundat, quantũ hoc eſt donum? quàm ſingularis hæc gratia? Videte verò Dilectiſſimi quàm mirabiliter modus docendi cum ipſa doctrina conſentiat; ait enim, quòd docet illuſtrando corda fidelium: quibus verbis duo innuit. Primum eſt, quòd modus acquirendi hanc diuinam diſciplinam, non eſt aſſiduum ſtudium, aut multorum librorum varia lectio, ſed vna Spiritus ſancti ſola mentium noſtrarum, vt vocant Doctores Eccleſiaſtici irradiatio. Quamuis enim neceſſaria ferè ſemper ſint exteriora aliqua inſtrumenta, quibus homines ſuauiter inducantur ad ſuſcipiendam de nouo fidem, vel etiam ad diſtinctè credendum, quæ credenda ſunt; ipſa tamen Spiritus ſancti interior illuminatio, eſt illa, quæ ſola, & principaliter intellectum noſtrum excitat, ad præbendum firmum rebus omnibus, quæ credendæ ſunt, aſſenſum: ac voluntatem ad humile obſequium ijs miniſtrandum inclinat. Vnde Apoſtolus dicebat [d]. *Gratias agimus Deo ſine intermiſſione, quoniam cum accepiſſetis a nobis verbum Dei, non accepiſtis illud ut verbum hominum, ſed ſicut verè eſt verbum Dei, qui operatur in uobis qui crediditis.* Secundum eſt, quod verbis illis innuitur, neminem ab hac doctrina excipi, dummodo ſit fidelis, hoc eſt luce fidei ſe a Spiritu ſancto irradiari permittat. Nam cum vetus illud ſit, nullam artem ſine literis, ſine interprete percipi poſſe; ſi hæc doctrina à nobis more aliarum ſcien-

b Bannes 2. 2. q. 4. art. 2. & q. 1. ar. 4. dub. 2.

c Gen. 3.

c Bannes 2. 2. q. 4. art. 5. dub. 2. in reſp. ad 4.

d 1. ad Theſſal. 2.

ſcientiarum, aut rerum fuiſſet addiſcen da, dixiſſent mulieres, dixiſſent ruſtici, quomodo nobiſcum agetur, qui rudes ſumus, qui literas neſcimus? quomodo nos, qui prima elementa non tenemus, ad ſcientiarum cognitionem perueniemus? potuiſſent etiam alij dicere, nobis emendi libros, aut vacandi ſtudijs præ egeſtate facultas non datur, & alij alia multa obijcere. Vt igitur agnoſceretur, hoc munus diuinum eſſe, quod omnibus communicatur, & à quo nullus excluditur, nec mulier, nec ruſticus, nec miles, nec mercator; ſed quicunque ſeruus, liber, græcus, barbarus, ſcytha, facili admodum ratione, & breui via, ac ferè momento, ſine vigilijs, diſputationibus, aut ſyllogiſmis admitti poteſt; excogitauit æterna prouidentia dignã ſua miſericordia viam, qua ſolus ſufficeret Spiritus ſancti afflatus, & cæleſtis roris illius irrigatio, quæ momento mentem illuſtrat, cæleſtiumque replet myſteriorum cognitione: modò nos velimus, modò ei mentem noſtram ſubijciamus, atque eum muneris huius auctorem, largitoremq. agnoſcamus: quæ omnia iuuante Deo præſtat homo.

Poſt hæc cum Sancta Eccleſia ſummum hoc, præclariſſimumque Dei in fideles beneficiũ commemorauerit, duo precibus ſuis concipit, quibus maximè nos indigere agnoſcit, ne alioquin irritum, aut inane hoc cæleſte munus erga homines euadat. Quæ verò hæc ſunt? primum, *da nobis in eodem Spiritu recta ſapere*. quæ verba poſſent fortaſſe aliquibus ſuperuacanea videri; nam ſi ſancta Eccleſia iam confitetur, hominum corda à Spiritu ſancto fuiſſe illuſtrata, quid opus eſt petere, vt det nobis in eodem Spiritu recta ſapere, cum id iam conſecuti eſſe cenſeamur? Verùm ſi res attentè expendatur, longè aliter prorſus ſe habere comperietur. Cum enim ad ſcientiam aliquam, aut diſciplinam perfectè adipiſcendam duo requirantur; vnum quod ad præceptorem ſpectat, vt ille ſcientiam, quam vult alijs tradere, benè norit, ac alijs diſcendam facili, perſpicua, breuique methodo proponere velit, & valeat: alterum eſt, quod ad diſcipulos pertinet, nempe vt ij ſint, qui tradita à doctore percipiant, & retineant, & ſubinde vſu ipſo impleant. ſi quidem videmus in eadem academia quamuis vnus ſit doctor præſtantiſſimus in explicando, docendo, atque inſtruendo, non tamen omnes diſcipulos æquè inſtrui, atque æquè proficere; cum inueniantur aliqui tardiores Ingenio, aliqui ſtudijs non ita dediti, nonnulli qui laborem recuſant, alij qui leui negotio à ſcribendo, legendoué diſtrahuntur. Vnde in magna quandoque diſcentium vniuerſitate, perpauci ad bonam frugem perueniunt. cuius quidem rei non certè præceptor in culpa eſt, qui omnium ingenia aptus eſt informare, mentes erudire, atque ignorantiæ tenebras expellere; ſed diſcipulorum inertia, tarditas, aut vitium, qui doctoris virtuti non reſpondent, nec prout æquum erat, proficere contendunt. Itaque Sancta Eccleſia agnoſcens, quamuis Spiritus ſanctus roris ſui vbertatem ad Deum cognoſcendum, atque ad eundem amãdum, atque colendum in omnes effundat; poſſe tamen aliquos ad eam ſuſcipiendam, aut ſuſceptam minus debitè exercendam ſibi ipſis impedimenta acceſſere, aut certè oblata non auertere, quid agit? rogat, *ut det illis in eodem Spiritu rectà ſapere*; ſicuti enim Sol exoriens ſereno cælo, omnia vndiq. claro lumine colluſtrat; ſi quis tamen ſe in antro abſcondat, ſiue oculos claudat, aut cortinam luminibus ſuis prætendat, minimè fulgoris illius ſplendore potietur: ſic Spiritus ſancti gratia hodie fidelibus quibuſcunque è cælo demittitur, omnium corda pulſat, ſequè mulieribus, rudibus, operariis, atque de media etiã plebe quibuſcunque exhibet: ſi quis tamen aut negligat, aut certè qua debet voluntate, ac mentis alacritate eam non ſuſcipiat, hic cum magna dignus ſit miſeratione, cupit mater noſtra Eccleſia, ipſi quacunque poteſt ratione ſubuenire; hincquè rogat Dei benignitatem, *ut det illis in eodem Spiritu recta ſapere*; quod eſt, vt illum adiuuet, eique facul-

tatem

tatem Præbeat, vt quibus illum myſterijs Deus illuſtrauit, in ijs det illum verè & cum merito proficere, quod eſt, *recta ſapere*, vt ſcilicet non ſolum recti ſpecie, nullatenus decipiatur, ſed etiam vt eadem recta qua oportet ratione, & cognita habeat, & exequatur. Sicuti enim rectam lineam vocamus, quæ à puncto ad punctum breuiſſimo ſpatio dirigitur, nec huc, vel illuc deflectitur; ſic *recta ſapere* dicuntur homines, vbi res ad quem vſum conditæ, actiones ad quem finem ſint inſtitutæ, artes & diſciplinæ ob quam cauſam in homines inductæ, planè intelligunt, atque ad eum ſcopum ea omnia perducere conantur. Hoc quoniam maximi admodum momenti eſt, in ijſque aberrare valdè periculoſum, ac ſaluti noſtræ noxium deprehenditur, imo plurima errorum pars, quibus homines circumaguntur, ex hoc fonte manat: ideo hoc præcipuè petit ſancta Eccleſia, vt hodie corda fidelium ab hac cæcitate liberentur. Si enim ſatis, ſuperque ſcirent homines ad quem finem diuitiæ, honores, valetudo, ſcientia, ingenium, filiorum ſoboles, aliaque huiuſmodi eſſent a Deo permiſſa; nõ adeò præpoſtere multa agerentur, nec rerum vmbras pro ipſis rebus conſectarentur. Ille magiſtratum ſuſcipit, ille vxorem ducit, ille militiæ dat nomen, ille Eccleſiæ adſcribitur, & plerunque ad propriũ non collimant finem, nec recta ſapiunt. Nobilis es: tunc recta ſapies, ſi tibi fixum, immotumque in animo manſerit, nobilitatem hanc ad Dei gloriam eſſe exercendam; aut quò alijs dignitate pręſtas, ſic cæteros moribus, & religione præcellas; aut quò aliis clarior & illuſtrior, eò te in Eccleſiis frequentiorem, in piis operibus alacriorem, in ſacris concionibus audiendis, in ieiuniis obeundis, in pauperibus viſitandis promptiorem te debere eſſe intelligas. Es paterfamilias: tunc te recta ſapere perſuaſum habe, ſi noueris qua de cauſa Deus patresfamiliàs in terris eſſe conſtituerit, nempe vt præeant illis, quibus præſunt, exemplo, & virtute, vt admoneant, vt erudiant eos in via Domini, & non erubeſcant Paſtoris officio fungi; ac eſi eos paſtores familiæ ſuæ Deus conſtituerit, luſtrent ſæpè familiam, & ſi morboſum pecus inuenerint, caula extrudant. Doctor es, tunc recta ſapies, ſi doctrinam tuam non vtilitate, ſed honeſtate metiaris: ſi ſcientiam tuam ita compoſueris, vt à conſcientia non ſeiungas: & ſi alia noſti, te ipſum prius cognoſcas, & ſic in reliquis. Quæ ſurſum ſunt ergo, oportet ſapere, ideſt vt inferiora hæc ad cæleſtia ſemper redigamus.

Alterum eſt, quod ſupra diximus poſtulari à ſancta Eccleſia in fidelium gratiam, & auxilium, *vt de diuinæ Spiritus ſemper conſolatione gaudeant*, quod maximè pertinet ad præſentis myſterii Sacramentum, quod hodie miniſtrandum eſt. Sancta enim Eccleſia com ſuos ſacro chriſmate tanquam athleras ad ineunda certamina pro Chriſti gloria inungat, vt aduerſis non terreantur, pericula oon expaueſcant, ſed Spiritus ſancti robore confirmati, inuicti ſtent aduerſus perſecutiones, & muodi calamitates; agnoſcens ſimul humanis hæc viribus minimè præſtari poſſe, niſi cum ſuauitate, & conſolatione aliqua miſceantur iſti conflictus; quid agit? petit vt quicquid acturi ſunt, quamuis durum, triſte, & acerbum, id libenti animo, hilariquè voluntate ſuſcipiant, beatitudinis fruendæ ſpe recreati, omne gaudium exiſtimantes in varias tentationes incidere, & ardua quæque pro Dei nomine ſuſtinere. Quod vt illis fæliciter ſuccedat, poſtulat *ut in eodem Spiritu & ſapiant & gaudeant*, ideſt vt ab eodem Spiritu ducti, ad eumdem finem, vt ei placeant, & eo fruantur, omnia ſua ditigant: iuxta illud Principis Apoſtolorum [a] *credentes autem exultatis lætitia inenarrabili, & glorificata, reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum veſtrarum*. Multi enim recta norunt, & his gaudent, ſed non vt in Domino oblectẽtur. Vnde (vt diximus) Hieremias monebat [b], *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, nec diues in diuitijs ſuis, ſed in hoc*

[a] 1. Petr. 1.
[b] Hier. 9.

in hoc glorietur ſcire, & noſſe me. Huc igitur omnia noſtra ſunt referenda; huc dirigenda, atque in hoc Spiritu omnia meditanda, omniaquè peragenda, ſi vera in hoc mundo ſcientia florere, atque æterna in altero felicitate frui optamus, gratia & miſericordia Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum patre, & ſpiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

DE SACRAMENTO

POENITENTIÆ.

COLLECTOR. *QVAMVIS in ſacramentis recenſendis, Pænitentia ſacramentum poſt Euchariſtiam poni ſoleat, prout ſacrum Concilium Tridentinum, & Catechiſmus Romanus oſtendunt; tamen nos in hoc libro, qui directus eſt ad praxim, præmittemus ſacramentum Pænitentiæ: nam antequam Chriſtianus vir ad ſanctiſſimam Euchariſtiam accedat, confiteri eum oportet peccata ſua; & quemadmodum ait Apoſtolus, probet prius ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.*

Hunc autem ordinem in hoc Sacramento adhibebimus. primum enim ponentur Articuli, ſuper quibus examinari debent Bononiæ, quicunque ſacerdotes ad huius Sacramenti adminiſtrationem admitti petunt.

Deinde adijcetur ſummarium Bullæ in cœna Domini, & Tabella caſuum, quorum Illuſtriſſimus Archiepiſcopus abſolutionem ſibi reſeruauit: nec non Ritus abſolutionis a S. Romana Eccleſia Confeſſarijs præſcriptus.

Tum vt admiſſi, atque approbati faciliùs munere ſuo perfungantur, pauca quædam monitiones ſubnectentur, ſeu potius ipſarum formula: quæ pro tempore ipſis ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo præberi ſolent.

Et quoniam idem Archiepiſcopus in ſua Metropolitana Eccleſia Collegium Pænitentiariorum erexit (præter Canonicum ipſum Pænitentiarium maiorem, ex Capitulo eiuſdem Metropolitanæ conſtitutum) ad quos Archiepiſcopalium caſuum præſertim abſolutio pertinet, de eo nonnulla etiam capita ab ijs obſeruanda ſubijciemus.

Ad hæc collocabitur hoc eodem loco modus adhiberi ſolitus in Congregationibus caſuum Conſcientiæ, ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo tam in Ciuitate, quàm in Diœceſi inſtitutis.

Demum ea quæ in hoc Sacramento collegimus, concludentur ſermone vno eiuſdem Illuſtriſſimi Archiepiſcopi, qui inter plures magis huic loco conuenire videbatur.

Si qua autem fortaſſe quiſpiam deſiderabit, quæ ſpeciatim ad Parochos pertinere poſſent, ea in Conſtitutionibus Synodalibus reperiet; præterquam quod ad pænitentium ipſorum inſtructionem, plures libelli, Archiepiſcopi iuſſu, Bononiæ editi ſunt, in quibus recte confitendi regula traduntur.

Nulla verò hic Inſtructio præmittitur, ut ſupra factum eſt, quia ex ſequentibus Articulis, examine præmiſſo, & approbatione eorum qui ad hoc Sacramentum adminiſtrandum admittuntur, iam ea, quæ ſui muneris ſunt a Confeſſarijs intelligi, & ad pænitentium ſalutem, ijs facilè vti poſſe exiſtimandum eſt.

Sciat tamen lector, quamuis ſequentes Articuli plura capita complectantur, non idcirco ſuper eorum ſingulis ad examen accedentes interrogari: ſed cum illi deputari ſoleant ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo examinatores, qui circumſpectione, & prudentia, non minus quàm doctrina, & ſcientia præſtant, ipſis plura capita eiuſmodi proponuntur, ex quibus pro cuiuſque examinandi conditione, illa eligant, quæ ſibi magis accommodata, & ab eo quem examinant præcipuè requirenda eſſe videantur.

Articuli

ARTICVLI

Super quibus examinabuntur qui ad ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtrandum admittentur in Ciuitate, & Diœceſi Bononiæ.

Præter alias res ſcitu neceſſarias, de quibus ex tempore interrogabuntur, iuxta ſacrum Tridentinum Concilium, & Catechiſmum Romanum.

De ſacramento Pœnitentiæ in genere.

1 AD quem finem inſtituta ſint Sacramenta nouæ legis à Chriſto Ieſu, & præſertim hoc ſacramentum Pœnitentiæ.

2 An ſacramentum Pœnitentiæ habeat illa tria, ſcilicet materiam, formam, & miniſtrum prout cætera Sacramenta, & quænam ea ſint.

3 An per ſacramentum Pœnitentiæ deleatur omnis culpa, & pœna integrè, aut quomodo.

De Confeſſore miniſtro ſacramenti Pœnitentiæ.

1 QVæ conditiones requirantur in Confeſſore miniſtro ſacramenti Pœnitentiæ.

2 In quo differat poteſtas Ordinis, à poteſtate Iuriſdictionis.

3 An caſu aliquo poſſit non ſacerdos hoc Sacramentum miniſtrare.

4 Quæ ſcientia in miniſtris requiratur.

5 Quæ Regulæ ſint ad diſcernendum peccatum mortale à veniali.

6 Quæ bonitas in Confeſſore de neceſſitate requiratur.

7 An Confeſſor in mortali exiſtens, audiendo confeſſiones, peccet, etiamſi ſubditus tunc velit confiteri.

8 An excommunicatus poſſit eſſe miniſter ſacramenti.

9 An debeant interrogari pœnitentes de peccatis, & quando, quomodo, ſeu quo ordine.

De Contritione.

1 QVæ diſpoſitio requiratur neceſſariò ex parte pœnitentis.

2 In quo differant contritio, & attritio.

3 Quomodo cognoſcat quis probabiliter ſe habere contritionem, vel attritionem, & quibus medijs obtineri poſſint.

4 An contritio ſit aliquando in præcepto, & quando.

5 An debeat quis conteri diſtinctè de ſingulis peccatis, vel ſatis ſit de omnibus conteri in communi, & quo tempore hoc ſit faciendum.

6 An formale propoſitum cauendi à peccato in futurum, ſit de neceſſitate Contritionis.

7 Quæ peccandi occaſio eſt illa, quã pœnitens neceſſariò relinquere tenetur.

De Confeſſione.

1 AN Confeſſio generalis totius vitæ ſuæ ſit neceſſaria ante mortem, vel ſaltem maximè vtilis, & omnibus commendanda; & an poſſit in ea quis omittere aliquod peccatum aliàs confeſſum.

2 Quæ peccata ſint confitenda de neceſſitate, & quæ de congruitate, & cum quibus circumſtantijs.

3 Quomodo differant circumſtantiæ mutantes ſpeciem, ab his quæ aggrauant.

4 Quibus

4 Quibus caſibus teneatur quis ſtatim confiteri, quibus iterare confeſſionem, & quæ perfecta Confeſſio dicatur.

5 An aliquod peccatum poſſit à pœnitente celari, & Confeſſori non exprimi.

De Satisfactione.

1 Qualis, & quanta pœnitentia debeat à Sacerdote iniungi pœnitenti, & an ab eius arbitrio pendeat, aut aliter.

2 Ad implendam ſatisfactionem ſacramentalem, quæ requirantur: & quot modis ſatisfacere poſſimus: & quid operetur hæc ſatisfactio.

3 An Confeſſor poſſit commutare, vel tollere pœnitentiam iniunctam ab alio Confeſſore.

4 In quo differat reſtitutio, à ſatisfactione ſacramentali.

5 An per opera alijs debita poſſit fieri ſatisfactio.

6 Quid efficiant Indulgentiæ ad hanc ſacramentalem ſatisfactionem.

De Abſolutione.

1 Quæ verborum forma in abſolutione requiratur de eſſentia, & quæ de congruitate: & quis ordo ſeruandus, tam in abſoluendo à peccatis, quàm ab excommunicatione, aut ab irregularitate.

2 Qui ſint caſus reſeruati Papæ, & qui Epiſcopo; & an quiuis Confeſſor abſoluens in aliquo ex illis peccet mortaliter: & ſimiliter abſoluens aliquem contra propriam opinionem, aut quem videat abſque contritione debita.

3 An quilibet pœnitens abſolui poſſit, & quolibet loco, & quolibet tempore.

4 An habens auctoritatem abſoluendi à caſibus, poſſit abſoluere à cenſuris.

5 Quæ abſolutio ſit præſtanda ijs, qui in confeſſione (quæ vulgo reconciliatio dicitur) nullum peccatum exprimunt.

6 Quomodo ſint abſoluendi in articulo mortis qui confiteri nequeunt, ſed ſigna contritionis ſolum oſtendunt.

7 An abſoluendi, qui in idem peccatum ſæpius confeſſum incidunt.

8 An aliqua cautio ſit petenda à pœnitente ante abſolutionem, & in quibus caſibus.

De ſigillo.

1 Quomodo differat ſigillum ſecreti, a ſigillo confeſſionis.

2 An huiuſmodi ſigillum ſit de neceſſitate confeſſionis.

3 An illa quæ ſciuntur in confeſſione præter peccata, cadant ſub ſigillo confeſſionis.

4 An liceat detegere peccata in confeſſione audita, quæ publica ſunt: aut ſaltem non nominando perſonam, ſed in communi.

5 An peccet mortaliter reuelans ea, quę ſibi dicta ſunt extra confeſſionem ſub conditione, vt teneret ea ſub ſigillo confeſſionis.

6 An aliquo caſu poſſit confeſſum peccatum reuelari.

7 An dans pœnitentiam publicam pro peccato in confeſſione audito, dicatur reuelare confeſſionem.

8 Quas pœnas incurrat huiuſmodi ſigilli fractor.

9 Quæ cadant ſub ſigillum ſecreti, & an omnis ſecreti detectio ſit mortalis.

10 An quod occultum eſt, vel ſecrete ſcitur, reuelari debeat ad præceptum iudicis.

De Reſtitutione.

1 An peccans contra charitatem debitam proximo, vt qui ei in

el in neceſſitate poſito non ſubuenit, vel ad peccatū illum inducit, teneatur ad aliquam reſtitutionem.

2 An conſentiens in damno dato, teneatur ex æquo reſtituere, ac teneatur qui damnum dedit.

3 Qui ſunt illi nouem modi, quibus quis dicitur conſentire delinquenti.

4 An confeſſor qui per ignorantiam, vel negligētiam abſoluit aliquem ante reſtitutionem, maneat obligatus ad reſtituendum.

5 An qui furatus eſt rem aliquam & illam habet, ſatis ei ſit quòd reſtituat æquiualens.

6 An locans rem furatam, debeat reſtituere pretium locationis vero domino.

7 Qui pro committendo aliquo peccato pretium ſuſcepit, an illud reſtituere teneatur.

8 Quæ cauſæ non reſtituentem, a peccato excuſant.

9 Bonorum incertorū reſtitutio, quomodo facienda.

10 Infamans proximum de delicto vero, an reſtituere teneatur, & quomodo.

De vſura.

1 QVid ſit vſura, & in quibus rebus conſiſtat.

2 Pro re accommodata aliquid vltra ſortem accipere, an ſit vſura.

3 Quod dicatur iuſtum pretium rei venditæ.

4 An donare aliquid, vt reddatur duplum ſi moriatur ante tale tempus, ſit licitum.

5 Quomodo in pacto de retrouenden do committatur vſura.

6 Quid eſt cambium, & quæ cambia ſint licita.

7 Societatis contractus quid, & quis licitus, & vt talis ineundus.

8 Quis vſurius dicatur manifeſtus, & a quo abſoluendus.

9 Vendere rem cariùs credito, quàm numerata pecunia, an ſit vſura.

10 In quo differant lucrum ceſſans, & damnum emergens.

11 An pro pecunia dotali, liceat fructus aliquos accipere.

De Simonia.

1 SImonia quid ſit, & quotuplex.

2 An conferens beneficium indigno ob conſanguinitatem, amicitiam, vel preces ſit ſimoniacus.

3 Quomodo dignoſcetur, qui inſeruit alicui prælato pro beneficio obtinendo, an ſit ſimoniacus: & quomodo per munus a manu, a lingua, & ab obſequio committatur ſimonia.

4 Quis ſimoniacus ſit ipſo iure ſuſpenſus, vel excommunicatus.

De cenſuris.

1 QVot ſint cenſuræ eccleſiaſticæ.

2 Quid ſit excommunicatio maior, & quæ minor.

3 Quot ſint irregularitatis ſpecies.

4 An Confeſſarius tempore Iubilei poſſit cum irregulari diſpenſare.

Summarium Bullæ in Cœna Domini S.D.N. Clementis VIII. Pont. Max. an. 1593.

Excommunicantur, & anathematizantur.

1 HAERETICI cuiuſcunque ſectæ: eorundem fautores, libros legentes, tenentes, aut imprimentes, & ſchiſmatici.

2 Appellantes a Pontifice ad futurum Concilium, eorumque fautores.

3 Piratæ, atque eorum receptatores, & fautores.

4 Qui

4 Qui nauſtagorum Chriſtianorum cuiuſcunque generis bona, etiam in littoribus inuenta ſurripuerint.

5 Imponentes noua pedagia, & gabellas, vel eas augentes, vel augeri prohibita exigentes.

6 Falſificãtes literas Apoſtolicas, aut ſupplicationes a quocunque auctoritatẽ habente ſignatas; aut falſò fabricantes literas apoſtolicas.

7 Deferentes arma, & alia vſui bellico idonea ad Turcas, vel alios Chriſtiani nominis inimicos. Et ad Reipublicæ Chriſtianæ ſtatum pertinentia, iiſdem in damnum Chriſtianorum nunciantes.

8 Impedientes eos, qui victualia, & alia neceſſaria Romam conuehũt.

9 Qui ad ſedem apoſtolicam venientes, vel ab ea recedentes, ſua aut aliorum opera læſerint; & qui ſine iuriſdictione in Curia commorantes vexauerint.

10 Qui Romipetas, ac peregrinos etiã in vrbe morantes, vel abeuntes læſerint.

11 Qui nocuerint ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & alijs Prælatis.

12 Qui per ſe, vel per alios lædunt recurrentes in ſuis negotijs ad Romanam Curiam.

13 Qui appellant a grauamine, vel futura executione literarum apoſtolicarum ad laicam poteſtatem.

14 Quicunque executionem literarum apoſtolicarum, aut aliarum expeditionum impediunt: & prohibent accedentes ad gratias impetrandas.

15 Iudices ſeculares, qui perſonas eccleſiaſticas trahunt ad ſua tribunalia, per quæ Eccleſiaſticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant.

16 Impedientes Prælatos, ne ſua iuriſdictione vtantur. Quique illorum, & delegatorum iudicia eludentes, ad cancellarias recurrunt, aut contra illos decernunt, præſtantq. auxilium.

17 Vſurpantes ſedis apoſtolicæ, & quarumcunque eccleſiarum Iuriſdictiones, vel fructus etiam ſequeſtrantes.

18 Imponentes decimas, & alia onera perſonis Eccleſiaſticis, Eccleſijs, Monaſterijs, aut eorum fructibus.

19 Iudices ſeculares, qui ſe interponũt in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus, cõtra Eccleſiaſticas perſonas.

20 Occupantes bona, aut Terras Eccleſiæ Romanæ, & in illis ſupremam iuriſdictionem vſurpantes.

In eadem Bulla hæc præterea continentur.

1 QVòd abſolutio ſummo Pontifici reſeruatur.

2 Quòd abſoluere præſumentes excommunicantur.

3 Quòd Papæ abſolutio non comprehendit eos, qui à præmiſſis non deſtiterint.

4 Quòd quicunque audiunt confeſſiones, apud ſe eandem Bullam habeant.

Caſus Archiepiſcopales, quos Illuſtriſſ. & Reuerendiſſim. D. Card. Palæotus Bononiæ Archiepiſcop. ſibi reſeruauit. anno &c.

1 EOS in primis, qui ſunt excommunicati ex communicatione maiori.

2 Sortilegos, ſeu inuocantes Dæmones: & ſcienter maleficijs, diuinationibus, aut alijs ſuperſtitionibus, quæ graue peccatum mortale ingerunt, vtentes.

3 Blaſphemiam, aut opprobrioſa verba in Deum, vel Beatam Virginem ex conſuetudine, vel in aliquorum præſentia, non ex iracundia, cum ſcandalo proferentes.

4 Ignominioſa verba, aut minas grauiores, ſeu contumelias in illos Sacerdotes publice effundentes; qui pro eorum officio eos Epiſcopali foro, vti criminoſos, & præceptis

eccleſiæ inobedientes, & contumaces denunciauerint, ſeu eos monuerint.

5 Contra Sanctimoniales, vel earum monaſteria, ſeu ſeculares, quæ in monialium clauſtra educantur, per ſeipſos, ſiue per literas, ſiue per internuncios, obſcenitates, aut grauia crimina molientes.

6 Detinentes bona eccleſiaſtica indebite in damnum eccleſiarum.

7 Eos, qui in iudicio, in graue proximi damnum, falſum teſtimonium dixerint, vel ſcripturas publicas falſificauerint.

8 Homicidium, vel membri alicuius abſciſſionem per ſe, vel per alios perpetrantes, ſiue conſilium, aut auxilium dantes; & abortum procurantes, ſi ad hæc ſequatur effectus.

9 Incendiarios domorum, frugum, aut aliarum rerum ſimilium ex propoſito; vel conſilium, & auxilium ad id præſtantes.

10 Stuprantes Virginem ſub promiſſione matrimonij, vel qui poſt ſponſalia coram teſtibus cum vna muliere cõtracta, & poſt manum ſponſæ tactam, ac colloquia cum ea habita, matrimoniũ cum alia ineunt, nulla cauſa legitime probata ab Illuſtriſsimo Epiſcopo, aut eius Vicario.

11 Inceſtum in primo, vel ſecundo gradu, aut beſtialitatem committentes, aut crimen ſodomiticum cum maſculis, vel fœminis exercentes.

12 Patrem, aut matrem per ſe, vel alios verberantes, ſeu eis opprobria grauia in multorum conſpectu inferentes.

13 Eos, qui non obtenta in ſcriptis facultate à deputatis, Quadrageſimam ſoluunt; aut qui licentias indebitè, & doloſe conceſſerint; vel eos qui ſcientes iuſtam non habere cauſam, eaſdem extorquent.

14 Eos, qui pijs legatis ſatisfacere neglexerint; Item Notarios illa malitioſè non denunciantes.

15 Eos, qui de iure, vel conſuetudine decimas, vel primitias ſoluere tenentur, & non ſoluunt.

17 Eos, qui ſacrilegium commiſerunt.

18 Eos qui Matrimoniũ clandeſtinum contraxerunt, non ſeruata forma Concilij Tridentini.

Prohibetur quibuſcumq; omnis facultas in his abſoluendi, præterquam in mortis articulo, quacumque licentia conceſſa non obſtante.

Debent tamen Confeſſarij monere pœnitentes huiuſmodi in mortis articulo ab aliquo horum caſuum abſolutos; quòd ſi ſuperuixerint, tenentur adire aliquem ex pœnitentiariis, aut alium cui ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo hæc abſoluendi facultas demandata ſit, atque illius iuſſa excipere ſuper ijs caſibus, in quos incurrerunt.

Prohibetur item quibuſcunque Confeſſariis, quibus etiam data fuerit facultas abſoluendi in caſibus reſeruatis, ne quis ipſorum audeat, ſeſe quoquomodo intromittere in reſtitutione bonorũ incertorum, quę ſummam ſcutorum trium excedat, abſq; ſpeciali Illuſtriſſimi Epiſcopi facultate.

Animaduertant quoque, ne vota cuiuſcunque ſint generis permutent, vel diſpenſent; nec etiam cum inceſtuoſis coniugatis, quo ad debiti petitionem; cum hæc ad ſolum Epiſcopum iure pertineant.

Notificatur præterea omnibus curã animarũ exercentibus, quòd de mandato Sanctiſſimi tenentur penes ſe habere Bullam in Cœna Domini, illamque ſemel ſaltem in anno coram Populis publicare: quam publicationem ſimili modo de his noſtris caſibus reſeruatis facere curabunt. Dat. Bonon. &c.

RITVS SERVANDVS in abſolutione pœnitentium.

Sacerdos poſtquam dixerit.

Miſereatur tui omnipotens Deus, &c.

Extendens manum de more, ſuper caput confitentis dicat.

DOminus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat; & ego auctoritate ipſius mihi conceſſa, abſoluo te in primis à vinculo excommunicationis in quantum poſſum, & tu indiges. Item eadem auctoritate abſoluo te ab omnibus peccatis tuis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

Poſtea ſublata manu dicat.

PAſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, & merita Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

Nonnulla, quæ Confeſſarij admiſſi atque approbati in Ciuitate, & Diœceſi Bonon. in ſuo munere exercendo curare debebunt.

QVicumque Sacerdos ad Confeſſiones fidelium audiendas admiſſus, atque approbatus fuerit, non niſi licentia in ſcriptis ab Illuſtriſsimo Archiepiſcopo obtenta, hoc ſacro munere perfungatur.

Habeat Bullam in cœna Domini, Caſuſquè Archiepiſcopales reſeruatos, à quibus caueat ſine ſpeciali licentia, aut priuilegio ne quemquam abſoluat, niſi in articulo mortis conſtitutos;

In huius miniſterii functione, præcipue honorem Dei, & animarum ſalutem ante oculos ſibi ſtatuat, neque aut eleemoſinarum, aut lucri, aut terreni alicuius commodi cauſa, ad illud exercendum adducatur.

Atque vt non ſolum crimine, ſed etiam ipſa criminis ſuſpicione careat, nihil vnquam in Confeſsione, aut Confeſsionis occaſione petat à pœnitente, quamuis charitatis, aut pii alicuius operis prætextu.

Eleemoſynas pœnitentibus iniunctas, neque ſibi, nec ſuæ Eccleſiæ applicet, ſed pœnitentis arbitrio, ſiue Eccleſiis, ſiue locis piis applicandas relinquat.

Confeſsiones in Eccleſia non audiat, niſi ſit ſuperpelliceo, & ſtola indutus, atque iis in locis, quæ ipſis audiendis conſtituta ſunt, videlicet in Confeſsionalibus ad id paratis.

Neque mulierum confeſsiones in Eccleſia audiat vnquam noctu, hoc eſt poſt occaſum, aut ante ortum ſolis.

Ad confeſsionem non admittat eaſdem mulieres, niſi velato ſint capite, & debitam honeſto habitu reuerẽtiam, atque humilitatem erga hoc ſacramentum præſeferant: ſimiliter nec viros, niſi habitu modeſto & decenti, depoſito quocumque armorum genere ad illud accedant.

Cetera quæ in hoc munere exercendo ſibi neceſſaria ſunt, ex Tabella, quæ pro temporum varietate, & caſuum neceſsitate ad eos mitti ſolet, cognoſcere poterit, omniaque in Congregationibus inter ſe conferre, atque examinare, & adhibita ſumma diligentia perficere curet. Dat. Bononiæ in Archiep. Pal.

De Pœnitentiarijs in Eccleſia metropolitana conſtitutis.

PRæter ea, quæ omnibus, & ſingulis Confeſſariis in Vrbe, & Diœceſi Bononien. præſcripta ſunt, quæ omnibus communia eſſe debent, Illuſtriſsimus Archiepiſcopus nonnulla præcipuè Pœnitentiariis metropolitanæ Eccleſiæ in memoriam reuocat, vt diligentiùs munus ſuum exequi conentur.

Qui igitur ex ipſis nominatim ad hoc munus exercendum ſingulis hebdomadis deputati erunt, non prætermittent ſummo mane primæ Miſſæ ſigno audito ſtatim ad metropolitanam Eccleſiam accedere, vbi vſque ad horam Nonam

Digitized by Google

permanebunt. A prandio verò ſimiliter reuertentur ſtatim, & nonniſi celebratis Veſperis diſcedent, quamuis nullus omnino pœnitens adeſſet.

Diebus feſtis, ferijs ſextis, & in ſolemnitate præſertim Paſchali, & Natiuitatis Domini per aliquot dies ante, in eadem Metropolitana omnes ad confeſſiones audiendas diligenter parari erũt.

Singuli ipſorum quotidie Miſſam celebrare curabunt in iis Metropolitanæ Eccleſiæ altaribus, quæ iis à Sacriſta aſſignabuntur, neque ob Miſſæ celebrationem eleemoſynam à Tabularia, aut aliunde perquirant.

Ex ipſis verò, qui idonei erunt in Oratorii ſpirituali exercitatione, ſermones habere debebunt iis diebus, qui illis præſcribentur.

Decimoquinto quoque die, & ſępius etiam, ſi id occaſio poſtulabit, omnes vnà coram Illuſtriſſimo Cardinali Archiepiſcopo congregabuntur, ibique agent de grauioribus caſibus, aliiſque neceſſariis rebus, quas in Confeſſionibus animaduerterunt, conſultatione, aut aliquo remedio indigere.

Facultas eorum eſt abſoluendi ab omnibus caſibus Illuſtriſſimo Archiepiſcopo reſeruatis, præter caſum primum ad hæreticos, & libros prohibitos pertinentem, & pręter alios caſus reſeruatos, quorum abſolutio ſeparatim maiori pœnitentiario committetur.

Dat. Bonon. in Archiepiſcopali. &c.

Licentia pro Confeſſarijs Secularibus.

GAbr. Card. Palæot. Archiepiſcopus Bononiæ &c. *Dilecto nobis N. præſentium tenore, tibi per examinatores noſtros idoneo reperto, & per nos approbato, vt in Eccleſia noſtra N. Confeſſiones fidelium audire, & pœnitentes abſoluere valeas (præterquam a caſibus, & cenſuris nobis reſeruatis) facultatem concedimus, & impartimur. Te in Domino admonentes, vt quæ pro recta huius ſacramenti adminiſtratione per ſacros Canones ſancita, vel a nobis ordinata fuerint, attente perlegas, accurateque obſerues. In quorum fidem, et c.*

Dat. Bononiæ ex Archiepiſcopalibus ædibus. Die Menſis Anni

Licentia pro Confeſſariis Regularibus.

GAbr. Card. Palæot. Archiepiſcopus Bononiæ &c. *Dilecto nobis N. præſentium tenore, tibi à tuo ſuperiore nobis legitimè præſentato, & per nos approbato, vt in Ciuitate & Diœceſi noſtra in Eccleſia Monaſterij ſeu conuentus ordinis tui, vbi habitas, & in aliis item Eccleſiis, quæ non ſunt ordinis tui, dum tamen admoneas prius Parochiæ Curatum, Confeſsiones fidelium audire, & pœnitentes abſoluere valeas (præterquam à caſibus, & cenſuris nobis reſeruatis, & priuilegio tibi non conceſsis) facultatem concedimus, & impartimur. Te in Domino admonentes, vt quæ pro recta huius ſacramenti adminiſtratione, per ſacros Canones ſancita, uel à nobis ordinata fuerint, attentè perlegas, accurateque obſerues. In quorum fidem, &c. Dat. Bonon. Archiepiſc. ædibus. Die Menſis Anni*

Licentia pro Confeſſariis Monialium.

GAbriel Card. Palæotus Archiepiſcopus Bononiæ &c.

Licentiam concedimus Tibi N. per examinatores noſtros idoneo reperto, & per nos approbato, vt in Eccleſia, & monaſterio S. N. Confeſsiones monialium audire, & ſecularium etiã, ſi quæ in eodem monaſterio erunt, eaſque abſoluere valeas, præterquam à caſibus, & cenſuris nobis reſeruatis, a quibus abſoluendi facultatem, cum opus erit, tibi impartiemur.

In clauſuram Monaſterii nõ ingredieris, niſi Cotta, & Stola indutus, vt adminiſtres tantummodo ſancta Sacramenta pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & extremæ Vnctionis, & ſpiritualem opem agonizantibus præſtes: quibus caſibus ſemper tuo hoc munere perfungeris ſociatus a duabus ex ſenioribus monialibus, quæ cum confeſsiones audis, te etiam videre poſsint, licet non audire.

Caue ne te Monaſterii, aut monialis alicuius quibuſcumq. negociis immiſceas, nec ad crates aut rotas colloquaris, niſi vt tantummodo petas ea, quæ Eccleſiæ cultui, & diuinorum officiorum celebrationi, aut ſacramentorum

torum adminiſtrationi ſunt neceſſaria. Vocatus tamen vt aliquod des ſpirituale conſilium, id efficе ad crates qua clauſa ſint, præſenteſque adſint moniales auſcultatrices, & non aliter ſub pœna arbitrio noſtro &c.

Te vero in Domino admonemus, vt quæ pro recta huius ſacramenti pœnitentiæ adminiſtratione per ſacros canones &cet. ut ſupra. In quorum &c. Dat. Bononiæ.

DE CONGREGATIONIBVS CASVVM CONSCIENTIAE BONONIAE HABENDIS.

COLLECTOR. *QVONIAM ex caſuum conſcientiæ cognitione, & frequenti examine præcipuè pendet ſacramenti pœnitentiæ rectè adminiſtrandi ratio; vt huic quoque parti ſedulò proſpiceret Illuſtriſſimus Cardinalis Archiepiſcopus, & clerus vrbis, & Diœceſis Bononiæ vtili huic exercitationi facilius ſe tradere poſſet, conſtituit iampridem, & Synodorum Diœceſanarum decretis etiam ſanciuit, vt omnes Parochi & ſacerdotes, præſertim confeſſarij munus obeuntes, Congregationibus caſuum conſcientiæ ab eodem Archiepiſcopo inſtitutis ſingulis menſibus intereſſe debeant. Quarum quidem Congregationum ordo ſequens eſt.*

Ratio adhiberi ſolita in congregationibus caſuum conſcientiæ.

Habetur Congregationes caſuum conſcientiæ quolibet menſe in Archiepiſcopali Palatio, coram Illuſtriſ. Archiepiſcopo.

TRES caſus proponuntur a Magiſtro Theologiæ ordinario profeſſore ad id deputato in praxi occurrentes ea forma, quæ inferius ſubijcietur: qui typis editi, adnotato etiam menſe.... die.. & hora congregationis futuræ diſtribuantur, ita vt aliquot ante congregationem diebus a Parochis, alijſquè qui congregari debent, legi poſſint, & diligenter examinari.

Stata die, congregatis omnibus, inuocataque ſancti Spiritus gratia pronunciantur à Notario nomina parochorum aliorumque qui intereſſe debent, ne abſentes ignorentur, ſed iniunctam negligentiæ pœnam ſubeant: quæ poſtea alicui loco pio aut monaſterio applicatur.

Poſthæc Illuſtriſſimus Archiepiſcopus ſiquid ante monendum eſt, grauiter, & paucis admonet: Deinde ex pixide, in qua continentur nomina eorum deſcripta qui in congregatione adſunt, extrahuntur aliquot, qui ad propoſitos caſus ſunt reſponſuri, & magiſter cæremoniarum alta voce dicit, ad primum caſum reſpondeat. N, parochus eccleſiæ ſancti N. & N. parochus, ſeu confeſſarius &cet. & ſic in reliquis caſibus. Nominatus aſſurgit, & detecto capite votum ſuum, vel in ſcriptis, vel memoriter latinè profert, ceteris omnibus ſilentibus. Quòd ſi alicui occurrit aliquid in quo à ſententia illius qui reſpondit, diſcrepet, aut de quo aliqua dubitatio oriatur. petit ab Illuſtr. Archiepiſcopo licentiam ijs quæ dicta ſunt, aliqua obijciendi, ſeu ſubiungendi; qua conceſſa, ille votum ſuum explicat. Tuncque magiſter Theologiæ qui præſens eſt, vti omnium caſuum definitor, & cuius eſt nodos ſoluere, probatoſquè à Doctoribus ſeſus explanare, quid de ijs omnibus ſentiendum ſit concludit. Sicque gratijs Deo peractis, & benedictione ab Illuſtriſſimo Archiepiſcó po data, Congregatio dimittitut.

SEQVEN-

COLLECTOR. *SEQVENTEM hanc formulam caſuum conſcientiæ huiuſmodi congregationum aſſerimus, ut exempli loco ſit. nam præter librum unum iam editum, in quo a Reuer. Patre Magiſtro Ludonico Luſitano Ordinis Heremitarum Sancti Auguſtini, ſacræ Theologiæ annos plures Bononiæ profeſſore ordinario, utroque in primis erudito, & dictis Congregationibus caſuū Cōſcientiæ præfecto, non ſolum caſus, quos ipſe exquirebat, & proponebat, ſed etiam eorum ſolutiones colliguntur: alius liber propediem de iiſdem caſibus, Illuſtriſſimi Archiepiſcopi iuſſu edendus expectatur.*

Feria Die Menſis

Hora erit Congregatio in Palatio Archiepiſcopali omnium Curatorum, ac Pœnitentiariorum Ciuitatis Bonon. in qua proponentur infraſcripti tres caſus Conſcientiæ examinandi, & decidendi.

Qui autem erunt legitime impediti mittant eodem die excuſationem ſuam &c. Pœna abſentium ſine legitima cauſa applicata eſt Monaſterio .N.

1 SEbaſtianus mercator, cum in conſuetudine ſit eorū, qui ſerici mercaturam exercent, ſi illud vendunt in magna copia, non niſi expectato vendūt pretio, & maiori notabiliter, quàm præſenti pecunia vendi minutim ſolet; eidem conſuetudini diù adhæſit, & hoc anno quo in aptando & contexendo ſerico plus conſumpſit, quàm numerata pecunia valeat, dat illud alijs creditò pro precio, quo ſpectata ſolutione emi inter mercatores conſueuit, vt ſaltem expenſas factas lucretur, nunc facto ſibi ſcrupulo de uſura, Curatum conſulit.

Quæritur an talis mercatorum conſuetudo ſit uſuraria, & quid Sebaſtiano ſit à Curato reſpondendum.

2 MArtinus petijt à Nobili eleemoſinam ſcutorum decem, ad ſubueniendum mulieri pauperi, cuius nomen illi expreſsit: quam ſummam ſe daturum libenter ſimplici ſolo verbo promiſit Nobilis. Tranſactis tamen aliquot diebus mittit tria dumtaxat ſcuta ad Martinum, dicens illa ſufficere prò dicta paupere, vt qui aliis debeat etiam ſubuenire; ſed Martinus conqueritur intra ſe, quòd verbum ſibi datum non ſeruauerit.

Quæritur, an Nobilis ex ſola illa ſimplici promiſsione teneatur in conſcientia ad danda illa decem ſcuta.

3 FRanciſcus in extremo vitæ poſitus, antequā animam efflet, quēdam ſibi familiaritate coniunctum uocat, eique ad aurem data quadam clauı imponit, vt reddito vltimo ſpiritu capſam conſignatam aperiat, & omnes quas in ſacculo inuenerit pecunias clā accipiat, partemque vnam in proprios vſus, alteram in eleemoſinam pro celebrandis diuinis officiis pro anima illius expendat. qua re facta, clauique in puteum proiecta, hæredes Franciſci; qui ſciebant magnam in capſa illa includi viuente Patre pecuniarum copiam, nec clauem inuenientes, addubitant de furto, & excommunicationem publicari faciunt, contra illum qui accepit, retinet, vel quamcunque notitiam de dictis pecuniis habet: Franciſcus optimæ conſcientiæ uir, ad confeſſorem accedit.

Quæritur an Frāciſcus qui pecunias accepit, & retinet, ſi eas non reuelet, in excommunicationem incidat, & quid illi ſit conſulendum.

IN DIOE-

COLLECTOR.

IN Diœceſi Bonon. cum maiore quadam diligentia vtendum eſſet Illuſtriſsimo Archiepiſcopo, vt congregationes caſuum conſcientiæ inſtituerentur, & haberentur: parochi enim, alijque ſacerdotes, qui ipſis intereſſe tenẽtur, Bononiã ſe transferre non poſſunt, ob locorum interualla, & uiarum incommoda; ideo Archiepiſcopus huiuſmodi congregationibus in Diœceſi erectis, ut inde fructus uberiores percipiantur, his quæ ſequuntur regulis conſuluit. Sciendum tamen eſt, eas in Plebanatus eſſe diſtinctas, ita ut Archipresbyter, & parochi, alijque ſacerdotes, & confeſſarij uni plebanatui ſubiecti, congregationem unam complectantur. Itaque quot Plebanatus ſunt in Diœceſi Bononia, totidem congregationes ſingulis menſibus habentur. Archipresbyteri autem eſt, munera in congregationibus obeunda diſtribuere.

De Congregationibus caſuum conſcientiæ in Diœceſi habendis.

VNuſquiſque Archipresbyter Plebanus, vel eius Vicarius apud ſe habeat librum amplioris, & competentis formæ, cuius hæc ſit inſcriptio, videlicet.

Liber reſolutionum caſuum conſcientiæ, quæ fiunt ſingulis menſibus iuſſu Illuſtriſſimi Archiepiſcopi noſtri in congregatione Plebanatus. N.

In ſequenti pagina annotentur nomina, & cognomina primò Archipresbyteri, deinde lectoris caſuum conſcientiæ; poſtmodum ſingulorum Rectorum, & aliorum curatorum, & quoruncunque ſacerdotum, & clericorum ſacris ordinibus initiatorum in finibus eiuſdẽ Plebanatus, vel congregationis habitantium, (ſubiungendo) Qui omnes congregationi caſuum conſcientiæ hora, & loco conſtituendis intereſſe debeant, ſub pœna librarum quatuor bononorum, niſi legitime impediti infra tres dies ſaltem miſerint excuſationem.

Lector caſuum in prima habenda congregatione, caſus in ſcriptis proponat diſcutiendos in ſequenti, ſchedula vnicuique conſignata, vt omnes abſque vlla excuſatione interroganti lectori reſpondere poſſint parati, ſi non latine, ſaltem vulgari ſermone, & ſi non memoriter, ſaltem ex ſcripto.

Ante congregationem cantetur, vel ſaltem ſubmiſſa voce dicatur miſſa conuentualis, cui omnes ſuperpelliceis induti, iuxta aliàs decreta, religiosè interſint.

In principio congregationis preces conſuetæ præmittantur ab Archipreſbytero, cui ſemper primus in congregatione locus tribuatur.

Poſtmodum à lectore, ſeu ab eo cui id ex ordine contigerit, proponentur caſus, qui aliquot ante diebus à magiſtro Theologiæ, ad Diœceſanorum ſacerdotum captum accommodati, & miſſi ad Archipresbyteros, & ab iiſdem diſtributi parochis ſuæ congregationis, ſingulorum reſponſionibus diſcutiẽtur; vel ſi tempus id non patiatur, reſpondebunt tantum ij, qui à lectore nominabuntur.

Quibus expeditis, ſi quid erit in habita lectione adnotandum, vel explicãdum, lector id diligenter præſtabit. poſtea reſolutionem propoſitorum caſuum in medium afferet confirmatam rationibus, & auctoritatibus, quæ ex doctoribus, & ſummiſtis deſumptæ ſint: quorum omnium exemplar deſcriptum, & ſuà manu ſubſcriptum, Archipresbytero ſtatim completa congregatione ad deputatum Bononiæ ab Illuſtriſsimo Archiẽpiſcopo, tranſmittendum conſignabit, in hanc formam videlicet.

Die . menſis . . anni . .
Habita eſt congregatio caſuum conſcientiæ Plebanatus. N. in parochiali

eccleſia

Eccleſia ſancti N. cui omnes interfuerunt, exceptis Reuer. D. N . . .

Rector. S. N. . . . . miſit excuſationem, in qua aſſeruit ſe eſſe legitimo impedimento detentum.

Reuer. D. N. . . Curatus . [illegible] nullam, aut non idoneam excuſationem miſit. Et ſic procedatur in ſingulis adnotandis.

Super propoſitis caſibus, & diſcuſsis Reueren. D. N. lector, huiuſmodi verbo, & ſcripto attulit ſolutionem.

Ad primum &cet. Ad ſecundum &c. Ad tertium &cet.

Quibus expeditis, gratijsque de more peractis, promulgatisq. & conſignatis vnicuique in ſcriptis caſibus in ſequenti congregatione diſcutiendis, habenda à R. D. N. . ſub die . . menſis . . . . anni . . . vnuſquiſque receſsit in pace.

Vt tutiùs reſponſionibus adhibitis ad caſus diſcuſſos inhærere omnes poſſint, Reuerendo Patri Theologo deputato approbanda, emendanda, vel corrigenda eadem ſolutionum exemplaria Archipresbyter hoc ordine curabit deferri. In prima congregatione Archipresbyterali in principio Quadrageſimæ fieri ſolita, tria, quatuorue exemplaria ſolutionum in ſuis præhabitis congregationibus caſuum diſcuſſorum Illuſtriſsimo D. Archiepiſcopo conſignabit, Scriba adnotante. in ſequenti verò ſynodo, alia item exemplaria, eodem ordine conſignanda deferet, & priora emendata, ac ſubſcripta à dicto Reuerendo P. Theologo recipiet, & aſſeruabit, legenda, ac notificanda poſtea omnibus ſuæ congregationis; & ſic in ſequentibus fiet, eaque omnia præſertim ſi quæ emendata fuerint promulget omnibus in ſequenti prima congregatione.

Et vt in libro reſolutionum caſuum conſcientiæ nihil reperiatur erroris, Archipresbyteri partes erunt, eadem exẽplaria correcta, ac ſubſcripta ab eodem R. P. Theologo deſcribere, ac fideliter trãsferre ĩtelligibili charactere, ſub hac verborum formula. Die &c. & vt ſupra.

Librum ſub hac forma deſcriptum, ſemel in anno ad ſynodum in Archipreſbyterali congregatione mẽſis Octobris teneatur Illuſtriſſimo D. conſignare.

Si quando hyemalis temporis importunitate alicubi congregationes prædictæ ſingulis mẽſibus haberi non poſſent, Archipresbyter & lector eas in commodius tempus poterit differre, dummodo tot reſolutionum exemplaria conſignẽtur, & tot congregationes habitæ ex ordine præſcripto præbeantur, quot menſes intercеſſerint, nec minus duodecim quolibet anno habeantur. Dat. Bonon.

N. Vicar. Gener.

SERMO ILLVSTRISSIMI Cardinalis Archiepiſcopi De ſacramento Pœnitentiæ.

In quo prima eius pars, quæ contritio eſt, examinatur.

Pænitentiam agite, appropinquabit enim Regnum Cælorum, S. Matt. cap. 4.

INTER cætera humanæ ſalutis ſubſidia, quæ nobis à ſancta Eccleſia proponuntur, illud frequenter commemorari ſcimus Dilectiſſimi, quod ad pœnitentiæ ſacramentum pertinet, adeo vniuerſis tàm Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, tàm nobilibus, quàm ignobilibus, doctis atque indoctis, ac ceteris quibuſcunque neceſſarium, ob ſummam humanæ naturæ fragilitatem, vt prima Præcurſoris S. Ioannis Baptiſtæ vox inter homines illa erupiſſe legatur, qua pœnitentię virtutem prædicabat [a]. Et S. Petrus in actibus Apoſtolicis, & S. Paulus in Epiſtolis ſuis ſæpe idem repetierint; imò Chriſtus Dominus hanc pœnitentiæ neceſsitatem clarè protulerit, cum dixit, *Niſi pænitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis* [b]. Vnde à ſancta Tridentina Synodo illud dictum eſt [c]. *Sacramentum pænitentiæ non ſecus lapſis poſt Baptiſmum, ac Baptiſmũ nondum regeneratis ad ſalutem neceſſarium eſſe.*

[a] S. Marc. c. 1. & S. Luc. c. 3.

[b] S. Luc. 13.

[c] Seſſ. 14. c. 2.

Cum

Cum verò hæc pœnitentia triplici gradu conſtet, contritione, confeſſione, & ſatisfactione, atque inter has partes contritio primum locum, & ordine, & fructu contineat; cũ illa per ſe ſalutẽ pa rere interdum apta ſit; Ideo de ea nunc nobis agendum eſſe paulò diligentius conſtituimus, cætera in aliud tempus reſeruantes; ſiquidem ex Theologorũ libris, quos Summas appellant, eadem facilius hauriri poſſunt. Quare de necesſitate contritionis primum diſſeremus. Tum qua ratione illam conſequi, mentibuſque noſtris alere, & fouere poſſimus. Denique quo tempore hoc præcipuè præſtare ualeamus. Quæ quamuis in Tridentino Concilio, & Catechiſmo Rom. atque apud alios multos graues Theologos præclarè tradita fuiſſe non ignoremus [a]: tamen pro officij noſtri munere ab ijs nonnulla; quæ aptiora videbuntur deſumentes, aliaque pro ut opportunum erit, adijcientes: operá dabimus, ut quæ neceſſaria ſunt, vobiſcum communicemus, mẽteſque veſtras vera doctrina, ſolidaque pietate, ac diſciplina (Deo adiuuante) inſtructas relinquamus.

a Granna. to. 1. Concio. in fi. ubi de pœnit. S. Antonin in Sũ. p. 3. tit. 14. c. 17. & ſeq.

Quod igitur ad primum attinet, cum contritio, vt Concilio Tridentino definitum eſt [b], *ſit animi dolor, ac deteſtatio propter Deum de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero*, hocque contritionis nomen ad ſignificandam uim doloris, qua affici debemus, impoſitũ ſit [c], ducta ſimilitudine à rebus corporeis, quæ minutatim ſaxó, aut duriori aliqua materia confringuntur; Vnde & compunctio cordis dicitur, quòd ſicuti ferro tumida vlcera ſecantur ad effundendum incluſum virus; ſic & intima cogitatione, & deploratione ſcelerum admiſſorum, quibus Deum offendimus cor noſtrum conſcindatur. Propterea antequam ad alia pergamus, occurrendum nobis uidetur infirmorum nonnullorum perplexitati, qui ita ſecum aliquando mente reuoluunt. Cur Chriſtus Dominus noſter in mundum uenit? certè, *vt audiret gemitus compeditorum, & ſolueret filios interẽptorum*, hincque in ſymbolo dicimus. *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, & incarnatus eſt.* & quotidie ait Eccleſia, *Agnus Dei qui tollis peccata mundi*. & clamat Dauid [a], *In iuſtitia tuã libera me.* & Apoſtolus [b] *Delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti.* Cur ergo aiũt, adhuc nobis hæc contritio neceſſaria è? Cur tot ieiunia, vigiliæ, carniſque macerationes ad expianda peccata requiruntur? Cur conſcientia nobis tàm ſæpe examinanda? perinde ac ſi pro nobis ille non ſatisfeciſſet, noſque illius ſanguine redempti non fuiſſemus? Videmus venerabilem illum ſenem Simeonem, qui erat vir iuſtus, & timoratus, vt narrat Sãctus Lucas poſtquam infans Dominus noſter in templo fuit præſentatus, illa verba ſpiritu ſancto plena pronunciaſſe [c], *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum uerbum tuum in pace: Quia uiderunt oculi mei ſalutare tuum.* Si ſalus ipſe noſtra eſt, quid contritione ad ſalutem egemus?

b Seſ. 14. c. 4

c Catechiſ. Rom. de pœnit. ſacr. c. 5.

a Pſal. 30 & 70.

b ad Coloſſ. cap. 2.

c cap. 3.

His querimoniis reſpondendum eſt, fallaces eſſe has Demonis voces, qui nos quotidie variis artibus quærit eludere. *Sex enim millia annorum iam penè complentur*, vt ait S. Cyprianus [d], *ex quo hominem Diabolus impugnat. Omnia genera tentandi, & artes, atque inſidias deijciendi uſu ipſo uetuſtatis didicit. Si imparatum inuenerit militem Chriſti, ſi rudem, ſi non ſollicitum, ac toto corde uigilantem, circumuenit neſcium, fallit incautum, decipit imperitum.*

d in præfa. lib. ad Fortunatum de exhort. martyr.

Hinc dicebat Sanctus Auguſtinus in libro de Paſtoribus [e], *Abſit ut dicamus nobis: Viuite ut vultis, ſecuri eſtote, Deus neminem perdit, tantummodo fidem chriſtianam tenete: non perdit ille, quod redemit: non perdet, pro quibus ſanguinem ſuũ fudit: & ſi ſpectaculis uolueritis oblectare animos ueſtros, ite; quid mali eſt? & feſta illa quæ celebrantur per uniuerſas Ciuitates in lætitia conuiuentium, & publicis menſis ſe ipſos, ut putant, iucundantium, re uera magis perdentium, ite, celebrate: Magna eſt Dei miſericordia, quæ totum ignoſcat. Coronate uos roſis antequam marceſcant; In domo Dei ueſtri quando uolueritis conuiuamini, implea*

e Tom. 9. c. 3 pa. 1096.

mini

Digitized by Google

mini cibo, & uino cum neſtris: ad hoc enim data eſt iſta creatura, ut ea perfruamini, non enim impijs, & paganis eam dedit Deus, & nobis eam non dedit. Hac ſi dixerimus, fortè congregabimus turbas ampliores: et ſi ſint quidam, qui nos ſentiant hæc dicentes, non rectè ſapere, paucos offendimus, ſed multitudinem conciliamus. Quod ſi fecerimus, nõ uerba Dei, non uerba Chriſti dicentes, ſed noſtra: erimus paſtores noſmetipſos paſcentes, non oues.

Quòd ſi dicas, nonne Chriſtus liberauit nos, & mulctam pro nobis exoluit? Reſpondemus hoc non obſtare, quò minus opera noſtra, ipſo etiam fauente facta, requirantur, vt ea nobis applicentur. Ille enim tanquàm peritiſſimus medicus veram nobis inuenit, & præbuit medicinam ad ſanandas infirmitates noſtras, præſcripſit nobis rationem illius ſumendę, & vulneribus noſtris eam applicandæ, ac ſimul certam viuendi regulam à nobis diuino auxilio adhibendam, vt eadem nobis eſſet ſalutaris; Vnde Sanctus Paulus dicit [a], *Quem propoſuit nobis Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius.* Et Sanctus Ioannes [b], *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his qui credunt &c.* Et in Cantico Zachariæ. [c] *Vt liberati ſeruiamus illi in ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.* & quod ait Apoſtolus [d], *quæ ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Ideo neceſſe eſt: vt noſipſi hæc ex latere Chriſti deriuantia, & profluentia remedia infirmitatibus noſtris applicemus: Vnde Sanctus Chryſoſt [e]. ſuper illis verbis, *Exiuit ſanguis, & aqua, hinc* ait *myſteria ortũ habuerunt, ut quoties ad ea accedis, tamquàm ab ipſo latere hauriens fontem aquæ ſalientis in uitam æternam, accedas.* quemadmodum cum in platea fons aquæ perennis omnibus expoſitus eſt, ad quem licet cuique accedere, & ſitim ſuam extinguere; verùm qui illi non appropinquant, nullum ex ea fructum capiunt; propterea Propheta dicebat [f], *Sitientes uenite ad aquas.* Et rurſus, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris* [g]. Vnde inexcuſabiles prorſus ij ſunt, quibus cum remedia in promptu pateant; illi ea quodammodo negligunt. Et propterea Hieremias clamabat [h], *Nunquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi? Quare ergo non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei?* Sed accidit iſtis pro ut vafris, ac ignauis quibuſdã, qui cum infirmi ſint, & pleni ſcabie, & ſordibus, malunt tamen per vias, & cõpita cum dedecore iacere, ut libertate illa, ac licentia furandi, & vociferandi temere potiantur, quàm ſe ſe in hoſpitalia ad eos ſanandos inſtituta transferre. Et Sanctus Auguſtinus fatetur ſe antequàm lumẽ fidei hauſiſſet, ſolitum dicere [i], *Da mihi Domine continentiam, ſed noli modo, malebam enim eam expleri, quàm extingui.*

Et ſi adhuc aliquis obijceret, ſi Chriſtus potuit nos efficaciter à peccatis liberare, tamque facile illi fuiſſet ſalutẽ noſtram operari abſque nobis, quàm cũ nobis: imo ſapientiſſimus ipſe medicus longe aptiùs, & perfectiùs remedia noſtris vulneribus adhibere nouiſſet & potuiſſet, quàm ipſi nos valeamus: cur ergo ſicut nos creauit ſine nobis, noluit pariter nos ſaluare ſine nobis?

Reſpondendum eſt, Dei amorem erga humanum genus hac in re magnopere elucere, qui vt hominum honori conſuleret, voluit quodammodo ſi ita loqui licet, de ſuo detrahere: ſi enim ipſe nobis nihil cooperantibus totum id quod ad ſalutem noſtram ſpectat, effeciſſet, omnis laus & gloria beatitudinis à nobis adeptæ, in ipſum ſolum redundaſſet, omniaqué diuinæ liberalitati accepta referrentur, nihilque hominum meritis tributum fuiſſet. Ne igitur hoc homines honore priuaret, voluit, vt quæ ſua ſunt dona, noſtra eſſent merita, & gratia quæ gratis ab ipſo animæ noſtræ infunditur, vſui nobis ad merendũ proficeret, & tamquàm exuberantia paſſionis ſuæ remedia, non ſine noſtro conſenſu, ſi de adultis loquamur, vulneribus noſtris applicarentur, vt ſic fœlicitatis æternæ præmium, & hominum meritis comparatum, & diuina ſimul benignitate largitum diceretur [l]: ſicuti enim qui pugnando cum Turcis Rege præeunte,

equos,

[a] ad Rom. 3.
[b] cap. 1.
[c] S. Luc. c. 1.
[d] 2. Cor. 7.
[e] Hom. 84. in c. Ioan.
[f] Iſa. c. 55.
[g] Iſa. c. 12.
[h] Hier. 8.
[i] Confeſ. lib. 8. c. 7.
[l] Bellarm. Tom. 3. lib. 5. c. 5. de iuſtif. & ſeq.

quos, armamēta, exuuiaſque illorum diripit, maiori laude, & honore eſt dignus, quàm ſi ſola Principis liberalitate, eadem illi dono data fuiſſent, quia hoc Principis tantùm munificentiam celebrat; illud militis etiam virtutem teſtatur: Sic beatitudinis præmium bonis operibus noſtris promereri, multo glorioſis eſt homini, quàm ſi diuina omnipotentia nihil nobis adnitentibus, aut cooperantibus totum illud nobis collatum fuiſſet.

Quare merita noſtra, noſtræque ſatisfactiones nullatenus Chriſti Redemptoris merita, eiuſque paſſionis ampliſſimam ſatisfactionem obſcurant, aut diminuunt, imo magis commendant, & illuſtriorem reddunt; nam præeunte illius gratia, ac tanquam cauſa vniuerſali præcipuè operante, noſtræ qualeſcunque vires eo duce ſubſequuntur, & vim ac robur ſuſcipiunt, prout ſacræ literæ teſtantur. Hincque manifeſtum facimus, nos, quod iuſtitiæ eſt, delicta noſtra contra nos ipſos vindicare, pœnam pro ipſis debitam perſoluentes, & ſimul nos Chriſti crucem libenter amplecti, abnegantes nos ipſos, & carnem ſpiritui rebellem mortificantes a.

a Medin. in 1. 2. q. 87. art. 6.

Igitur, vt ad rem noſtram redeamus, cum ſacramenta nobis tanquam certa, & ſaluberrima pharmaca ſint tradita, inter quæ pœnitentia poſt Baptiſmum inſignem locum habet, & contritio tanquam pars illius præcipua cenſetur; mirum non eſt, ſi ad eam tot Prophetarum, Apoſtolorum, ſanctorumque vocibus, imo Saluatoris ipſius explicitis verbis excitamur. Nam cum tanta ſit naturæ noſtræ imbecillitas, quantam vnuſquiſque quotidie in ſe ipſo experitur, quid proderat nobis ſemel etiam redemptos, & liberatos fuiſſe, ſi cum adeò procliues ſimus ad peccandum, & relabendum, nobis remedium non relinquebatur, quo liceret nobis reſurgere, & rurſum in Dei gratiam reuerti?

Hinc ſanctus Hieronymus eam b, *ſecundam poſt naufragium tabulam* appellauit, quòd ſicuti ſubmerſa in pelago naui, ſupereſt tantum ſecundæ tabulæ perfugium, quo ſe nauta, & cæteri recipiant; ſic Chriſtiano homini, poſt ſcelera, in gehennam addicto, ſupereſt pœnitentiæ ſubſidium, quo valeat in gratiam reſtitui, & incolumitatem ſuam tueri, & in fœlicitatis æternæ portum deduci.

b Epiſt. 64. ad Pamac. & Ocean.

Cognita iam contritionis neceſſitate, nunc videndum eſt, quod ſecundo loco propoſuimus, quomodo hæc contritio ſit à nobis concipienda, ne eius imagine interdum decipiamur: & exiſtimantes nos theſaurum, quod dicitur, poſſidere, carbones inanes fouere deprehendamur. Siquidem multa ſunt in rebus humanis, vt omnes nouimus, quæ vera non ſunt, & tamen ita compoſita, vt vera videantur, & veritatis ſpeciem quandam referant. Eſt enim moneta vera, & falſa: ſunt veræ, & adulterinæ margaritæ; ſic etiam in moribus eſt vera, & falſa iuſtitia, vera & falſa religio, vera & ficta humilitas, & dilectio, & pœnitentia, & contritio de qua agimus; Hinc Propheta ait c. *Dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei, cor autem eorum rectum non erat cum eo, nec fideles habiti ſunt in teſtamento eius:* Cuius rei egregium exemplum, quod ad rem noſtram pertinet, extat in ſacris literis Dauidis, & Saulis: vterque enim cum peccaſſet, hanc vocem protulit, *peccaui*, & tamen quia Dauid ex animo, & verè id pronuntiauit, Dominus tranſtulit peccatum eius, & dixit ei, *Non morieris:* At cum alter non ea, qua oportebat animi ſummiſſione, & propoſito id ageret, effecit, vt Samueli pro eo preces fundenti, iratus Dominus dixerit, d *vſquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum?*

c Pſal. 77.

d 1. Reg. 16.

Quoniam verò multum intereſt hæc nota habere, ne alioquin homines in re propria, & adeo neceſſaria decipiantur, ſigna quædam attingēda duximus, ex quibus facile erit internoſcere vera ne, an ficta fuerit eorum contritio.

L Nam

Nam veluti ſi quis graui corporis morbo laborans, potionem ſibi à medico præſcriptam ſumpſiſſet, & tamen poſt, nihil melius ſe haberet, ſed eadem febre, ſiti, corporis debilitate afflictaretur: nemo vtique diceret ſalutarem illi medicinam fuiſſe, quæ nihil de morbi moleſtijs ademiſſet. Sic cum ſacramentum pœnitentiæ, cuius præcipua pars cenſetur contritio, ſit tanquam ſalutare pharmacum, quo noxij peccatorum mores ab anima pelluntur, ac diuinæ gratiæ auxilium reſtituitur; ſi videamus pœnitentem remiſiſſe nihil de conſueta ſua viuendi licentia, nihil de ſolito peierandi, maledicendi, fornicandi, ac detrahendi inſtituto immutaſſe, eundemque omnino ac antea erat, permanere; nemo vtique, certò argumentabitur, veram illam, & ſalutarem contritionis medicinam fuiſſe. Et quamuis ex inueterata conſuetudine, atque naturæ humanæ fragilitate id accidere potuerit, quòd ſcilicet præceſſerit quidem vera contritio, ſed tamen poſtea nouo ſcelere perpetrato depoſita, & immutata fuerit: quo fit, vt hoc quod ſupra attigimus, non ſit neceſſarium veræ contritionis argumentum; attamen non immeritò, nec impudenter quis diiudicabit eum, qui tàm facile, & tàm ſubito in priora peccata relapſus ſit, habuiſſe conditionale potius, quàm abſolu-

a Sot. in 4. diſt. 18. q. 1. art. 3.

tum propoſitum à peccatis abſtinendi[a], nec ſpiritum Domini, aut lumen aliquod diuinæ gratię hauſiſſe. Nam vt ait S. Au-

b S. Auguſt. l. quinquag. homil. 41.

guſtinus[b], *Si pœnitens es, pœnitet te, ſi pœnitet te, noli facere: ſi adhuc facis, pœnitens non es.* Et Iſidorus[c],

c Iſidor. de ſum. bon. lib. 2. c. 16.

irriſor inquit, *& non vere pœnitens eſt, qui adhuc agit quod pœniteat.* Et in Eccleſiaſtico dicitur[d],

d Eccleſ. c. 34.

Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio eius? Nam *ſicut canis, qui reuertitur ad uomitum*, vt dicitur in prouerbijs[e], *ſic imprudens qui iterat ſtultitiam ſuam.*

e Prouerb. c. 26.

Quid igitur, dicet aliquis, ad hanc veram contritionem, quæ fructum afferat conſequendam, eſt neceſſarium?

Primum illud quidem, vt peccator diligenter conſcientiæ ſuæ penetralia ingrediatur, & quomodo ea ſe habeat magno ſtudio ſcrutetur, & inueſtiget quidnam ſingulis diebus ſibi cogitãdo, ſeu loquendo, aut operando occurrerit, quod eiuſmodi ſit, vt ſcrupulum aliquẽ afferat, mentemque ſuam mordeat. Nam ſi plerunque vicinorum tuorum mores, & crimina adeò ſtudioſè perquiris, vt nihil te eorum latere velis, Imo quid dixi vicinorum? Nam quod in tota vrbe geritur, quod apud Gallos, apud Hiſpanos, Polonos, Germanos, & ferè quod in Aegypto, Conſtantinopoli, & extremis etiam inſulis tractatur, id quotidie cõpertum habere cupis; & quomodo deinde id quod in domo interiore tua fit, id quod apud te ipſum agitur, cognoſcere prætermittis? certè qui eiuſmodi ſunt, nullam excuſationis cauſam habent, ſed eò magis miſerabilem inertiam, ſuique ipſius obliuionem ita patefaciunt, vt animæ ſuæ nullam ferè rationem habere, quin nec omnipotentem Deum reuereri, nec tremendum eius iuditium vllatenus formidare digno ſcantur.

Facta igitur hac diligenti exploratione, pœnitentem oporter præterita quidem peccata gemere, & deflere, & veniam eorum humiliter petere; in poſterum verò ſibi firmum propoſitum ſtatuens, ea amplius non admittere; ſed ab ijs, cæteriſue, quibus Deum offendere poſſit, omnino abſtinere: atque in ſumma peccatum ſuper omnia deteſtari, Deum verò ſuper omnia diligere: memorans ſecum id maxime quod vterque Apoſtolus ſcripſit Petrus quidem, f 2. Petr

dum ait[f], *Melius illis fuerat viam veritatis non noſſe, quàm poſt agnitam retrocedere ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato;* Paulus verò cum

ſcripſit[g], *ſi quæ deſtruxi, iterum hæc ædifico, præuaricatorem me conſtituo.* g ad Galat. 2.

Neminem verò terreat quòd nimis difficile ei fortè videatur, ita ob patrata ſcelera ingemiſcere, deteſtari, eaque toto animi affectu deplorare: Nam ſi conſideres

ſideres quot bona, quantam felicitatem peccando amiſeris, in quot ſupplicia te miſerè præcipitaueris, nullum inuenies lugendi finem. Si vidua mortuo marito, aut mater extincto filio, totas noctes excruciat cor ſuum; quàm modica illa iactura eſt, præ hac ſuprema, & immortali omnium bonorum, quæ eſt Dei ipſius amiſſio? Hoc Dauid agnoſcens dicebat [a], *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.* [a Pſal. 6.] Sed quando etiam infirmitas noſtra non illud nobis odium in peccatum, & eam lachrymarum vim ſuppeditaret, quæ optanda eſſet; ad Deum miſericordiæ fontem recurrendum eſt, qui nobis hūc ſpiritum largiatur: Hieremiam imitantes, qui dicebat [b], *Conuerte me Domine, & conuertar:* [b Hier. 32.] Sic Dauid etiam petebat dicens [c], *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.* [c Pſal. 50.] Illud tamen memorantes: cum huiuſmodi precibus, id quoque adiungendum eſſe, quod nos pro virili noſtra præſtare poſſumus. Nam & ſi Deus nos tanquam dormientes ſæpe excitet, conantes tamen & laborantes maxime adiuuat, exemplo Prophetæ qui dicebat [d], *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* [d Iſai. c. 38.] & alibi [e], *Lauabo per ſingulas noctes lectulum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* [e Pſal. 6.] Et alibi [f], *Tota die contriſtatus ingrediebar, cor meum conturbatum eſt in me, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.* [f Pſal. 37.]

Nec quiſquam dubitet, hoc ipſum etiam conari, ſuperegredi quodammodo facultatem noſtram; Nam Dominus ad id etiam vires largitur, ita vt cum nos illud promouere, & aggredi ſtudemus, tunc ipſe nobiſcum operari non deſinat; Vnde ſatis nos poſſe id facere dicimur, quod eius auxilio poſſumus; Hincque per Zachariam dicebat [g], *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* [g Zach. c. 1.] Et per Hieremiam [h], *Si conuerteris, conuertam te;* [h Hier. c. 15.] Ex quo fluxit præclara illa ſententia S. Auguſtini [i], *Domine da quod iubes, & iube quod vis.* [i Confeſſ. lib. 10. c. 29 & ſeq.] Quod tamen intelligendum eſt, vt non languidè quod noſtrarum virium eſt, ſed tota animi contentione exequi ſtudeamus, cum in Deuterorōmio legatur [k], *Cum quæſieris Dominum, inuenies eum, ſi tamen quæſieris eum in toto corde tuo, & tota tribulatione animæ tuæ.* [k Deuter. 4.]

Hoc verò nec etiam ita accipiendum eſt, quaſi oporteat hunc animi dolorem ſenſibilem eſſe, & cum exterioribus lachrymis coniunctum. Nam id nimis durum in quibuſdam corporis conſtitutionibus deprehenderetur, quæ lachrymas non emittunt; vnde cum ab homine ea non exigantur, quæ eorum naturæ repugnent: ſatis erit ſi dolor hic rationalem tantùm animæ partem afficiat, ſentiatque homo ſe Deum rebus omnibus anteferre tanquàm ſummum bonū, & viciſſim peccatum, quod eſt ſummum malum, præ ceteris huius ſeculi rebus, odiſſe.

Rurſus etiam quamuis dolor, non potiſſimum ex Dei amore, ſed potius ob ſuppliciorum metum excitaretur, ita vt veram rationem contritionis non attingat; qui potius attritio dicenda eſſet; non tamen ideo peccator à ſpe ſalutis, & conſequendæ veniæ excidat, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ vt Tridentino concilio declaratum eſt [l], [l Seſſ. 14. c. 4.] quoniam iſte dolor, ad verum Dei amorem & gratiam in ſacramento diſponit, vnde virtute ſacramenti peccator ex attrito contritus redditur.

Supereſt quod tertio loco propoſitum eſt, quo ſcilicet tempore hæc contritio ſit ineunda, quod quidem nullam prorſus pati deberet dubitationem, niſi nos praua hominum conſuerudo doceret, hic quoque quamplures frequenter labi, qui peccatis grauibus onerati, differunt ad ſacræ hebdomadæ dies, ijs ſe ſubleuare, cum tamen Salomon dicat [m], *Non tardes conuerti ad Dominum tuum, nec differas de die in diem, ſubito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* [m Eccleſ. 5] Cum igitur tria ſint tempora ad id agendum, præſens, futurum, ac morti proximum, non videtur multis agendum de illis, qui expectant appropinquantem mortem,

cum hoc ipſo ſatis ij cæcitatem ſuam oſtendant, habentes ante oculos plurimorum exempla, quibus tàm repentinā viderunt exitus ſui falcem ingruiſſe, ſicque ſenſus eorum omnes ſubitò obrutos fuiſſe, vt nec reſpirandi ſpatiū eis fuerit permiſſum, iuxta illud: *Cum fatigatus deſinis contemnere, contemneris*. Quare negocium illud, quo nullum maius eſt, referuare in tempus tàm incertum, & tàm periculoſum, quis, non dicat magnæ eſſe imprudentiæ, & inſaniæ argumentum? præſertim cum Iſaias admoneat [a], *Quærite Dominum dum inueniri poteſt, inuocate eum, dum propè eſt*.

a c. 55.

De illis verò, qui non quidem extremum illud tempus, ſed futurum expectant, quòd commodius, quàm præſens illis futurum eſſe exiſtiment, quid dicemus? cogitent illi quæſo exemplum quod S. Chryſoſt. affert commune ſatis omnibus præſertim nobilibus viris, qui ſi fortè in aliquem corporis morbum inciderint, nulla interpoſita mora medicos conuocant, pecuniam profundunt, & cetera quæ recuperandæ corporis ſanitati adiumento eſſe poſſint, omni diligentia conquirunt. At verò ijdem, cum animam ita quandoque vulneratam ſentiant, vt omnino ſit in perpetuum incendium, niſi ei pœnitentiæ remedio occurrant, præcipitatura; adhuc tamen cunctantur, & procraſtinantur, ac ſi parùm ea res ad ipſos pertineret.

Quid igitur agendum eſt? quod in Eccleſiaſte dicitur [b], *Mane ſemina, & veſpere, quia neſcis quid magis oriatur, hoc an illud, & ſi vtrumque, melius erit*. Itaque quod Eccleſia hiſce diebus frequenter repetit, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis*, curemus, ne incaſſum dictum ſit, ſed & nunc, & poſtea etiam, ac frequenter repetere, & exercere ſtudeamus.

b c. 11.

DE SANCTISSIMO SACRAMENTO EVCHARISTIAE.

COLLECTOR.

PLVRIMA ſunt, quæ Illuſtriſſimus D. Cardinalis Archiepiſcopus, de ſanctiſſimo ſacramento Euchariſtiæ rite cuſtodiendo, atque adminiſtrando decreuit in ſua Bononienſi Eccleſia. Verùm nos ea hic afferantur, quæ magis ad inſtituti noſtri rationem facere videntur, paucis tantùm capitibus ea complectemur; Primùm de ſacra communione in eccleſia habenda; deinde de eadem ad infirmos deferenda; tum de proceſſionibus, quæ in honorem ſanctiſſimi Sacramenti celebrantur. quorum omnium corollarium erit ſermo eiuſdem Illuſtriſſimi Archiepiſcopi, hoc argumento ex multis excerptus. Initium autem omnibus faciet ſummarium Bullæ Pauli Papæ iiij. ſuper erectione ſocietatum Corporis Chriſti, non ſolū quia ab ipſa, tanquam à fonte emanant plura ad ſanctiſſimæ Euchariſtiæ cultū pertinentia, ſed etiam quia illi innixus Archiepiſcopus eaſdem ſocietates in Ciuitate, & Diœceſi Bononiæ frequentiſſimas erexit, eiſq. regulas præſcripſit, in quibus, præter Sacramenti cultū, & bonum ipſarum ſocietatum regimen, eleemoſynæ, pia opera, pluraquè alia, quæ ad Chriſtianæ diſciplinæ incrementum faciunt, eiſdem iniunguntur. Quas quidem regulas integras hic collocauimus, ad maiorem omnium inſtructionem, cum in ipſis etiam communionis infirmorum, & proceſſionum ritus explicentur.

Omittimus verò hic ea, quæ ad ſanctum Miſſæ ſacrificium ſpectant, nam ſuperuacaneum eſſe exiſtimauimus illa hic inſerere, quæ aſsiduè præ manibus ſacerdotum ſunt, in Miſſali Romano, atque in eius rubricis, præter Catechiſmum, & Doctorum ſummas, plenè tractata, & declarata continentur. Accedit quòd cum Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Præfectos cæremonijs ſacris, atque earum examinatores inſtituerit, tùm in Ciuitate, tum in Diœceſi, nulli ſacerdoti ad Miſſæ ſacrificium celebrandum aditus patet, quin prius fuerit diligenter examinatus, atque approbatus.

Quin

Quin amplius ad maiorem ſacerdotum vtilitatem, voluit iampridem Illuſtriſſimus Archiepiſcopus, vt Bononiæ de hac re nonnulli libelli ederentur, qui commodiores eſſent ſacerdotum vſui; inter cæteros verò, Ioannes de lapide Carthuſienſis, in quo libello ipſi ſacerdotes exactè admodum inſtruuntur, & plures etiam dubitationes, varijquè caſus circa celebrationem Miſſarum occurrentes ſoluuntur, atque explicantur; item voluit, vt rubricæ ipſæ Miſſalis Romani, quò rudioribus ſacerdotibus proſpiceretur, uulgari ſermone editæ, & in ſeparato libello collectæ imprimerentur.

Quæ de cultu, & cuſtodia ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, hoc loco non attinguntur, ea lector infra, ubi de Viſitatione agetur, reperire poterit.

Summarium Bullæ Pauli Papæ III. ſub Dat. Romæ die 30. Nouembris 1539. ſuper erectione Societatis ſacratiſſimi Corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Indulgentiæ, & Priuilegia.

CVPIENS Sanctitas ſua vt quæcumque in honorem, & venerationem ſanctiſſimi Sacramenti à pia fidelium deuotione adhibentur, perpetuis futuris temporibus eſſent duratura, & ſacratiſſimum Chriſti corpus in Eccleſijs aſſeruari, & adminiſtrari, atque ad communionem infirmorum deferri eo cultu, qui illi debetur: mandat in eadem Bulla, vt in quibuslibet eccleſijs parochialibus non ſolum Vrbis Romæ, ſed etiam vbilibet exiſtentibus, inſtituatur ſodalitas, ſiue ſocietas, tam virorum, quàm mulierum, ſub inuocatione ſacratiſſimi corporis Chriſti.

1 Quibus confratribus ſocietatis huiuſmodi, ac eorum ſingulis dat, & concedit omnia, & ſingula priuilegia, indulta, exemptiones, libertates, immunitates, indulgentias etiam plenarias, & peccatorum remiſſiones, ac alias gratias ſpirituales, & temporales à quocunquè ſummo Pontifice Romano conceſſas, & concedendas confratribus Imaginis Saluatoris ad ſancta ſanctorum, & aliarum Eccleſiarum & locorum vrbis, prout pleniùs in dicta Bulla continetur.

2 Confratres vtriuſque ſexus, & eorum ſinguli in ingreſſu, & ter in vita confeſſi, & ſacramẽto recepto, plenariam ad inſtar iubilæi indulgentiam obtinent.

3 Cappellani, & miniſtri ſocietatis eaſdem Indulgentias ſocietatis conſequuntur.

4 Confratres ijdem vtriuſque ſexus, quemcunque presbyterum ſecularem, vel regularem, etiam in mortis articulo, etiam ſi mors tũc non ſubſequeretur, in ſuum poſſint eligere confeſſorem, qui eorum confeſſionibus diligenter auditis, eos ab omnibus peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis quantuncunquè grauibus, & enormibus, etiam ſedi apoſtolicæ & locorum Ordinarijs reſeruatis, præterquam à contentis in literis in die cœnæ Domini legi ſolitis, ter in vita abſoluere, & eis pœnitentiam ſalutarem iniungere poſſint.

5 Confratres ijdem vtriuſque ſexus, ac eorum ſinguli aſſociantes ſanctiſſimum Sacramentum per ſe, vel impediti per alios, centum annos Indulgentiæ conſequuntur.

6 Mulieres domi cum campanæ ſignũ audiunt, flexis genibus dicendo ſemel orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam, eandem Indulgentiam obtinent.

7 Confratres vtriuſque ſexus, qui qualibet ſexta feria cuiuslibet hebdomadæ totius anni, Eccleſiam aut altare, vbi erit ſanctiſſimum Sacramentum deuotè viſitauerint, decem annos, & totidem quadragenas indulgentiæ conſequentur

Quadam ad qua obligantur ex eadem Bulla Confratres huiuſmodi ſocietatis.

1 Confratres vtriuſque ſexus ſingulis hebdomadis quinquies orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam recitent.

2 Confratrem infirmum viſitent,& ad confeſſionem, communionemquè adhortentur.

3 Per ſe, vel impediti per alios, faciebus accenſis aſſociẽt Sacramentũ.

4 In eleuatione corporis Chriſti in Miſſa ſolemni, quæ ſingulis menſibus in vna Dominica celebratur, faces accenſas habeant.

5 Procurent Sacramentum honorifice accenſis lampadibus,die noctuque conſeruari.

6 Curati ad communionem infirmorum conuocent Confratres ſigno campanæ.

7 Rectores parochialium eccleſiarum tenentur obſeruare ſtatuta eiuſdem ſocietatis.

RITVS ADMINISTRANDI ſacram Euchariſtiam in eccléſia.

OMNIBVS adſtantibus hinc inde, genibus flexis, in locis præparatis pro frequentia communicantiũ,iubeat ſacerdos, eos per ſe ipſos, vel ſecum,aut cum miniſtro,generalem confeſſionem dicere: videlicet,

Confiteor Deo omnipotenti, &c.

Poſt quam confeſſionem, ipſe dicat.

Miſereatur veſtri &c.

Indulgentiam, abſolutionem &c.

Deinde ad Altare genufleɛ̃tes ſe conuertat, & accepto manu ſiniſtra vaſculo ad id appoſito, aut patena cum corpore Domini noſtri IeſuChriſti, particulam vnam dextera manu eleuet, & ad populum conuerſus, eam illi adorandã oſtendat, dicens. *Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi*, & hortetur communicantes, vt pectus percutientes dicant deuote, *Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tantum die verbo, & ſanabitur anima mea*,

vel materna lingua.

Signor,io non ſon degno, che tu entri nella caſa mia: ma di la tua ſanta parola,& ſara ſalua l'anima mia.

Quibus verbis iterum, ac tertiò dictis,incipiat ſacras particulas diſtribuere,ſuppoſitam illis ſemper patenam,aut ſacramenti vaſculum habens: ſignans vnumquenque in modum crucis,ac ſingulis dicens, *Corpus Domini noſtri Ieſu chriſti cuſtodiat animam tuã in vitam æternam. Amen.*

Duo autem miniſtri ante ſacerdotem mappam extenſam ſub patena, vel vaſe ſacramenti teneant, & alius ſubſequatur cum vino albo,non in calice,ſed vaſe vitreo,aut ex alia materia confecto, cũ mappa candida ad abſtergendũ ora communicantiũ. Quòd ſi clerici haberi non poterunt, hoc officium præſtabunt viri pij & modeſti, & præcipuè confratres corporis Chriſti ſuis induti cappis.

Item in Paſchate Reſurrectionis, quo tempore ex inſtituto ſanctæ Romanę Eccleſiæ omnes tenentur qui ſunt apti, recipere hoc venerabile Euchariſtiæ ſacramentum, Parochus prouideat, vt fideliter diſtribuantur communicatis chirographa,vt poſtea iuxta normam ſuam diſcernat communicatos,à non communicatis, vt ſupra dictum fuit; cõmunione abſoluta,reuertatur ad Altare,atque ſanctiſſimo Chriſti corpore, ſi adhuc ſuperfuerit, in medio altaris depoſito, & adorato dicat.

℣. *Panem cæli dedit eis.*

℟. *Panem Angelorum manducauit homo.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus. *Deus qui nobis ſub Sacramento mirabili paſſionis tuæ memoriam reliquiſti: tribue quæſumus: ita nos corporis, & ſanguinis tui ſacra myſteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter ſentiamus. Qui viuis & regnas in ſecula ſeculorũ, Amẽ.*

Tempore

Digitized by Google

Tempore Paſchali.

Oratio.

Oremus. Spiritum nobis Domine tua charitatis infunde; ut quos ſacramentis paſchalibus ſatiaſti: tua facias pietate concordes. Per *Chriſtum noſtrum. Amen.*

Deinde repoſito ſacramento in tabernaculo, & facta ei reuerentia, uertens ſe ad communicatos dicat.

Pax, & benedictio Dei omnipotentis, Patris, & filij, & ſpiritus ſancti, deſcendat ſuper uos, & maneat ſemper. Amen.

COLLECTOR.

HAE quæ ſequuntur Regulæ ſodalitatum ſanctiſſimi Corporis Chriſti erectarum ab Illuſtriſſ. Archiepiſcopo tam in Ciuitate, quàm in Diœceſi Bonon. in quinque partes diſtributæ ſunt, & ſimplici ſermone conſcripta, ut facilius ab ijs, cum quibus agitur percipi poſſint.

In prima igitur parte agitur de officialibus ſodalitatis.

In 2 de Confratribus, eorumque diſciplina.

In 3 de proceſſionibus ſanctiſſimi Sacramenti.

In 4 de ordine deferendi illud ad infirmos.

In 5 de Viſitatione pauperum infirmorum, & eleemoſynis colligendis, ac diſtribuẽdis.

Regularum ſanctiſſimi corporis Chriſti Prima pars.

De officialibus. Cap. I.

In qualibet Parochiali, ſeu alia Eccleſia vbi Confraternitas ſanctiſſimi corporis Chriſti erit, liber comparetur, in quo à ſecretario deſcribantur nomina, & cognomina Confratrum omnium. qui quidem liber numero parochianorũ, & confratrum ſufficere poſſit; & in eius parte deſcribantur item ab eodem ſecretario nomina, & cognomina Confratrum defunctorum, quiq; in dies ex hac mortali vita migrabunt. Præterea in ipſa eccleſia in loco conſpicuo tabella affixa ſit, vbi eadem nomina, & cognomina ex vna parte hominũ, ex altera verò mulierum, diſtinctè annotentur.

Cap. II.

Vt bono regimini ſodalitatis conſulatur, eligãtur aliqui pij, & religioſi viri, inter quos varia munera ad certum tẽpus diſtribuantur: qui tamen non ante ea gerere incipient, quàm deuotè communicent, vt ipſis Deus notam viam in qua ambulent, facere dignetur.

Rector vnus, Prior vnus, Maſſarius vnus, Depoſitarius vnus, Secretarius vnus, Viſitatores pauperum infirmorum duo, Cuſtos unus pariter eligantur.

Neque tamen hęc regula ſit perpetua, nec hic numerus adeo ad vnguem præſcriptus, vt neque augeri, neque minui poſſit, ſi pro qualitate temporum, locorum, & perſonarum, illum vel minui, vel augeri melius eſſe iudicetur. Quòd ſi occaſio non vrgeat, hic numerus neque excedatur, neque minuatur.

Cap. III.

Quælibet harum ſodalitatum deputabit tres, aut quatuor ex Confratribus pios, & prudentes, & auctoritate inter ceteros aliqua inſigniores, qui vnà cum Parocho, ex toto Confraternitatis Corpore eos, quos magis idoneos eſſe exiſtimabunt, eligãt ad quædã, quæ grauiora officia cenſentur exercenda. hunc autem numerum in tres claſſes, ſeu capſulas diſtinguent; in vna ponent nomina eorum, qui ſibi videntur Rectoris munere fungi poſſe; in altera eorum, qui Priores, & Maſſarij eligentur; in tertia eorũ qui Viſitatores eſſe debebunt. quę quidem deputatio ad triennium durabit. reliqui verò officiales, veluti Depoſitarius, Secretarius, & Cuſtos, ſiue Guardianus,

dianus, alijque, per ſuffragia ſecreta ſodalitatis eligentur.

Cap. IIII.

Officia Rectoris, Prioris, & Maſſarij ad ſex menſes durabunt. extrahentur autem primis Dominicis menſium Maij, & Nouembris. officium viſitatorum ad duos menſes durabit. nemo verò officialium electus, niſi eum legitimis impedimentis detineri conſtet, recuſet officia. Quod ſi aliquis abſens à Diœceſi, cuius abſentia in menſem produci poſſet, extraheretur: alius ipſius loco extrahatur. ſed ſi poſt officium inceptum, aliquo etiam legitimo impedimento officialem detineri contingeret, alius in ipſius locum, durante impedimento, ſubſtituatur.

Cap. V.

Rectoris officiũ erit pręeſſe toti Confraternitati, & curare, vt alij officiales omni diligentia, & charitate ſuis fungãtur officiis. Ad ipſum pertinebit ſaltem ſemel quolibet menſe omnes Confratres in loco ad id deputato congregare, ibique de rebus ad rectam adminiſtrationem pertinentibus agere.

Cap. VI.

Prioris officium erit, vt Rectori aſſiſtat, ipſum Conſiliis adiuuet in iis omnibus quæ accident. Rectore verò abſente, ipſius loco, et muneri ſuccedat.

Cap. VII.

Maſſarii officium erit cuſtodire, atq; augere ſua induſtria, & pro viribus, omnia bona ſodalitatis; eleemoſynas honeſte procurare, vt expẽſis ſatisfieri poſſit, ipſe ſcripturas omnes & libros ſeruabit; pecunias verò, aliaſque res mobiles, quę in eleemoſynam ſodalitati dabuntur, accipiet; quas res nullo modo vendere poſſit, vt inde pecuniam conflet, niſi admonito, & concedente Rectore, et Priore. Conſignabit autẽ prædictas pecunias, reſque omnes in eleemoſynam acceptas Depoſitario, prius in libro ad id parato, omnibus annotaris. In fine adminiſtrationis ſuæ, rationem ipſius nouis officialibus reddere debebit; qui ſi ipſe recte ſe geſſerit, ſcribant in libro computorum acceptilationem quam iidem officiales noui propria manu ſubſcribant.

Cap. VIII.

Depoſitarii officium erit cuſtodire pro depoſito pecunias omnes, aliaſque res mobiles, quæ in eleemoſynam ſodalitati datæ ſunt, ſibi à Maſſario conſignatas, quæ omnia in ſuo libro diligẽter annotabit. Soluet etiam pecunias eleemoſynis coaceruatas cuicũque ſoluendæ erunt, per chitographa, quæ Rectoris, & Maſſarii manu ſubſcripta eſſe debebunt; item pecunias pauperibus diſtribuendas, quarum quidem chirographa ſufficiet ſubſcribi à Parocho, & à quouis ex officialibus, qui ſi ſcribere ignoret, pro eo alius officialis ſubſcribet. apud eundem Depoſitariũ conſeruabitur capſula eleemoſynarum Societatis, quæ duabus clauibus claudetur, quarum vnam Parochus, aliam Rector habebit, neque eleemoſynæ à capſula extrahentur, niſi præſentibus Parocho, Rectore, Maſſario, atque ipſo Depoſitario.

Cap. IX.

Secretarii officiũ erit, in libro, ſeu vt vocant Matricula, deſcribere nomina & cognomina eorũ, qui indies Confraternitati aggregabuntur, mulierũ quidẽ in vna libri parte, hominũ verò in alia, eorumdemque qui indies morientur. Annotabit etiam omnia Confraternitatis ſcrutinia, extractionem, & electionẽ officialium, aliaque his ſimilia.

Cap.

Cap. X.

Viſitarorum officium erit, vnà cũ Parocho inquirere pauperum infirmorum parochiæ neceſſitates, eoſque iuuare, præſertim verò eos, qui ex numero Confratum erunt, quibus diligentiùs, vt par eſt, proſpicere debebunt. Non ante verò eleemoſynam cuipiam largiantur, quàm eum ſacramentum confesſionis ſuſcepiſſe conſtet, aut in ſequenti die confiteatur. Examinabunt diligenter neceſſitates ipſorum pauperum, & magna charitate, & circũſpectione iuxta perſonarum conditionem eleemoſynas diſtribuent: Qua in re ipſorum conſcientia oneratur, ne ſupra ſocietatis vires eleemoſynæ impertiantur; ſed pauperibus, pro cuiuſque neceſſitate, & pro viribus conſulatur. Quòd ſi iis videbitur, vti poterunt uiſitatores opera alicuius piæ, probęque mulieris ex confraternitate ipſa mulierum, quæ pauperum infirmarũ viſitationis munere perfungatur.

Cap. XI.

Cuſtodis officium erit, de mandato Rectoris, aut Curati, conuocare Confratres, vexillum in proceſſionibus præferre, quolibet Sabbatho eleemoſinas, aut alio quolibet die, qui illi à Superioribus præſcribetur, hoſtiatim per totam parochiam cum capſula quærere; intortitia Confratribus diſtribuere, cum proceſſio celebranda, aut ſacramentum ad infirmos deferendum erit: in reditu ad Eccleſiam eadem colligere, & aſſeruare, atque in aliis rebus neceſſariis Confraternitati inſeruire. Qui quidem, pacta mercede, compenſabitur.

Secunda pars regularum.

De Confratribus, ipſorum officijs, deq. ijs, quæ tam à Curato, quàm ab ipſis circa Sanctiſſimum Sacramentum ſunt obſeruanda.

Cap. I.

QVICVNQVE in Confraternitatem aggregari voluerit, in charitate Domini accipietur, dummodo de ipſius bonis moribus, & vita conſtet; neque excludentur, niſi publici peccatores, videlicet, Vſurarii, Concubinarii, Blaſphemi, & hiſce ſimiles.

Ratio adhibenda ab iis qui admitti volent, hæc erit, Parochum adibunt, ipſique ſuam voluntatem aperient. Parochus vero vnà cum Priore diligenter certior fieri curabit de ipſius qualitate, ſique ipſũ ad Cõfratrum numerum adſcribi poſſe, ex conſcientia cognoſcet; eum breuiter, & dilucide edocebit ea omnia, quæ Confratres obſeruare tenẽtur, præſertim verò admonebit de plenaria indulgentia à Paulo Papa tertio cõceſſa omnibus & ſingulis, qui eo die, quo ſocietatem ingrediuntur peccata ſua confitebuntur, hortabitur vt eam cõnſequi curet præuiis confesſione, communione, & aliqua voluntaria, & omnino libera eleemoſyna, quæ operũ bonorum ſocietatis incremento applicabitur.

Cap. 2.

Omnes & ſinguli Confratres quolibet menſe in memoriam Paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ante ſãctiſſimũ Sacramentum genuflexi, deuotè recitare teneantur quinquies orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam, & ſingulis hebdomadis item genuflexi, vbicunque ſeſe commoditas offeret, eandem orationem quinquies dicent; quòd ſiquis ſtato tẽpore interdum eam dicere obliui ſceretur, huiuſmodi defectum ante communionem ſupplebit.

Cap. 3.

Præter Paſchale tempus, quo omnes Chriſti fideles communicare tenentur, curent Confratres, vt qualibet primà Dominica menſis communicent, aut ſaltem in feſtis Pentecoſtes, Corporis Domini, Aſſumptionis B. Virginis, Omniũ Sanctorum, & Natiuitatis Dominicæ.

Cap. 4.

Monentur pariter quicunque Confratres, vt ſi poterunt, quotidie Miſſæ

ſacro

ſacro deuote interſint; ſique non poterunt, ad Eccleſiam ſaltem ſeſe conferãt, ibique ſanctiſſimum ſacramentum reuerenter, & deuote adorent.

Cap. 5.

Item interſint omnes & ſinguli eorũ, niſi legitimis impedimentis detineantur, proceſſionibus quæ ſingulis menſibus habebuntur, & communionibus infirmorum, cũ ad eos defertur ſacramentum: nam pro qualibet vice centum annos indulgentiæ conſequentur: mulieres verò ſi ijs domo exire non licebit, cũ ſignum communionis audient, genuflexæ quinquies Pater noſter, & Aue Maria deuote dicant, eandemque indulgẽtiam conſequentur.

Cap. 6.

Moriente aliquo ex Confratribus, Parochus ſigno campanis dato, docebit officiales ſocietatis nomen, & cognomen defuncti, defunctæue: confratres verò pro ipſius anima quinquies Pater noſter, & Aue Maria dicent, eumque dũ effertur ad ſepulturam comitabuntur. Quòd ſi ita pauper exiſtat, vt nihil reliquerit pro exequiis celebrãdis, gratis à confratribus ſepeliatur. Parochus poſt mortem defuncti cõfratris, Miſſam defunctorum pro ipſius anima celebrabit.

Item quolibet anno die tertio Nouembris, aut alio commodiore, idem Parochus celebrabit Miſſam pro omnibus confratribus defunctis. Confratres verò omnes, & ſinguli eodem die pro eiſdem quinquies Pater, & Aue Maria dicant, & ſi poterunt etiam ſacro Miſſæ intereſſe non deſinant.

Cap. 7.

Quilibet eorum pro lampadibus, candelis, ſeu intortitiis ad ſanctiſſimi Corporis Domini cultũ ſpectantibus, in die ipſius ſolemnitatis, aut alio commodiore tempore, offerat intortitium album; quòd ſi id agere ob inopiam non poſſit, aliquam ad libitum eleemoſynam largiatur.

Cap. 8.

Cum Societati aliquid dono datum erit, aut teſtamento relictum, ſiue in agris, ſiue in domibus, ſiue in redditibus illud conſiſtat: ſi ſummam 25. aureorum excedat, Parochus, & Rector ſocietatis infra quindecim dies omnia huiuſmodi Archiepiſcopo denuntient; à quo de iis, quæ illi agenda erunt admonebuntur. Atque ubi commode fieri poterit, habeat ſocietas cubiculum, ſine Parochi damno, eccleſiæ coniunctum, in quod conueniant tractaturi cõfratres de rebus ſocietatis, & in eo ſcripturæ, aliaque huiuſmodi aſſeruentur.

Cap. 9.

Quod attinet ad expenſas, quæ fieri debebunt pro neceſſitatibus ſocietatis, Parochus facultatem habebit unà cum Rectore, Priore, & Maſſario quaſdam pecunias minoris ſummæ in confraternitatis uſum erogare, qui præ oculis habeant ex una parte ſocietatis opum tenuitatem, ex altera ipſius neceſſitates rectè animaduertant; expenſæ tamen grauioris ſummæ nequaquam fiant, niſi ſciente, & conſentiente toto ſocietatis corpore: & eo caſu vota per ſcrutinium accipiantur.

Cap. 10.

Sanctiſſimum ſacramentum ſuper altari maiore in tabernaculo decenter ornato aſſeruabitur; quòque dignius & ornatius erit, eò gratiorem cõfratres ſuã operam ipſi Deo, qui ibi adeſt & colitur futuram ſciant; die verò noctuque ſemper lampas vna ſaltem accenſa coram ipſo luceat.

Cap. 11.

Quælibet ſocietas habeat vexillum vnum, vmbellam vnam, laternam magnam vnam, & campanulam ad ſanctiſſimum

ſimum Sacramentum maiore cultu ad infirmos deferendum.

Cap. 12.

Vt omnis diſſenſio tollatur, quæ poſſet accidere inter Parochum, & ipſam confraternitatem circa paramēta, aliaque ornamenta pro cultu ſanctiſſimi Sacramenti à confraternitate exquiſita, aut confecta: declaratur ea eſſe, & fore ipſius confraternitatis, nō eccleſiæ; quę tamen ab ipſa confraternitate conſignētur per inuentarium Parocho, qui ea cuſtodiat & aſſeruet, iiſque vtatur cū opus erit, habita ipſorum ratione. Quod ad ceram attinet, & eleemoſynas pecuniarum, aliaque huiuſmodi: ea confraternitatum officiales, vt ſupra dictum eſt, cuſtodiant.

Cap. 13.

In omnibus, & ſingulis præcipuis cuiuſlibet anni feſtis, Parochus promulget indulgentias, & priuilegia ſocietati conceſſa, quæ habentur in Bulla Pauli Papæ tertii; atque pie & ſollicite hortetur populum ad ea conſequenda: atque vt in confratrum numerum vnuſquiſque adſcribi curet, tanti theſauri propoſito munere inflammare conetur.

Cap. 14.

Confratres tamen moniti ſe ſciant, priuilegia, & indulgentias ſe nequaquàm conſecuturos, niſi his regulis pareant. Atque vt nemo ſeſe excuſare poſſit ignorantiæ nomine, præcipitur, vt libellus harum regularum in ſingulis eccleſiis, vbi ſocietates erectæ ſunt, publicè in omnium conſpectu conſtituatur; vt ab omnibus legi poſſit: Eundemque omnes confratres in ſuis domibus habere, & ſæpius legere ſtudeant.

Cap. 15.

Vt ſemper certus perſonarum numerus ſanctiſſimum Sacramentum comitetur, quolibet menſe à generali ſcrutinio extrahentur ſaltem decē homines, & decem mulieres, qui quotieſcumque campanæ ſignum pro communione deferenda audient, ſtatim ad eccleſiam ibunt; vt ſanctiſſimum Sacramentum comitentur, lumina ferant; & umbellam, aliaque peragant, quæ tam ſancto erga Redemptorem noſtrum obſequio debētur. quòd ſi quis præpeditus venire non poſſet, alium ſuo loco mittet eorum confratrum qui extrahentur.

Quilibet autem Curatus ſtatuet aliquod ſignum communionis infirmorū, quod à populo percipiatur.

Cap. 16.

Pro communione infirmorum ſemper aſſeruetur in parochia, in aliqua arca à Maſſario cuſtodienda, is intortitiorum nùmerus, qui cuilibet ſocietati conueniet pro ipſius amplitudine, ſiue tenuitate. Et pro iis caſibus, in quibus periculū eſt in mora, conſignentur curato quatuor intortitia ſocietatis: vt cum opus erit, cum iis ſacramentum ad infirmos deferatur.

Cap. 17.

Feria quinta in cœna Domini, quicunque legitimis impedimētis non detinentur, Miſſæ ſanctiſſimi Sacramenti interſint, & intortitia aut candelas ferant, illudq; ad Sepulchrum deuotè comitentur. Idem agant feria 6. in paraſceue. Curabit verò Rector, vt nullus omnino confratrum his diebus huic ſacro muneri deſit, & omnes, & ſinguli ad ſanctiſſimum Chriſti corpus, eo qui ab hominibus, prę illa sūma Maieſtate, proficiſci poteſt, honore proſequendum inuitentur.

Tertia pars.

De proceſſionibus ſanctiſſimi Sacramenti.

Cap. 1.

CVM à ſancta eccleſia inſtitutū ſit, vt proceſſiones ſanctiſſimi Sacramenti quotannis ſolemni

ad id

ad id deſtinato tempore, poſt octauam Pentecoſtes celebrentur: hæ confraternitates, quæ ad cultum ſãctiſſimi corporis Domini potiſſimum erectæ ſunt, ijs præcipuè diebus, frequentia, intortitijs, luminibus, thuribulis, aliiſque piis ornamentis, atq; apparatibus eaſdem proceſſiones decorare ſtudeant.

Atque in ciuitate quidem confraternitates in ipſa erectæ ſolennitatem ipsã corporis Chriſti, eo quo decet maiore cultu, proſequi curent.

In Diœceſi verò, eodem ſolemnitatis prædictæ die, eædem confraternitates in ipſa erectæ, ſuam ſingulæ proceſſionẽ faciant in ſingulis parochiis, in quibus inſtitutæ ſunt.

In octaua autem eiuſdem ſolemnitatis in ciuitate proceſſiones habeantur per ipſius quarteria, ab iis tantum parochiis, quas Illuſtriſſ. Archiepiſcopus ſingulis annis præſcribet: haſque proceſſiones comitabuntur aliæ confraternitates parochiarum eiuſdem quarterii in quo habentur.

Cap. II.

Infra annum ſingulis menſibus confraternitates has proceſſiones celebrabunt in unaquaque parochia, aut eccleſia in qua erectæ ſunt, prima Dominica cuiuslibet mẽſis, aut aliis dominicis diebus pro eccleſiarum commoditate; dummodò quolibet menſe eas celebrent; eo cultu, & veneratione, vt ſanctiſſimum Sacramentum in illo breui proceſſionis ſpatio, ſiue in eccleſia fiat, ob pluuiam, aut aliud temporis impedimentum, ſiue fiat extra eccleſiam, præter ſolitum maiore luminum numero, reuerenter, & deuotè deferatur.

Cap. III.

Ordo ſeruandus in proceſsionibus hic erit. Antequàm proceſsio inchoetur, curatus & officiales, quà ſit habenda, deliberabunt; uicorumque, & uiarum incolę, & confratres ipſi in iis habitantes duobus, aut tribus ante diebus admonebuntur, vt viæ abſtergi atque exornari poſsint. Parochus verò eccleſiam ipsã, quantum fieri poterit, & apparatu, & luminaribus ſummi Dei triumphãtis idoneum in quod recipiatur domicilium reddere conetur.

Cap. IIII.

Officiales legitimis cauſis non detenti diligentia omnes anteire ſtudeant, vt proceſsionibus interſint, & frequens ad eas populus, præſertim verò confratres accedant.

Cap. V.

Diebus dominicis quibus proceſsiones celebrabuntur cuſtos in eccleſia mẽſam tapete inſtructam præparet, in qua ſit polubrum, in quod eleemoſynarũ pecuniæ coniiciantur. ad eam verò menſam ſedebunt Prior, Maſſarius, & Secretarius, vt eos annotent qui in confraternitatem adſcribi volent.

Atque in eadem menſa parata item erunt intortitia, & candelæ aliaque huiuſmodi quæ ad proceſsionem pertinẽt.

Cap. VI.

In eccleſiis in quibus plures miſſæ celebrari ſolent, & ad quas frequentior populus accedit; Sacerdos qui primam Miſſam celebrabit duas hoſtias conſecrabit, unam ipſe ſumet, alteram in tabernaculo portatili reponet, quod in eminẽti loco, ornato, & lumiuaribus undique circumdato in eodem altari collocabitur: vt populo meditationis, & orationis aliqua præbeatur occaſio, proceſsio uerò hac præparatione maiori deuotione celebretur.

Cap. VII.

Hora competenti celebrabitur Miſſa cum oratione. *Deus qui ſub ſacramento mirabili*; quòd ſi commode ſolemniter celebrari, & concini, nõ poſſet ſummiſſa uoce dicetur.

Cap.

Cap. 8.

Poſtquam Sacerdos communicauit, cuſtos intortitia, & luminaria diſtribuet ad proceſſionis vſum parata, eo ordine qui qualitati perſonarum ſit congruus.

Celebrata Miſſa Sacerdos planeta depoſita, induet pluuiale, & ſupra pluuiale circum humeros velum ſericum imponet. Quòd ſi locus in diœceſi tāta inopia laboret, vt pluuiale non adſit, ſuperpelliceo, & ſtola, veloque item ſerico quod ſuperpelliceo imponet vtatūr. Interim vero Confratres vmbellam parent, & proceſſionem incipiant.

Cap. 9.

Indutus Sacerdos, vt ſupra dictum eſt benedicet incenſum, & poſtquam reuerenter ſanctiſſimum Sacramentum adorauerit, atquè thurificauerit, paruulum illud tabernaculum vbi repoſitum inter manus accipiet, & conuerſus ad populum genuflexum, illud ei adorandum præbebit. Interim cantores incipient hymnum, *Pange lingua glorioſi.* Chorus ſequetur, *Corporis myſterium* &c.

Cap. 10.

Confecto primo hymni verſu, proceſſio inchoetur, & hymnum cantores proſequantur: ij verò quibus hæc cura demandabitur, ſtudeant vt ordinate procedant omnes bini, aperto capite qui poſſunt, pręſertim verò ij, qui vmbellam ferunt, quique ſanctiſſimo Sacramento ſunt propinquiores, viri à mulieribus ſeparati, quæ poſt Sacramētum, & poſt viros deuotè ſubſequantur. Officiales & alij digniores qui interſunt, vmbellę proximi, quorum aliqui cantores circumſtent, qui immediatè Sacerdotem præcedant, & concinant ſequentes hymn. *Pange lingua glorioſi* &c. vel hymn. *Verbum ſupernum prodiens* &c.

Cap. 11.

In reditu ad eccleſiam ijdem hymni aut alij, prout cantoribus videbitur, concinantur: cumque ad altare peruentum fuerit, clerus in duos choros diuidatur, & genuflexi omnes humiliter ſanctiſſimum Sacramentum adorent, quod Sacerdos ſuper altari reponet, & genuflexus etiam ipſe adoret, & thurificet. Interea verò chori concinant hāc hymni partem, hoc eſt. *Verbum caro panem* &c. & reliqua, vſque ad finem hymni.

Quo peracto duo clerici dicant.

℣. *Panem de cælo præſtitiſti eis.*

Et chorus reſpondeat.

℟. *Omne delectamentum in ſe habentem.*

Tum ſacerdos dicet.

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus. *Deus qui nobis ſub ſacramento mirabili paſsionis tuæ memoriam reliquiſti: tribue quæſumus, ita nos corporis & ſanguinis tui ſacra myſteria venerari: vt redemptionis tuæ fructum, in nobis iugiter ſentiamus. Qui viuis* &c.

Dominus vobiſcum. *Et cum ſpiritu tuo.*

Et duo clerici dicent.

Benedicamus Domino,

& totus chorus reſpondebit.

Deo gratias.

Cap. 12.

Poſtremo clericus vnus alta voce dicet. *Iube domne benedicere.*

Et Sacerdos conuerſus ad populum cū ſanctiſſimo Sacramento ſignum crucis formans dicet.

Ille nos benedicat qui ſine fine viuit & regnat.

Quarta pars.

De ordine deferendi ad infirmos ſanctiſſimum Sacramentum.

Cap. 1.

Parochus cum delaturus eſt ſanctiſſimum Sacramentum ad aliquem infirmum, præcedenti dię veſperi, campanæ aliquot ictibus admonebit populū: & is qui ſocietatem conuocare debet, Confratres ad id deputatos inuitabit, eoſque de communione admonebit, nomenq. infirmi docebit.

Cap. 2.

Mane hora competenti campanæ aliquot ictibus ſignum iterū dabit populo, communionem eſſe deferendam; cumq. ad Eccleſiam conuenerint perſonæ ne-

ceſſariæ, cuſtos diſtribuet intortitia, & candelas, quæ ordine, & ſine ſtrepitu accendantur.

Cap. 3.

Tum Sacerdos indutus cotta, ſtola alba, & pluuiali, ſi illud adſit, veloque ſerico humeros circũtectus ad altare accedet, & genuflexus paululum orabit, deinde duas paruulas hoſtias accipiet: quarum vna ad communionem infirmi vtetur, altera vt in reditu ad Eccleſiam deferatur: quod tamen intelligi debet in ciuitate, & oppidis Diœceſis amplioribus; nam in villis, aliiſque locis minoribus ſufficiet vnam hoſtiam tantũ afferre, aut totidem quot erunt infirmi, qui communicare debebunt. Cuſtos verò paratam habeat vmbellam, & eam geſtandam confratribus, vt ſupra deputatis tradat.

Cap. 4.

Vbi poterit, Sacerdos ſocietur à duobus Clericis, qui ſuperpelliceis induti ſint, quorum vnus laternã præferet, alius vas aquæ benedictæ, campanulam, & librum Cathecuminum.

Cap. 5.

Animaduertant tam curatus, quàm reliqui officiales, curentque diligẽter vt ſanctiſſimum Sacramentum omni reuerentia & humilitate, viri & mulieres comitentur, vt ſupra dictum eſt: omneſque aliquem pſalmum, aut orationes recitãtes pro infirmi ſalute ſpirituali, & corporali ad Deum preces effundant.

Cap. 6.

Sacerdos & clerici, qui eum comitabuntur inter eundum & redeũdum pſalmũ Miſerere mei Deus, alioſue pſalmos, aut hymnos ſummiſſa voce dicent.

Cap. 7.

Cum peruentum erit ad ædes infirmi, in cubiculo vbi ipſe erit, dicat Sacerdos *pax huic domui*, clerici autem reſpondeant, *Et omnibus habitantibus in ea*. Depoſito reuerenter ſanctiſſimo Sacramento ſuper altari ad hoc parato, atque ornato duobus ſaltem luminaribus accẽſis, Aſpergat Sacerdos infirmum, reliquoſq. adſtantes aqua benedicta dicẽs. ℣. *Aſperges me Domine hyſſopo &c.*

Tum dicet pſalmum *Miſerere mei Deus* integrum, aut ipſius partem, prout ipſi videbitur, repetetq. antiphonã prædictã. *Aſperges me Domine &c.*

Cap. 8.

Tum Sacerdos ſequentes hos verſus, & orationes dicet.

℣. *Saluum fac ſeruum tuum.*
℟. *Deus meus ſperantem in te.*
℣. *Mitte ei Domine auxilium de ſancto.*
℟. *Et de Syon tuere eum.*
℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*
℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*
℣. *Eſto ei Domine turris fortitudinis.*
℟. *A facie inimici.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiſcum.*
℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus. *Deus infirmitatis humanæ ſingulare præſidium, auxilij tui ſuper infirmum famulum tuum, oſtende uirtutem: ut ope miſericordiæ tuæ adiutus, Eccleſiæ tuæ ſanctæ incolumis repræſentari mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.*

Cap. 9.

Faciat infirmus, niſi ægritudinis anguſtijs prematur, generalem confeſſionem dicens,

Confiteor Deo *Patri Omnipotenti &c.*

aut adſtantes ipſius loco dicant.

Tum Sacerdos dicat.

Miſereatur tui &c.

Indulgentiam, abſolutionem &c.

Dominus noſter Ieſus, Chriſtus qui dixit diſcipulis ſuis, quacunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis: & quacunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis: de quorum numero quamuis indignos nos eſſe uoluit, ipſe te abſoluat per miniſterium noſtrum ab omnibus peccatis tuis, quacunque cogitatione, locutione, operatione negligenter egiſti, & à nexibus peccatorum abſolutũ perducere dignetur ad regna cælorum, qui cum Deo *patre, & Spiritu ſancto, uiuit, & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.*

Cap. 10.

His peractis accipiat Sacerdos in manibus reuerenter ſanctiſſimum Sacramentum, terque dicat latino ſeu vulgari ſermone.

Domine

Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo,& ſanabitur anima mea.

Dumq. communionem præbebit,dicat.

Accipe frater, viaticum corporis Domini noſtri Ieſu Christi, qui te cuſtodiat ab hoſte maligno,& perducat in vitã æternam, Amẽ. Tum faciat ablutionem digitorum cum vino aut aqua, eamque pro purificatione infirmo tribuat.

Cap. 11.

Poſtea dicet.

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus. *Domine ſancte, Pater omnipotens,æterne Deus, te fideliter deprecamur: ut accipienti fratri noſtro ſanctum Domini noſtri Ieſu Chriſti filij tui corpus: tam corpori, quàm animæ proſit ad remedium ſempiternũ. Amen.*

Tum iterum aſpergat omnes aqua benedicta dicens.

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus. *Exaudi nos* Domine *ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de Cœlis, qui cuſtodiat,foueat,protegat,viſitet,atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum* Dominum *noſtrum. Amen.*

Cap. 12.

Poſtremo accepto reuerenter in manibus tabernaculo ſanctiſſimi Sacramẽti, eodem ordine ad Eccleſiam reuertetur, quo diſceſſit; ad quam poſtquam peruenerit, ſuper altare Sacramentum reponet: & ipſe genuflexus illud adorabit; Deinde conuerſus ad populum Indulgentiam pronunciabit centum annorum ijs conceſſam, qui huic deuoto adeſſe ſolent officio, recitetque prædictam orationem Sacramenti *Deus qui nobis ſub Sacramento &c.* Qua peracta, accepto tabernaculo, vbi Sacramentum aſſeruatur, conuerſus iterum ad populum, eidem benedicat dicens.

Benedictio Dei Patris omnipotentis &c.

In Diœceſi in ijs locis,vbi duplices hoſtiæ non deferentur,vt ſupra dictum eſt, indulgentia denunciari poterit, aut in ipſa Eccleſia, antequam ad infirmum accedatur, aut in ipſis ædibus infirmi poſt communionem, prout commodius erit.

Quinta pars.

De pauperum cuſtodia, alijſque Parochiæ neceſſitatibus.

Cap. 1.

OMnem diligentiam Parochus vnà cum viſitatoribus adhibebit, vt pauperes infirmi inuiſantur, confiteantur peccata ſua,& communicent cum opus erit; quique paupertatis onere prementur, eleemoſynis prout cuiuſque neceſſitas requiret, adiuuentur.

Cap. 2.

Quælibet ſodalitas Medicum habebit pium,& religioſum virum,qui etiam ſi fieri poterit, ex numero Confratrum ſit,qui gratis & in charitate Chriſti, pauperes inuiſat, eorumque ægritudinibus præſto ſit.

Cap. 3.

Diebus feſtis,præſertim illis,quos magis ſolẽniter Eccleſia celebrat,officiales diligentiores ſint in eleemoſynis colligendis, quæ ad pauperum infirmorum neceſſitatem ſubleuandam,erunt diſtribuendæ.

Cap. 4.

Hi quibus eleemoſynas quærendi cura demandabitur, quolibet Sabbatho, aut alio,qui decernetur,die,Capſulam à depoſitario ſocietatis ſibi dari curabũt, atque in ea per Parochiam eleemoſynas quærentes, illas accipient. Quo pio quæſtu perfecto, eandem capſulam depoſitario conſignabunt.

Alia capſula in vnaquaque Eccleſia ad hunc vſum affigetur, cum titulo huiuſmodi, literis maiuſculis conſcripto. *Eleemoſyna pro pauperibus parochiæ.* Eaque duabus clauibus cuſtodietur, vt ſupra in cap. 8. primæ partis dictum eſt.

Cap. 5.

Si in aliqua Parochia magnus pauperum numerus reperiatur, quibus ſubueniendis eleemoſynæ ſocietatis non ſufficerent, Confratres poſt adhibitam pro uiribus diligentiam, de hac neceſſitate Illuſtriſſimum D. Cardinalem Archiepiſcopum admonebunt, qui opportuna remedia ad eos iuuãdos exquiret.

Cap. 6.

Cæterum ut diſſenſiones omnes effugiantur, & Pax Domini ſit inter eos, qui pacatoris, & mediatoris Dei & hominũ, corpus ſacratisſimum venerari præ ceteris, & colere profitentur: ſi quid dubium acciderit, in harum regularum intelligentia, ipſarum declarationem ad Illuſtriſſ. Archiepiſcopũ ſpectare ſciãt, aut ad ipſius Vicarium: ad quẽ in quouis euentu, confugere debebunt.

Si qua vero ſodalitas, præter has regulas, aliis inſuper regulis ſe indigere uideat, earum adnotet capita, ſed nõ ante, illas in uſum conuertat, quàm ab Illuſtriſſimo Cardinali Archiepiſcopo, aut eius Vicario cognoſcantur, & ab ipſis facultas in ſcriptis eas promulgandi, iiſque utendi proficiſcatur. Dat. Bonon. &c.

COLLECTOR. *VT in metropolitana Eccleſia, quæ reliquis exemplo eſſe debet, ſanctisſimum Sacramentum dignius colatur, atque adminiſtretur: Illuſtrisſimus Archiepiſcopus indulgentias quæ ſequuntur, à Summo Pontifice obtinuit: atque ornatui Cappellæ, atque indumentorum ſacerdotalium ſuppellectili, adiecto hoc ſpirituali præmio, ex hac parte conſulere curauit.*

INDVLGENTIAE quæ à Sanctisſimo D.N. Gregorio XIII. conceduntur Sodalitati mulierum ſpiritualium, penes quas cura eſt mantilium, mapparum, luminum, aliarumq. rerũ neceſſariarum pro ſacello ſanctisſimæ Communionis in Eccleſia cathedrali ſancti Petri Bononiæ.

QVOTIES ſimul congregabũtur, ut de ſodalitatis aliqua rè agant, quæ ad eiuſdem ſacelli beneficium pertineat, centum dies indulgentię conſequentur.

Quoties contritæ, & cõfeſſæ in codẽ ſacello communicabũt, quinque annos, & totidem quadragenas indulgentiæ ſimiliter conſequentur.

Qualibet Dominica tertia menſis, & ſingulis feſtis Beatæ Virginis ſi communicauerint, itidem indulgentia decẽ annorum, & totidem quadragenarum, ex pœnitentijs illis impoſitis, aut aliis debitis, iiſdem conceditur.

In mortis articulo poſt cõfeſſionem, & communionem, plenariam indulgentiam, & remiſſionem omnium peccatorum ſuorum ſingulæ earum acquirent.

Item quicunque tam viri, quàm mulieres opus hoc ad honorem corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti quocunque modo promouere curabunt, quoties id agent, centum dies; ſique tertia Dominica cuiuſlibet menſis, & in feſtis B. Virginis ſacram Euchariſtiam ſument in eodem ſacello, ſeptem annos, & totidem quadragenas; in aliis verò diebus ſi idem agent, annũ pœnitẽtiarum ſibi iniũctarum, aut quouis alio modo debitarum indulgentiæ conſequentur.

Hortamur igitur omnes Chriſti fideles, ut tam utili, nobilique obſequio diligenter vacent, quod tam certa præmia bonis ſeruis proponit.

Sacerdos in ſacello horis conſuetis deputatus adeſt, qui in ſodalitatem adſcribi uolentes, in librum referet. Dat. Bonon. &c.

Sermo

Sermo Illuſtr. Card. Archiepiſcopi De ſacramento Euchariſtiæ.

Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic uerbo, & ſanabitur anima mea. S. Matth. Cap. 8.

HAEC ſunt verba, vt noſtis Dilectiſſimi, quæ in vniuerſa Eccleſia Dei ſolet vnuſquiſque fidelis, cum ad ſacram Euchariſtiæ menſam acceſſurus eſt, aut ore, aut intimo ſaltem corde proferre: ſumpta ex Centurionis reſponſo apud ſanctum Matthæum. Quæ cum inter omnia ſacri Euãgelij verba, pro vetere catholicæ Eccleſiæ inſtituto, excerpta fuerint, quibus chriſtianus populus cæleſtem hunc cibum ſumpturus vteretur, dubitandum non eſt ea maximis myſterijs, atque altisſimo ſenſu referta eſſe, immo videntes nos, ea antiquiſſimis vſque temporibus in vſu fuiſſe, cum Origenes[a] mille, & trecentorum annorum author, & ſanctus Chriſoſt.[b] eorum mentionem faciant: nec huius inſtituti initium ſatis reperiatur; non obſcurè id nobis argumento eſſe poteſt, traditionem hanc Apoſtolicam extitiſſe, cum ſcribat ſanctus Auguſt.[c] *Multa non inueniuntur in Apoſtolorum literis, neq. in concilijs poſterorum, & tamen quia cuſtodiuntur per vniuerſam Eccleſiam, non niſi ab Apoſtolis tradita & commendata creduntur*. Et rurſus[d]. *Quod uniuerſa tenet Eccleſia, neque à concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate apoſtolica traditum, rectiſſimè creditur*. Quod & S. Leo confirmat dicens[e], *Dubitandum non eſt quicquid ab eccleſia in deuotionis conſuetudinem retentum eſt, de traditione apoſtolica, & ſancti ſpiritus prodire doctrina.*

a Orig. in homil. 5. in diuerſ.
b S. Chriſoſt. in miſſa græca, & in homil. in dominicam noni.
c S. Aug. lib. de baptiſ. contra donatiſt. lib. 2. c. 7.
d S. Aug. li. 4. de Baptiſ. contra donatiſt. 4. 1. 24.
e S. Leo ſer. 2. de Pent.

Quapropter nos in præſenti, vobis Dilectiſſimi, panem hunc ſanctiſſimum adminiſtraturi, opportunum eſſe exiſtimauimus, hæc ipſa verba paulo diligentiùs, prout nobis licebit Dei gratia, vobis explicare.

Domine non ſum dignus, ut intres, &c. His verbis, quatuor præclariſſimas virtutes cótineri animaduertimus, quibus anima noſtra cupiens ſe Deo per ſacrã Euchariſtiæ ſuſceptionem, & communionem coniungere, contendit exornari, vt tamquàm quadriga in cœlum feratur; hincq. rectè dici poſſit, *Et quadriga tua ſaluatio*[f]. Quæ ſunt religio, humilitas, fides, & prudentia.

f Abac. c. 3.

Primo verbo quo ait, *Domine*, oſtenditur magna Religio; nam religio vt ait S. Thom.[g] eſt virtus, per quam tribuitur Deo tanquam vero principio, & fini rerum omniũ, debitus cultus & honor, & per quam effectus ſubijcit ſe cauſæ ſuæ, eamque reueretur; eſtque hæc virtus dignitate proxima theologalibus, quamuis ipſæ præcedant, eo quòd illę Deum vnum rectà, & nullo intercedẽte medio reſpiciunt, ſed religio Dei cultũ, & venerationem intuetur[h]. Idcirco inter omnes virtutes morales, primum locum obtinet religio, ſolaq; dicetur propriè homines ab animalibus brutis diſtinguere: nam tam et ſi loqui, ridere, ratiocinari, intelligere, videntur ea eſſe, quibus differunt homines à beluis. nihilominus, vt ſcribit Lactantius[i], *In brutis etiam imago quadam intelligentia, prudentia, uigilantia, & ſcientia detegitur. Nam nidos ſtruere, mollire cubilia: & in alterum diem reponere, quod multa animantia faciunt, nonnullius fortaſſe*, inquit Quintilianus, *rationis eſt*[k]. Verùm deuotio, Dei contemplatio, oratio, & alia quæ ad religionem ſpectant[l], propria & peculiaria ſunt hominis. Vnde cum laudandus quiſpiam eſt, ob hoc præcipuè videtur commendandus: imo dempta religione, cæterę virtutes morales tamquàm capite deſtitutæ, tenues admodũ, imperfectæ, & nullius ferè momenti deprehenduntur[m].

g S. Th. 2. 2. q. 81.
h S. Tho. 2. 2. q. 81. ar. 5
i Lact. lib. de ira Dei. c. 7.
k Quint. lib. 2. cap. 16. Plutarc. in opuſcul. An bruta animalia &c.
l S. Tho. 2. 2. q. 82.
m S. Tho. 2. 2. q. 81. ar. 6

Sed quomodo hoc verbo *Religio* indicatur? Quoniam vocans eum Dominũ, tribuit illi verum honorem & cultum, cum eum vt Dominum agnoſcat, & cófiteatur. Et ſi diceres, nonne hoc nomẽ & hominibus defertur? nonne quotidie dicimus, Dominus N. & Dominus N.

a S. Io. ca. 20. b Pſal. 104 c S. Io. ca. 4.

nonne dixit Magdalena [a], *Domine ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi*, cum crederet eum eſſe hortulanum? Et in pſalmo de Ioſeph dicitur [b], *Conſtituit eum Dominum domus ſuæ*. Et Samaritana neſciens, Chriſtum eſſe Deum, cum quo loquebatur, dicebat [c], *Domine da mihi hanc aquam*.

d S. Ambroſ. lib. 1. de fide c. 5. et S. Tho. in 1. q. 96. art. 4. e S. Thom. in 3. q. 108. ar. 5. ad 2. f Pſal. 15.

Ad hæc reſpondendum eſt, hanc vocem *Dominus*, *&* *Dominium* multipliciter accipi [d]: propriè verò, ac potiori vr dicitur ſenſu, Deo ſoli congruere, in cuius manu ſunt omnes fines terræ, & qui poteſt de rebus omnibus arbitrio ſuo ſtatuere [e], quibus nullatenus ipſe indiget, iuxta illud pſalm. [f]. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Et ſic dixit Gedeon, cum populus cœpiſſet eum nominare Dominum, non inquit *ego dominabor veſtri, ſed dominabitur ueſtri Dominus.* Hincque adnotauit ſanctus Auguſtinus [g]. quod in principio Geneſis cum nominatus eſſet *Deus*, deinde in ſecundo cap. nominatus fuit *Dominus*, cum ait, *Tulit Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo uoluptatis*. Cur hoc? Quia Deus initio non curauit tribuere ſibi hoc nomen Domini, ſed poſt creatum hominem cui dixit, *Dominamini beſtijs terræ*. Tunc ne exiſtimaret homo ſe ipſum verum Dominum eſſe, ſed potius intelligeret ſe dominio maiori alterius eſſe ſubiectum, ideo tunc Deus nominauit ſe Dominum, quod & Apoſtolus ad Coloſſenſes innuit, dum ait [h], *Domini quod iuſtum eſt, ſeruis præſtate, ſcientes quòd & vos Dominum habetis in cælo.*

g S. Aug. in Geneſ. ad literam lib. 8. cap. 11. h ad Coloſ. cap. 4.

Nō ſum dignus ut intres ſub tectum meum. His verbis dubium non eſt, alteram virtutem ſignificari, quæ Humilitas uocatur, dum reprimit ſe ipſum, ne feratur in ea, quę ſunt ſupra ſe, propriamque uilitatem agnoſcit [i]. Vnde dixit Ananias Regi. *Quid eſt, ut ueniat Dominus meus Rex ad ſeruum ſuum?* Et ſanctus Bernardus. *Quis ſum ego, quis es tu?* cum alijs huiuſmodi multis, quæ omnibus nota ſunt.

i S. Th. 2. 2. q. 161. art. 1. & ſeq.

Verùm duplex hic oritur difficultas. Prima, quia cū dicat Apoſt. [k] *Qui manducat indignè, iudicium ſibi manducat, et bibit*. videtur hic qui ad communionem accedit dicens, *Domine non ſum dignus*, ſemet ipſum excludere; nec ſufficit reſpondere, hunc quidem dignum eſſe, ſed humilitatis cauſa ita ab eo proferri; Nam cum humilitas ſit virtus, non poteſt cum mendacio conuenire, quod ſemper uitium eſt, dicente ſancto Auguſtino [l]. *Cum humilitatis cauſa mentiris, ſi non eras peccator, mentiendo efficeris.* Quòd ſi uerè ille ſe indignum ſentit, & talem ſe profert, tunc Apoſtoli verba qui dixit, *Qui manducat indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit*, eum ab hac ſacra menſa reijciunt.

k 1. Cor. 12. l S. Aug. lib. de uerb. Apoſt. ſer. 31.

Vt tollatur hæc prima difficultas, animaduertendum eſt, hæc duo non contraria, ſed diuerſa eſſe: aliud enim ſonat dignum non eſſe, aliud indignum eſſe: ſicut aliud eſt Antonium non doctū eſſe, aliud Antonium indoctum eſſe; ad obtinendum beneficium multas in clerico concurrere oportet virtutes, ueluti doctrinam, probitatem, caſtitatem, & multis etiam uitiis eum carere opus eſt, quòd non ſit ſicarius, latro, ſimoniacus, &c.

Ille igitur cui virtutes deficient, dicetur non dignus beneficio, quia quæ requiſita & neceſſaria ſunt, minime obtinet. Verùm qui flagitiis erit inquinatus, dicetur indignus beneficio, quoniā illis ſordibus eſt fœdatus, quæ eum inhabilem beneficio reddunt.

Ex quo colligimus hanc particulam *INDIGNE*, quæ priuatiua dicitur, multo maiorē vim, quàm *NON DIGNE*, quę negatiua eſt, continere: quoniam negatiua vt dici ſolet, nihil ponit in eſſe; ſed priuatiua vitium, impedimentumue aliquod ſubeſſe indicat.

c. 1. de ſeruitin. in ordin. facien.

Quod ergo attinet ad propoſitum, homo indignus non poteſt communionem ſumere, quia iudicium ſibi manducat, & bibit: illeque indignus dicitur, qui ſibi conſcius eſt peccati mortalis, aut alicuius defectus capitalis, & hic ex verbis Apoſtoli arcēdus eſt à ſacra menſa. Ille aūt qui nō eſt dignus, videlicet qui ijs virtutibus, & animi dotibus, quas deberet & cuperet, non intelligit ſe præditum,

ſed

ſed tamen non ſentit conſcientiam peccato mortali oneratam, quod charitati repugnat, hic nõ eſt à communione prohibendus [a].

[a] S. Thom. 2. 2. q. 184. art. 2.

Et ſi replices Apoſtolum ſcribere, *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat*. Reſpondetur, ſatis dici probarionẽ factam, vbi peccati mortalis conſcientia aliquem non mordet, quod ſolũ gratiam diuinam aufert, & hominem ab illa ſeparat. ſiquidem non agit nobiſcum Deus, vt iudex nimium acer & ſeuerus, vel vt cauilloſus aduocatus, qui pium propoſitum noſtrum nolit agnoſcere, cũ dicat S. Auguſtinus [b]. *Qui peccandi de cætero voluntatem non habet, confeſſione peccati facta, accedat ad Euchariſtiam intrepidus*. & quemadmodum medicus tranſacto febris paroxiſmo, infirmo præbet cibum, quamuis adhuc aliquo languore laboranti, ne alioquin debilitare confectus deficiat. Sic peccati mortalis æſtu præterlapſo, atque ab anima expulſo, non eſt peccator ab hac menſa repellendus, vt poſſit diuina gratia augeri.

[b] in lib. de Eccleſ. dign. c. 53.

Altera eſt difficultas quomodo hæc verba *non ſum dignus*, teſtificentur humilitatem illius. Nam, aut hæc verba ſunt vera, aut falſa: ſi ſunt vera, hæc eſt alia virtus diuerſa ab humilitate, quæ veritas appellatur, vt mox oſtendemus; ſi ſunt falſa, non poteſt eſſe humilitas, quę eſt virtus, excluditque omne mendacium, vt modò diximus.

Hic animaduertendum eſt, cum humilitate nihil concurrere planè debere, quod verum non ſit; ſed tamen quando id quod profertur, verũ omnino eſt, tunc veritatis otiri virtutem, quæ ab humilitate diuerſa eſt. Exẽpli cauſa. Vult Princeps aliquem præficere claſſi maritimæ aduerſus Turcas: hic reſpondet ſe minime aptum eſſe, cum nec triremes gubernarit, nec milites vnquam duxerit. Alius vocatur ad Magiſtratum ſuſcipiẽdũ, populoſque moderandos: ille ait, ſe vitam ſuam ſemper in otio, aut literis traduxiſſe, nec Ciuitatis illius, aut populorum notitiam vllam habere: Vtique hęc non eſt humilitas, ſed legitima excuſatio, & veritas.

Quid igitur opus eſt, vt quod profertur, & cũ humilitate, & veritate ſit coniunctum? Nempe vt proprij aliqui defectus detegantur, ex quorum cognitione inter infirmos, & abiectos ſuo quodam more ſe ipſum cenſeat [c], ſicuti Abraam dixit. *Loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis, & cinis*. Hæc autem propriarum culparum manifeſtatio tunc maxime eſt humiliratis ſignum, cum oblata excelſæ alicuius rei obtinendæ occaſione, ille affectum proprium temperat, atque appetitum cohibet, ne immoderate in eam tendat. Multi enim ſunt, qui generalia quædam tempore minus opportuno de ſe ipſis confiteri, & prædicare ſolent, veluti ſe non ualere nec literis, nec prudentia, nec animi magnitudine, aut diligentia; & tamen cum de adipiſcendo aliquo honoris gradu, aut pinguis eccleſiæ vacatione agitur, illi tunc obliti vrbanæ, & verbis profuſæ illius humilitatis, alijs ſe præferri, & priorem locum obtinere cotendunt.

[c] S. Th. 2. 2. q. 161. art. 1. ad primum.

Non ſic hodie facit Centurio, ſed quo tempore indiget auxilio Saluatoris, ille ſe non dignum cognoſcit, qui eũ in domum ſuam recipiat, ſimulque nonnulla de ſe ipſo profert, quibus morum ac vitæ ſuæ vitia, & quàm parum Saluatoris gratiam mereatur, apertiſſimè teſtatur. Iſteq. loquendi modus proprias culpas verè, & humiliter aperiendi, à Chriſtiano non repellitur; ſed potius commendatur, eo quòd adeo homines radice ſuperbiæ ſunt infecti, adeoque proprię excellentiæ ſtudium in ijs vigere ſolet: vt quamuis confiteri ſe non dignum & abiectum, nihil aliud ſit, quàm illud aperire, quod verum eſt; nihilominus Dei benignitas tanta eſt, vt hoc ipſum loco virtutis, & meriti magni accipiat, ſicut ait S. Chryſoſtomus [d] *Peccatorem ſe agnoſcere, licet non ſit humilitatis, ſed ſani iudicij: hæc tamen ſubmiſſio tantum poteſt, ut ex peccatoribus iuſtos faciat*.

[d] Homil. 38. ad pop. Antioch.

Vt igitur Centurio eo quia dixit, *non ſum dignus vt intres ſub tectum meum*, propterea dignus factus eſt, & admirationi ſuper omnes Iudæos habitus; Ita nos vt digne ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum

mentum ſuſcipiamus, non dignos ad il-
lud ſuſcipiendum nos iudicemus; confi-
tẽdo enim quòd non noſtris viribus, ſed
præuia Dei gratia ſaluemur, & humilian
do nos ipſos ante Dei maieſtatem, aptos
nos iudicat Deus huic ſuo muneri, &
benificentiæ: Sic & Paulus dicens[b], *Non
ſum dignus vocari Apoſtolus*, & magnus A-
poſtolus, & orbis Doctor eſt nuncupa-
tus. Itidem & Ioannes dicens[c], *Non ſum
dignus ſoluere corrigiam càlceamenti Chri-
ſti*, non ſolum effectus eſt amicus ſponſi,
ſed & eandem manum, quam eſſe calcea
mento dixit indignam, ſuper caput ſuũ
Chriſtus extulit. quia nihil Deo tàm
gratum eſt, quàm cum homo ſemetipſũ
cum extremis peccatoribus cupit con-
numerare, hoc ſiquidem *totius ſapientiæ
eſt principium*, vt idem S. Chry. affirmat[d].

b 1. ad Corinth. c. 15.
c S. Matth. 3.
d S. Chryſoſt. d. hom. 38. col. vlt.

Tertia eſt virtus, quæ Fides appella-
tur, quæ ex illis verbis dignoſcitur cum
ait, *ſed tantũ dic uerbo &c.* quę virtus dif-
fert à religione, altiùſque aſcendit. re-
ligio enim reſpicit cultum Dei, at fides
ipſum Deum. fides attingit finem, ſed
religio verſatur circa ea, quę tendunt in
finem, ſuntque propinquiora fini[e]. Hanc
fidem dubitandum non eſt, fuiſſe admo-
dum inſignem, & excelſam non ſolum
ex parte, vt aiunt obiecti, quę eſt prima
veritas vnica, & maxime ſimplex: ſed
etiam ex parte ſubiecti, quia à nullo edo
ctus, ipſam Chriſti diuinitatem explicitè
credidit, & confeſſus eſt[f]. Quod & Sal-
uator noſter teſtatur dum ait, *Non inue-
ni tantam fidem in Iſrael*.

e S. Tho. 2.2 q. 81. art. 6.
f S. Anton 4. par. tit. 8. c. 3. §. 7.

Verùm hinc etiam non leuis oritur
difficultas, quoniam in hoc eodem cap.
ſancti Matthęi, quo narratur factũ Cen-
turionis, refertur & miraculum illud, cũ
ſanatus fuit leproſus, qui dixerat *Domi-
ne ſi uis, potes me mundare.* quæ verba innu
unt, multo maiorem illius fidem, quàm
Centurionis fuiſſe. ſiquidem cum lepro
ſus dicat, *Si vis, potes me mundare*; hæc
verba *SI VIS*, referunt ſe ad puram, &
intimam Saluatoris voluntatem. Centu
rio autem non tantum illius voluntati fi-
dere videtur, ſed amplius petere aliquid
extrinſecus præter voluntatem, nempe
vt *dicat verbo*.

Ad hoc reſpondemus, hæc verba Cẽ-
turionis myſticè ſignificare fidem Incar
nationis, atque profundum illud myſte-
rium ſeculis abſconditum atringere uer
bi incarnati; de quo pſal.[g] *Miſit uerbum
ſuum, & ſanauit eos*: perinde ac ſi Centu-
rio dixiſſet, ſeruus meus iamiam mori-
tur ſecundum naturæ curſum; ſed tu qui
verbum ès æterni patris, per quod facta
ſunt omnia, potes à te ipſo uerbo, largiri
ei uitam, cum dicat ſanctus Ioãnes, *Deus
erat uerbum*, Et paulo poſt, *quod factum
eſt in ipſo, uita erat.* Poteſt & hoc uirturẽ
ſacramentorum innuere, de quibus ſcri
ptum eſt, accedat uerbum ad elemen-
tum, & fiat ſacramentũ, quod & ad trã-
ſubſtantiationẽ Euchariſtiæ referri poſ
ſet, quæ uirtute uerbi conficitur.

g Pſal. 106.

Reſponderi etiam poteſt, quòd ſi utri
uſque confeſſionem inſpiciamus, maior
quidem uidetur fuiſſe leproſi, quàm Cẽ
turionis fides. ille enim ſolum actum in-
teriorem voluntatis ſatis eſſe ad ſanan-
dum confeſſus eſt; iſte prætetea efflagi-
tauit, vt diceret verbo, ideſt ſecundum
phraſim Hebraicam[h], ut imperaret: qui
quidem imperandi actus, tametſi ad ra-
tionem potiſſimum pertinet; attamen cũ
ad agendum aliquid ordinatur, habet
hoc ipſum externi nonnihil adiunctum,
quippe monitionem, vel denuntiatio-
nem verbis expreſſam[i].

h Ianſ. in concord. euang. c. 45.
i S. Tho. p. 2. q. 17. art. 1.

At ſi amborum perſonas, quales fue-
rint, diligenter expendamus, fides Cen-
turionis multo præſtantior apparebit.
Leproſus ſiquidem vti Iudæus, ſacras
traditiones edoctus, ſacerdotum & pa-
rentum monitis inſtructus, & in ſcriptu-
ris ſacris forſan verſatus, multa de Chri
ſto Meſſia ſcire potuit, quæ Centurio, &
vniuerſa Gentilitas penitus ignorauit.
Non igitur Centurionis fides ſimplici-
ter, & abſolutè, ſed ſecundum propor-
tionem quandam, & perſonarum inter
ſe collationem, maior eſt exiſtimanda.
Sic vidua illa plus omnibus diuitibus in
gazophylacium miſiſſe dicitur, quam-
uis non niſi duo minuta cõtulerit, inſpe-
cta ſcilicet quantitate proportionali,
non abſoluta. Sic in modico ſermone
ſapientiæ, plus laudatur ruſticus, quàm
in ma-

in magno philoſophus: & plus eſt puero ferre quinque pondo, quàm viro forti ferre viginti.

Quarta eſt virtus, quam Centurion is ſermo attingit, quæ dicitur prudentia, dum ait, *& ſanabitur puer meus:* ſiquidem prudentia ab eo maxime dignoſcitur, propter quod aliquid petitur, qui finis eſt petitionis; cum oportcat rem, quæ poſtulatur debita quadam proportione, & dignitati Regis à quo petitur, & propriæ neceſſitati reſpondere. Si quis enim à Principe maximo, & opulentiſsimo res leues, veluti poma, aut amphoram vini efflagitaret, ridendus vtique eſſet, qui rem adeò leuem, ac cunctis ferè obuiam petijſſet: Centurio autem ea poſtulat, quæ magna ſunt, & ab aliis æquè præſtari nequeunt, videlicet ſerui ſanitatem: non ſolum corporis, ſed etiã animæ, quæ præ omnibus æſtimanda eſt, quæque incorruptibilis eſt, & perpetua. Hincque ſancta Eccleſia ſolet expreſſim hæc verba ad ſalutem animæ transferre, dicẽs, *Et ſanabitur anima mea.* Oſtenditur etiam prudentia in tempore, quando ingrediente Domino Capharnaum, illico accedit ad eum Centurio, nec occaſionem amittit: vt hinc diſcamus, vbi merendi ſe offert opportunitas, minime cunctandum eſſe, quin Chriſto nos exhibeamus.

Nunc ex his quæſo, Dilectiſsimi, nobiſcum meditemur; ſi hic Centurio militiam exercens, tanta religione ducitur, vt ſic agat; quid à Doctore, aut Clerico debebimus expectare, cum ad ſacram Euchariſtiam accedit? ſi ille cum gentilis eſſet, tantam humilitatem viſo Chriſto profeſſus eſt; quantò maiorem Chriſtianus ſumpto eodem Chriſto intra ſe realiter, & ſacramentaliter, debebit exercere? Si hic tantam vnius ſerui curam ſuſcipit; quid nobis erga nos ipſos à morte peccati, ad gratiæ vitam reſtituendos, agendum erit? Si corporis ſanitatem tanta is amplectitur diligentia; quãta pro animæ ſalute, quæ in corporis Chriſti communione recipitur, erit induſtria impendenda? Si tanta fide ille accenditur, qui tunc primùm Saluatorem aduenisse audit; quid in eo requiretur, qui cum lacte, fidei doctrinam ſuxit, totoque vitæ ſuæ curſu ſancta eius ſacramenta amplexus eſt, & nunc ſacramẽtorum omniũ auctorẽ intra ſe aſſumit? Si adeo ſe ſollicitum oblata ſibi tunc opportunitate oſtendit ille, vt alia præ hoc vno dimitteret; quid non Chriſtianus conari, quid non aggredi, quid non præ omnibus rebus curare debebit, vt dum tempus ſacræ communionis inſtat, ad eam diligenter ſe præparet, & aditum ſibi ad æternam ſalutem, ac cœleſte Dei regnum ſatagat aperire?

Hæc quæſo Dilectiſsimi cogitantes, confundamur, erubeſcamus, atque arrogantiæ alas demittamus: cum à gentili, & Centurione, tam apertè his dotibus nos ſuperari videamus; & quod grauius eſt, ſæpe in nobis nudũ Chriſtianorũ nomen, relinqui agnoſcamus. Vnde nunc illius exemplo, nono virtutum, & mutandæ vitę propoſito nos induamus, vt cum fructu ad cæleſte hoc conuiuium accedamus, cuius virtute illuſtrati, & roborati, in Dei gratiam reſtituamur, & cũ eo perpetua pace potiamur.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

COLLECTOR. HIC ea quæ ad ſacramentum Ordinis pertinent, collocabuntur. in cuius adminiſtratione, vt quæcunque à ſacris Canonibus, & Tridentino Concilio præcipiuntur, iuxta Romani Pontificalis regulas ritè perfici poſſint; Illuſtriſsimus Archiepiſcopus hũc qui ſequitur, modum ſeruandum eſſe cenſuit. Primùm enim Edictum proponitur: deinde inſtruuntur Parochi, quomodo ſe gerere debeant in denunciationibus, literis teſtimonialibus, &

alys

alijs, quæ ſui muneris ſunt, erga ordinandos præſtandis. Tum alio Edicto dies, locus examinis, & ratio ab examinatoribus ſeruanda promulgatur. Demum proceſsio Clericorum indicitur Ordinationibus præmittenda, & poſt habitas Ordinationes, functiones ordinũ præſcribuntur. Quæ omnia ſuis locis diſponemus, & ijs finem faciet ſermo Illuſtriſsimi Archiepiſcopi, ex pluribus in hac functione ab eo habitis, excerptus.

EDICTVM

De ſacris Ordinationibus.

INTER noui Teſtamenti ſacramẽta, dignitas, & neceſſitas Ordinis tanta eſt, vt quemadmodum in Catechiſmo Romano legitur, ſine illo alia Sacramenta partim confici, aut adminiſtrari nullo modo queant, partim ſolemni cæremonia, & religioſo quodam ritu, ac cultu carere videantur. Vnde quò dignius eſt munus, & miniſterium quod in hoc Sacramento cõfertur, eò diligentiùs in illo verſandum eſt, dicente Apoſtolo, *Nemini cito manus impoſueris*; & curandum, vt ea quæ requiritur vitæ ſanctitas, doctrina, fides, & prudentia eluceat in illis, qui ad Eccleſiaſticam militiam adſcribi poſtulant.

Quare vt paratiores Deo iuuante, & præmiſsis ijs omnibus, quæ à ſacris Canonibus, & concilio Tridentino præcipiuntur accedant, quicumque petent ad Ordines admitti in Vrbe Bononiæ. hoc publico Edicto, vniuerſi, & ſinguli admonentur, generales Clericorum ordinationes in Eccleſia metropolitana, intra Miſſarum ſolemnia ab Illuſtriſsimo, & Reuerendiſsimo D. Cardinali Palæoto Archiepiſcopo celebratum iri, die Sabbathi poſt . . . quæ erit dies. . . Menſ. . . . . præſentis anni . . . .

Omnes igitur, & ſinguli incolæ Ciuitatis, & Diœceſis Bonon. ſeculares ad primam tonſuram initiandi, aut ad minores, vel maiores ordines promoueri cupientes, ante vnum menſem præcedẽtem dictas Ordinationes, nomina, & cognomina ſua deſcribi faciant per. N. Notarium Curiæ Archiepiſcopalis, ab eodem Illuſtriſsimo Archiepiſcopo ad id deputatum, ac deinde ſe præſentent coram RR. DD. N. N. N. & N. examinatoribus pariter ab eodem Illuſtriſsimo Archiepiſcopo deputatis, in loco, die, & hora, quæ illis ſignificabuntur; accedantque muniti omnibus ijs teſtimonijs, facultatibus, ſeu licentijs, & ſi opus erit, diſpenſationibus, ac cæteris quæ in inſtructione ab Illuſtriſsimo Archiepiſcopo promulgata pleniùs continentur.

Regulares verò quorumuis Ordinum Bononiæ commorantes, ipſi etiam ante menſem, vt ſuprà, faciant nomina ſua per eundem Notarium deſcribi, & ſe præſentent coram eiſdem RR. DD. examinatoribus, ac illis oſtendant licentiam authenticam ſuorum ſuperiorum, & fidem de ętate probatam ab Ordinario loci, vbi baptizati fuerint: item de vita, moribus, alijſque per prædictos RR. DD. examinatores videndis, & recognoſcendis.

Exteri autem tam ſeculares, quàm regulares Feria ſecunda, & tertia præcedẽtibus diem ſacrarum Ordinationum, videlicet die . . menſis . . ſe præſentent coram eiſdem RR. DD. deputatis examinatoribus cũ ſuorum Ordinariorum literis dimiſſorijs, in quibus teſtimonium ſit de ætate, & approbatione eorundem ab iiſdem ſuis Ordinarijs facta.

Quibus omnibus & ſingulis notũ ſit, quòd elapſo dictorum dierum termino, nemo vlteriùs admittetur.

Datum Bononiæ in Archiepiſcopali Palatio &c.

N. Vicarius Gen.

N. Notarius Cur. Arch. de mand.

IN-

INSTRVCTIO.
Ad Parochos Ciuititatis & Diœceſis Bononiæ.
De ſacris Ordinationibus.

Præparanda à Parocho pro ſacris ordinationib⁹.

QVAMVIS illa quæ in ſactis Canonibus, Concilio Tridentino, Catechiſmo, & ipſo Pontificali Romano præcipiuntur, ſeu traduntur de ſacramento Ordinis ritè adminiſtrando, & recipiendo, accuratè legiſſe & cognita habere debeant, nō ſolum quicumque ad ordines ſiue minores ſiue maiores Bononiæ promoueri poſtulant; ſed etiam ipſi Parochi, quorum opera inprimis vtendum eſt Illuſtriſſimo Archiepiſcopo in eiuſdem ſacramenti adminiſtratione, vt denunciationes fiāt in Eccleſia, & alia plura parentur, & perficiantur: tamen vt non ſolum nihil prætermittatur eorum, quæ ad huius ſacræ functionis grauitatem pertinēt, ſed etiā quantum fieri poterit Illuſtriſſimi Archiepiſcopi paſtorali officio & ſollicitudini, diligentiam quoque ſuam ipſi parochi adiungant, hæc quæ ſequuntur animaduertere, & præſtare ſtudebunt.

Vnuſquiſque igitur Parochus tàm Vrbis, quàm Diœceſis Bononiæ, antequam ſacrarum Ordinationum dies conſtitutus adueniat, ſcire curabit, an in ſua Parochia aliqui ſint, qui ad ordines promoueri deſiderent: quod vbi cognouerit, ſui numeris erit, diligenter eos admonere, ne redditũum, dignitatum Eccleſiaſticarum, aut quietis, & ocij cauſa ad ordines ſe conferāt, ſed tantum vt Deo in perfectiore vitæ ſtatu inſeruiant, & in vinea Domini laborantes, animarum ſalutem totis viribus, totoq. vitæ tempore procurent. Quare attente lēgant libellum pro eorum commodiore vſu ſeparatim editum ex Pontificali Romano iuſſu Illuſtriſſimi Archiepiſcopi ad ordinationes ſacras pertinentem, vt rectè diſcant ipſarum ſacros ritus, & cæremonias; legant pariter Tabellas ab eodem Archiepiſcopo promulgatas eorũ, quæ obſtant ordinandis, & eorum, quę requiruntur: tum etiam functionum, quæ vnicuique Ordini præſcribuntur, ab ipſis poſtquā promoti erũt, exercēdæ; vt hac lectione, & cognitione adhibita, oneris, quod ſuſcepturi ſunt, grauitatem rectiùs intelligant, atq. ad illud cum ſpirituali fructu perferendum toto animo ſe accingant, vireſque à Deo humiliter, atque aſſidue expoſcere non deſinant.

Quamprimum autem id curare Parochi debebunt, vt intra Miſſarum ſolemnia, eo tempore quo frequentior populus aderit, ordinandos denuncient ad altare. Formula autem denunciationis hæc erit. Denunciatio à Parocho facienda.

Cum à ſacro Concilio Tridētino decretum ſit, vt nominibus, ac deſiderio eorum, qui volent promoueri publicè in Eccleſia propoſitis, Parochus de ipſorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis inquirat, & literas teſtimoniales ipſam inquiſitionem continentes, ad ipſum Epiſcopum transmittat. Ideo ego. N. Parochus Eccleſiæ ſancti N. de mandato Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi D. Gabrielis Car. Palæoti Archiepiſcopi denuncio. N. qui ad Ordinem. N. admitti petit. Itē denuncio. N. Itē denũcio. N. qui ad. N. ordinē admitti ſimiliter petũt, & ſic de ſingulis, ſi plures fuerint: pronũciando eorum nomina, & cognomina, & locum habitationis, & Parochiæ ipſius, & ordines ad quos promouendi ſunt. Hortor igitur omnes & ſingulos, qui hic adſunt, aut ad quos huius rei notitia peruenerit, vt ſi aliquod cognoſcũt canonicum impedimentum, quominus ijdem ſuperiùs denunciati promoueri poſſint ad ſupradictos Ordines, chriſtiana charitate ducti, me de omnibus certiorem faciant.

Audiat verò attentè vnuſquiſque impedimenta, quæ à me nunc legentur, & & promulgabuntur, quòd ſi quis ea meliùs percipere voluerit, me ipſum conueniat, qui vbi opus erit, iuſſu Illuſtriſsimi D. Cardinalis Archiepiſcopi quæcumque occurrent teneor explicare.

Prohibetur igitur à ſacris Canonibus

bus & concilijs, ne ad Ordines admitti poſsint.

Vſu rationis carentes.
Illegitimi.
Non confirmati.
Irregulares.
Excommunicati.
Suſpenſi.
Interdicti.
Hæretici, aut de fide ſuſpecti.

Hæreticorum filij, quorum parentes in hæreſi mortui ſunt, & etiam ipſorum nepotes, vſque ad ſecundam generationem, per lineã tamen maſculinam deſcendentes, aut vſque ad primam per lineam fœmininam.

Apoſtatæ.
Neophyti.
Simoniaci publici.
Vſurarij publici.
Condemnati periurij cauſa.
Obligati curiæ.
Infames.

Homicidæ, vel mutilantes, aut qui homicidio, ſeu mutilationi cauſam dederunt.

Milites qui bello interfuerunt, vbi mors hominum ſucceſsit.

Qui in foro ſeculari, criminalibus officijs ſunt perfuncti, aut actibus criminalibus ſubſcripſerunt, aut interfuerunt, ex quibus ſententia ſanguinis euenerit.

Solemniter pœnitentes.
Bigami.

Coniugati, exceptis ijs quorum cõiuges in ſacra clauſtra monialium ſe receperint, ibique profeſsionem emiſerint.

A ſpiritibus immundis uexati.
Morbo caduco obnoxij.
Hermaphrodytæ.
Notabiliter deformes, & defectu aliquo corporis manifeſto notati.
Membris capti.
Ratiocinijs obligati.
Serui, ſiue mancipia.
Peregrini ignoti.
Officio aliquo infami, & ſordido perfũcti.
Promoti per ſaltum, relicto minori ordine, maiore ſuſcepto;

Promoti furtim, hoc eſt qui ab uno ordino ad alium, uel extra tempora, uel ante legitimam ætatem, illegitime tranſierunt, uel ſine dimiſſorialibus literis ſunt ordinati.

Vlteriùs ſciat vnuſquiſque veſtrum, quòd ad primam tonſuram ordinandi non admittentur minores ſeptem annis.

Ad reliquos minores ordines promouendi, ſint maiores, ita vt idonei eſſe poſſint munerum functioni, ad quæ obligantur.

Ad ſubdiaconatum ante 22. ad Diaconatum ante 23. ad Presbyteratum ante 25. nemo vt ordinetur accedat.

Neque niſi talaribus veſtibus induti ſinguli accedant; & coronam in capitis vertice, prout cuique ordini ab eccleſia ſancta præſcribitur, habeant.

Qui demum non confeſsi fuerũt peccata ſua, vt maiori puritate Eccleſiaſticę militiæ inſignia ſuſcipere poſſint, & ſacram Euchariſtiam ſumere, non admittentur.

Poſt denunciationem eo modo, vt ſupradictum eſt factam, ſciſcitari amplius Parochus, atque inueſtigare curabit omnia per ſe ipſe; quibus recte cognitis, & conſcientiæ ſuæ ſecuritatem ante oculos habens, tunc teſtimoniales literas à ſe ſubſcriptas, & ſignatas conſignabit illis, quos denunciauit, in hanc quæ ſequitur formam.

Literæ teſtimoniales Parochi.

Ego N. Parochus Eccleſiæ *S.* N. (atque hic exprimatur ſi in Ciuitate ſit, an in Diœceſi) admonitus de Ordinationibus ſacris habendis ab Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo D. Cardinali Palęoto Archiepiſcopo Bononiæ, & recte perſpectis omnibus, quæ ab ipſius illuſtriſſima Ampl. tum in edictis, tum in inſtructionibus, tum etiam in Congregationibus præcepta ſunt, ſeu admonita, denunciaui in Eccleſia intra Miſſarum ſolemnia. N. ex parochia mea, qui ad ordinem. N. promoueri cupit & poſtulat, & de natalibus, de vita, & moribus ipſius certior fieri curaui, eumque idoneum eſſe exiſtimõ, quatenus ex cognitis intelligere potui, qui ad prædictum ordinem admittatur. fidemque facio, illum ſæpius infra annum ſacram confeſsionem, & communionem frequentare ſolitum fuiſſe, & me, ac reliquos Doctrinæ Chriſtianæ miniſtros ſua opera, & aſsi-

aſſiduitate iuuaſſe (vel ad Chriſtianæ doctrinæ ſcholam venire ſolitum eſſe, ſi minor ſit.) In quorum fidem &c. mea manu ſubſcripſi, & ſigillo eccleſiæ meæ parochialis muniui. Dat. in ædibus parochialis eccleſiæ S. N.

Quòd ſi alicuius difficultatis impedimentum obeſſe videat, illud ante Ordinationis diem Illuſtriſſ. Archiep. ſignificet, neque teſtimoniales literas ante cõficiat, quàm ab eodem Illuſtriſſ. D. quid ſibi agendum ſit, acceperit.

Munus etiam erit parochi, vt faciliorem reddat cuicumque fideli acceſſum ad ordines, neuè poſtmodum, cum examini ſubijcietur, literarum teſtimonialium aliquo defectu, ſeu ſubſcriptionis, ſeu ſigilli, ſeu cuiuſcunque rei requiſitæ, repellatur, illum admonere de huiuſmodi teſtimonialibus literis; vt quantum fieri poſſit, formulis hic adiectis illas ſimiles ſecum afferre non prætermittat.

Literæ teſtimoniales Ordinum ſuſceptorum.

Formulæ variæ literarum teſtimonialium.

GAbriel Palæotus S.R.E. &c. omnibus & ſingulis præſentes literas inſpecturis fidem facimus, & atteſtamur; quòd die . . quæ fuit feria . . menſ. . . . . Anni . . . In eccleſia noſtra metropolitana Bono. inter Miſſarum ſolemnia, & ad præſcriptum ſacrorum canonum, & concilij Tridentini .N. examinatum, idoneum repertum, & approbatum, viſis teſtimonialibus literis de præcedenti ordine ſuſcepto, de vita & moribus, aliiſq. requiſitis ad Ordinem. N. ritè promouimus, eiquè eccleſiam ſancti N. in qua functiones ad hunc Ordinem ſpectantes exerceat, aſſignauimus. In quorum fidẽ &c. Dat. &c.

N. notarius Curiæ Archiep. de mand.

Literæ teſtimoniales functionum exercitarum.

EGo N. Archipresbyter, ſiue Rector, &c. eccleſiæ collegiatæ vel parochialis &c. S. N. præſentibus literis teſtor, R. Dominum .N. promotum Bononiæ ab Illuſtriſſimo Cardinale Archiepiſcopo ad .N. Ordinem, & meæ eccleſiæ conſignatum, vt in ea eiuſdem ſuſcepti ordinis functiones exerceret ad præſcriptum eiuſdem Illuſtriſſimi Archiepiſcopi; prædictas functiones ſingulis diebus dominicis, feſtiſque in eadem mea eccleſia exercuiſſe. In quorum fidem &c. præſentes mea manu ſubſcripſi, & ſigillo eccleſiæ prædictæ muniui die . menſe . . . an.

N. &c.

Forma teſtimonij ludimagiſtrorum, pro ijs qui ad minores ordines promoueri volunt.

EGo .N. qui approbatus, & emiſſa profeſſione fidei grammaticam (ſeu aliam ſcientiam) doceo publicè (vel priuatim in ædibus Domini .N.) in parochia ſancti .N. fidem facio .N. qui ad Ordinem .N. admitti petit, meum gymnaſium modeſte frequentare ſolitũ fuiſſe, bonæ indolis eſſe, bonis moribus præditum, Chriſtianè educatum, & in literis ſatis proficientem. In quorum &c.

Formula literarum teſtimonialium de titulo patrimonij.

CVm ego N. notarius publicus ciuitatis Bonon. in actis meis habeam plura iura Domini .N. Ex quibus conſtat illum habere patrimonium, & pacificè poſſidere redditum quadraginta annuorũ ſcutorum, quod conſiſtit in . . . (ſeu plus non autem minus), rogaueritquè me notarium prædictum idem Dominus .N. vt de hoc illi teſtimoniales literas conficerem, cum vt aſſerit, ad Ordines eccleſiaſticos cupiat promoueri, cautionemque idoneam præſtiterit prędictum redditum annuum nunquam alienandi; propterea per præſentes literas fidem facio, & atteſtor hæc omnia ita ſe habere vt ſupradixi, & eas meo ſolito ſigno, meaque propria manu roboraui, die . men . . . ann. .

N Literæ

Literæ dimiſſoriales, quæ requiruntur pro ijs, qui cum non ſint ex ciuitate, aut diœceſi, Bononiæ Ordines ſuſcipere volent.

N. Epiſcopus &c. Vt à quocunquè catholico Antiſtite gratiam, & communionem ſedis Apoſtolicę habente, ad ordinem. N. ſtatutis à iure temporibus promoueri valeas, eidem Antiſti præfatum Ordinem conferendi, tibiq. illũ recipiendi licentiam, præſentiũ tenore concedimus, & impartimur: attentis examine, & approbatione iuxta decretum ſacri concilii Tridentini de te facta. Dat. N. Epiſcopus.

Formula dimiſſoriæ pro ijs, qui ſunt Ciuitatis, aut diœceſis Bononiæ & ſunt abſentes, atque ab alio Epiſcopo ordinari volunt.

Gabriel &c. Vt à quocunquè catholico Antiſtite gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ habente, ad ordinem. N. ſtatutis à iure temporibus promoueri valeas, eidem Antiſtiti præfatum ordinem conferendi, tibique recipiendi licentiam tenore præſentiũ concedimus, & impartimur: attenta tua à nobis abſentia: ac probitatis, & morum teſtimonio, quod te abſente accepimus. ſeruatis tamen ab eodem Antiſtite ſacri Tridentini concilii ſuper hoc decretis, circa examen de te faciendum, approbationem legitimam, & interſtitia, & reliqua quæ requiruntur, & ab eodem ſacro concilio, & conſtit. Sixti V. præcipiuntur. Dat. Bonon.

N. notarius de mand.

FORMVLA EDICTI pro examine Ordinandorum.

Sciant omnes & ſinguli tàm minores quàm maiores Ordines ſuſcepturi, & ad illos promoueri cupientes, Illuſtriſſimum & Reuerendiſſimum D. Cardinalem Palæorum Archiepiſcopum Bononiæ, Feria . . . quæ erit . . huius menſis . . . Sabbatho, & Feria . . . ſequentibus, & ſic in qualibet hebdomada diebus prædictis, vſque ad diem celebrationis facturum Ordinationum, in Archiepiſcopali palatio ad præſcriptum ſacri concilii Tridentini, adſcitis Sacerdotibus, & aliis prudentibus viris peritis diuinæ legis, & in eccleſiaſticis functionibus exercitatis, examen Ordinandorum habiturum.

Quapropter quicunquè ad Ordines promoueri voluerint, hora & diebus prędictis adſint perſonaliter, & examini ſe ſubiiciant, nam non niſi examinati, & approbati ad Ordines admittentur.

Dat. Bonon.

N. Vic. Gener.

INSTRVCTIO pro RR. Deputatis ad eos examinandos, qui ad ordines admitti petunt.

Reuer. Deputati ad examinandos eos, qui ad Ordines ſiue minores, ſiue maiores promoueri petent, hac proxima Ordinationum die, propoſita ſibi ante oculos Dei gloria, Eccleſię ſanctę vtilitate, Fidei incremento, & eorum ſpiritualem ſalutem, quos examinãt, dempriſq. omnibus humanorum affectuum obſtaculis, ea perſequi curabunt ſummo ſtudio, ac diligẽtia, quę ab Illuſtriſſ. D. Card. Archiep. in hac pagina illis in memoriam reuocantur, & pręcipiuntur.

Antequam ad examen articulorum veniant, inquirent ab eo qui ad examen acceſſit, hæc quæ ſequuntur.

Quo nomine vocetur.

Cuias ſit.

Si Bononiẽſis, aut Diœceſanus, cuius ſit Parochiæ, aut Plebanatus.

An literas habeat Parochi, in quibus teſtetur de denunciatione facta, de natalibus, de vita, & moribus, quòd debitis temporibus confeſſus fuerit, & communicauerit, quòd doctrinæ Chriſtianæ ſcholas frequentauerit.

An, ſi ad minores ordines promouendus eſt,

dus eſt, habeat literas à magiſtro ſcholę in qua educatur, aut inſtituitur, ſimiliter de vita, & moribus teſtimonium afferentes.

Si beneficium habet aliquod, quale ſit, cuius redditus; an bullas habeat, quas oſtẽdat, aut ſaltem legitimam fidẽ.

Si beneficium non habet, & ad titulũ patrimonij promoueri petit; quod habeat patrimonium, & an literas teſtimoniales patrimonij, quod non ſit minus quadraginta annuis ſcutis.

Si ordini alicui initiatus fuerit; an habeat literas teſtimoniales authenticas, manu & ſigillo Epiſcopi munitas, ordinum ſuſceptorum.

An ab vltimo ordine quem ſuſcepit, ad eum, quem nunc petit debitum interceſſerit interſtitium.

Si Regularis ſit Bononiæ, aut in Diœceſi commorans; an licentiã habeat ſuorum ſuperiorum, in qua teſtimonium ſit de vita, & moribus, & fides de ætate probata ab Ordinario loci, vbi baptizatus fuit. & an ſimiliter habeat teſtimoniales literas ordinis ſuſcepti, ſi ad aliũ ordinem promotus eſt.

Si ſit exterus tam ſecularis, quàm regularis, an habeat literas dimiſſorias ſui Ordinarij, in quibus appareat, ab eo fuiſſe approbatum, & præcepta à concilio Tridentino ſeruata eſſe; & an ſimiliter habeat literas ſuſcepti ordinis, ſi in aliquo ordine ſit conſtitutus.

His omnibus breuiter cognitis, ad examen ipſum veniẽt iuxta decretum ſacri concilii Tridentini. in quo quidem examine nullæ regulæ, nullique articuli ipſis ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo præſcribuntur; tum quia iuxta variam examinandorum conditionẽ, ætatem, & profeſſionem nõ poteſt vniformis omnibus examinandi norma conſtitui, ſed hoc potius examinatorum prudentiæ, & circumſpectioni relinquendum eſt; tum etiam ne forte exiſtiment examinandi, ſe de iis tantùm interrogandos fore, & circa alia quandoque ſcitu neceſſaria minime laborandum; tum denique quia ex ipſis decretis Tridentini concilii idoneam examinis formam Examinatores colligere poterunt.

Nam vt habetur in ſeſſ. 23. c. 4. Prima Tonſura non initientur qui ſacramentũ Confirmationis non ſuſceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere, & ſcribere neſciant; quapropter hi diligenter ſuper doctrina Chriſtianæ quæ parua dicitur, examinandi erunt.

Et in ead. ſeſſ. c. 12. Minores ordines iis qui ſaltem latinam linguam intelligant, per temporum interſtitia conferãtur, vt accuratiùs quantum ſit huius diſciplinæ pondus, poſſint edoceri &c.

Et in ead. ſeſſ. c. 13. Subdiaconi & Diaconi ordinentur habentes bonum teſtimonium, & in minoribus ordinibus iam probati, & literis, & iis quæ ad ordinem exercendum pertinent inſtructi &c.

Et in ead. ſeſſ. c. 14. Qui ad presbyteratus ordinem aſſumuntur, ij ſint, qui ad populum docendum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, ac miniſtranda ſacramenta, diligenti examine præcedente comprobentur &c.

Itaquè RR. examinatores dum hoc munere perfunguntur, eiuſdem Concilii Tridentini ſanctiones pro viribus ſectari conentur, & in vnoquoque ordine, quod ipſum Concilium ſpectauit diligẽter animaduertant, ne Theologicos articulos, aut alia grauiora, extra ordinũ miniſteria examini immiſceant; viciſſim etiam nihil eorum prætermittant, quæ in vnoquoque ordine ad iuſtam eorum approbationem requiri videntur.

Dat. Bonon. &c.

N. Vic. Gen.

COLLECTOR.

PRAETER ea, quæ a ſacro Concilio Tridentino præcipiuntur, circa habilitatem, & titulos ordinandorum, cum particularem facultatem habuerit Illuſtriſs. Archiepiſc. aliquos ad uſum Cathedralis ordinandi; non niſi quibuſdam conditionibus præmiſſis, quãmuis rarò pauci quidam ſint promoti, eos admittendos eſſe exiſtimans, ipſis etiam ſequentia hæc capita examinanda conſtituit.

REQVIRENDA ET EXAMInanda in ijs, qui petunt initiari ſacris ordinibus ad vſum Cathedralis eccleſiæ.

QVI petent admitti ad vſum Cathedralis, conſignent in ſcriptis nomen, & cognomē, doceantq. ſimiliter in ſcriptis, cuius parochiæ ſint, quoque loco Ciuitatis ad præſens habitent vt de eorum vita, moribus, ſtatu & conditione diligenter inquiri poſſit ab iis, qui ad id ab Illuſtr. D. Card. Archiepiſcopo ſunt deputati. qui inter cetera de iis quæ ſequuntur inquirent.

De ætate, parentibus, eorumq. conditione, ac paupertate.

An aliquo canonico impedimento teneantur, quominus ad ordines promoueri poſsint: prout habetur in inſtructione ſacramenti Ordinis.

Conſiderabunt aſpectum, formā corporis, quod morbis non ſit obnoxiū, aut affectum: ipſe verò aſpectus modeſtiam & bonos mores præ ſe ferat.

Doceri curabunt de eorum erga res eccleſiaſticas ad illud vſque tempus propenſione, de deuotione; an Confeſsiones, & vbi eas frequentent.

Cum quibus commorentur & verſentur ad præſens, & cum quibus olim verſati fuerint.

Quibus literis præditi ſint: atque icirco hac in re præſertim eos examinēt, aliquodque thema conficiendum ex improuiſo illis proponant.

Idem agent in cantu, & ſcribēdi charactere.

Neminem admittent, quin prius idoneum repererint, eaſque conditiones habere, quæ ad reliquos ordines ſuſcipiendos requiruntur.

Diligenti hac facta inquiſitione, atq. examine peracto, in quo idonei iudicati ſint. Sciant tamen inſuper deputati non admittendos ad vſum Cathedralis, niſi eos qui prius ſaltem per ſex menſes continuos ipſi Cathedrali inſeruierint, omnibus Dominicis, feſtiſque diebus, tam Officii diuini, quàm Concionum, aut miſſarum tempore, qui quidem ſex menſes probationis loco habebuntur.

Neque ſimiliter aliquem admittent, qui in ſcholis Doctrinæ Chriſtianæ frequenter verſatus non fuerit; qua de re fidem à petentibus admitti, ſibi conſignari facient, ab officialibus ſocietatis doctrinæ Chriſtianæ ſubſcriptam, & ſigillo ipſius munitam.

Item quicunque ad vſum Cathedralis admitti voluerit, per integrum annū ante, ſaltem ſemel quolibet menſe confiteri, & communicare ſolitus ſit, eoque Confeſſario vſus ſit, qui ſibi aſsignatus ab Archiep. fuerit. Poſtea verò quàm admiſsi erunt; atque ad alios etiam ordines promoti, moneantur vt non prætermittant ſaltem decimoquinto quoque die cōfiteri, & communicare; qua de re fidem ſeu teſtimonium afferent, & conſignabunt, cum ad alium ordinem promoueri petent.

Teneantur item Oratorio inſeruire, atque in eo iis muneribus, atque officiis perfungi, ad quæ idonei exiſtimabūtur, quæque ſibi præſcribentur à ſuperioribus ipſius Oratorii: cumque ad ordinem recipiendum accedēt, habeant pariter fidem in ſcriptis, qua ipſorum opera cōprobetur ab Officialibus congregationis Oratorii. Neque intereſſe prætermittant congregationi caſuum conſcientiæ, quæ quolibet menſe coram Illuſtriſſ. D. Archiepiſcopo habetur.

Atque vt nullus error, aut negligentia in ea ſeruitute Eccleſiaſtica, ad quam, vt huc vſque præmoniti ſunt, tenentur, accidat; à punctatore qui item ad id ab Illuſtr. Archiep. deputatus eſt, quolibet die, quo ad Eccleſiam accedēt, & inſeruient ſua nomina notari curent, tam mane, quàm à prandio.

Poſtquam ad ſacrum presbyteratus ordinem peruenerint, teneantur iiſdem perfungi muneribus in Choro Cathedralis, in Oratorio, in ſcholis Doctrinæ Chriſtianæ, & aliis quæ Illuſtriſſ. D. Archiep. videbūtur. Neque Bononia iis abeſſe liceat, niſi ſpatio dierū quindecim,

obtenta

obtenta prius licentia ab eius Illuſtriſſ. Amplit.& conſignato nomine, & die diſceſſus Sacriſtę Cathedralis, Quæ obſeruabunt penitus quouſque ab Illuſtriſſimo Archiep. alicuius Eccleſiæ adminiſtrationi pręficiantur, in qua poſtea reſidere teneantur.

Cum admiſſi erunt ad vſum Cathedralis, accedant ad Sacriſtam Cathedralis, & in libro, qui ad id deputatus eſt, & à Sacriſta cōſeruatur, ſua nomina deſeribēt propria manu in hanc formā.

Ego.N. vt obediam mādato Illuſtriſ. & Reuerendiſſ. Domini D. Cardin. Palæoti Archiep. Bonon. qui me admittere dignatus eſt ad vſum Cathedralis, ad ordines ſuſcipiendos; polliceor me ſeruaturum omnia, quæ ab ipſo mihi mandata ſunt. quapropter & Cathedrali inſeruiam, & Doctrinæ Chriſtianæ ſcholis, & Oratorio Cathedralis meam operam impendā. Quòd ſi inobediens ero, quod Deus auertat, cuicumque correctioni, & pœnitentiæ ſubiacere me velle profiteor, quæ ab eius Illuſtriſſima Amplitudine mihi imponetur. In quorum fidem præſentes mea manu ſcripſi, & ſubſcripſi. die . , anno

Ego .N. manu propria.

Idemq. ſcribent in alio libro, qui apud Reuer. Archipresbyterum Cathedralis aſſeruabitur. Dat. Bonon. in Archiepiſc. Pal.

N. Vic. Gener.

Formula edicti pro proceſſione, ante ſacras ordinationes habenda.

Omnibus & ſingulis ad ordines promouendis, approbatis & admiſſis notificetur, & intimetur, quatenus feria ſexta proxime futura, quæ erit 21. huius menſis .N. . hora Completorij, conuenire debeant in Eccleſiam metropolitanam Bonon. ſuperpelliceis induti, & intereſſe proceſſioni poſt Completorium habendæ; nec non ſermoni poſt proceſſionem ab Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo D. Cardinale Archiepiſcopo ſimiliter habendo. Qui verò huic edicto non parebunt, tàm ſeculares, quàm regulares, quamuis fuerint iam examinati & approbati, ad ordines recipiendos non admittentur.

Dat. Bonon.

N. Vic. Gener.

COLLECTOR. *Vt ſequentes functiones à quibuſcunque ordinatis diligentiùs exercendæ accipiantur, ſciendum eſt lectori, hoc ordine ab Illuſtriſſ. Archiepiſc. eas diſtribui ſolere; nam completa Miſſa, perfectisq. ſacris Ordinationibus ſtatim Notarius indicit omnibus ordinatis, ne diſcedant, antequam ab Illuſtriſſ. Archiepiſc. benedictionem accipiant. qui quidem depoſitis pontificalibus indumentis, ſumptaque cappa, & ſedens ſub umbella ad id parata, recipit omnes ordinatos ad oſculum pacis, ſingulisq. functionum harum pagellas diſtribuit, ab aſſiſtentibus Canonicis ſibi porrectas: Sicq ordinati dimittuntur.*

FVNCTIONES quibus vacare debebunt ij, qui ad ordines promouebuntur, in eccleſijs, quæ ipſis aſſignabuntur.

Pro Ordinibus minoribus.

In habitu clericali, & tonſura incedant. ſi ſint ex ciuitate, confiteantur peccata ſua ſingulis mēſibus confeſſario in metropolitana; ſi Diœceſani, alij ad id deputato, & communicent ſaltem ſolemniotibus feſtis diebus, Deo, Beatæque Virgini dicatis.

In Eccleſijs, quæ ipſis aſſignabuntur, munus ipſorum erit curare, ne quis ſacris altaribus corpore, aut brachijs incumbat; aut loco, vbi baptiſmus aſſeruatur, aut ipſi vaſi aquæ benedictæ aliquo modo innixus, eam reuerentiam, quæ ſacris rebus debetur, religioſe nō præſtet.

Curabunt etiam vt tàm mares, quàm fœminæ genibus flexis, excepto Euangelij tempore, quo aſſurgendum eſt, integro Miſſæ ſacrificio interſint.

Item ne quis mendicus Eccleſiam obear, eleemoſynas quærens; qui autem capſulis vtūtur, eas non in cappellis,dū miſſæ celebrantur, ſed ad ianuam Eccleſiæ quærant.

Vt mulieres in Eccleſijs velato capite,honeſtè coram Deo maneant.

Ne baiuli, vinitores, alijue, quibuſuis rebus onuſti per Eccleſiam tranſeant

Ne quis in eccleſia dormiat, aut obſtrepat, aut deambulet, aut aliud agat, quod domui Dei non conueniat.

Ne quis in eccleſia habeat ſclopos, aut arma haſtata.

Canes,excommunicatos,interdictos, & inſanos extra eccleſiam mitti curent.

Verrant eccleſiam ſaltem ſingulis hebdomadis, die Sabbathi. Altaria itē mundent.

Feſtis diebus ad eas eccleſias accedant, quibus à congregatione Doctrinę Chriſtianæ deſtinati erunt, ibique in ea edocenda ijs muneribus fungantur,quę ſibi à ſuperioribus aſſignabuntur.

Sacerdotibus tàm miſſam,quàm alia diuina officia celebrantibus inſeruiant; & præſertim dum ſacra communio habebitur,præſtò ſint in iis Eccleſiis, quæ ipſis item præſcribentur,

Candelabra, & thuribula ferent, eccleſias claudent & aperient, lectiones recitabunt,aliaque facient,quæ pro vſu eccleſiarum in quibus inſeruiunt, illis facienda conſtituentur.

Parochiæ ſuæ proceſſionibus intererunt, tam in ciuitate,quàm in Diœceſi, & præſertim in ijs, quæ quolibet menſe in honorem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ habentur: itemq. aliis omnibus proceſsionibus, ad quas clerus conuenire ſolet.

Pro Ordinibus ſacris Subdiaconatus, & Diaconatus.

Singulis menſibus ſemel ſaltem confitebuntur, & communicabunt:ſcianťq. maximè decere, ſi diebus Dominicis & ſolemnibus, cum altari miniſtrauerint, ſacram communionem percipiant.

Canent Epiſtolam, & Euangelium, cum opus erit in ea eccleſia, quæ ipſis aſſignabitur.

Lectionem caſuum conſcientiæ in Cathedrali audient, & congregationibus eorundem caſuum ſingulis menſibus fieri ſolitis præſentes erunt; ſermonibuſque, qui feſtis diebus habebuntur, cum à ſui muneris functionibus non detinentur, frequentes aderunt.

Singulis menſibus in eccleſiis ſibi aſſignatis, proceſſionem ſanctiſſimi Sacramenti ſuperpelliceis induti comitabuntur:omneſque alias proceſsiones publicas, ad quas clerus conuenire ſolet.

Item iis functionibus ordinum minorum vacabunt, quæ præter has generales, vnicuique ipſorum particulariter præſcribentur.

Doctrinæ Chriſtianæ tempore ſimiliter, vt ſupra dictum eſt, docentes adiuuabunt.

Pro Ordine ſacro Sacerdotali.

CVm Bononiæ ſit triplex Sacerdotum genus,qui ex ciuitate ipſa sūt: videlicet eorum, qui ad titulum parochię:eorum,qui ad ſimplex beneficiumē & eorum, qui ad titulū patrimonii ſunt ordinati. Quod ad primum genus attinet, tenentur ea omnia in munere ſacerdotali præſtare, quæ parochis a ſacro concilio Tridentino præſcribuntur. De ſecundo autem genere;hi celebrare debent in ea eccleſia toties, & iis diebus, qui illis,vel à teſtamentis, vel ab inſtitutione beneficii quod poſſident, vel ab Illuſtriſſ. Archiep. iniunguntur. De tertio verò genere;hi ſuperpelliceis induti diebus feſtis ad Eccleſiam metropolitanam conuenire debent, ibiq. miſſæ conuentuali, ſeu maiori intereſſe, aliiſque diuinis officiis,& illis functionibus inſuper vacare,quæ iis ſigillatim aſſignabūtur. Cumque aliquo legitimo impedimento detinebuntur, quominus hæc agere poſsint,à Præfecto Chori, impedimenti cauſa explicata, abſentiæ licentiam petent.

In Diœceſi autē eadem omnia obſeruanda ſunt,& metropolitanæ loco,ordinati

nati ad titulũ patrimonij,in Eccleſiis Archipresbyteralibus, aut ipſis parochijs, alijſue, quibus ab Illuſtriſsimo Archiepiſcopo deſtinabuntur, & quibus ſubijciuntur, ſacerdotales illas functiones exercebunt.

Exteri ad ſui Epiſcopi iuſſa ſe conformabunt.

Omnes verò,& ſinguli tàm Ciuitatis, quàm Diœceſis,proceſſionibus,&caſuũ conſcientiæ lectionibus intereſſe non prætermittent. Dat. Bonon.

Sermo Illuſtr. Card. Archiepiſcopi De ſacramento Ordinis.

Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua. s. Luc. 13.

SACROS ordines, vobis dilectiſſimi, die craſtina Deo iuuante adminiſtraturi, nonnulla antea de eorum ratione, & inſtituto vos admonendos duximus: vt rei magnitudinem, munerisque celſitudinem attentiùs expendentes,omnipotenti Deo vota iteretis:ne temerè fortè, aut humanis ſtudiis ducti, ijs vos miniſterijs intrudere quæratis, quæ vitæ ſanctitate,fide,caſtitate, doctrina, ac prudentia ſuſtinere nequeatis.

Sermonis verò noſtri argumentum ex eo Euangelio ſumimus,quod eodem tempore, cum ſolemnia hæc à nobis agentur,in ſacro Miſſæ recitabitur. Illius verba hæc ſunt, *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua.*

Cupio in primis Dilectiſſimi,id vos intelligere,præſentem parabolam, quæ a ſacris doctoribus tum ad ſynagogam Iudæorum, tùm ad chriſtianorum gentem,tum ad alia hominum vitæ inſtituta referri ſolet, non incommodè quoque illis congruere,qui eccleſiaſticis ordinibus initiari cupiunt. In ea enim fit mentio *vineæ*,& *arborum*, & *plantationis*; Quæ omnia huic ipſi Ordinationi optime conueniunt.

Vineæ nomen, vt hinc exordiamur multiplex eſſe ſolet,ſed quod ad rem noſtram pertinet,triplicem vineam videntur ſacræ literæ Domino Deo attribuere,exemplo fortaſſe Salomonis Regis, qui tres domos ſibi dicitur ædificaſſe; alteram in Hieruſalem, quam 13. annorum ſpatio perfecit; alteram in ſaltu Libani;tertiam, quam domunculam vocauit,in qua ſedebat ad iudicandum, vt legitur in lib.Regum [b]. Sic Salomon noſter & pacificus Rex triplicem vineam videtur habuiſſe; alteram latiſsime patentem, quæ vbique terrarum diffunditur,vt S. Irenæus interpretatur [c], explicãs illa verba,*plantauit Dominus vineam*; ait enim *vineam Domini eſſe vniuerſum humanum genus*,exemplo Dauidis, cum ait, *meus eſt orbis terræ, & plenitudo eius.* Altera eſt illius vinea, quæ fidelẽ tãtùm populum, & Chriſtianã Rempublicam continet,de qua legitur [d], *vineam de Ægypto tranſtuliſti, & plantaſti eam.*& rurſus [e], *vineam quam plantauit dextera tua.* Tertia eſt vinea conſtans ſolo illo ſacro &pingui,vbi eccleſiaſtica munia exercẽtur,vt legitur,*hæc eſt vinea domini ſabaoth.*

b 3.Reg.7.

c 5. Iren. li. 4.c.70.

d Pſ. 79.

e Pſal.79.

Iſai. 5.

Hac igitur vinea ſanctuarium domini continetur, & quicquid ad ſacrificia,expiationes,arcana myſteria,ſacros ritus, diuinumque cultum pertinet; cuius olim colendæ, & gubernandæ cura Leuiticæ Tribui cõmiſſa fuit, quæ ideo appellata eſt *populus peculiaris Domini*, & *quem Dominus elegit in hæreditatem ſibi*, quòd leuitæ à reliquis ſegregati, vni Deo colendo vacarent, vt ſæpius in teſtam.veteri legimus [g]. Hæc eſt igitur vinea ſanctuarij,in qua Salomonis exemplo [h], ſedent ſacerdotes ad iudicandum inter lepram & lepram, & ad ligandum & ſoluendum, & mandata Domini annuntiãda. Hæc illa eſt,quæ hodie ad inſtitutum noſtrum pertinet; nam ſicuti à Domino ſelecta fuit, vt eſſet cæteris cultior, ſplendidior & fructuoſior; ſic indiget arboribus conſeri,coli, augeri, & exornari.

g Deuter. 7. Pſ. 32.

h Num. 18. & Deuter. 18.

Deuter. 17.

Iſti igitur qui in hanc vineam admittuntur, eleganti quadam ſimilitudine arbores appellantur. Quod nomen nos

admo-

admonet, magnam præſtantiam, ac præcellentem quandam vim in ijs requiri. Nam ſicuti in viridariis magnorũ Principum, non vulgares quælibet arbores, aut plantæ conſeruntur; ſed peregrinæ, excelſæ, quæ aſpectu admirabiles, viriditate conſpicuæ, & fructu ſint iucundiſſimæ. Sic in hanc Domini vineam non vulgares homines admittuntur, non laici, non rudes, non corpore vitiati, non flagitioſi, non infamia laborantes: ſed clerici tantùm vitæ probitate, caſtitate, modeſtia, doctrina, atque innocentia florentes.

Præterea ſicuti viridaria huiuſmodi, & vineæ, non vno arborum genere, ſed mira varietate fructuum diſtinguuntur. vnde aliæ ſicut nouellæ plantationes in iuuentute ſua, aliæ ſuccreſcentes, aliæ ſolidiores, aliæ vetuſtiores conſpiciuntur; ſic in ſanctuario Domini varij ſunt ordines, gradatimque à minoribus ad maiores fit progreſſio, ex quibus hierarchia eccleſiaſtica conſtituitur.

Omnes verò ideo arbores nominantur, vt à plantis, & virgultis differant, quæ humi iacent, aut modicum ſe attollunt: at arborũ iſtarum eſt, in altum moribus, ac virtutibus creſcere, ita *ut luceant coram hominibus earum opera* [a].

a Matth. c. 5

Addamus & illud, quod à Theophilacto, & S. Ambroſio adnotatum fuit[b], arborem fici hic expreſſam eſſe, quòd ea folia habeat ſubaſpera, amara, & duriora. Quæ quidem nobis notas quaſdam Dominicę illius arboris indicant, quam pretioſiſſimo ſuo cruore perfudit; vt hinc intelligamus, eos qui in hac vinea ſe exercere debent, ad labores, pænitentiam, carniſque mortificationem paratos eſſe oportere, vt arboris huius veſtigium aliquod in eis referatur.

b ad cap. 13 S. Lucæ.

Plantatam &c. non ſatis eſt arborem eſſe huius vineæ, niſi & plantata fuerit; nam ſicuti arbores non ſolent temerè eſſe poſitæ, aut huc, illuc proiectæ, ſed ſuis locis & ordine diſpoſitæ. Sic clerici non debent ſe temere huic ſacramento inferre, atque arroganter vineam Domini ingredi; ſed oportet eos eſſe plantatos ab Epiſcopo per legitimam manuũ

1. Timoth. 4.

impoſitionem, atque ad illud munus electos & vocatos à Domino tamquam Aaron, alioqui *omnis plantatio, quam nõ plantauit pater cæleſtis, eradicabitur* [b].

b ad Hebræ. 5.

Itaque hæc plantatio non ſolum legitimam vocationem arguit, ſed etiam monet omnes, vt tamquam plantati, ſuis permaneant locis, nec eccleſias quibus ſunt adſcripti, deſerant: ſed tamquam iurati milites, ſtationem tueantur ſuam.

Pręterea indicat hęc plantatio, debere eos radicibus altè defixos eſſe, nam vt dicitur in pſalmo [a], *plantaſti radices eius, & impleta eſt terra*. Ideoque vſu venire quotidie videmus, vt qui per humilitatis gradus, & pænitentiæ ſe ipſos exinaniunt: tunc fide, ac patientia roborati aduerſus ventorum impetum, & tempeſtates huius ſeculi, immobiles permaneant. Qui verò ſuperficie tenus locum occupant, nec terræ viſcera ingrediuntur; illi ad quoslibet flatus mundi ſtatim deijciuntur, ac rerum humanarum varietate perpetuò iactantur, vnde legitur, [b] *adulterinæ plantæ non dabunt radices altas.*

a Pſ. 79.

b Sap. 4.

Quæ hucuſque à nobis dicta ſunt, ad conditiones eorum pertinent, qui vineã hanc Domini introire volunt.

Nunc alia ſequuntur, quæ ad Dominũ ipſum ſpectant, ait enim, *& venit Dominus quærens fructum, & non inuenit*.

Et uenit dominus, non obliuiſcitur Dominus rei ſuæ; ſtulte, *qui plantauit aurem non audiet*, aut *qui finxit oculum, non conſiderat* [a]? exiſtimaſti quòd *ero tui ſimilis, arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam* [b]. Venit ergo, & plerumque media nocte ſicut fur, cum ſomno oppreſſi, quiduis aliud cogitamus [c].

a Pſ. 93.

b Pſ. 49.

c 1. Theſſal. 5.

Quærens, diligenter explorans, examinans omnes cogitationes, ſermones, actiones, an verè clericali huic ordinationi reſpondeant.

Fructum &c. Hoc caput eſt rei; nã cur plantatur arbor? vtique vt ferat fructũ; Non ſatis eſt, ſi tibi blandiaris, de elegantia tua, de nobilitate, de opibus, de magnificentia domus, de magniloquẽtia ſermonis, & dicendi copia, *Dominus quærit fructum.* non laudatur arbor à pro-

ceritate,

ceritate nec à foliorum magnitudine, nec ab vmbra, nec à viriditate, niſi fructus reſpondeant: videre arborem redundantem frondibus, & ramis, aut luxuriantem pampinis,& caulibus, cæterùm fructibus planè ſterilem & vacuam, oculos quidem oblectabit, ſed mœrore dominum afficiet; Sic clericus qui Eccleſiæ ſit inutilis, qui nil niſi vana conſilia, & folia rerum mundi cogitet, Deo minime gratuserit, dicente Dauide [a], *non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibys viri beneplacitum*,& Hierem. [b] *non glorietur ſapiens in ſapientia ſua*, &c.

a Pſ. 146.

b Hierem. 9.

Sed & illud animaduertendum, non ſatis eſſe, ſi quis ſe à crimine tueri velit, quòd nec furti,nec homicidij,nec adulterij,nec periurij,aut alterius delicti arguatur: nam præterea dominus quærit fructum, & ſi quis operarium conducit, non id ab eo tantum exigit, ne ei perfidus ſit,aut rem domini perdat,ſed vt facultates augeat, & lucretur: oſtendite igitur fructum.

Et ſi quæras, qualis debeat fructus eſſe; Reſpondeo, quòd ſicut cum plantatur arbor pomi,expectatur ab eo fructus pomorum,& à ficu ficuũ,& ab olea oliuarum; ſic à clericis ij fructus expectantur, qui eorum ordini reſpondeant. Hinc functiones inſtitutæ,quibus ſe quiſq. exerceat, quæ nil aliud quàm fructus ſunt plantationum illarum,& arbuſculorum. Idcirco memores eſtote, quotquot hic adeſtis,à vobis in primis quærẽdum huiuſmodi fructũ, & oportere vos neceſſariò præſcriptas vobis functiones accurate præſtare. Et ſicut in arbore non ſatis eſt,ſi in vno, aut altero tantum ramo fructus hi proueniant; ſed vndique eum pomis contectum,& onuſtum,& pręp pondere inclinatum ſpectare oportet. Sic cauete, ne exiſtimetis ſatis vos muneri veſtro feciſſe,ſi aliquo tantum tempore, aut aliqua tantum in re miniſterium veſtrum obeatis: non enim bonæ arboris ſpeciem tunc referetis, vnde Apoſtolus inquit [c] *Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes*.

c Ad Coloſ. 1.

Sed & illud addit, *quærens fructum in illa*,non extra illam. Non ſufficit, ſi quis cũ parochus ſit, aliena negocia vtiliter tractet, aut libros præter muneris ſui inſtitutũ conſcribat;aut ſi Canonicus ſe litibus aliorũ procurãdis,aut cauſis agẽdis fructus edere affirmet. ſunt.n. hi fructus,ſi tamẽ fructus ſunt,nõ in illa vinea ſed extra eam. Quid mihi, parochum illum eſſe iuris doctorem? optimum cytharœdum? aut facundum Rhetorem? ſi parochi munus non obit, ſi in illa vinea Eccleſiæ ſuæ fructus non edit?

Dicit etiam *in illa*,vt ſint fructus præſentes,& quotidiani; nam multi ſatis ſibi conſultum putant,quòd olim laborauerint, & magna vt illis videtur, geſſerint. Non hæc tibi immunitatem tribuunt: vide,an nunc in illa te exerceas; *oportet ſemper orare,& nunquam deficere,ſic ſemper operari,donec dies eſt* [d].

d Luc. 18.

Et ſi dicas, arbores non quouis tempore fructus ferunt, ſed certa tãtum anni parte. Dicimus autumnum noſtrum, ſiue æſtiuum tempus meſſi noſtræ faciendæ, aut fructibus colligendis opportunum, eſſe hoc breue ſpatium vitæ, quod nobis diuina bonitas largitur, *Dum lucem habetis in lucem credite,vt filij lucis ſitis* [e]; *Veniet nox,quando nemo poteſt operari* [f]; Tempus quieſcendi, non eſt huius, ſed futuri ſeculi. Sic enim in apocal. legitur, *amodo requieſcent à laboribus ſuis*. [g]

e Ioan. 12.

f Ioan. 9.

g Apocalip. 14.

Dixit ad cultorem vineæ, ecce anni tres ſunt, ex quo venio quærens fructum.

Hæc quoque verba recte applicari poſſunt clericis, quibus hæc vinea domini committenda eſt, vt videant qua diligentia,& quãta ſeueritate cum ijs ſit Dominus acturus; nam conſcientia cuiuſque, eſt loco Domini monentis cultores, vt dicitur in Cant. *Poſuerunt me cuſtodem in vineis*. Itaque interior conſcientia ſtimulis animam pungit, ac verberat quotidie, vt tandem excitata, non langueſcat amplius,ſed elaboret, ac inuigilet in opus domini, qui minatur magna iſta, ac horrifica voce, *ecce iam tres anni ſunt*.

Cant. c. 1.

Air vero, *ecce tres anni ſunt*, vt oſtendat tẽpus perfectum,quod conſtat principio,medio,&fine:aut poteſt hoc triennij tempus alia myſtice ſignificare, quæ à ſan-

S. Chriſoſt. tom. 5. hom. in illud Ap. cum autem ſubiecta.

à ſanctis Patribus traduntur.

Succide illam, ut quid terram occupat? ecce hic argumentum euidentiſſimum, quàm grauiter ferat dominus ignauiã, & languorem hominum: non hic obijcit illis flagitia, non ebrietatem, non libidinem, non auaritiam, ſed tantùm ſocordiam, & ſomnolentiam.

Vt quid terram occupat? Græcè dicitur, *ἵνα τί τὴν γῆν καταργεῖ?* vt quid terram otioſam reddit? vt quid inutilis eſt? ſibi tantum viuit, ſibi creſcit, ſibi ſuccum haurit ex terra? Videte quęſo; arbores ſatiuę & frugiferæ ita ſunt procreatæ, vt humorē hauriant radicibus à terra, quem ipſę in ramos, folia, virgulta, trũcum, corticem, ac ſingulas alias partes tranſmittunt; vt inde tamquam corporis mẽbra nutriantur, ac corroborentur. Cæterum quod humoris ſupereſt, id in poma, & fructus, ad aliorum vtilitatem cõuertitur: quòd ſi nullos habeant fructus, tunc tamquã ſteriles, & inutiles exciduntur.

Sic à clericis exigitur, vt prouentus beneficiorum, pro victus ſui ratione, & dignitatis conſeruatione ſibi tueantur; at quod amplius ſupereſt, id in aliorum vſum erogetur, ac egenis, viduis, tenuioribuſque laborantibus miniſtretur.

Sic enim B. Clemens Papa, & D. Petri diſcipulus inquit [a], *Clericum, ea quæ ex decimis, & primitijs ſibi dantur, rectè diſpenſare debere orphanis, viduis, afflictis, & peregrinis egentibus, quippe qui habeat Deum harum rerum rationem repoſcentem.* & ſanctus Bernardus affirmat [b] de Clerico. *Quicquid præter neceſſarium victum, & ſimplicem veſtitum de Altario retines, tuum nõ eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt.*

a lib. 2. c. 28 de apoſtolicis conſtit.

b S. Bernar. in epiſtola 2.

At ille reſpondens dicit illi, Domine dimitte illam, & hoc anno, vſque dum fodiã circa illam, & mittã ſtercora. Hæc verba admonent vos, quam rationem poſthac inire debeatis, aut quem vitæ curſum in poſterum perſequi, vt dignos vos Eccleſiaſtico munere præbeatis. Nam vt rem ad praxim redigamus, reputate nunc animo, à vobis peti; quid hoc loco agitis? quid poſtulatis? vtrique ſic à vobis reſponſum iri exiſtimandum eſt: petimus ad vlteriores gradus promoueri. Ad hanc petitionem quid poſſet Archiepiſcopus reſpondere? certè parum diſſimile ab eo quod Dominus vineæ dixit cultoribus, videlicet. *Ecce iam aliquot anni ſunt, ex quibus venio quærens fructum, & non inuenio, ſuccide illam, ut quid terram occupat?* Sic Archiepiſcopus; ecce iam pridem plantaui vineam meam, poſui in ea varias arborum ſpecies, aliquos conſtitui lectores, alios exorciſtas, alios ſubdiaconos, alios Diaconos, & deniq. ſingulis ſuum locum, ſuas functiones, ſuos gradus minores, & maiores aſſignaui; expectabam vt ſuos quiſque ferret fructus, qui ad maturitatē peruenirent, & populorum domos, ac familias bonorum operum ſuorum exemplo paſcerẽt. Nunc longe ſecus agnoſco, & folia tantum, inutileſq. ramos inuenio, Vt quid ergo terram occupant? cur non nouas potius arbores conſerimus, quibus pingueſcant ſpecioſa deſerti, & exultatione colles accinganrur?

Hæc ſi à nobis obijcerentur, videntur aliqui poſſe exurgere exemplo huius agricolæ dicentes, *Domine dimitte nos* aliquandiu etiam vt fodiamus, & mittamus ſtercora, ideſt, vt nos exerceamus, ac per patientiam, vigilantiam, & continentiam laborantes, optimos ſanctitatis fructus afferamus. Nam & Chriſtus Dominus Petro quærenti, an peccatori agnoſcenti ſocordiam ſuam, cupiẽtique præteritam vitam emendare, eſſet ignoſcendum; reſpondit ei dimittẽdum *non ſolum ſepties, ſed ſeptuagies ſepties*, appoſuitque ſtatim parabolam debitoris decem millium talentorum, cuius Dominus miſertus fuit: vt ſignificaret durante hac mortali vita, nullum eſſe præfixum temporis terminum, in quo homo emendari à peccatis ſuis non poſſit; & amplius, in quo ipſe peccatorem à via praua conuerſum ſinu miſericordiæ ſuæ excipere non ſit paratus.

Attamen licet hoc verum ſit, non eſt illud omittendum, hunc vineę cultorem non petiſſe tempus ſibi nudè tantum prorogari, ſed addidiſſe, *vſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora*, quod quidem admonet nos, Dilectiſſimi,

mi, ſi quid proficere optatis, eam in poſterum curam, & ſollicitudinem vobis adhibendam eſſe, quæ præteriti temporis iacturam, & ariditatem aſſidua fatigatione, pœnitentiæq. fructu cõpenſet.

Quo loco agnoſcite quæſo infinitam Dei miſericordiam, qui ſicut ex immundo ſtercore vineis, atque agris fertilitatẽ inuehi largitur: ſic ex peccatis hominũ, quæ nil aliud ſunt, quàm ſtercus dæmonum, & ſordes putridæ inferni, ſi per pœnitentiam corrigantur, & contritionis aratro conſcindantur, fletuſque riuis irrigentur; ſperandum eſt inde fertilitatis eam pinguedinem deriuandam, ex qua fœcundi ſanctitatis fructus ſint expectandi.

Quapropter ne tam optabilem occaſionem amittatis, ſtudete quamprimum priorem vitam deteſtantes, alios vos in hac Domini vinea oſtẽdere, per fructus bonorum operum, vt in præſenti vita ædificationem omnibus afferatis, & in futura æternam Dei gloriam conſequamini; gratia, & benignitate D. Noſtri Ieſu Chriſti. Qui vos &c.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

COLLECTOR.

AD Sacramenta ritè adminiſtranda, & recipienda, cum præcipuum Parochorum munus eſſe debeat, vt plura non ſolum præſtent in ipſa adminiſtratione, ſed opportunè doceant, inquirant, animaduertant. Ideo in hoc etiam sacramento Matrimonij Parochi inſtruendi viſi ſunt Illuſtriſsimo Cardinali Archiepiſcopo, atque ita dirigendi, vt non ſolum ſui muneris neceſſarias partes nullo modo prætermittant; ſed etiam paſtorali quadam ſollicitudine, & diligentia vtentes, Chriſtianæ diſciplinæ ſemina cultis tam ſua opera fidelium animis, cum ſpe fructus commendare poſsint. Quapropter poſt generalem inſtructionẽ, nonnulla etiam adijcientur, quæ Parochis materiam ſuppeditare poterunt, ad Matrimonij reuerentiam in populis imprimendam, & ipſius præſtantiam declarandam.

INSTRVCTIO.

ad Parochos Ciuitatis, & Diœceſis Bononiæ.

De sacramento Matrimonij.

Quædam a Parocho de Matrimonio infra annum præſtanda.

QVO plures ad hominum prauitatem irrepſerunt abuſus in Matrimonij ſacramentum, eò diligentiorem curam adhibere debent parochi, vt ea qua decet ſanctitate, & reuerentia, ſeruatiſque ijs omnibus, quæ à ſacris canonibus, & concilijs præcipiuntur, ritè celebretur. ſolet enim nequiſſimus humani generis hoſtis diabolus, illis præſertim ſanctis Chriſtianæ religionis inſtitutis conari, vt fallaciæ, & laquei adiungantur, in quibus humana fragilitas in carnalibus deſiderijs potiùs occupatur, quàm in ſpiritualibus fructibus colligendis. Quapropter parochus non eo tantùm tempore, quo de Matrimonio aliquo agitur, fideles illos, qui ſanctè coniungi petunt, huius ſacramenti præſtantiam, & quæ ad illud ritè celebrandum requirũtur, edocere debebit; ſed etiam populum vniuerſum ſuæ cuſtodiæ commiſſũ, ſæpiùs infra annum, in concionibus, & in confeſſionibus, opportunè ſumpto aliquo argumento, declarare ſtudebit plura, quæ ad doctrinam huius ſacramenti pertinent, eaque ex Catechiſmo, alijſque ſacris auctoribus hauriet, necnon ex libello Illuſtriſſimi Archiepiſcopi iuſſu edito, & pluribus monitionibus ad hoc facientibus referto. videlicet quas ob cauſas Matrimonium à Deo inſtitutum ſit, quo fine ineundum; quàm arctum ſit ipſius vinculum, vt nullo diuortio diſſolui poſſit: quæ ſint eius indiſſolubilis vinculi bona, ac vtilitates: quæ ſint munia viri, & vxoris officia, aliaque ſimi-

lia

lia, quæ fideles excitare poſſunt, vt mentis oculos terrenarũ rerũ ſomno grauatos, ad myſteria in hoc ſacramẽto incluſa conſideranda attollant; neq. opes, voluptates, & commoda tantùm ſpectent: ſed ante omnia, Dei honorem, & gloriã, ſuarumque animarum ſalutem, in eo intueantur, & cupiant.

Præterea pluries, quod optaret vehementer Illuſtriſſimus Archiepiſcopus, & ſaltem bis ſingulis annis, hoc eſt, in feſto Natalis Domini, & in feſto Paſchatis, vnuſquiſque parochus Ciuitatis & diœceſis huius, non prætermittat intra Miſſarum ſolemnia populo promulgare decretũ ſacri concilij Tridentini de denunciationibus: illudq. vel eiuſdẽ argumentum, hoc vel ſimili modo explicate.

Sacrum concilium Tridẽtinum animaduertens prohibitiones clandeſtinorum matrimoniorum olim à ſacris canonibus factas, propter hominum inobedientiam non prodeſſe: & grauia peccata perpendens, quæ ex iiſdem clandeſtinis coniugijs ortum habent; præcipit, vt antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium parocho, tribus continuis feſtiuis diebus, in eccleſia, inter Miſſarum ſolemnia publicè denuncietur, inter quos Matrimoniũ ſit contrahendũ. Quibus denunciationibus factis ſi nullũ legitimum opponatur impedimentum ad celebrationem Matrimonij in facie eccleſiæ procedatur, vbi parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, corã duobus, vel tribus teſtibus, eos coniugat in matrimonium, iuxtà receptum vniuſcuiuſq. Prouinciæ ritum. ſimiliter qui aliter, quàm præſente parocho, vel alio ſacerdote de ipſius parochi, ſeu ordinarij licentia, & duobus, vel tribus teſtibus, matrimonium contrahere attentabunt: eos ſancta Synodus, ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit.

Declarabit item parochus impedimenta canonica, ob quę Matrimonium contrahere non licet, & contractum dirimitur, & inualidum redditur. Quin etiam grauiſſimum peccatum eſſe oſtendet, cum huiuſmodi impedimentorum aliquod noſcitur, neque iccirco reuelatur. Itemq. cum ſponſi, etiamſi aliquod impedimentum eſſe animaduertunt, tamen matrimonium contrahunt, abſque diſpenſatione.

Docebit etiam, ſeparari omnino debere, & ſpe diſpenſationis conſequendæ carere, quicumque intra gradus prohibitos, aut contrahere matrimonium præſumpſerit, aut quod peius eſt, conſummare.

Explicabit demum, quàm nefarium ſit, Matrimonij libertatẽ violare; & ideo abſtinẽdum eſſe patentibus, ne vi filios, aut filias ad matrimonium inuitò ineundum cogant. Temporales autem Domini, ac Magiſtratus caueant omnino, ne quempiam, ſiue mas ſit, ſiue fœmina, ſub eorum iuriſdictione degentem, minis, aut pœnis adigant inuitum, ad Matrimonium aliquod contrahendum, cum præcipiat ſacrum concilium Tridentinum omnibus cuiuſcumque gradus, & conditionis exiſtant, ſub anathematis pœna, quã ipſo facto incurrant, ne quouis modo, directè vel indirectè, Domini ſubditos ſuos, vel quoſcumque alios cogant, quominus liberè matrimonia contrahãtur: ſicuti grauiores pœnas illis inflixit, qui raptũ committere auſi fuerint.

Quædam curanda a Parochis, cum proxime inſtat Matrimonii celebratio.

CVM de aliquo Matrimonio contrahendo in ſua parochia Curatus certior fiet, antequam ad primam denunciationem veniat, hæc quæ ſequuntur, præſtanda ſibi eſſe meminerit.

Quamuis matrimonia à filijsfamilias, ſine conſenſu parentum contracta, irrita minimè ſint; & parentum conſenſus ea rata, vel irrita facere non poſſit, dummodo libero contrahentium ipſorum conſenſu facta ſint. Tamen cum honeſtiſſimum videatur, & rationi ſummopere conſentaneum, vt filijfamiliàs in re

tàm

tam graui, conſiliis, & uoluntati parentum ſubiaceant, propterea unuſquiſque parochus diligenter inquirat hunc con ſenſum, tam inter ſponſum, & ſponſam, quàm inter propinquiores conſanguineos, & præſertim ipſorum parentes, ſi ſint filii familiàs; quòd ſi quid difficultatis cōpetiet, admonito priùs Illuſtriſſ. Archiepiſcopo, ſeu eius Vicario, eiuſque reſponſo accepto, ad denunciationem progredietur.

Quæret etiam, an matrimonium facturi, doctrinam Chriſtianam ſciant, aut ſaltem *Pater noſter*, *Aue Maria*, *Credo*, *& Decalogum*. Quòd ſi uterque ea neſciat, aut eorum alter: moneat illos, ſe nō ante ad tertiam denunciationem venturum, quàm illa ab ipſis rectè memoria teneri, & intelligi perſpexerit.

Inquiret inſuper de eorum ætate; nam eos tantùm qui in ætate legitima ſint conſtituti, denunciare debebit, ita vt ſponſus 14. ſaltem annos ſit natus, ſponſa verò 12.

Item de patria: nam exteros nequaquàm denunciabit, niſi eorum conditionem nouerit legitimo in ſcriptis teſtimonio, quòd alium virum, vel vxorem non habeant, & quòd omni impedimento canonico matrimonij careant.

Item an eo anno in Paſchali ſolemnitate confeſſi fuerint, & ſacram Euchariſtiam ſumpſerint; nam ſi id non cōſtet, à denunciatione abſtinere debebit.

Si quis cælibem ſe eſſe affirmet, & de matrimonio contrahendo agat: Parochus item ab eo denunciando cauebit, niſi doceatur legitimo in ſcriptis teſtimonio, vel nuſquam alibi matrimonium ab eo contractum fuiſſe, vel priorem virum, ſeu vxorem ipſius obiiſſe.

Quoad eos verò qui vagantur, & incertas habent ſedes: caueat Parochus, ne illorum matrimoniis interſit, niſi priùs diligentem inquiſitionem fecerit, & re ad Illuſtriſſ. Archiepiſcopum delata, ab eo licentiam matrimonia huiuſmodi celebrandi, obtinuerit.

Cauebit item Parochus à denunciatione earum, quę interim educantur in monaſteriis monialium.

Neenō inquirat neceſſe eſt, an aliqua intercedāt impedimenta, quominus cōtrahere poſſint. Quòd ſi ex publica fama, aut per vnum ſaltē teſtē aliquod impedimentū eſſe cognouerit, à matrimonio denuntiando deſiſtat; ſi verò ſponſi ipſi, aut alii eorum nomine inſtent, ut denunciationes fiant, Parochus illas facere non incipiat, donec admonuerit Illuſtriſſ. Archiepiſcopum, & ab eo licentiā obtinuerit. In his igitur, aut aliis huiuſmodi caſibus, in quibus aliqua exiſtere poſſit difficultas; ſiue etiam cum dubitatur, in qua parochia debeat fieri denunciatio, Parochus ab eodem Illuſtriſſ. Archiepiſcopo, quid ſibi agendum ſit, accipere debebit.

Poſtquàm igitur Parochus cognouerit ex omnibus præmiſſis, matrimonium denunciari poſſe, admoneat diligenter ſponſum, ſeu ſponſam, ſeu vtrunque eorum, ſi ambo in ſua parochia ſunt. Primum, vt ſe ad ſanctiſſimam Euchariſtiā deuotè ſuſcipiendam cōparent, cum matrimoniū celebrabitur, & benedicētur.

Quia verò grauiter peccaret, quicūq; ante celebrationem, & benedictionem ad actum cōſumationis matrimonii accederet; idcirco Parochus hortabitur non ſolùm ſponſos, ſed etiā ipſorum parentes, aut alios, quibus eſt eorum cura tradita, vt ſi in eadem domo ſunt, ad eui tandam omnem peccati occaſionē, eos ſeparatim habitare faciāt. Si verò in diuerſis domicilijs habitant, colloquia inter eos honeſta, & de die: ac non aliter, quàm in aliquorum præſentia admittantur, omniq; inhoneſtorum actuū, & peccandi libertate, & occaſione priuentur: donec per huius ſacramenti virtutem, quæ inhoneſta tunc eſſent, honeſta, & licita perficiantur: præſertim cū ſi aut per denunciationes, aut alias ob cauſas impedimentum aliquod detegi poſſit, ſpōſa, quæ nimis liberè cum ſponſo verſata fuiſſet, magnam honoris iacturam faceret, ſi matrimonii contractio impediretur. Quod eò diligentius obſeruandum eſt, quò efficaciores hortationes à ſacro conc. Trid. ad id adhibentur.

Moneat etiam Parochus ſponſam, ne

O vitioſa

vitioſa verecundia, aut praua conſuetudine adducta, dum denunciationes fiũt, diebus feſtis Miſſæ ſacro intereſſe prætermittat; quòd ſi ad parochiam ubi matrimonium denunciatur, ire noluerit, in alia eccleſia Miſſam audiat.

Quædam curanda a Parochis in denunciationibus.

His vt ſupra à Parocho peractis, ad denunciationes ipſas veniat tribus cõtinuis feſtiuis diebus, ex conc. Trid. decretis in eccleſia faciendas: formula autem qua in iis uti debebit, ſequens erit.

Notum ſit omnibus quòd N. filius. N. ex parochia. s. N. contracturus eſt matrimonium cum. N. filia. N. parochia. s. N. atq. ideo ſiquis ſciat aliquod intercedere inter ipſos impedimentum conſanguinitatis, affinitatis, cognationis ſpiritualis, quæ à baptiſmo, et confirmatione naſcitur, aut cuiuſuis canonicæ prohibitionis, ob quam Matrimonium contrahere nõ poſſint, neq; debeant, certiorem faciat me Parochum, aut Illuſtriſſ. D. Card. Archiepiſcopum, ſiue eius Vicarium generalem.

Neq; verò ſtatim atq; denũciationes tres factæ erũt, niſi tẽporis anguſtiis præmatur, ſiue inſtantis Aduẽtus tempore, ſiue Quadrageſimæ, ad matrimonij celebrationẽ parochus procedere debebit; ſed trium, uel duorum ſaltem dierum ſpatium interijcere, vt liceat vnicuique de impedimentis cogitare, eaq; aperire.

Quòd ſi Parochus à temporis breuitate vrgeri ſe videat, ſeu alias ob neceſſitatis cauſas: in ſecunda denunciatione populum de hoc admoneat, nuncietq. ſtatim poſt tertiam denunciationem Matrimoniũ eſſe in facie eccleſiæ celebrãdũ.

Sed non ideo celebratio diutiùs protrahenda eſt: quin vt omnis ſcandali, & peccati occaſio tollatur, quæ ob nimiã moram à malitioſè impedientibus proficiſci poſſet: contrahentes ad præſcriptum ſynodaliũ decretorum, infra duos menſes ad ſummum, Matrimonium celebrare teneantur; quòd ſi poſt ultimã denunciationem, duo menſes elapſi erunt, & Matrimonium non erit celebratum, parochus ad celebrationem amplius nõ procedet, niſi prius admonito Illuſtriſſ. Archiepiſcopo, & licentia in ſcriptis ab eo, vel generali eius Vicario obtenta.

Si autem aliqua probabilis ſuſpicio oriatur, vt denunciando Matrimonium, aliqua impedimẽta malitioſè ſtruãtur: eo caſu Parochus Illuſtriſſ. Archiepiſc. moneat, qui illi quid agẽdum ſit præſcribet: quòd ſi ipſius iuſſu vna, aut altera denunciatio omittenda eſſet ad euitanda ſcandala, curet idẽ Parochus, vt in acta fori Archiepiſcopalis totum id referatur; ne Matrimonium huiuſmodi ob impedimentum quodcumque falſum, & per calumniam inuentum, vllo vnquã tempore inualidum cenſeatur.

Quædam curanda a Parochis in celebratione, & benedictione Matrimonii.

Poſt tres denunciationes factas in eccleſia parochiali, cui tam ſpõſus, quàm ſponſa ſubditi erunt, niſi aliquod impedimẽtum contigerit, elapſis, vt ſupra dictum fuit, tribus, aut duobus diebus ab vltima denunciatione, parochus ad Matrimonii celebrationem procedet.

Cum autem ſponſus in una parochia, & ſpõſa in alia habitabit: Parochus ſpõſæ, ad quem pertinet matrimonii celebratio, non ante hanc faciet, quàm habeat fidem parochi, ab eodem ſubſcriptam, & eccleſiæ parochialis ſigillo munitam de ſponſo, in hac uidelicet forma.

Die . men. . . ann.

Teſtor ego. N. Parochus. S. N. a me denunciatũ fuiſſe in mea eccleſia prædicta intra miſſarum ſolemnia Matrimonium contrahendũ inter N. ex mea parochia, & N. ex parochia. s. N. tribus infraſcriptis feſtiuis diebus, hoc eſt prima denunciatio facta fuit die. . 2. die. . 3. die. . neque aliquod impedimẽtum cognitum eſt, quo minus matrimonium celebrari poſſit. In quorum fidem. &c.

Ego N. Parochus, &c.

Quę quidem teſtimonia ſeruet parochus ſponſæ ſimul alligata in ſeparato loco, & in librum matrimoniorum ſcripto etiam referat.

Idemque ſeruetur, cum contrahentes erunt diuerſarum diœceſum: hoc eſt, vt priùs fides habeatur authentica ab Ordinario

dinario ſponſi, quæ nullum impedimentum intercedere, & denunciationes omnes factas fuiſſe teſtetur.

Cum autem eccleſia ſit locus proprius, ubi ſacramẽtum hoc adminiſtrari debet; quia etiam ſeparatim à benedictione, matrimonium celebrari poteſt, & benedictio fieri diuerſis diebus, ſi quando ob legitimam aliquam cauſam euenerit, vt ſeparatim à benedictione Matrimonium celebrari debeat: tunc Parochus ſponſæ, conuenientibus ſponſis ad ſuam eccleſiam, præſentibus teſtibus, & aliis qui intereſſe debebunt, Miſſam celebrabit.

Deinde depoſito manipulo, & planeta, ſumptoque pluuiali benedictionem anuli faciet, iuxta formam hic ſubiũctã: tum breuem ſermonem habebit: quo peracto, cinget ſponſorum colla candido aliquo velo, ad inſtar ſtolæ accommodato, & eos matrimonio iunget dicens. *N. placet ne tibi accipere per uerba de præſenti. N. hic præſentem in tuam legitimam uxorem, prout mandat ſancta Mater eccleſia?* & ſponſus reſpondebit diſtinctè, & intelligibili uoce. *Placet.*

Deinde conuertat ſe ad ſponſam, & interroget pariter. *N. placet ne tibi accipere per uerba de præſenti in tuum legitimum maritum. N. hic præſentem, prout mandat ſancta mater eccleſia?* Et ſponſa ſimiliter reſpondebit diſtinctè, & intelligibili uoce. *Placet.*

Quibus reſponſis, & mutuo conſenſu acceptis, Parochus tunc ſubiungat.

Ego. N. Parochus huius eccleſiæ. ſ. N. uos. N. & N. in matrimonium coniungo, in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Amen.

Sed cum ſimul, & celebratio Matrimonij, & benedictio ſponſorum facienda erit, tũc poſtquàm ſponſi ad eccleſiã venerint, aderuntque teſtes idonei, alijque ut ſupra.

Parochus pluuiali indutus, benedicet anulo iuxta ſequentem formam. Poſtea iunget eos Matrimonio; tum dicet Miſſam, uel pro ſponſo & ſponſa, ſeu aliam feſti occurrentis, prout rubricæ Miſſalis indicabunt.

Animaduertat tamen Parochus, ne ullo unquam tempore benedictionem faciat in ſecundis nuptijs, ſeu Matrimonio, quamuis contrahentium aliquis, ſiue mas, ſiue fœmina numquam antea coniugatus fuerit: Tunc enim ſufficiet, ut tantummodo celebretur matrimonium. Neque item primis ipſis nuptijs benedicet, temporibus à ſacro Concilio prohibitis, hoc eſt, *à prima Dominica aduentus uſque ad Epiphaniam incluſiuè, & à feria quarta Cinerum, uſque ad octauam Paſchatis reſurrectionis incluſiuè*, ſub pœnis & cenſuris à ſacris canonibus iniunctis.

Hæc uerò omnia, tam benedictionẽ, quàm celebrationem per ſe ipſe præſtare curabit, niſi legitimo impedimento detentus fuerit: quo caſu id muneris ob eundum committet ſacerdoti approbato in adminiſtratione ſacramentorum, qui referat poſtea fideliter nomina contrahentium, & teſtium, ut in libro ad id deputato omnia adnotentur.

Benedictio anuli.

℣. *Adiutorium noſtrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cælum, & terram.*
℣. *Domine exaudi orationem.*
℟. *Et clamor meus ad te ueniat.*
℣. *Dominus vobiſcum.*
℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus. *Bene ✠ dic quæſumus Domine anulum hunc, quem nos in nomine tuo bene ✠ dicimus, ut qui eum portauerint, in tua pace conſiſtant, & in tua uoluntate permaneant, & in amore tuo uiuant, & ſeneſcant, & multiplicentur in longitudine dierum. per Chriſtum Dominum noſtrum* ℟. *Amen.*

Oremus. *Creator, & conſeruator humani generis: dator gratiæ ſpiritualis: conditor æternæ ſalutis. tu Domine emittere digneris ſpiritum ſanctum tuum Paraclitum de cælis, & tuam ſanctam bene ✠ dictionem ſuper hunc anulum, ut iſti pariter armati uirtute cæleſti, tuaque protectione defenſi, bene ✠ dictionis tuæ munus percipiant in uitã æternã. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.*

Quibus deuote dictis ſacerdos aſpergat anulum aqua benedicta, illumque ſponſo conſignet, qui eum accipiens,

ſtatim in dextræ manus anulari, hoc eſt quarto digito ſponſæ, illum ponat dicens. *In nomine Patris, & filij, &c.*

De libro Matrimoniorum.

Vnuſquiſque Parochus librum habeat matrimoniorũ, ſigillo Illuſtriſſ. Archiepiſcopi ſignatum, in quo deſcribat nomina, & cognomina contrahentium, & teſtium qui præſentes matrimonio fuerunt, diem, menſem, & annum contracti matrimonij, in hanc quę ſequitur formam,

Si verò permittente parocho alius ſacerdos matrimonium celebret in eiuſdem parochi eccleſia, huiuſmodi licentiam conceſſam prædicto ſacerdoti in eundem librum referat,

Forma obſeruanda à Parochis in deſcribendis Matrimonijs, in libris ad id deputatis,

Ego N. Rector Parochialis Eccleſiæ S.N. fidẽ facio, me tribus diebus feſtiuis continuis, videlicet primo die ... menſis ... anni ... ſecundo die , menſ. , anni , . tertio die , . menſ. , anni , in eccleſia Parochiali s. N. inter miſſarum ſolemnia publice denunciaſſe Matrimonium inter A. & B. nulloque legitimo oppoſito impedimento, ac uiro, & muliere a me interrogatis, eorumque mutuo conſenſu intellecto, Matrimonium inter dictos A. & B. in faciem Eccleſiæ, iuxta formam Tridẽtini concily die ... menſis ..... anni ... in dicta eccleſia S. N. fuiſſe legitime celebratum, præſentibus N. & N. & N. teſtibus &c.

Ego N. Rector parochialis eccleſiæ S, N, manu propria,

Frequentiore populo parochi omnes, & ſinguli, feſto die inter miſſarum ſolemnia, eum de hoc ordine circa Matrimonium Illuſtriſſ. Archiepiſcopi iuſſu edito, & promulgaro admonebunt; atque idcirco, qui nubere volunt, aut filios, filiaſque in Matrimonium collocare, ſolicite hæc legant, aut ſibi lecta audiant; ut meliùs quid ſibi ſit agendum conſtituanr, & Matrimonia ſine Dei offenſione, cumque æternæ ſalutis acquiſitione celebrentur. Dat, Bonon. &c.

N.Vic.G en,

Argumenta quædam circa nonnullas res domeſticas ad mulieres pertinentia, quæ Parochi ad maiorem earum perfectionem attingere poterunt ante Matrimonij celebrationem,

Sponſa quæ ſe ingenuam, atq; adeo Chriſtianam eſſe profitetur, primũ ſponſalitium eſſe reminiſcatur, aditum atq; ingreſſum ad ſanctũ Matrimonij ſacramentum: quod à Deo conceſſum eſt humano generi, quo tanquam medio ad diuinam gratiam conſequendam, & peccata fugienda utamur. Quare quẽadmodum ſi medicina, quæ ad corporis ſalutem adhibetur, febrim augeat, morbum eſſe grauem, & periculoſum indicat. Ita etiam cum à ſpõſalibus, & Matrimonio occaſionẽ ſponſæ ſumunt, qua peccata augeãtur, manifeſtè ſuarum animarum lethale periculum oſtendun t.

Verùm quia nonnullæ fortaſſe aliarũ exemplo adductæ inſciæ errant, ne ullo ignorãtiæ prætextu excuſari poſſint, Parochi monitionibus hiſce uti poterunt, quas etiam pro cuiuſque captu declarare, & magis amplificare ſtudebunr.

In primis igitur oſtendant, non ſolum parẽdum omnino eſſe Pragmaticæ, quæ ſuper pompis eſt edita; ſed etiam in ijs rebus, quæ in illa permittuntur, modeſtia Chriſtiana vtendum.

Nullum ornamentorum genus, quæ laſciuiam, aut petulantiã oſtẽdant, adhibẽdum eſt; nam ea valde à Tertulliano, Clemente Alexandrino, Cipriano, Hieronymo, Chryſoſtomo, Auguſtino, aliiſque pluribus eccleſiæ Doctoribus damnantur, ad quorum cõſiliũ & ſententiam, mores noſtros componere deberemus.

Feria ſexta, quæ Chriſti Domini Noſtri paſſioni dicata eſt, & cæteris ieiunii diebus, veſtes dimittẽdæ eſſent, quę colore lætitiam indicant: & ſumendæ aliæ, quæ deuotionis, & pænitentiæ ſignum oſtendunt,

Nõ niſi velato capite mulieribus in eccleſias eſt ingrediendũ, ex Apoſt. & ex Lini Põt. decretis, vt Deo reuerentiã ſe perhibere oſtẽdãt: honoremq. angelis, & ſanctis,

& ſanctis, quos in eccleſia venerantur.

Quin potius reliquis etiam in locis; ſi mulier non ſit velato capite, ſed aperto; non præſefert eam modeſtiam, & verecundiam, à qua vbique ſociari deberet: imo alios ad credendum potiùs adducit, ipſius quoque animum ad inſtar capitis liberum, & vagum nimis eſſe.

Quia Deus eò diligentiorem rationem ab ijs ſibi reddi petet anteactæ vitæ; quò nobilitate, auctoritate, diuitijs, alijſque humanæ vitæ commodis, cæteris præſtiterunt. Iccirco memores erunt huiuſmodi mulieres, ad ſe ſpectare, vt exemplo in Chriſtiana modeſtia colenda, alias omnes antecellant.

Si iure damnãtur illæ, quæ facile noua ornamenrorum genera cõſectantur: eò maiori nota dignæ cenſendæ ſunt illæ, quæ huiuſmodi ornamenta adinueniunt, & de Pragmaticę lege aliquo modo frãgẽda, aut fallẽda aſſidue cogitãt.

Diebus feſtis ſacro Miſſæ ſacrificio integre, & attente intereſſe, atque ad eccleſiam diuinorũ tempore, non quando alij ad domicilia reuertuntur, ſe conferre, dignum nobilitate Chriſtiana cenſendum eſt: ad eaſq. eccleſias accedete, vbi ſpiritu magis collecto ad Deũ piæ, & deuotæ preces effundi poſſint. Quare tempus illud matutinum, quod in ſuperfluo ornatu expenditur, dici non poteſt, quantum detrimentum ſpiritui afferat, cũ vanitatis id ſit obſequiũ, & deuotionis feruorẽ magnopere impediat.

Reliquis etiã diuini officij partibus in eccleſia, videlicet veſperis, completorio, & orationi publicæ, niſi impediantur, interſint; conciones etiam, & ſermones qui habebuntur, frequenter audiãt. Reliquum ſacri illius diei tranſigant in ſpiritualibus exercitationibus: doctrinæ Chriſtianæ ſcholas adeant: puellas ipſam edoceant: viſitent ægrotas, & præcipue pauperes parochiæ: aliquas interdũ eccleſias, ad quas frequentior acceſſus aliarũ non ſit, adeant deuotionis cauſa: in aliquas mulierũ piarũ congregationes adſcribi curent, vt puta congregationis puellarũ Baracani, puellarum S. Marthæ, Hoſpitalis mendicantiũ, & huiuſmodi; atq. ijſdem diebus feſtis modò vnũ, modò alium horum piorum locorũ viſitent; à pijs matronis ſociatæ eleemoſinas quærãt, pro pauperibus, monaſterijs, atq. in huiuſmodi Chriſtianis exercitationibus diem totũ ſanctè, & piè occupent. Quo peracto, domum ſeſe recipiãt: ad plateas non accedant: deambulationes, aut vagationes effugiãt: aliaq. oĩa vitent, quę nõ decent eos dies, quos Deus Dũs noſter ſuo cultui dedicauit.

Cõfiteantur ſæpius peccata ſua, & ſacratiſſimũ Chriſti corpus ſumant ſaltem in ſolemnibus Eccleſiæ feſtiuitatibus; & qualibet prima Dominica menſis comitentur proceſſionem ſanctiſſimi ſacramenti ſuæ parochiæ; vtanturq. aliis deuotis exercitationibus, quæ ab ipſarum ſpirituali patre, iis præſcribentur.

Dedecet plurimùm, mulierem ſolam curru vectam aſpici, ſed decet eã ab aliquibus matronis grauibus ſemper ſociari: Atque ſponſæ laudari ſolent, maxime illę, quę pro floribus & ſertis, B. Virginis roſariũ, aut officiũ geſtare, in vſu habẽt.

Si diuina bonitas ſponſas filiis augeri cõcedat, meminiſſe debent, eò magis ſe obſtringi, vt in virtutibus creſcãt, memoria illud repetentes, quòd dolor partus, ſignũ eſt ingratitudinis noſtræ: eòq. Dei beneficium in illas collatum magis æſtimandum, quò maius mortis periculũ fuit, quod parturiẽtes euaſerũt. Ideo cõparent ſe ad benedictionem à ſacerdote in Eccleſia accipiendã, gratiaſq. Deo agendas, fugiantq. vanũ illud ſpectaculum luxus, pomparũ, cubilium delitioſe, & nimis vanè inſtructorũ, aliarũq. rerum ſimilium, quæ à grati erga Deum animi ſignificatione nimis abhorrent.

Domi non vanos, non laſciuos, a quibus omnino abſtineant, ſed ſpirituales libros habere curent; inter quos legere poterunt eos, qui Illuſtriſ. Archiepiſcopi iuſſu ſunt editi. prauarum enim cogitationum ſeminaria ſunt illi: hi vero bonarum, ex quibus fructus colligere licet vberrimos Chriſtianæ diſciplinæ.

Matronæ, ſeu matresfamilias, ſeu quæ aliquo conſanguinitatis gradu ſponſas attingunt, ſciant ad ſe pertinere præci-

pue, vt ſpõſæ de his oĩbus admoneãtur, & inſtruantur, quæ hac pagina continentur; quòd ſi ſponſas inobedientes reperiant, ab earum conſuetudine, ſi non poſſint eas corripere, & emendare, ſe diſiungant; pluriſque faciant Dei gratiam, quàm muliebres earum rationes, atque argumenta. nam ſi cum ſponſis, vano habitu, & immodeſto indutis aſpiciantur, credent omnes, prouectæ iam ætatis fœminas, ſponſarum vanitati aſſentiri, atq. vt de ſe temerariè fortaſſe iudicetur, occaſionem præbebunt, præſertim ſi ſpiritualem vitam profiteantur.

COLLECTOR. *IN hoc Matrimonij ſacramento, cum à Parochis ipſis ferè ſemper adminiſtrari ſoleat, admonendus eſt lector, editum iampridem fuiſſe Illuſtriſsimi Archiepiſcopi ſtudio, ac paterna erga ſuos operarios, & miniſtros ſollicitudine, libellum ad uſum Parochorum Ciuitatis, & Diœceſis Bononiæ, in quo præter cetera ad hoc ſacramentum ſpectantia, collectæ ſunt breues inſtructiones, ſeu monitiones, pro varia hominum conditione, & ſtatu confectæ: vt Parochi in matrimonij celebratione materiam habeant ad manum in vnum congeſtam, vnde plura, quæ magis idonea videbuntur, ad reuerentiam erga Matrimonium excitandam, facile ſumere, & cum dignitate proferre poſſint. Quare nos ex eo libello tria aut quatuor exempla hic adijcienda eſſe cenſuimus, ne huiuſmodi conſilium paſtoralis curæ in hoc opere omnino deſideraretur.*

Exempla aliquot Inſtructionum, ſeù monitionum collecta, quibus Parochi vti poterunt, in Matrimonij celebratione.

Exemplum. I.

De præſtantia, & fructibus Matrimonij.

HVIVS deprauati ſeculi malitia, hominumq. vanitas eò vſq. proceſſit, & ſuaſore diabolo iniquitatis omnis auctore, in nuptias & Matrimonia tot abuſus ſunt inducti (filij fratreſque in Domino dilecti) vt quamuis hoc Sacramentum eã ob cauſam sacramentum eſſe non deſinat, & in ſuo vigore permaneat; oculis tamen mentis noſtræ, adeò mundanæ ineptiæ, & ſtultitiæ inuentionibus adumbratum, & circũſeptum appareat, vt vix quod in eo diuinum eſt, dignoſci poſsit. Eodem modo ſæpius accidit, vt licet arbor precioſiſſimis fructibus onuſta ſit, frondium tamen, ramorumque copia luxurians, atque ijs celans fructuum aſpectum, viatorem tranſeuntem non in fructuum, quos non videt, deſiderium; ſed in frondium, quas tantùm conſpicit, admirationem rapiat. Sanctum Matrimonium arbor eſt; fructus ipſius ſunt, fides, proles, sacramentum; viatores nos ſumus; ſed frondes, ludi ſunt, & mundani ritus, qui tanta licentia excreuerunt, vt ſi iam petas à quibuſdam hominibus honeſtæ etiam conditionis, quid ſit Matrimonium; frondes pro fructibus accipiẽtes, reſpondebunt, nihil aliud eſſe, niſi choreas, ſymphonias, & conuiuia, quæ inter ſe affines, & vicini celebrant. O inſanam hominum mentem, ò corruptos mores. Audite exclamantem Sanctum Ioannem Chriſoſtomum [a] *Nuptiæ res precioſa & nobis, & externis videntur; uerùm perfectis nuptijs tot ridicula ſequuntur, quot mox audietis, choreæ, tibia, verba, & turpes cantilenæ, ebrietates, baccanalia, & multa diaboli moles inducitur.* [a in cap. 4. Epiſt. ad Corinth.] Congruebant hæc omnia fortaſſe nuptiis ethnicorum; ſed nos, qui Chriſtianam fidem profitemur, ea ethnico faſtui, vt ait s. Gregorius Nazianzenus relinquere debemus, meminiſſeque quòd quemadmodum nullus honor adhibetur aduenienti Principi, ſi viæ, & palatia hoſtis alicuius ſui inſignibus exornentur: ita nulla proportione adhibita Chriſtum excludit in ſacramento Matrimonij, qui vt illum honorificè excipiat, vtitur ſymphonijs,

phonijs, choreisque, ebrietatibus, & crapulis, quæ tamen vnuſquiſque ſcit eſſe ipſius ſathanæ inſignia, atque ornamenta.

Verùm credite mihi, huiuſmodi res nihil prorſus ab eo factum iri, qui ad multo maiores & digniores, mentis aciẽ conuertet: atque (vt à vobis nunc perfici cupio fili, & filia in Domino dilecti) maximum eſſe hoc Matrimonij ſacramentum cogitabit, ob grauiſſimas cauſas in troductum; plurimis bonis ſpiritualibus præter temporalia refertum, arctiſſimis vinculis colligatum.

Enimuero magni momenti rem eſſe nuptias exiſtimandum eſt, quando tam digna, & tam frequens de ipſis mentio fit in ſacris literis. Ab Adam vſque ad Chriſtum ſæpiſſimè matrimonia afferun tur. nunc ipſius Adam, nunc Abraham, nunc Iſaac, nunc Dauidis, nunc Aſſueri, aliorumque plurium. In noua lege ſtatim à matrimonio incipitur. *Cum eſſet deſponſata Mater &c.* Primum Chriſti miraculũ, In nuptijs fuit in Cana Galileæ; Inter Chriſti parabolas, pleraſque à nuptijs deductas legimus. Atque adeo Biblia ſacra ſtatim in initio de nuptijs agunt. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum.* & in eiſdem terminatur in Apocalypſi. *Venerunt nuptiæ Agni.*

Quinimo matrimonij præſtantia ex eo maxime apparet, quòd ipſe Deus, ſtatim atque mundum creauit, illud inſtituere voluit, & dicens, *Creſcite & multiplicamini*, effecit vt Adam poſtea conquereretur, & ſubijceret; *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne vna?*

Atque etiam, vt teſtatur ſacroſanctũ Tridentinum concilium, non ſolum Deus Matrimonium inſtituit, ſed etiam illud indiſſolubili quodam modo cõſtringere voluit, cum ſcriptum ſit. *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Quo vno argu mento tum Matrimonij dignitas valde illuxit: tum aliud inſuper decus additum eſt ſolidius. nam meminiſſe debetis filii, illud inter ſacramenta eccleſię connumerari.

Antequàm pretio inæſtimabili ſanguinis Domini noſtri redimeretur Orbis, cenſebatur quidem Matrimonium eſſe contractus ciuilis, res politica & bona, atque inter ethnicos in honore, & reuerentia etiam habebatur, ſed non erat ſacramentum.

At poſt Chriſti mortem, inter Chriſtianos *ſacramentum hoc magnum eſt*, vt ait Apoſt. Paulus, indiſſolubilem, tum Deitatis cũ humanitate hypoſtaticam vnionem, tum Chriſti cum eccleſia cumulatiſſimam charitate coniunctionem ſignificans.

Anne igitur intelligitis filij, maximam iniuriam Chriſto tanti ſacramenti inſtitutori vos facturos eſſe, niſi ea, quę illi debetur deuotione, ad ipſum celebrandũ accedatis & de illo cogitatis? Si Baptiſmum, ſi Confirmationem, ſi Ordines ſacros, ſi extremam Vnctionem ſuſcipere deberetis; ſi ad ſanctam confeſſionem, & Euchariſtiam accedere; nemini dubium eſt, quin omni deuotionis affectu id agere conaremini. Sed hoc etiam, ſacramentum eſt, Dilectiſſimi, vt illa ſunt, & magnũ id quidem in eccleſia Dei, vt diximus. Quis ergo non deploret præſentis ſtatus conditionem, cum nequaquam de ſacramenti huius magnitudine cogitetur, ſed ad illud tanquam ad ludũ, & oblectationis cauſam, & voluptatis fomentum accedatur, & omnia in ſummi Dei offenſionem conuertantur?

Vtinam verò ſaltem Matrimonij cau ſas cogitaremus, nam quod in eo celebrando Chriſtianos viros decet efficeremus. Prima eſt, mutuum auxilium in laboribus, & incommodis humanæ vitę ſuſtinendis; quod præſertim habent, qui Matrimonio ſunt collocati. altera eſt neceſſitas generis humani propagandi. tertia, quæ poſt primi parentis noſtri peccatum exiſtit, eſt vt humanæ incontinentiæ aliquod remedium mortalibus exiſtat.

Ex qua re fit, vt quamuis adſit deſiderium prolis relinquendæ, & corporalis pulchritudinis perfruendæ, aut conſanguinitatis aliquo vinculo, familiam il-

luſtrandi,

luſtrandi, & ditandi; hæc omnia poſt illa tria, tanquam accidentia adhæreant: & non vt principaliter intenta: quibus tamen diuina miſericordia non offenditur, dummodo præcipue ad illius inſtitutionis cauſas, cogitationes noſtræ dirigantur, neque accedatur ad hoc ſacramentum effrænatæ libidinis, aut voluptatis intuitu, vt mali faciunt, ſed maxima animi intentione & mente pura illius magnitudo conſideretur, quòd à Deo conſtitutum ſit ad humanæ vitæ ſubſidium, ad humanæ generationis conſeruationem, & demum ad animarũ noſtrarum ſalutem.

Tria bona etiam ab eo oriuntur, quæ ſunt *fides, proles, & ſacramentum*, vt Theologi affirmant. *Fides* illa eſt, quam nemo veſtrum vnquam violare debet, ſed in ea hic coram Deo præſtita, vſque ad extremum vitæ ſpiritum, dum coniuncti eſtis perſeuerare. *Proles* etiam maximum bonum eſt, non ſolum quoad filiorum procreationem, ſed quoad educationem. *Sacramentum*, vinculum illud eſt Matrimonij, quod eſt diuina lege indiſſolubile.

Quibus tribus capitibus longiore oratione declaratis, niſi temporis anguſtiis premeremur, facile eſſet vt veſtra deuotio etiam vehementiùs accenderetur. Verùm ego ad hos contrahentes, qui ad hoc ſacramentum accedunt, præſertim ſermonem meum traducens; quàm arcta obligatione coniungantur, & quàm magna in poſterum pericula illis imminebunt, vt cautiores ſint, & Dei auxilium aſſidue implorent, paucis referam.

Magnum illud eſt, Fili, & Filia chariſſimi; Hodie vos quidquid habetis, reciprocè donatis. Tu filia mox non eris ampliùs tuæ poteſtatis. Tu fili, & totus in huius puellæ poteſtatem tranſibis: nã quoad corpora ſcriptum eſt: *ſicut mulier corporis ſui poteſtatem non habet, ſed uir; ſic vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Quod vero ad animos, Deus tantùm amore vobis præferendus eſt, & ea quæ Dei ſunt, & ad Deum ſpectant. cęterum vniuſcuiuſque veſtrum voluntas ea eſſe debet, vt quod velit vnus, velit alter: communia enim debent eſſe omnia: & conſortes appellamini, vt ſors vnius ſit & alterius; cor vnum, ſicut & caro vna.

Diſtincta tamen erunt officia. Et quemadmodum viri erit, regere, & iubere; ita vxoris erit, mandata viri diligenter exequi, eique parere. neque iccirco hic imperii & obedientiæ terminus efficit, vt hoc vinculum non ſit potius coniugii, quàm ſeruitutis. De coſta Adæ mulier ædificata eſt, non de pede, vt oſtendatur par ſocietas, non vilis ſubiectio.

Verùm ſuccurrit mihi nunc, vt ponderem, vnde accidat, vt cum contractũ rerum temporalium celebramus, tot tantiſque clauſulis, tantaque ſolemnitate vtamur; cum verò ſponſi ſe ipſos adinuicem donant, tanta adeſt negligentia, & incuria, vt nihil de huius rei grauitate penitus cogitetur.

Atque id eò magis animaduertendũ eſt, filii chariſſimi, cum hic nequaquam vt in aliis ſacramentis, de vnius animæ detrimento agatur, ſed de rerum omniũ periculo. Si vni animæ tantùm conſulendum eſſet, & ab ea vna pericula auertenda, magnum ſanè eſſet; Sed in hoc ſacramento illud inſuper accidit, vt ſi non rectè ſeruetur, præter coniugum animas, omnia etiam alia in præceps ruãt. O rem metuendam.

Rogate Dilectiſſimi, Deum benedictũ toto cordis affectu pro his vtriſque, qui quò maiore ſacramenti vinculo colligãtur, eò grauiori diſcrimini ſubijciuntur, animæ, facultatum, honoris, ſanitatis, & quietis, toto reliquo eorum vitæ tempore. Si in timore Dei ambulabunt, gratiæ incrementum accipient, bene valebunt, filios ſanctè educabunt, honeſtè viuent, & in pace ſanctiſſima huius breuis vitæ dies concludent.

Quòd ſi è contrario Deum non timebunt, peccatis animam interficient, Dei iram in ſe prouocabunt, in aſſidua altercatione & lite, ſine quiete, ſine filiorum diſciplina atque obedientia, ſæpius etiam ægritudinibus afflicti, cum hono-

honoris amiſſione vitam viuerit in hoc ſeculo morti poſtponendam; atque in alio ſeculo, quid niſi æternos cruciatus expectare poterunt? En igitur filij ante oculos vobis propoſita eſt rei ipſius, ad quam acceditis magnitudo, cauſæ, bona, obligationes, & pericula. Quæ Deum precor, vt ita animas veſtras commouere poſſint, vt ſi hoc ipſo tempore deuotionem illam, quæ requiritur non haberetis, ea accendamini, & ad ſacramentum hoc omni mentis puritate accedatis.

In nuptijs Cana Galileę adfuiſſe Saluatorem noſtrum, & Beatiſſimam Virginem Dominam noſtram, atque ibi ſex hydrias aquæ in vinum ab ipſo Saluatore magno miraculo commutatas legimus, Filij mei, ſex illæ hydriæ nuptiales aſſimilari poſſunt quinque exterioribus ſenſibus, & ſexta ſenſui communi interiori. hi ſenſus pleni aqua appellari debent, quoties in peccatis ſunt obuoluti. Si in hac Matrimonij ſancti coniunctione, oculi veſtri magis mortales res concupiſcant, quàm deceat, en hydriæ plenæ aqua ſunt, & anima à ſacramenti huius enarratis bonis, & fructibus aliena efficitur. Cauete ne aqua in vobis permaneat: rogate Deum, vt ſi aqua eſt, in vinum, in gratiam conuertatur; petite hoc in veſtris nuptiis à Chriſto Domino, & Virgine ſanctiſſima. Tu fili mi ad Saluatorem confuge, tu filia ad miſericordiarum matrem. Vtrique verò ad vtrumque, ſimul ipſos inuocate, in ipſis confidite, eo animo, vt Chriſtianè, & piè, & vnanimiter viuere in poſterum debeatis. Et iam reſpondentes iis verbis, quibus iuxta ritum ſanctæ eccleſiæ ego ipſe vos interrogabo, parate vos ad accipiendam in hoc Matrimonii ſacramento Dei gratiam, & illius gloriæ, & felicitatis arrham, quam vobis à Deo & cupio, & precor ſempiternam.

Exemplum ſecundum.

Cum timore Dei ad Matrimonium eſſe accedendum.

ANTEQVAM ad hoc ſacramentum recipiendum accedatis, erigite vos ad alta myſteria conſideranda, dilectiſſimi, atque ita de carnali coniugio cogitate, vt ſpirituale in primis omnibus rebus anteferatis. Scitis quid in hiſtoria Thobiæ ſanctiſſimi viri, in ſacris litteris legitur: quòd ſi fortaſſe non ita recte nunc reminiſcimini, en illam vobis affero, attente me audite.

In Ciuitate Mediæ Rages appellata degebant Raguel, & Anna longæui coniuges, vnicamque filiam Saram ipſis oculis chariorem toto vitæ ſuæ curſu à Deo obtinuerant; felices illi quidem hærede, niſi infeliciſſimi ob eiuſdem filiæ atroces, atque inauditos euentus fuiſſent, vt ſterilis Anna appellari potiùs cuperet, quàm mater filiæ funeſtiſſimæ. Nā vt in ſacris literis habetur, tradita fuerat ſeptem viris, & dæmonium nomine Aſmodæus occiderat eos, mox vt ingreſſi fuiſſent ad eam. Tradita fuerat ſeptē viris, hoc eſt nupſerant ei ſeptem viri, hoc eſt in conuiuiis, in choreis, in feſtis ad coniugale thorum introierāt; verùm ſtatim atque vir vxori appropinquabat, en vobis Aſmodæus ille crudeliſſimo mortis genere virum vita priuabat.

Huiuſmodi nuptias ſepties Sara celebrauerat, ſepties ad coniugale thorum acceſſerat, ſepties uiros defunctos ſepelierat, ſepties lachrymas, gemitus, & eiulatus, coniugalium gaudiorum loco effuderat. Accidit autem, vt adoleſcens Thobias ab angelo Raphaele comitatus, iuſſu ſenis patris ſui Thobiæ ad eandem ciuitatem Rages peruenerit, atque eiuſdem Raguelis hoſpitio vſus fuerit, hortante angelo his verbis, eſt hic Raguel nomine, vir propinquus de Tribu tua, & hic habet filiam nomine Saram, ſed neque maſculum, neque

fœminam

fœminam vllam habet, pręter eam. Tibi debetur omnis ſubſtantia eius, & oportet eam te accipere vxorē. Quibus nuptiarum infelicium mandatis auditis Thobias, nouerat enim præteritos caſus, atque à ciuibus ipſis fortaſſe intellexerat, expauit; & Audio inquit quia tradita eſt ſeptem viris, & mortui ſunt, quia dæmonium occidit eos. Totis viribus adoleſcēs exterritus conabatur tantum infelicitatis coniugium reiicere; ſed angelus Domini adoleſcentis timorem expellere proſequebatur, & *falleris* inquit *fili, mortui quidem Sara ſunt ſeptem illi viri, ſed huiuſmodi mors, atque eorum pœna ab aliena culpa non eſt effecta, innocens enim eſt Sara puella, ipſi ob immoderatam libidinem damnum, mortemque ſibi peperere. Audi igitur me, & oſtendam tibi quibus praualere poteſt dæmonium*. Hi namque qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe, & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vaeent ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem dæmonium ſuper eos. Illi ſeptem viri in ſancto Matrimonio contrahendo, nil aliud præ oculis habuerunt, præter effrænem libidinem, atque iceirco perierūt. Quòd ſi tu è contrario, Deum in hoc ſacramento ſpectabis: Deique gloria & voluntas, tuus finis erit, feliciter nubes, feliciter tam ſancto vinculo colligaberis: id quod ita accidit, vt in ipſo textu in quo alia plura de huiuſmodi felicitate adiiciuntur, legere poteſtis. Sed ego vt ad rem veniam, oro vos, dilectiſſimi, vt in hac hiſtoria non ſolum exteriorem ipſius euētum, ſed etiam interiorem ſenſum deguſtetis; ex eo enim profectò intelligetis quantum interſit, inter eos qui ſanctè ad hoc ſacramentum accedunt, & eos qui vno tantum carnis intuitu matrimonium exquirunt. Septem illi Saræ viri vnum dæmonem habuerāt à quo ſuffocabātur, ſed ego vobis dico, vnumquemque fidelem, qui ad inſtar illorum nubit, eoque fine, quem angelus, vt audiſtis, obiecit, atque expreſſit, ſeptem dæmones ſui interfectores fortè habiturum. Quia quemadmodum peccatum vnum mortale ad aliud trahit, atque ab eo in alia ſuo pondere miſerè præcipitantur homines, niſi ſtatim per diuinam gratiam ſubleuētur. Ita etiam talis ſponſus in ſeptem peccata mortalia facile eſt vt incidat, quorum quodlibet omnes inferni fauces ſecum affert. Matrimonium ſacramentum eſt, quod nobis gratiā confert, atque ideo in pręceps ruit, qui illud à peccato ſtimulatus contrahit. Inter cauſas enim, ob quas Matrimonium inſtitutum eſt, poſt primi parentis lapſum, præcipua illa eſt, vt ſit quaſi incontinentiæ, & fragilitatis humanæ remedium. Quare videte nunc, an ob incontinentiam exercendam Matrimonium contrahi æquum ſit. Atque ideo dicit angelus, eos male agere, qui excludunt à ſe Deum, & libidini vacāt: quarum duarum rerum, quæ ab angelo dicuntur Matrimonio obſtare, (quando poſtrema à vobis intelligi debet, atq. in hoc loco de ea agere turpe eſſet, cum piæ linguæ & cogitationi omnino repugnet, & ideo illam miſſam faciamus) prima etiam ſatis per ſe patet. veh vobis, ſi in hoc Matrimonio Deum excluditis; ſi hoc principaliter agitis ob vnam diuitiarum intentionem, ſi ob pulchritudinem viuentis quodammodo cadaueris, ſi ob ambitioſam ſanguinis, & affinitatis coniunctionem; Deum non quæritis ſed ob turpem, illicitam, aut aliam intentionem Deum excluditis. Atque vt ad ſermonis huius finem perueniamus, ex altera parte oportet vt amor veſter ſit eiuſmodi, vt ſi coniuges non eſſetis, alter alteri non placeret; ex altera verò parte, vt ad hoc adducamini, vt incommoda ſolitudinis euitetis, vt. filios habeatis, & educetis in timore, & lege Domini, atque incontinentiam fugiatis, ſin minus ſemper Deum excluditis, & dæmonium occidet vos.

Proſequitur inde angelus, præcepta tradit adoleſcenti Thobiæ, docetq. qua ratione ſe ad Matrimonium comparare debeat: hoc eſt oratione, ieiunio & cet. quæ omnia ego percurrerem, niſi tempo ris premerer anguſtiis: ſed quando ad eam diem, eamque horam peruenimus, qua vos comparatos iam eſſe arbitror,

atque

Digitized by Google

atque ad ipſam Matrimonij formam accedendum eſt; hoc vnum tantummodo ſubijciam, quod debetis, cum timore Domini hoc ſancto vinculo colligari, vno tantum diuinæ bonitatis intuitu: atque ita enim vobiſcum ſtatuite, hanc eſſe maximam omnium rerum, quas toto vitæ veſtræ curriculo peragere debetis: cuius quies, tranquillitas, atque veſtrum bonum ab hac vna pendet. cogitate periculum, cui vos ſubditis. quòd ſi nunc longa meditatione id aſſequi non poteſtis, colligite vos metipſos, & breui mentis ictu, magno animi feruore, cælum penetrate, & dicite. Ecce nos Deus noſter, ecce ſeruos tuos, creaturas tuas, filios tuos, ad illud Matrimonium accedimus, quod tu proprio ore conſtituiſti: tua prouidentia factum eſt, vt ambo alter alteri vix cogniti, nunc effici debeamus tanquam corpus vnum, & anima vna; concede nobis Domine dulciſſime, vt hoc vinculo colligemur in pace perfecta, in tuo ſancto timore, & in tuæ legis obedientia, ſitque hoc Matrimonium ita felix, vt fuit illud adoleſcentis Thobiæ, & Virginis Saræ. Amen.

Exemplum tertium.

De dignitate, & inſtitutione Matrimonii.

SACRAMENTVM hoc, chariſſimi, quod ſumma Dei gloria, angelorum lætitia, fidelium conſolatione, in hoc ſacro templo, cum ſacerdotali benedictione nunc celebraturi eſtis; adeo altũ eſt, ſanctiſque refertum myſterijs, adeo gratum æterno Patri, vt S. Paulus patentibus verbis *illud magnum Sacramẽtum* appellarit. Et ſanè ſi mentis oculis ipſius magnitudinem, & nobilitatem intuemini; verba Apoſtoli à Deo proceſſiſſe exiſtimabitis, cum ait, *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in eccleſia.*

Sacramenta omnia magna ſunt, & magnos, admirabileſque effectus in nobis pariunt, ſed quatuor ſacramẽta præcipuas quaſdam ob cauſas, & per excellentiam, magna appellantur: Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, & Matrimonium. Baptiſmus quidẽ magnus dicitur ob effectus magnitudinẽ, nam Deo renaſcimur. Confirmatio magna dicitur, ob miniſtri magnitudinem, qui ſolus debet eſſe Epiſcopus. Euchariſtia magna dicitur, ob rei quam continet, magnitudinẽ; Chriſtus enim ipſe eſt, Deus & homo, omneſque cum eo cæleſtium diuitiarum theſauri. Matrimonium magnum dicitur, ob rei quam ſignificat magnitudinem: ea eſt enim vnio Chriſti cũ eccleſia, cũ Deus homo factus eſt. Hinc fit, vt quemadmodum Chriſtus in incarnatione tanquam homo viſus eſt à Patre abeſſe dicens, *exiui à Patre, & veni in mundum*, & viſus eſt relinquere matrem hoc eſt ſynagogam dicẽs, *reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam.* ſic etiam vult hanc vnionem coniugalem, tam efficacem eſſe & potentem, vt per eam pater, & mater relinquantur. Scimus omnes, naturale vinculũ magis adſtringere, quàm voluntarium. Naturale vinculum eſt capitis & corporis, quod diſſolui nequit, niſi corporis interitu: voluntarium vinculum eſt duorum amicorũ, quod leuiſſimam quamque ob cauſam diſſolui poteſt; attamen in hoc ſacramẽto volũtarium vinculum tam efficax eſt, ut ipſo naturali arctius ſit, atque indiſſolubile. An ignoratis naturalem unionem eſſe patris, & filij; uoluntariam uerò eſſe mariti, & coniugis? quamuis autem (ò diuinam bonitatem) liberum ſit, & uoluntarium matrimonii uinculum, naturale tamen uinculum ita ſuperat: atque excellit, ut parentes relinqui interdum debeant, ut unà ſint coniuges.

Nil igitur mirum uobis uideri debet, Deum Dominum noſtrum, & uerbis, & reipſa magnitudinem, & uirtutem huius ſacramenti ſemper oſtendiſſe. Prætereo Matrimonii antiquitatem; inſtitutum enim eſt in ipſis mundi naſcentis in eunabulis, ab ore Dei. *Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* omitto loci dignitatem, unde originem ſumpſit,

qui

Digitized by Google

qui fuit paradiſus ipſe; non hic ago de tempore, quo inſtitutum eſt: fuit enim in ipſo innocentiæ ſtatu; non recenſeo inſtitutionis cauſam, quæ fuit vt humana ſpecies conſeruaretur, ſine qua nullus Deo cultus in terris à mortalibus præberi poterat: taceo quòd vniuerſale ſit omnium gentium generi. Illud vnum dicam, quòd cum Matrimonium duos ſtatus habuerit, hoc eſt naturæ, & legis. Chriſtus in ſtatu gratiæ illud inſtituit verum ſacramentum, illud ea vi, atque efficacia roborauit, vt ij qui nubunt, ſacramentali gratia ſanctificari poſſint. In ſtatu naturæ nonne ex ſacris literis collegiſtis, chariſſimi, Abraham patriarchæ ſollicitudinem de Iſaac Matrimonio iungendo? mulierem enim eligit, ſeruum mittit, in fonte reperit, ſignum præbet. neque verò hæc omnia tam ſollicitè gerebantur, niſi vt ſumma cum maturitate, & prudentia tantum Sacramentum in illis præfiguratum tractaretur. Nonne legiſtis etiam, vix Iſaac benedixiſſe filium ſuum Iacob, cum ſtatim præcepit, ne coniugem acciperet in Canaam, ſed acciperet in Meſopotamiam? quid illa diligentia? quid illi ſucceſſus? dum ad Matrimonium contrahendum proficiſcitur, *videt in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælos; angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes.* vt edoceremur matrimoniũ contrahi quidem in terris, ſed in cælis ratum etiam haberi. Atque iccirco quatuordecim annis ſeruiuit Iacob, vt ad finem perueniret illius myſtici cum Rachele Matrimonij. Sed in ſtatu legis quàm frequenter Deus de Matrimonio loquebatur? quot leges de ipſo ſanciuit? quàm vilis ſterilitas habebatur, quàm preciosa fœcunditas? Verùm poſtquam gratiæ tempus aduenit, elegit ſibi Deus matrem Virginem quidem, ſed deſponſatam, voluitque ex legitimo Matrimonio procreatus exiſtimari, vt hoc ſacramentum à ſe inſtituendum approbaret. Natus inde, & circumciſus, & baptizatus, in prima illa concione, quam habuit ſuper montem, matrimonium confirmauit, legemque repudij damnauit, cumque ab eo quæreretur, *ſi licet homini dimittere vxorem ſuã*, negauit licere, allegans quod ſcriptum eſt in Geneſi, *quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.*

In ipſo poſtmodum miraculorum ingreſſu, primum fuit illud dum nuptiæ celebrabantur, neque vnquam ad conuiuia, cum matre, & diſcipulis proficiſcitur, niſi nuptiarum tempore. O uim, ò uinculum, ò potentiam Matrimonij. Quam ob cauſam factum eſſe exiſtimatis, chariſſimi, ut Deus in hunc mundum uenturus eligeret ſibi matrem Virginẽ perfecto Matrimonio deſponſatã? eam nempe ob cauſam id factum eſt, ut inſtauratio generis humani ruinę reſponderet. quẽadmodum enim in ruina, quæ propter peccatum Adam accidit, prima mulier uirgo fuit & nupta. Ita etiam in redemptione, & liberatione à peccato, Maria Virgo fuit, & ſponſa, atque hoc modo Matrimonii dignitatem, & excellentiam ab ipſo Chriſto redẽptore noſtro accipimus. Quid plura? Chriſtus Dei filius, cum nobis indicare uellet mirabile ſuæ incarnationis myſteriũ, nonniſi matrimonii, & nuptiarum nomine illud detexit dicens. *Simile eſt regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo &c.* en dignitas, en maieſtas ſacramenti huius, chariſſimi, ad quod nunc vos accedere vultis: en documenta quibus inſtruimini, quomodo erga veſtras mulieres, vos gerere debeatis. Sicut in incarnatione filij Dei duæ ſunt naturæ; ita in hoc veſtro Matrimonio duæ ſunt perſonæ: & ſicut hæ duæ naturæ in vna tantum perſona erant; ſic in hoc Matrimonio hæ duæ perſonæ ſint vnius volũtatis, & intentionis: ſicut in Chriſto, qui eſt principium, duæ illæ naturæ ſunt vnitæ ſine vlla confuſione; ſic in vobis vna caro eſt, & principium vnum in generatione filiorum. ita enim intelligũtur verba illa, *erunt duo in carne una*: Sicut Chriſtus id quod aſſumpſit, nunquam dimiſit, ita nec uos, filii, unquam diſiungi debetis; ſicut diuina natura ſemper humanæ coniuncta fuit, ita tu ſponſe numquam ſponſam tuam derelinquere debes. Sicut

cut

cut Chriſtus ſuam dilectam ſponſam eccleſiam amauit, ita maritus ſuam diligere curet. Sicut Chriſtus pluris quodãmodo viſus eſt facere eccleſiam, quàm ſeipſum, animam ſuam dans pro ouibus ſuis; Ita maritus propriæ vitæ, coniugis bonum,& honorem anteferre debet. Sicut Chriſtus potiùs ſpirituali eccleſiæ bono vacabat, quàm temporali; ſic maritus curet, vt coniux ſpiritualibus donis potiùs exornata ſit, quàm corporalibus. Sicut Chriſtus voluit, vt eccleſia ſpõſa ſua ab interiori pulchritudine magis laudaretur, quàm ab exteriori, vt ex ijs verbis colligitur, *Nigra ſum, ſed formoſa filia Hieruſalem*; ita maritus in cõiuge potiùs animæ, quàm corporis amet pulchritudinem. O' vos beatos filij chariſſimi, ſi cogitaretis, quid matrimonium celebrantes referatis, atque incarnationem Chriſti filij Dei à vobis referri intelligeretis. quanto timore, quanta reuerentia, ad hoc Sacramentum accederetis? profectò multos ante dies peccata veſtra confiteremini: pompas dimitteretis, tanquam huic ſacramento parũ conuenientes: orationibus, & ieiunijs vacaretis: crapulas, expenſarum illuuiem tanquam pelagus voraciſſimum vitaretis: cum timore, & tremore ad nuptiale thorum accederetis: diuitias ſpirituales, non corporales: virtutum nobilitatem, non ſanguinis exquireretis.

Quare *Sacramentum hoc magnum eſt in Chriſto, & in eccleſia*. Omnia ſacramenta à Chriſto inſtituta ſunt, Baptiſmus dum in Iordane à Ioanne Baptiſta Dominus noſter baptizari voluit. Confirmatio dum imponitur pueris manus. Sacer ordo dum Apoſtolis dixit, *Hoc facite in meam cõmemorationem*. Euchariſtia dum in *ſuprema noctte cœna*, vt canit eccleſia, *recumbens cum fratribus, obſeruata lege plene, cibis in legalibus, cibum turbæ duo denæ, ſe dat ſuis manibus*. Pœnitentia dicens, *Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeretis peccata, remittuntur eis*. extrema vnctio, dum mittit Apoſtolos, qui infirmos vngant. Matrimonium autem cum ipſe inuenerit in ratione cõtractus inceptum, & in ſuo antiquiſſimæ originis vſu eſſe, non modò pro rato illud habuit verbis, præſentia honorauit, primo miraculo illuſtrauit; ſed & ſacramẽtum gratiæ effectiuum, inſtrumentum illud inſtituit, cum vnioni inter ſe, & eccleſiam aſſimilauit. Sacramentum itaque hoc magnum eſt. Baptiſmus abſtergit peccata, Confirmatio contra diaboli inſidias roborat, Euchariſtia Chriſto per modum ſpiritualis cibi nos vnit, Pœnitentia iuſtificat, Ordo ſacer doctrinæ radiis illuminat, Extrema vnctio ad futuram vitam præparat; ſed Matrimonium multiplicat homines, cælum ditat, implet angelorum ſedes, operatur pacem in terris, facit unum cor in duobus corporibus. O' ſanctum, & potens ſacramentum, *Sacramentum* inquam *hoc magnum eſt*.

Baptiſmus eſt ianua ad eccleſiam; Confirmatio uires præbet fidelibus cum diabolo certantibus; Euchariſtia uictoriam parit; Pœnitentia ſpirituali uita ſuſcitat; Sacer ordo diuina miniſtrat. Extrema unctio tutum exitum reddit; ſed Matrimonio Chriſti militia nouis militibus, Chriſti domus nouis filijs, Chriſti regnum nouis incolis augetur. *Sacramentum* igitur *hoc magnum eſt*. Scitis chariſſimi, uirtutes gradus eſſe, quibus ad cælũ aſcenditur. *Ibunt iuſti de uirtute in uirtutem* &c. Virtutes in medio conſiſtunt, ita ut extrema omnia ſint uitioſa; nam crapulari, gulæ peccatum eſt: nihil omnino comedere, ſimiliter peccatum eſt: itaque temperantia uirtus eſt. annon igitur ſcitis Matrimonium ad temperantiam inſtitutum eſſe? Baptiſmus fidem tribuit, Confirmatio ſpem, Euchariſtia charitatem, Pœnitentia iuſtitiam, extrema unctio fortitudinem, Matrimonium temperantiam, quæ omnium uirtutum decus eſt, atque ornamentum, et contra carnis concupiſcentiam propugnaculum. Sanctus Paulus conqueritur dicens, *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum*, & paulo poſt, *Infælix ego homo, quis liberabit me de corpore mortis huius?*

P ex car-

ex carne enim tanquam omnium peccatorum ſeminario, mala omnia pullulant, quæ humano generi ruinam pariunt. At verò en vobis malorum remedium, Matrimonium, quod contra carnem inſtitutum eſt. Baptiſmus contra originale peccatum. Pœnitentia con tra mortale actuale. Extrema vnctio contra veniale. Ordo facet contra ignorantiam. Euchariſtia contra malitiam. Confirmatio contra fragilitatem. Matrimonium vt carnis concupiſcentia temperetur. Profectò, *Sacramentum hoc magnum eſt*, atque ita ſentietis, & affirmabitis, ſi magnitudinem quoque ſuorum effectuum conſiderabitis, inter quos eſt perpetuitas. Cum enim homo ſemper in ſe ipſo viuere non poſſit, viuit in filijs, quos ex legitimo Matrimonio ſuſcipit; nam in adulterijs non viuit, quia ſine honore ſuſcipiuntur filij, neque vita eſt illa, vbi honor deficit.

Pythagoram dicere ſolitum perhibēt auctores, cum pater ſui ſucceſſorem relinquit, atque hæredem filium; patrem mortuum appellari non poſſe, ſed in filio rurſus adoleſcere; nonne ad hoc omnia naturali deſiderio tenentur? ita vt bruta animantia, ipſæque plantæ, atque arbores antequam fructus edant, ſemina creent ad perpetuitatem? Præterea coniugati homines maiori auctoritate, atque exiſtimatione pollere videbantur priſcis illis temporibus, quàm innupti, qui nullam tunc poterant adminiſtrationem obtinere. Quot verò reconciliationes à Matrimonijs proficiſcuntur? an parùm illud eſt, multos ſæpe nubere noluiſſe, quibus in temporalibus bonis inimici ipſi ſuccedunt? id quod nubentibus non accidit. Quid verò inſuper iucundius eſt, quàm honeſto amatæ coniugis amore frui poſſe, qui illum ipſum parentum ſuperat? quid gratius, quàm omnes animi ſenſus coniugi patefacere? quid vtilius, quàm domeſticarum rerum diligentiſſimam gubernationem habere? quid tutius, quàm fideliſſima cuſtodia temporalium bonorum, quæ non ſeruorum, non ancillarum curæ committeris gaudere? quid ſalubrius, quàm in ægritudinibus, leuamen, ſolatium, & curationem habere? ſcis quid ſcriptum ſit? *Vbi non eſt mulier, ingemiſcit æger*. Certè chariſſimi ſacramentum hoc ex omni parte magnum eſt, atque vt magnum accipi, venerari, & conſiderari debet.

Verùm vt hæc omnia, quæ de ipſius magnitudine diximus, breuiter concludamus; reſpicite anulum, qui à ſponſo ſponſæ datur: atquè ex eo, quid hoc ſancto vinculo colligati obſeruare inuicem debetis, ediſcite. Anulus digito conuenire debet, qui eo exornatur: ita vt neque minor, neque maior exiſtat.

Hæc autem proportio ſit inter ſponſum & ſponſam, atquè ambo exiſtiment ſe æquales eſſe in fidei præſtitæ cuſtodia. Anulus vt plurimùm aureus eſt, atque vt aurum cetera metalla nobilitate, & pretio antecellit; ſic amor coniugalis ceteros omnes huius vitæ amores ſuperare debet, etiam illum, qui inter parentes & filios eſſe ſolet. Anulus eſt circularis figuræ, vbi neque principium, neque finis reperitur; ſic coniugalis amor perpetuus eſſe debet, ut nunquam finem ſciat. Anulus in quarto manus digito ponitur, qui anularis appellatur, vbi vena quædam eſſe dicitur, quæ ad cor dirigitur; vt ſciatis amorem veſtrum, non fictum aut ſimulatum, ſed ſincerum & verum omnino eſſe debere.

Hæc omnia attentè conſiderantes dilectiſſimi, inuicem vos perpetuò diligetis, & mutuus amor veſter in hac mortali vita inceptus, in immortali etiam perdurabit; ad quam uos perducere dignetur dominus Deus, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cui ſit ſemper laus, honor, poteſtas, & imperium. Per infinita ſeculorum ſecula. Amen.

Exem-

by Google

Exemplum quartum.

Quam arctum ſit Matrimonii vinculum.

QVANTO reuerentiæ, religionis,& pietatis affectu celebrandum ſit hoc Matrimonij ſacramentum, chariſſimi, ſuperuacaneum eſt, vt longa oratione explicare conemur, ijs præſertim, qui ſe verè Chriſtianos eſſe profitentur. Etenim illud vnum ſcire ſufficit, nempe Deum ipſius auctorem extitiſſe, cum in terreſtri paradiſo primos noſtros parentes hoc contractus vinculo coniunxit, iiſque benedixit:& Chriſtum Dominum noſtrum illud inter ſeptem eccleſiæ ſacramenta collocaſſe, atque inſtituiſſe, ſua præſentia decoraſſe,& tanquam manifeſtum ſuæ coniunctionis cum eccleſia ſancta ſignum reliquiſſe; de qua quidem coniunctione ſcribens Paulus ad Epheſ. dixit *Sacramētum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & eccleſia.* Enim verò Deus in Matrimonij inſtitutione tam neceſſaria, & multas ob cauſas vtili, iucunda, ſalutari, & omni honeſtate cumulata, ſuam erga genus humanum eximiam munificentiam, & bonitatem declarare voluit.

Nō erat bonum hominem eſſe ſolū, ſi ſpecies multiplicari debebant; quemadmodū vniuerſi creati orbis perfectio poſcebat. Ideo dixit Deus *faciamus ei adiutorium ſimile ſibi*, cum quo fideli, & conſtanti conſuetudine vtatur. Quid enim ſuauius, aut iucundius, quàm ſimilem ſibi ſimili frui? quid amicius, *cum ſint duo in carne vna?* Quòd ſi vera amicitia non niſi inter duos conſiſtere poteſt, qualis erit illa duorum, qui vnum ſunt? Dixit Adam, *hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*, & dixit Dominus, *Itaque iā non ſunt duo, ſed una caro.* Magnus profecto eſt naturalis amor parentum erga filios, & filiorum erga parentes, & inuicem ille, quo fratres ſororeſque colligantur: ſed multo maior, & potētior ille eſt, quem Deus coniugatorum cordi impreſſit; ſingularis enim, atque vnicus eſt, cui naturalem amorem omnino oportet cedere, dicēte Domino, *propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Hinc patet huius coniunctionis à Deo laudata, & præcepta honeſtas, atque adeo fides reciproca, amorq. qui inter virū & vxorē intercedere debet, elucеſcit; cū vterque eorū non ſui iuris ſit, ſed conſortis, neque quicquā vnus de ſe ſtatuere poſſit, niſi altero conſentiente, iuxta illud Pauli, *mulier ſui corporis poteſtatem non habeat, ſed vir; ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.*

Cū itaque vos chariſſimi huius ſancti Sacramenti virtute in vnā, eandemq. tē cōuerti debeatis, curate, vt cordi, & memoriæ inſculptam illam eiuſdem Apoſtoli ſententiam habeatis, *Nemo unquā carnē ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fouet eam.* Quare ſit hæc veſtra cōiunctio, non vt libidini vacetis, ſed vt eius ardores reſtinguatis, & fœcunda prole multiplicetis, iuxta Domini præceptū, imitātes in hoc matrimonio ſanctos illos coniuges Sarā & Thobiam, qui timorē Domini rebus omnibus præferentes, non ante ad Matrimonij actū acceſſerunt, quàm per tres dies aſſidue orarint. Ita & ſponſus ad Deum toto affectu conuerſus dicere debet, Domine tu ſcis, quia nō luxuriæ cauſa accipio ſororem meam cōiugem, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſecula ſeculorū. Sit hæc veſtra cōiunctio pacis, & charitatis plena, atque indiſſolubilis, quemadmodum indiſſolubile eſt Chriſti cum eccleſia matrimoniū: nō enim decet, vt vllo vnquam tēpore ſeparentur ij, quos Deus coniunxit. Huius igitur viuæ fidei intuitu, quòd à Deo hæc coniunctio veſtra fiat, & conſtanti voluntate ſancta eccleſiæ præcepta, & matrimonij leges ſeruandi, filioſque procreandi, in quibus benedicatur nomen Domini in ſecula ſeculorum. Quæro primùm à te .N. an velis accipere in tuam legitimam vxorem .N. quemadmodum præcipit ſancta apoſtolica eccleſia Romana: (quo reſpondente ſic, quærat ab ea) placet ne tibi accipere in tuum legitimum coniu-

coniugem &c.) qua reſpondente verbo vel nutu quòd ſic; Sacerdos accipiens manum dexteram mulieris, itidem & viri, per anuli ſubarrationem eos coniugat dicens) *& ego uos coniungo in Matrimonium, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.*

DE SACRAMENTO
EXTREMAE VNCTIONIS.

COLLECTOR.

CVM hoc Sacramentum ſit tanquam ceterorum ſigillum, & totius Chriſtianæ vitæ conſummatiuum, vt ait ſacrum Tridentinum concilium; idcirco curanda ſunt multa a parochis erga ægrotos, antequam adminiſtretur, vt animæ fidelium, breui illo muneris quod ſupereſt ſpatio, ad ſalutis portum tutò dirigantur. Quare de uiſitatione infirmorum plura conſtituit Illuſtriſsimus Archiepiſcopus, vt ijdem iuuentur, non ſolum ſpirituali ſubſidio, ſed etiam, vbi opus eſt, ipſis eleemoſynis; necnon ad hoc charitatis officium vtilius exercendum, congregationem inſtituit Bononiæ plurium piorum uirorum, atque ipſemet vbi opus eſt, ad infirmos uiſitandos accedere non prætermittit, curatque ut omnibus impedimentis, quantum fieri poteſt, ſublatis, animæ in curſu ſuo rectà ad Dominum confirmentur. In diœceſi uerò Sodalitatibus ſanctiſsimi Corporis Chriſti hoc idem mandauit exequendum. Sed hoc loco, quæ ad Parochorum munus præcipuè attinent, ut inſtituti noſtri eſt, tantummodo afferemus.

Et primum cautionem qua prouiſum eſt, ut infirmi à parochis uiſitari poſsint, collocauimus. Deinde inſtructionem, in qua multa continentur, tum præparanda à parocho ante huius ſacramenti adminiſtrationem, tum perficienda in ipſa adminiſtratione, & ritu ab eccleſia ſancta præſcripto. Ad hæc uiſus eſt locus ualde idoneus, ut quæ de funeralibus, tam in urbe, quàm in diœceſi Bononienſi idem Illuſtriſsimus Archiepiſcopus conſtituit, ſubyceremus. Poſtremo ex pluribus exemplis inſtructionum, ſeu monitionum, quæ adhiberi poſſunt à parochis in exequijs, & funeralibus, ad eorundem commodiorem uſum, aliquot etiam afferemus.

CAVTIO
vt curati ſuo officio ſatisfaciant in uiſitatione fidelium infirmorum.

QVONIAM ægroti fideles. plerumque morbo oppreſſi, aut dæmonis artibus iactati, ſiue alias ob cauſas, ſummo animarum periculo, à ſuis Parochis viſitari recuſant: quin potius ſæpe ipſi affines, aut domeſtici Parochos impiè nimium impediunt, quo minus hoc pio, & neceſſario viſitationis officio perfungantur; vnde ſequitur, infirmos interdũ ſine ſacramentorum præſidio, alijſque ſpiritualibus auxiliis poſſe decedere; aut Parochos de ægritudine admonitos tantùm inſtãte morte infirmorum, munus ſuum opportunè præſtare non poſſe:

Idcirco Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus D. Gabriel S.R.E. Cardinalis Palæotus Archiepiſcopus Bononiæ, eiuſmodi fidelium animarum incommoda, & pericula totis viribus auertere cupiens, hæc quæ ſequuntur conſtituenda, & præcipienda eſſe exiſtimauit, & tam in ciuitate, quàm in diœceſi à Parochis, atque ab aliis quibuſcunque ad quos pertinent, obſeruanda mandauit.

De

De mandato igitur Illuſtr. amplitud. ſuæ præcipitur, vt quemadmodum ægrotus peccata confiteri tenetur, & medici viſitare prohibetur, elapſo trium dierũ termino, niſi cõfeſſus fuerit, iuxta Bullã Pij V. felicis record. ita etiam per idem tẽpus moneatur parochus de huiuſmodi ęgritudine; & fides ſeu teſtimoniũ ſubſcriptum à sacerdote, cui ægrotus confeſſus erit, ſubſcribatur etiã à Parocho: vt hinc illum monitum fuiſſe appareat; ſin minus prohibetur medicis, ne infirmum viſitent, ſub pœnis, quæ in dicta conſtitutione continentur.

Præcipitur etiam omnibus, & ſingulis Parochis, vt ſtatim atque ſciuerint, vt ſupradictum eſt, aliquem ex ſua parochia ægrotare, cuiuſcunque conditionis, aut ſtatus ille ſit, ſiue mas, ſiue fœmina, ſiue diues, ſiue pauper, ſiue iuuenis, ſiue ſenex; illum viſitent, & viſitationem replicent ſæpiùs, aut rariùs, prout ex conſcientia opus eſſe exiſtimabũt; quòd ſi ægritudo leuis erit, ita vt medici curatione non indigeat, tunc non teneantur per ſe ipſi viſitare, niſi ab ipſo ægroto, vel domeſticis accerſiti fuerint, aut charitas id eis ſuaſerit.

Si verò medico ægrotus indigeret, ſed ob inopiam illum aduocare non poſſet, (quamuis medici à nobis deputati in ſingulis regionibus, ſeu quarterijs ciuitatis, præſertim huic charitatis officio deeſſe non deberent) tunc Parochus ægrotum grauiter laborare intelligẽs, etiam non vocatus illum viſitare teneatur; & medicũ etiam adducere, ſi poſſit; aut nobis ſtatim ſignificare, vt infirmi ſaluti Illuſtriſſimus Archiep. ſuccurrat, idque fiat eo tempore, ijſque horis, quibus infirmi quieti minus moleſtiæ afferatur, prout medici, aut aſſiſtentes iudicabunt.

Cum autem Parochi viſitabunt infirmas mulieres, aut ipſarum confeſſiones audient, id agant omni eá circumſpectione, qua ſuſpicio quælibet prorſus amoueatur.

Quia verò finis Parochi ille potiſſimùm eſſe debet in huiuſmodi viſitationibus, vt animæ ægroti conſulat, eamq. ad ſalutis portum dirigat; idcirco ante omnia cum ægroto aget de ſanctorum ſacramentorum perceptione, hortans eũ omni ſtudio, & charitate, vt ad ea ſeſe comparet, & pijs rationibus, atq. exemplis inſuper illum in patientia conſtantem, atque in ſpe diuinæ retributionis fortem, firmumque reddere conabitur.

Et quamuis omnia ſacramenta, & extremam Vnctionem etiam ægrotus receperit, ipſiuſq. anima iam Deo commẽdata fuerit; Parochus tamen illum quibuſdam horis diurnis, & nocturnis, prout neceſſitas poſtulabit, viſitare nõ deſinat; illumq. in eo periculoſo tranſitu pijs colloquijs, exemplis, aliiſque ſpiritualibus adminiculis iuuare ſtudebit.

Caucbit autẽ ne in huiuſmodi colloquijs, miſceat quidpiã, quod particularẽ aliquam cõmendationem ſapiat; quod ad eleemoſynã erogandam attinet; eoq. minus ſeipſum cõmendabit, ſed admonebit ægrotũ, dum ſanus mente eſt, vt diſponat domui ſuæ, teſtamentũ condat, niſi condiderit; commendabit verò hoſpitalia, monaſteria, pauperes ſuæ, aut alterius parochiæ, ſocietatẽ ſacramenti, loca pia, publica opera generaliter, in quibus nullus priuatus ſit reſpectus: cũ pro ægroti ſpirituali ſalute omnia faciẽda ſint, omnisq. tẽporaliũ rerũ tractatio, niſi neceſſitas vrgeat, procul eſſe debeat.

Atqui Parochorũ omnium conſcientias oneramus, ſi vt laborem vitent, aut alia qualibet cauſa adducti, huiuſmodi viſitationes prætermittẽt, & munus hac ex parte boni, & fidelis parochi non adimplebunt.

Vtq. pium hoc officium fideliũ ſaluti adeo neceſſariũ, & à ſacrorũ conciliorũ decretis olim præſcriptũ, faciliùs, & vtiliùs executioni mandetur. præcipimus omnibus & ſingulis, tam eccleſiaſticis quàm ſecularibus, patribus, matribus, filiis, vxoribus, viris, fratribus, cognatis, agnatis, domeſticis, ſeruis, familiaribus, aſſiſtentibus, atque omnibus alijs perſonis cuiuſcunque gradus, & conditionis, ſiue qui domini ſint domus, vbi infirmus erit, ſiue ipſum quomodolibet apud ſe habeant, aut aliter hoc ad illos ſpectet, ſub pœnis arbitrio noſtro reſeruatis, pro

perſonarũ qualitate; ne quãuis infirmus viſitari nollet, parochum aut alium ſacerdotẽ parochi nomine viſitantẽ impediant, ne munus ſuum expleat, viſitet, hortetur, conſoletur in Domino, ſacramenta adminiſtret, aliiſque remediis ſpiritualibus vtatur, vt ſupradictum eſt, quæ ad ſalutem animæ illius magis accommodata eſſe videbuntur.

Omnibus etiam ſupradictis, ſingulisq. eorum prohibetur, ne ſi ægrotus ſecretò alloqui parochum volet, aliuduè cũ eo agere pro diſpoſitione rerum ſuarum, illum quauis ratione impedire audeant.

Quòd ſi accidat, vt parochus aliqua ex cauſa rationabili, ab infirmo, aut propinquis, ſiue domus ipſis Dominis recuſaretur, ita vt illum viſitare non poſſit, eo caſu teneatur idem parochus, & etiam dominus domus, ſiue alius qui infirmi curam gerat, ſtatim nos de hoc certiores facere, vt alium idoneum ſacerdotem parochi illius loco, ad huiuſmodi infirmum viſitandum mittere poſſimus, ſub ijſdem pœnis quæ ſupra, arbitrio noſtrò reſeruatis. Dat. Bonon. &c.

N. Vic. Gener.

INSTRVCTIO

ad Parochos ciuitatis, & diœceſis Bonon. de Sacramento extremæ vnctionis adminiſtrando.

Quædam præparanda a Parocho ante huius ſacramenti adminiſtrationem.

SI in omnibus ſacramentis recipiendis magna præparatio, & diligentia adhibenda eſt, in hoc ſanè, quod in extremo peregrinationis humanę curriculo adminiſtratur, eò magis neceſſe eſt à parochis omnia pietatis officia exerceri, vt fideles ex hac mortali vita migrantes, in illo momento, vnde pendet æternitas, contra diaboli tunc præſertim quærentis quem deuoret inſidias, roborentur.

Quare vt Parochus in anima, quę ſuę cuſtodiæ commendata eſt, ſui muneris partes has facile exequi poſſit. ea quæ ſequuntur diligenter, & accurate animaduertere, & præſtare debebit.

Atque in primis, ne in vanum laboret, quod Deus auertat: & ſpiritualem agrũ bene cultum, & ad recipiendum ſanctorum ſacramentorum ſemen, huiuſquè præſertim, quotieſcunque Deo placuerit, idoneum reperiat; in hoc illi incumbendum eſt, vt quemadmodum in alijs ſacramentis admonitus fuit; ita in hoc, ipſius inſtitutionem, vtilitates, fructus, atque efficaciam, ſumpta inter Miſſarum ſolemnia, aut alia loquendi ad populum occaſione, infra annum fidelibus explanare conetur.

Deinde quę de infirmis viſitandis præcepta ſunt, omni ſtudio perficiat: non ſolum vt extrema vnctio ſuo tempore adhiberi poſſit; ſed etiam vt ſacro viatico corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti infirmus antea reficiatur.

Tum curet, vt infirmus ſanctæ eccleſiæ adminiculis ſuffultus, Cruce, aqua benedicta, ſacris & cereis etiam imaginibus, quas Agnus Dei vocant, ceteriſque rebus, quæ Chriſtianum illum eſſe oſtendant, contra diaboli tentationes fortior reddatur, atque in diuina voluntate libentiùs acquieſcat: nec mens diſtrahatur, ſed tota in paſſione Domini, ſacriſque aliis myſteriis defixa, ſe ad hoc ſacramentum percipiẽdum omni deuotione comparet.

Quod vt melius præſtare poſſit Parochus, præter librum Catechiſmi, ex quo doctrina huius ſacramenti, & alia plura colliguntur, habeat etiam libellum, qui inſcribitur, Methodus ad eos iuuandos qui moriuntur, auctore R. P. Ioanne Polanco Theologo ſocietatis Ieſu, editum Bononiæ iuſſu Illuſtriſſimi Archiepiſcopi, ad faciliorem vſum ſuæ ciuitatis, & diœceſis; in quo libello colliget, pro vniuſcuiuſque infirmi ſtatu varia remedia, ex com-

plurium

plurium doctorum, ac piorum ſcriptis excerpta, ad quæ ſe conformare ſtudebit.

Quibus præbenda ſit extrema unctio.

Quia ſacramentum hoc exeuntium appellatur, hoc eſt eorum, qui ex hac vita diſcedunt, non idcirco omnibus hominibus, cum mortales ſint, æque eſt administrãdum, ſed noſſe debet parochus conditionem, ſtatumque infirmorũ antequam illud adminiſtret, caſuſque examinare, ex quibus illos hac ſacra vnctione ſeu muniri poſſe, ſeu priuari debere exiſtimabit.

Sacramentum enim hoc nõ niſi adultis præbẽdum eſt, & ijs infirmis, qui iam peccata ſua ſint confeſſi, & communicauerint, atque in probabili mortis periculo exiſtant. illud autem periculum mortis eſſe intelligitur, cum aut medici, aut alij cõmuniter dubitant, ne ægrotus moriatur; quamuis poſtea incolumis euaderet.

Si verò aliquo caſu infirmus ſacramẽtis ſupradictis muniri, aut fortaſſe nec illa petere potuerit: Extrema vnctio tamen illi danda eſt, dummodo in infirmo pœnitentiæ ſigna agnoſcantur, præſertim ſi anteactam vitam piè vixerit, & ſãctæ eccleſiæ præcepta ſeruauerit: quo caſu ipſi affines, & conſanguinei, infirmi nomine extremam vnctionem petẽt.

Animaduertendum eſt, ne vſque ad extremum vitæ ſpiritum huius ſacramẽti adminiſtratio prorogetur; nam licet in mortis periculo illud ſit conferendũ, tamen vbi ad temporis huius opportunitatem ad vnguem ſeſe aptare non poterunt, potiùs prçueniendum eſt, vt piè, & deuotè recipiatur, quàm morandum cum periculo, ne anima ſine hoc ſalutari auxilio, ab hac mortali vita diſcedat, aut illud quodammodo abſque deuotione, & ſine ſenſu recipiatur.

Cæci, muti, ſurdi, & membris attracti, licet nunquam his ſenſibus vti potuerint; tamen cum peccatum eſſentialiter in voluntate ſit, quæ & viſum, & ſermonem, aliosque ſenſus expetere poterat illicito ſibi fine propoſito; ideo etiã ipſi, quemadmodum alij hoc ſacramento indigent, atque eo muniendi ſunt. Si verò quis aliquo membro careret, pars propinquior illi membro eſt vngenda.

Si infirmus dum vngitur deficiat, & moriatur, vlterius non procedatur: verùm ſi aliquis caſus accidat, quo illum viuum eſſe, aut mortuum dubitetur, hac conditione vngatur. *Si es viuus, per iſtam ſanctam vnctionem &c.*

Si quid repẽte accidat, aut ob ipſam ægritudinẽ, aut aliam ob cauſam, quod vnctionem hanc ſacram impediat, ita vt infirmus vngi nõ poſſit niſi alligetur: peragantur quæ neceſſaria ſunt ad ipſũ vngendum, licet caſus ille extra infirmitatem euenerit, dummodo ſacra unctio aliquo dilucido interuallo aliàs ab ęgroto ſit actu, vel virtute petita.

Quod attinet ad eos, qui prohibentur hac ſacra vnctione, veluti ſtultos, pueros minores, & rationis vſus experres, alioſq; huiuſmodi prohibitionis caſus; eos parochus à Doctoribus ſummiſtis, rectè percipere ſtudebit, eoſque etiam in congregationibus caſuum conſcientiæ tractare, cum opus erit, vt nequaquã animo ſuſpenſus, ſed omnino tutus hoc ſacramentum ritè adminiſtrare poſſit.

Ratio ſeruanda a Parocho in hoc ſacramento ad infirmos deferendo.

Vt extrema vnctio ad infirmos commodiùs, & decentiùs deferri poſſit, habeat parochus ſacculum ſericum coloris violacei, crucis ſigno exornatum, cordulis hinc inde aptatis, vt collo illud appendat, in quo ſacculo chothyla, ſeu ſcatula lignea, vbi vaſculum ſit olei ſancti, prout in viſitationibus ab Illuſtriſſ. Archiepiſcopo dictum eſt, claudatur: & ſic cum opus erit, aſſeruatũ, ne unquam caſu aliquo cadere poſſit vaſculum, illud ad infirmos deferet. Ferat inſuper thecam in qua pannus lineus, & reliqua reponãtur, quibus in vnctione infirmi vti debebit: hoc eſt tot globuli bam-

bacis

bacis, aut ſtuppæ lineæ, quot ſunt corporis partes, quæ vnguntur, nempè ſeptem pro maſculis, ſex verò pro fœminis. quos peracta ſacra vnctione collectos, & in panno lineo inuolutos, atq; in eandem thecam incluſos, ad eccleſiam referet, comburet, cineresque in ſacrarium mittet.

Nonniſi ſuperpelliceo, & ſtola indutus parochus hoc ſacramentū vnquam deferat; præcedat illum ſaltem clericus vnus ſuperpelliceo item indutus, teneatquè manu dextra Crucem ſine haſta, vt moris eſt, ſiniſtra verò vaſculum cum aqua benedicta, & aſperſorio; atque dū defertur hoc ſacramentum, in itinere pſal. *Miſerere mei Deus*, deuotè recitetur.

Ritus adhibendus a Parocho in ingreſſu, & benedictione domus infirmi.

Ingreſſus cum hoc ſacramento, prout ſupra dictum eſt, parochus domum infirmi, primùm illi pacem domini annunciat, dicens, *Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea*, deinde poſtquàm peruenit ad ipſum infirmi cubiculum, depoſito ſacro oleo ſuper menſa ad id parata, ad inſtar altaris, cum candela ſaltem vna benedicta accenſa, & aliqua Cruci fixi, & beatiſſimæ Virginis imagine, ad ſequentem benedictionem procedat.

℣. *Adiutorium noſtrum in nomine domini*.
℞. *Qui fecit cælum, & terram*.
℣. *Dominus uobiſcum*.
℞. *Et cum ſpiritu tuo*.

Oremus. *Introeat* Domine *Ieſu Chriſte, domum hanc ſub noſtræ humilitatis ingreſſu æterna felicitas: diuina proſperitas: ſerena lætitia: charitas fructuoſa: ſanitas ſempiterna: effugiat ex hoc loco acceſſus dæmonum; adſint angeli pacis, domumque hanc deſerat effugata diſcordia. Magnifica ſuper nos nomē ſanctum tuum Domine, & bene ✠ dic noſtræ conuerſationi, & ſanctifica noſtræ humilitatis ingreſſum, qui ſanctus, & pius es, & permanes cum Deo Patre, & Spiritu ſancto in ſecula ſeculorum. Amen.*

Oremus. *Et deprecemur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt benedicendo bene dicat hoc tabernaculum, & omnes habitantes in eo, & det eis angelum bonum cuſtodē, & faciat eos ſibi ſeruire, ad conſiderandum mirabilia de lege ſua, auertat ab eis omnes cōtrarias poteſtates: eripiat eos ab omni formidine, & ab omni perturbatione, ac ſanos in hoc tabernaculo cuſtodire dignetur: qui cum Patre, & Spiritu ſancto uiuit, & regnat in ſecula ſeculorum.* ℞. *Amen.*

Oremus. *Exaudi nos Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: & mittere dignare ſanctum Angelum tuum de cælis, qui cuſtodiat, foueat, protegat, atq; defendat omnes habitantes in hoc habitaculo: Per Chriſtum* Dominum *noſtrum*. ℞. *Amen.*

Quibus precibus dictis idem parochus ante oculos infirmi, crucifixi Domini noſtri Ieſu Chriſti imaginem ponens, & incipiens, antiphonam. *Aſperges me Domine hyſſopo*, & proſequens pſalmum integrum *Miſerere mei Deus*, atque antiphonam, circumſtantes aqua benedicta aſpergat.

Præſtanda a Parocho antequam ad ſacram unctionem ueniat, præſertim in poſtrema infirmi abſolutione.

Hac ſancta benedictione præmiſſa parochus ad infirmum accedet, cumque benignè ſalutabit, ab eoque petet ante omnia, an cupiat ſacram vnctionem, an ſponte illam flagitet; hortabiturque ipſum ad eam tanta fide, & deuotione ſuſcipiendam, quanta olim infirmi ab apoſtolis ſolebant eandem accipere: nam ſperanda primùm eſt per eam animæ ſalus; deinde ſi ita expediet, & Deo placuerit, ſalus etiam corporis expectāda. atque hic alia huiuſmodi breuiter parochus de hoc ſacramento proſequetur, vt deuotionis feruor, tunc præcipue in infirmo vehementior excitetur.

Inter cetera autem eum interrogabit, an confeſſus fuerit, & ſacram Euchariſtiam ſumpſerit: ſique aliquo peccato conſcientiam adhuc oneratam ſentiat, hortabitur, vt eam rectè examinare, & ſacramentali reconciliatione purgare curet; quòd ſi nullius mortalis peccati remini-

reminiſcitur,tum confeſſionem generalem præmittat, ſi eam recitare poterit; ſin minus intrinſecus doleat,& ſemetipſum coràm Deo,quem offendit accuſet, veniamque de præteritis peccatis humiliter petat, cupiatq; locum, tempuſque pœnitentię,& plenæ ſatisfactionis:quibus peractis parochus ad abſolutionē veniat.

Quòd ſi infirmus *Confiteor* nullo modo recitare poterit neque latine, neque vulgari ſermone, Parochus cum clerico, & circumſtantibus illud dicet, atque poſtea ad abſolutionem, vt ſupra dictum eſt,ueniet.

Quia verò multi fideles morientes,ad aliquas confraternitates indulgentiarum priuilegijs auctas, ſunt adſcripti, aut ab Epiſcopo ſeu ipſo parocho, aliquod à ſummo Pontifice benedictum granum habent:eo caſu,quia huiuſmodi grana iam conceſsā indulgentiā impartiuntur,dummodo ferantur, aut aliquæ preces dicantur,prout in forma ipſarum indulgentiarum continetur.Ideo parochus eo caſo indulgentiam ipſe tribuere non debebit,ſed tātummodo ad inſtar orationis, iam cōceſſas indulgentias applicabit dicens.*Indulgentiam plenariam,abſolutionem,remisſionem omnium peccatorum a ſanctiſs. D.N. Papa conceſſam quibuſcunque granum hoc etiam in articulo mortis ſuper ſe habentibus, & retinentibus,tribuat tibi omnipotens, & miſericors Dominus,qui uiuit,& regnat in ſecula ſeculorum.* aut verba immutando iuxta formam à ſummo Pontifice traditam in ipſarum indulgentiarum largitione.

Quod ſi quiſpiam facultatem, & auctoritatem habeat indulgentias concedendi in articulo mortis, prout quibuſdam religioſorum ordinibus eſt à ſummo Pontifice conceſſum, aut ſi epiſcopus auctoritate ſua ordinaria, aut apoſtolico indulto eam concedere poſſet, aliumuè ſuo nomine mitteret, qui eam infirmo impertiret, tunc mutanda erunt verba hoc modo. *Ego auctoritate ſedis apoſtolica,&c.* aut *Ego auctoritate Reuerendiſs. D. mei. &c.* aut alio modo. *concedo tibi indulgentiā, & plenariam remisſionem peccatorum tuorum &c. indulgentiam tot annorum,* aut *dierum &c. ſecundum facultatem mihi conceſſam.in nomine Patris,& filij,& ſpiritus ſancti. Amen.*

His peractis ſi tempus ita poſtulet,admodum vtile erit contra dæmonis inſidias,infirmum ad proteſtandum inducere,prout infra.

Quòd omnino ſe diuinæ voluntati ſubijcit, quam fieri a Deo precatur, ſicut in cęlo, & in terra,præcipuè verò in ſemetipſo.

Quòd nunquam ab ea fide, ne latum quidem vnguem aberrare intelligit, in qua apoſtoli, & martyres glorioſè permanſerunt.

Quòd omni ſuorum meritorum præſumptione poſthabita, ſe ipſum coram Deo peccatorem ingratiſſimum accuſat, & conſtituit.

Quòd non iccirco de infinita Dei miſericordia deſperat, ſed in ipſius ſacratiſſima paſſione conquieſcit.

Quòd à diuina clementia ſuorum omnium peccatorum remiſſionem expetit,ſi aut oblitus, aut alio modo aliquod peccatum in confeſſionibus ſilentio præterierit.

Præterea parochus diuerſa puncta attingere poterit,prout infirmi ſtatus, & conditio poſtulare videbitur:ſi odio aliquem proſecutus fuerit, parcat ex toto corde dicens *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, &c.* Si proximum offendit,a Deo veniā precetur, atque ab ipſo proximo,ſi poteſt. Si grauiſſimorum peccatorum. cæno obuolutus vixerit, ſpem illi excitet parochus exemplo ſanctorum, qui ex inimicis Dei,amici facti ſunt,poſtquàm conuerſi ſunt ad eum in toto corde ſuo: atque his argumentis opportunè animū fluctuantem,in fide,ſpe, & charitate roborare conetur.

Ritus adhibendus a Parocho in extrema unctione adminiſtranda

Sciat in primis parochus, in hoc ſacramento adminiſtrando,prout in alijs, requiri in adminiſtrante actualē intentionem

tionem illud conferendi, dum infirmum vngit, aut ſaltem virtualem, exprimendaque eſſe verba deprecatiua, quę ſunt huius ſacramenti forma, eodem tempore quo ipſę vnctiones fiunt, & nunquam verba ipſa formalia anteponenda, aut poſtponenda.

Potrò optimum erit, ſi parochus curabit, vt ipſo ſacræ vnctionis tempore circumſtantes fideles, ſeptem pſalmos, litanias, coronam, aliaſuè preces deuote Deo fundant.

Tunc verò ipſe accepto reuerenter ſacri olei vaſculo, candela vt ſupradictum eſt, accēſa, incipiet ſactam vnctionem, eamque proſequetur hoc modo.

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus. *Omnipotens ſempiterne Deus, qui per beatum Apoſtolum tuum Iacobum indicere presbyteros eccleſia, & ungere oleo infirmos præcepiſti: præſta quæſumus. ut digneris per manus noſtras hunc famulum tuum: uel hanc famulam tuam, de oleo ſanctificato ungere, & bene ✠ dicere, & quod fideliter poſtulantes exterius amplectimur: hic interius ſpiritualiter diuina tua uirtus inuiſibiliter operetur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.*

Poſtea imponens manus ſuper caput infirmi dicat abſolute.

In nomine Pa ✠ tris, & filij, & ſpiritus ✠ ſancti amen. Extinguatur in te omnis virtus diaboli, per impoſitionem manuum noſtrarum: imò per innocationem omnium ſanctorum Angelorum: Archangelorum: Patriarcharum: Apoſtolorum: Martirum: Confeſſorum: Virginum: atque ſimul omnium Sanctorum. ℟. *Amen.*

Poſt hoc intincto pollice in oleo infirmorum, faciat de ipſo in corpore ægri ſignum Crucis in ſex locis ad minus dicens.

Et primo ad oculos videlicet.

Per iſtam ſanctam vnctionem ✠ & ſuam pijſſimam miſericordiam parcat tibi Dominus, quicquid oculorũ uitio deliquiſti. ℟. *amẽ*

Miniſter uero, uel ipſe ſacerdos tergat locũ inunctũ cum ſtuppa reponens in uaſe mundo, & ſic faciat poſt quamlibet vnctionem.

Ad aures.

Per iſtam ſanctam unctionem ✠ & ſuam pijſſimam miſericordiam parcat tibi Dominus, quicquid aurũ vitio deliquiſti. ℟. *amẽ.*

Ad os.

Per iſtam ſanctam unctionem ✠ & ſuam pijſſimam miſericordiam parcat tibi Dominus, quicquid oris uel lingua vitio deliquiſti. ℟. *amen.*

Ad manus.

Per iſtam ſanctam unctionem ✠ & ſuam pijſſimam miſericordiam parcat tibi Dominus, quicquid manuum uel tactus uitio deliquiſti. ℟. *amen.*

Ad pedes, ſupra collum.

Per iſtam ſanctam unctionem ✠ & ſuam pijſſimam miſericordiam parcat tibi Dominus, quicquid pedum, uel inceſſus uitio deliquiſti. ℟. *amen.*

Poſtea ad lumbos, ſiue renes.

In maſculis ſolùm, ſi ipſi ſacerdoti videbitur.

Per iſtam ſanctam unctionem ✠ & ſuam pijſſimam miſericordiam parcat tibi Dominus, quicquid lumborum ſiue renum uitio deliquiſti. ℟. *amen.*

Si infirmus membris aut partibus illis careat, quæ ſancto hoc oleo vngi debent, propinquiores illi partes vngendæ ſunt. verbi gratia ſi deeſt oculus, ungatur locus oculo deficienti propinquior, & ſic de ſingulis, quamuis huiuſmodi defectus à natiuitate perpetuo extiterint.

Sacerdotis manus ſecundum frequẽtiorem eccleſiæ vſum exteriùs vngi poterunt; non interiùs videlicet in palma, in qua vngi ſolent.

Cuilibet patti quæ vngetur, accommodabit parochus formam ſupradictã, neque aliud in ea mutabit, niſi pattis vngendæ nomen, quam ſtatim, atque inuncta erit parato globulo bambacis, aut ſtuppæ lineæ abſtetget.

Si accidat ut parochus, dum hoc ſacramentum adminiſtrat, deficiat, antequàm vnctionem perfecerit. alij ſacerdoti, quod reliquũ eſt perficiendũ erit, neq; tamen unctionẽ iã factã iterabit.

Imò

Imò ſi parochus aliquo impedimento detentus hoc ſacramentum infirmo adminiſtrare non poterit, tunc quilibet alius ſacerdos, qui tamen religioſus nō ſit, huic neceſſitati ſubuenire debebit. Religioſo enim abſque parochi licētia illud adminiſtrare, ſub pœna excommunicationis eſt prohibitum.

Præſtanda a Parocho poſt ſacram unctionem.

Abſoluta infirmi unctione, & ſeptem pſalmis, ſeu precibus vt ſupra à circumſtantibus recitatis, parochus proſequetur dicens.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Pater noſter. iecreto.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*
℟. *Sed libera nos a malo.*
℣. *Saluum fac ſeruum tuum.*
℟. *Deus meus ſperantem in te.*
℣. *Mitte ei Domine auxilium de ſancto*
℟. *& de Syon tuere eum.*
℣. *Eſto ei Domine turris fortitudinis.*
℟. *A facie inimici.*
℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*
℟. *Et filius iniquitatis nō apponat nocere ei.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te ueniat.*
℣. Dominus *uobiſcum.*
℟. *& cum ſpiritu tuo.*

Oremus. *Domine Deus, qui per beatum Iacobum Apoſtolum locutus es dicens: infirmatur quis in uobis, inducat presbyteros eccleſiæ; & orent ſuper eum; ungentes oleo ſancto in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus. Et ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Cura quæſumus Redemptor noſter gratia ſpiritus ſancti languores iſtius infirmi, uel infirmæ. Et ſana ſua uulnera, eiuſque dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis, & corporis ab eo, uel ea expelle: & plenam ei interiùs ſanitatem miſericorditer redde: ut ope miſericordiæ tuæ reſtitutus uel reſtituta, ad priſtina reparetur officia. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.*

Oremus. *Reſpice quæſumus Domine famulum tuum, uel famulam tuam, infirmitate ſui corporis laborantem: & animam refoue, quam creaſti: ut caſtigationibus emendatus, uel emendata, continuo ſe ſentiat tua medicina ſaluatum, uel ſaluatam. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.*

Oremus. *Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne* Deus, *qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate cuſtodis: ad inuocationem tui nominis benignus aſſiſte, ut famulū tuum (uel famulam tuam) ab ægritudine liberatum, (uel liberatam) & ſanisati donatum (uel donatam) dextera tuæ potentia erigas, uirtute confirmes: poteſtate tuearis: ſanctiſq; altaribus tuis cum omni deſiderata proſperitate reſtituas. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.*

Dominus Ieſus Chriſtus apud te ſit, ut te defendat: intra te ſit, ut te reficiat: circa te ſit, ut te conſeruet: ante te ſit, ut te deducat: poſt te ſit, ut te cuſtodiat: ſuper te ſit, ut te benedicat. qui cum Deo Patre, & ſpiritu ſancto uiuit, & regnat in ſecula ſeculorū. ℟. *Amen.*

Poſt hæc parochus panis medulla lauabit manus: præcipue verò digitū vnctum, inde verò ablutionis aquam in ſacrariū vbi fieri poterit, ſin minus in ignē conijci curabit.

Crucem aliquam ante infirmum ſtatuet; eumque poſtea ſollicite viſitare non deſinet, vt animam illam hortationibus, aliiſque ſpiritualibus auxilijs muniat, quam aduerſarius noſter diabolus eo præſertim tempore deuorare quærit: atque iccirco ſæpe cum ipſo de morte aget, quamuis hac cōmemoratione moleſtia affici poſſet: nam tunc temporis de ſumma rerum agitur, deque eo momento, vnde pendet æternitas. eſtq; maxime animaduertendum, ne imparatus, & ſine mortis cogitatione decedat. aget itē cum illo de merito paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, eumque in fide, & ſpe confirmare contendet, dicente domino. *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam uitæ.*

Hortabitur illum enixè, vt omnibus huius ſæculi cogitationibus reiectis, ad cœlum mentem erigat, quæ patria eſt noſtra ſempiterna: vbi hæreditas, quæ nobis paratur, eſt Deus ipſe: quare ſcriptum eſt, *Beati mortui qui in Domino moriuntur.*

Hac occaſione eo hortationum libel

lo, qui de viſitatione infirmorum eſt editus iuſſu Illuſtriſſimi Archiepiſcopi: ſacerdotali etiam, alijſque ſpiritualibus libris vti poterit.

Poſtquàm infirmus vnctus fuerit, curabit parochus multorum ſanctorũ exẽplis, vt in ipſius cubiculo aſſidue aliqui ſacerdotes aſſiſtant, aut ſaltem alij pij fideles, qui continuam orationem ad Deum pro ipſo habeant. Quin potiùs quilibet Chriſtianus uir tanti periculi tempore, eò feruentiùs ſuæ charitatis ſigna præbere debet, quò tunc maior eſt auxilij neceſſitas. ita vt ſemper aliquis ad infirmum accedat, ad ipſum ſedeat, eum alloquatur, opportune hortetur, ne vnquam dæmonis tentationibus cõſentiat, omnes nequiſſimi hoſtis blanditias reijciat, Dei miſericordię confidat, & ipſum ex animo aſſidue inuocare nõ prætermittat.

Quòd ſi caſu infirmũ titubare videat, atque aliqua tentatione vehementiùs agitari: quænam tentatio eſſe poſſit, prudenter ex colloquijs, & oculis ipſis, motuque infirmi explorare, & contra eam, illum paſſionis Chriſti memoria fortẽ, & conſtantem reddere ſtudebit, atque iccirco aliquis intermiſſis ſpatiis *paſſionẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti* alta voce legere poterit, *et ſymbolum fidei*.

Curabit parochus, vt poſt ſacram vnctionem candela benedicta accenſa relinquatur ad caput infirmi; ſicque ſuperpelliceo, prout venit ad hoc ſacramentum adminiſtrandum indutus, crucem clerico deferente, vt ſupra dictum eſt, ita reuertatur ad eccleſiam.

Procedente verò vlterius ægritudine, ac infirmo iam agonizante, parochus illi animam commendabit, candela benedicta accenſa ſignabit, aqua benedicta aſperget, ijſque precibus vtetur, eoque ordine ac ritu, qui in fine Breuiarij præſcribuntur.

Dat. Bonon. in Archiep. Pal. &c.

N. Vic. Gen.

ORDO
SEV PRAGMATICA
ſuper funeralibus, iuſſu Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Card. Palæoti Archiepiſcopi Bononiæ edita.
Et per Breue Gregorij 13. pontificis maximi fel. recor. confirmata, & promulgata. anno 1573. die 13. Ianuarij.

QVAMVIS ipſa exequiarum, & funerum actio, nil niſi hominum fragilitatem, corruptionem & miſeriam repræſentet, atque omnibus ſpectatoribus futuræ mortis memoriã renouare deberet, cuius horam, aut momentum nemo ſcit niſi Deus: tamen eo uſque proceſſit diaboli iniqui malitia, vt eo etiam tempore non ſolum pomparum exceſſus, & diuitiarum oſtentationes hominum animis inſerere præſumpſerit; ſed etiam debitæ eleemoſynæ in animarum ſuffragium conſtitutæ auxilio, eoſdẽ auaritiæ obice impedire contendat. Quàpropter paſtorali ſollicitudine adductus Illuſtriſſ. & Reuerend. D. Cardinalis Palæotus Archiepiſcopus, in Ciuitate Bononiæ certam omnium funerum, et exequiarum rationem ſequentibus decretis præſcribere voluit, quæ nemini prætergredi liceat ſub pœnis, quæ in fine explicabuntur.

In ſingulorum morte cuiuſcunq; ſtatus, & conditionis ij ſint, tam homines, quàm mulieres, campanæ in nulla ciuitatis eccleſia pulſentur ictibus, neque ſepulturæ, neque exequiarum cauſa.

Neque ſignum *Salutationis Angelicæ* detur cuiuſuis morte ſuccedente, aut campanæ extẽſè pulſentur, dum defunctus effertur ad ſepulturam, niſi in parochiali eccleſia defuncti, & in ea eccleſia vbi defunctus ſepeliendus eſt, in eccleſia cathedrali, aut s. Petronij, cum conſortia, aut capitula ipſarum eccleſiarum defunctum ad ſepulturam comitabuntur.

In deducendo funere, non accedant

ad

ad comitandum defuncti corpus; niſi conſortium vnum, aut eccleſiæ cathedralis, aut collegiatæ .s. Petronij, vnus ordo fratrum, ſiue monachorũ illius eccleſię, vbi defunctus ſepeliẽdus eſt; vna tantum confraternitas ſpiritualis laicorum, itemque capitulum eccleſiæ cathedralis, aut ſancti Petronij, ſi tamen ad vnam ex his eccleſiis defunctus efferatur.

Permittitur tamen, vt præter ſupradictos inuitari poſſint orphani, aliiq, pauperes piorum locorum, atque vnus tantum ordo ex iis fratribus, qui nihil in cõmune habent: & præterea ſodalitas Sacramenti, quæ inuitanda ſemper præſupponitur.

Cum ex conſortijs nullum inuitabitur; tunc parochus inuitabit decem ad ſummum ſacerdotes; ſi cõſortium accedat, tunc ſex ſacerdotes inuitabit.

Si defunctus fuerit in dignitate eccleſiaſtica, aut in aliquo magiſtratu conſtitutus, ſeu collegii doctor: permittitur vt præter ſupradictos ordines, inuitari etiam poſſit vnum ex duobus capitulis ſiue .s. Petri, ſiue .s. Petronij.

Quæcunque intortitia, ſiue candelæ diſtribuentur capitulis, conſortijs, ordinibus fratrum, confraternitatibus laicorum, ſint ex cęra crocei coloris conflata: iſque numerus, eaque ratio in diſtributione adhibeatur, qui infra præſcribetur. Orphanis tamen, pauperibus, hoſpitalibus, & monaſterijs, eleemoſynam vnuſquiſque arbitratu ſuo elargiri poterit.

Defuncti non niſi de die ad ſepulturã efferantur: nunquàm verò per plateam maiorem, niſi ſint ex magiſtratu: ſed via breuiore ad eccleſiam, vbi ſepeliendi ſunt, exportentur: neque intortitia vigeſimum numerum excedant, præter ea quę erunt capituli .s. Petri, ſiue .s. Petronij cum inuitabuntur.

Hæredes defuncti, neminem lugubribus veſtibus indutum, ad illũ comitandum mittant, aut circa feretrum eſſe iubeant, niſi tamen defunctus doctor fuerit, cui quatuor tantummodo ita induti aſſiſtere, eumq; comitari permittuntur.

In eccleſijs neq; alibi nulla inſignia defuncti, funeris cauſa affigantur, neq; cenotaphia erigantur: ſed feretrum ſuper menſa aliquo nigro panno ornata deponatur; cui permittitur affigi ad ſũmum quatuor tantum paginas, in quibus inſignia familiæ defuncti ſint depicta: octo autem, ſi defunctus eſt ex magiſtratu: quæ paginæ, ſiue inſignia peracto officio, ſiue anniuerſario tollantur. ſimiliter verò quatuor tantum intortitia circa feretrum accendantur communiter: octo autem pro ijs, qui in aliquã dignitate, ſeu magiſtratu diem ſuum obierunt.

Depoſita, ſeu ſepulturæ prohibentur in parietibus eccleſiæ fieri, & multo magis arcæ, in quibus corpora defunctorũ recondi olim ſolita fuerunt.

Aduenæ in his conſtitutionibus non comprehenduntur.

Orationes funebres in eccleſiis exequiarum tempore non habeantur, niſi obtenta ab Illuſtr. Archiep. facultate.

Quid eleemoſynæ cauſa pro funeralibus dandum eſt.

Capitulo cathedralis li. 15; & cuicũq; canonico intortitium lib. 3. ad ſummum, & tres faſciculi candelarum.

Manſionariis, & cappellanis eccleſiæ Cathedralis li. 5; & cuicunque manſionario præterea intortitium vnum lib. vnius cum dimidia, & duo faſciculi candelarum: cuicunque cappellano candela vnciarum decem, & vnus faſciculus candelarum.

Campanario pro *Aue Maria*, & longa pulſatione li. 4. cum dimidia, ſi campanam maiorem pulſauerit: ſi minorem li. 2. & 24. candelæ, prout conſuetum eſt ex antiquis, & ſolitis eius regaliis.

Sacriſtiæ intortitium vnum lib. vnius & dimidiæ, & 40. candelæ.

Cruci capitulari intortitium vnum librarum trium.

Cruci manſionariorum intortitium vnum lib. vnius & dimidiæ.

Pro reſponſoriis candelæ 24.

Capitulo .s. Petronij li. 12. cuicunq; canonico intortitium unum lib. 3. ad

Digitized by Google

ſummum,& tres faſciculi candelarū.

Manſionarijs, & cappellanis inſimul li. 4. & cuicunque manſionario intortitium unum lib. unius cum dimidio, &, duo faſciculi. & ſingulis capellanis can dela vnciarum decem, & vnus faſciculus candelarum.

Singulis clericis faſciculus vnus.

Campanario pro *Aue Maria*,& longa pulſatione li. 4. cum dimidia, ſi campanam maiorem pulſauerit.ſi minorem li. 2.& 24.candelæ,quæ ſunt ipſius ſolitæ regaliæ.

Sacriſtiæ intortitium libræ vnius cū dimidio, & 24. candelæ.

Cruci capitulari intortitium vnum li brarum trium.

Cruci manſionariorum intortitium vnum lib.vnius cum dimidia.

Pro Reſponſorijs 24. candelæ.

Conſortio s.Petri quando procedit ſine capitulo li. 5. Singulis autē ex conſortio faſciculus vnus.Præpoſito duo faſciculi candelarum conſignentur.

Singulis clericis faſciculus vnus.

Pro campana li. 2.

Sacriſtiæ candelæ 40.

Cruci candelæ 20.

Pro reſponſoriis candelæ. 24.

Conſortio. s. Petronii li. 4. pro cunctis ſolitis eiuſdē eccleſię cappellanis,& reliqua vt de conſortio. s. Petri dictum eſt, intelligantur.

Parocho,& presbyteris,quos ipſe inuitarit,diſtribuatur ſolita pecuniæ elee moſyna,vnicuiq. autem presbytero inſuper faſciculus vnus candelarum, parocho verò intortitium vnum, ſexaginta candelæ, & ſol.12.pro campana.

Societati ſacramenti intortitium vnum, quod ipſius ſit ſocietatis,non autem cuiuſpiam ſodalis:particulariter illi qui inuitat,ſol. 7;illi qui crucem præferr duo faſciculi candelarum.

Fratribus conuentualibus pro ipſorū regula, ſiue ordine li. 2. & intortitium vnum;viginti candelæ pro ſacriſtia; viginti pro cruce; quadraginta pro reſponſoriis, & pro hebdomadario;faſciculus verò ſingulis fratribus defunctum comitantibus.

Pro *Aue Maria* in ſingulis eccleſiis, tertia pars minus ſolito ſoluatur,& pro longa pulſatione,exceptis iis eccleſiis, qui bus ſol. 12. ſolui ſolent, quibus iidem ſoluantur.

Fratribus pauperibus ſingulis, qui nihil in cōmune poſſident,& defunctū comitabūur faſciculus: neq. præſcribitur charitati hæredum eleemoſinarū ceterarū terminus,veluti pecuniæ, tritici, farinæ,aut aliarum huiuſmodi rerū.Quòd ſi defunctus ad ipſorum eccleſiam deferatur, idem etiam in reliquis habeant, quod ſupra de cōuentualibus dictū eſt.

Cōfratribus,ſiue ſodalibus cōfraternitatum ſingulis faſciculus;pro vexillo candelæ 40. & nihil vltra. Illi, qui inuitat ſol.7,cruci intortitium vnum;illi qui crucem, & aliis etiam, qui defunctum deferunt,qui plures octo non ſint, eorū ſingulis 20.candelę:presbytero,cuſtodi, priori, ſacriſtæ, duobus intonatoribus duo faſciculi in ſingulos diſtribuantur, ſimiliter cantoribus ſi aderunt.

Hæc tria tantum loca pia crucem deferre poſſunt, & habere faculam vnam pro cruce,& viginti candelas, pręter id quod eleemoſynæ gratia illis dabitur. s.Bartholomæus:Mendicantes.Magdalena:alia loca pia,& hoſpitalia eleemo ſynam quidem,quæ illis dabitur,accipere poterunt cum inuitabuntur, ſed crucem deferre non poſſunt.

Faſciculi candelarum ſinguli conſtent octo candelis,quarum candelarum ſingulæ non excedant pretium duorum quadrantum.

Obſeruanda a Deputatis ſuper funeralibus.

Deputatorum,ſiue electorum in ſingulis regionibus, ſiue quarteriis ciuitatis præcipuum munus ſit, vt eos, qui in quarteriis morientur, ſepeliri curent.

Cum aliquis ſepeliendus eſt,nihil ſtatuēt,nec ad defuncti domum accedent, niſi præſente parocho, cum quo ea quæ neceſſaria erunt,deliberabunt.

Vnuſquiſq;

Digitized by Google

Vnuſquiſque ipſorum apud ſe habeat has conſtitutiones de funeralibus, neque quidquam contra eas dicant, aut faciant, ſed iuxta eas omnino omnia peragant.

Item habeat eorum vnuſquiſq; apud ſe cathalogum locorum piorum ciuitatis, quibus eleemoſyna diſtribui ſolet, vt defuncti affinibus illũ oſtendere poſſint: qui eligent ea loca, quæ ſibi magis placebunt. prohibenturq; dicti deputati, quominus neq; per ſe ipſos, nec per alios directe, vel indirecte proponere poſſint hunc, vel illũ pium locum: neq; hanc ob cauſam munera, quamuis exigua; neq; eleemoſynam, aut alia quæuis regalia ab ipſis locis piis, ſub infraſcriptis pœnis accipere poſſint; & inſuper delinquẽtes officio priuabuntur. Quòd ſi negligentes erunt in ſuo munere obeundo, parochi Illuſtriſſ. Archiepiſcopum admoneãt, qui negligẽtum loco, alios deputabit.

Curent vt eleemoſynæ non in Eccleſiis diſtribuantur, ad vitandos ſtrepitus, & tumultus: ſed in ipſa defuncti domo, ſiue inter tranſeundum ante ipſam, dum ad efferendum defunctũ acceditur, aut alibi; dummodo omnia ſine confuſione fiant. declaratur tamen, eos omnes qui ſunt inuitati, debere poſt acceptã eleemoſynam, defuncti corpus ad ſepulturam comitari.

Præcipitur pariter, vt ſi aliquo caſu neceſſario accidat, vt de diſtributione eleemoſynarum in eccleſiis ſit agẽdum, in quibus defuncti ſepeliuntur: de iis nequaquã in eccleſiis agãt, ſed in ſacriſtia aut clauſtro, aut ædibus canonicalibus.

Item vt deputati pro ſua mercede nihil vlterius accipere poſſint, niſi id quod conſuetum eſt; neq; in intortitijs, aut candelis accipiendis, aut aliis dandis, huius pragmaticæ ordinem prætergrediantur.

Item vt eorum nemo in lauandis defunctis, aut ſepulturis aperiendis det operam, neque lucri alicuius particeps fieri poſſit cum iis, ad quos huiuſmodi officium ſpectat.

Si alicui ex deputatis cura mandabitur cæram ab officina aromararia accipiendi: teneatur eius diligentem rationem in ſcriptis habere, numerũ & pondus intorritiorum deſcribens: quam expeditis exequijs, defuncti affinibus referat. idemq; agat circa alias eleemoſynas diſtributas frumẽti, panis, & huiuſmodi rerum. Quòd ſi defuncti hæredes eandẽ curam alicui domeſtico demandare voluerint, deputati caueant, ne in diſtributionem, aut emptionem eiuſmodi ſe ingerãt: firma tamẽ ſemper manẽte pragmatica in portionibus, vt ſupradictum eſt, tam cæræ, quàm aliarum rerũ.

Eorum munus erit, vt ij omnes, qui ad exequias inuitati sũt, ſtatis horis accedant: meminerintq; in ſepeliẽdis pauperibus, vt ipſi etiam Chriſtiana charitate vtantur, idque gratis efficiant, aut minore qua fieri poteſt impenſa.

Quicunque huic pragmaticæ non paruerit, ſi eccleſiaſtica perſona ſit, ſuſpenſionis à diuinis pœnam incurret. affines verò defuncti tribus menſibus ab ingreſſu eccleſiæ prohibebuntur. alij miniſtri quicunq; exequiatum. 25. aureos ſoluẽt locis piis applicandos, aliiſq; pœnis arbitrio Illuſtriſſ. D. Archiep. ſubiiciũtur.

Dat. Bonon. &c.

BREVE SANCTISS. D. N. Gregorij Papæ. 13. in quo ſupradicta pragmatica confirmatur.

GREGORIVS PP. xiij. Ad futurã rei memoriã. Iuſtum maxime, & æquũ cenſuimus, vt ea quæ ad vrbium nobis ſubiectarum, & præcipuè patriæ noſtræ Bononiæ, cuius periucunda nobis eſt recordatio, publicam vtilitatem, & commodum ſtatuta ſunt, per nos approbentur, & apoſtolica auctoritate confirmentur. Accepimus nuper dilectum filium noſtrum Alexandrum tit. s. Mariæ in via presbyterum Card. Sfortiam nonc upatum, tunc ciuitatis Bonon. apoſtolicæ ſedis de latere legatum, vnà cum dilectis filiis Antianis, Conſul. & Vexill. iuſt. ac Magiſtratu 40. virorum reformatorum ſtatus libertatis eiuſdem ciuitatis, per publicè propoſitum de menſe

Octob. proxime elapſi edictum, ſub quibuſdam pœnis, ne ciuitas prædicta in virorum, ac mulierum ornatu, conuiuiiſq; faciendis, ingenti ſumptu exhauriretur: Dilectum verò filium noſtrum Gabrielē tit. SS. Ioan. & Pauli presbyterum Card. Palæotum vocatū Bonon. eccleſiæ præſulem, ſimili de cauſa motum, & ad parcēdum maximè grauibus impenſis, quæ in pompa funeris deducenda, mortuorumque exequijs celebrandis, in eadem ciuitate fiebant, aliqua conſtituiſſe, & ordinaſſe, prout in eorum edictis; & ſuper illis confectis publicis ſcripturis latiùs explicatur. Nos igitur, ne ciuitatum noſtrarum opes parùm vtilibus, & inanibus pompis conſumantur, cum illæ inter præcipua ciuitatum commoda enumerentur, prouidere volentes, ac dictorum edictorum ſeu ſtatutorum ſeriē, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererētur, pro ſufficienter expreſſis habentes: Motu proprio, & ex certa ſcientia: omnia, & ſingula in dictis edictis, & ſtatutis, etiam quoad pœnas per cōtrafacientes incurrendas contenta, apoſtolica auctoritate approbamus, & confirmamus, illiſque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis, tamquam ad publicam vtilitatem editis, robur adiicimus; ſupplentes omnes, & ſingulos iuris, & facti defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem. Mandantes omnibus & ſingulis pro tempore ſedis apoſtolicæ de latere Legatis, Vicelegatis, & Gubernatoribus, ceteriſque ad quos ſpectat, vt edicta prædicta, & in eis cōtenta quæcunq;, præſentium noſtrarum literarum maxime auctoritate ſuffulti, ab omnibus cuiuſcunque dignitatis gradus, & nobilitatis exiſtentibus, omnino obſeruari faciant. Decernētes præſentes literas, & in eis contenta quæcumq;, nullo vnquam tempore de ſubreptionis, & obreptionis vitio, aut intentionis, vel alio quouis defectu notari, redargui, vel impugnari, ſed ſemper, validas, & efficaces exiſtere, ſuoſq; plenarios effectus ſortiri; ſicque per quoſcunq; iudices, & cōmiſſarios, ac S.R.E. Cardinales, necnon cauſarum palatij apoſto. Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quocūq; quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Contrariis quibuſcunque nō obſtantibus. Dat. Ro. apud S. Petrū. Sub annulo Piſcatoris. die 7. Ian. 1573. Pontificatus noſtri anno primo.

Cæſ. Glorierius.

Publicat. Bonon. die 13. Ian. 1573.

Apud acta Ludouici Aſteſani. Not. Cur. Archiep. Bononiæ.

ORDO SEV REFORMATIO

quorumdam abuſuum in funeralia introductorum poſt prædictæ pragmaticæ editionem, iuſſu Illuſtriſſ. Cardinalis Archiepiſcopi. die 28, Septemb. 1581. promulgata.

CVM Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D. Card. Palæotus Archiepiſcopus Bononiæ intellexerit, temporis progreſſu poſt editam à ſe Funeralium pragmaticam, plures abuſus in eam introductos fuiſſe, iuſſit eos diligenter inquiri, deque ijſdem admonitus, his inſuper nouis cōſtitutionibus, illis occurrendum eſſe exiſtimauit. Quare pręter ſupradictam pragmaticam, hæc etiam obſeruari præcipit omnibus, & ſingulis clericis ſecularibus, & regularibus, ſodalitatibus, locis piis, laicis, aliiſque omnibus cuiuſcunque gradus, & conditionis ij ſint, ſub pœnis, quæ in prædicta pragmatica continentur, aliiſque ipſius arbitrio reſeruatis.

Præcipitur itaq;, cum quiſpiam ex ciuibus Bonon. apt dioeceſanis extra ciuitatem, vel dioeceſim decedet, vt in nulla eccleſia, Aue Maria, pulſetur, niſi defunctus

defunctus eſſet in dignitate eccleſiaſtica, aut in magiſtratu conſtitutus, aut ex collēgio doctorum, vt in pragmatica habetur: atque hoc caſu affines, & hæredes defũcti, exequias celebrare poſsint in ea eccleſia, quæ ſibi magis placeat.

Cum aliquod ex Capitulis aut metropolitanæ eccleſiæ, aut collegiatæ s. Petronij iturum eſt ad aliquod funerale; animaduerrat, vt nõ admittantur clerici, qui ſaltem feſtis diebus ſuperpelliceis induti, eiſdẽ eccleſiis non inſeruiãt, ſintque ætatis idoneę, atque habitu decenti & clericali vtantur.

Cum experientia docear, ſæpiùs tumultus oriri ob confratrias, quæ ad funeralia inuitantur; mandamus, vt ſub ipſarum vexillis ad eas non accedanr, niſi qui in ijs deſcripti verè ſint, & frequentes ipſarum exercitationibus, & muneribus vacant; omneſque cõfratres operta facie procedant. neque prædictæ cõfraternitates plures tribus vicibus eos, qui feretrum portant mutare poſsint, niſi cum ob itineris longitudinẽ, à nobis licẽtiam obtinebunt, vt quarer etiam, & quinquies ſi opus ſit mutentur. Confratres verò ſint numero 60. neque excedant: quòd ſi defunctus erit in dignitate eccleſiaſtica, aut in magiſtratu conſtitutus, aliquaſquè alias præeminẽntias habeat; conceditur, vt centũ tantummodo eſſe poſſint. Atqui in pueris ad funeralia deducendis, ſeruent confratriæ regulas, & ſtatuta. ſi qua verò erit ipſarum, quæ ſtatuta non habeat: pueros non deducat, niſi quindecim annos nati ſint, iique in prædicto numero comprehendi debeanr.

Prætereа mandamus, vt in pòſterum neque hæredes defuncti, neque confratriæ, neque alii quicunque funeralium miniſtri inuitent muſicos, aut cantores, niſi cum aliqua vrgente cauſa à nobis licentiam obtinebunt: eoquę caſu muſici plures, quàm duodecim eſſe non poſſint: neque eo caſu tubis, buccinis, aliiſuè huiuſmodi inſtrumentis vtantur.

Quia verò ob multorum clericorum moram, tum ſecularium, tum regularium, ſiue confratriarum, qui ſtatis horis non adſunt ad defunctum efferendum, oritur non exigua confuſio, vt & ad noctem funus, contra pragmaticam protrahatur: quod nec decet eccleſiaſticas illas perſonas, quæ diutiùs expectanr. Ideo expreſſè præcipimus, vt omnes, & ſinguli ſtatis horis ſimul conuenire debeant, ſub ſuis quique vexillis, & crucibus, in locum vbi defunctus erit, vt ſepeliri poſſit ante vigeſimam quartam horam. Atque præcipimus etiam omnibus inuitatis, vt modeſte, & grauiter in hac ipſa actione ſe habentes, & deuotionem pręferentes in pſalmorum recitatione, aliiſque omnibus rebus: quamuis candelas habuerint, defuncti corpus vſque ad eccleſiam, vbi ſepeliendus eſt, comitari teneantur.

Item vt proſpiciatur abuſibus, qui accidũt in cæræ diſtributione; mandamus defuncti hæredibus, aliiſque miniſtris funeralium, ſiue exequiarum, vt in omnibus pragmaticæ pareant, ſub pœnis in eadem comminatis. tolerabitur tamen, vt cum crocei coloris cæra haberi non poſſit, quę ſufficiat, albã adhibeant.

Quòd ſi quis prædictæ pragmaticæ, Breui apoſtolico; & huic reformationi aliqua ex parte nõ parebit, ſciat ſe præter ſupradictas pœnas, aliis etiã noſtro arbitrio reſeruatis fore mulctandum, pro qualitate caſuum, & perſonarum delinquentium.

Dat. Bonon. in Archiep. Pal.
N. Vic. Gen.

COLLECTOR.

CVM in Viſitationibus diœceſis plures uanitates atq. abuſus reperti fuerint, in exequiarum ſiue funeraliũ celebratione, propterea Illuſtr. D. Card. Archiep. ut certiores huius chriſtiani ritus regulas in populis rudioribus conſtitueret, mandauit à cõgregatione Archipresbyterorum, & uiſitatorum, ea omnia diligenter diſcuti, & ſcripto tradi; quæ ab Amp. ſua Illuſtriſſ. poſtea etiam examinata & approbata, ut nemo ignorãtiæ excuſationem obijceret, in hanc quæ ſequitur formã, edi uoluit, quæ minutiores etiã quaſq; res ad parochos, populoſque rectius inſtruendos latè complecteretur.

ORDO
ſeruandus circa funeralia, exequias, & anniuerſaria mortuorum, in diœceſi Bononiæ.

QVAM accepta ſemper fuerit Deo creatori noſtro illorũ pietas, qui defunctos ritè ſepelire conſu euerunt, optimè teſtantur ſacræ literæ, & exempla ſanctorum hominum, qui hãc ob cauſam ab eccleſia magnopere commendantur; quæ iccirco non ſolũ hoc pietatis ópus inter cætera chriſtianæ charitatis officia referri voluit; verùm ex antiquisſima ſanctorum Patrum traditione plura ſtatuit, de conſecratione cœmeteriorum, de pſalmis, & orationibus dicendis, de comitatu ad ſepulturam, de luminaribus, de thure, alijſq; ritibus in eo obſeruandis. In quorum vſu, cum nonnihil inter ſe differre repertæ ſint eccleſiæ diœceſis Bononiæ, prout etiã ex viſitationibus perſonaliter habitis ab eodem Illuſtriſſ. Archiepiſcopo, & ex his quæ plebani, & viſitatores admonuerunt, ſatis conſtare potuit; varias enim ſuperſtitiones, quæ temporis lõgitudine in illis exortę ſunt, illis admiſcent; ideò de mandato eiuſdem Illuſtriſsimi Archiepiſcopi, hæc quæ ſequuntur, Curati diœceſis diligenter animaduertere, atque obſeruare debebunt.

Quid obſeruandum ſit, dum corpus defuncti in eadem domo eſt ubi diem ſuum obiit.

Monentur in primis parochi, vt ea qua maiori poterunt diligentia utantur, & ad præſcriptum ſuperiorum ordinũ Illuſtriſ. Archiepiſcopi, interſint cuilibet ex ſua parochia fideli morienti, ijſque omnibus pareant, quæ de ſacramento extremę vnctionis adminiſtrando ab eodem Illuſtriſſ. Archiepiſcopo ſunt mandata.

Poſtquam anima à corpore diſceſſit, dicit parochus ſequentes preces.

Subuenite ſancti Dei, occurrite Angeli Domini: ſuſcipientes animam eius: offerentes eã in conſpectu altisſimi.

℟. *Suſcipiat te Chriſtus qui uocauit te: & in ſinu Abrahæ Angeli deducant te.*

℣. *Suſcipientes animam &c.*

℟. *Requiem æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei.*

℣. *Offerentes eam &c.*

Kyrieeleiſon, Chriſteeleiſon, Kyrie eleiſon.

Pater noſter.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos à malo.*

℣. *Requiem æternam dona ei domine.*

℟. *Et lux perpetua luceat ei.*

℣. *A porta inferi.*

℟. *Erue Domine animam eius.*

℣. *Requieſcat in pace.*

℟. *Amen.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te ueniat.*

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oratio.

Oremus. *Tibi Domine commendamus animam famuli tui (uel famulæ tuæ) ut defunctus (uel defuncta) ſeculo tibi uiuat; & quæ per fragilitatem humanæ conuerſationis peccata commiſit: tu uenia miſericordisſimæ pietatis abſterge. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *amen.*

Oremus. *Commendamus tibi Domine animam famuli tui (uel famulæ tuæ) in manibus ſanctorum Abraham, Iſaac, & Iacob, & omnium Patriarcharum. Commendamus tibi Domine animam famuli tui (uel famulæ tuæ) in manibus ſanctorum Petri, & Pauli, & Ioannis, & omnium Apoſtolorum. Commendamus tibi Domine animam famuli tui (uel famulæ tuæ) in manibus ſanctorum Stephani, & Laurentij, & Blaſii: & omnium ſanctorum martyrum. Cõmendamus tibi Domina animã famuli (uel famulæ tuæ) in manibus ſanctorũ Silueſtri, Martini, & Petronij, & omniũ confeſſorũ. Cõmendamus*

tibi

tibi Domine animā famuli tui (vel famulæ tuæ) in manibus ſanctorū Benedicti, Egidij, Antonij, & omniū ſanctorum monachorum. Cōmēdamus tibi Domine animā famuli tui (vel famulæ tuæ) in manibus ſanctarum Virginum Mariæ matris Domini, Agnetis, Ceciliæ, & Catherinæ, & omnium Virginū tuarum. Commendamus in manus tuas Domine ſpiritum famuli tui (vel famulæ tuæ) ne princeps ei noceat tenebrarum; ſed tu Domine miſericorditer eum (vel eam) protegas in ſecula ſeculorum. ℟. *Amen.*

Et aſperget corpus aqua benedicta: quod precibus dictis ablui, & indui curabit, eo ſanè modo, quo in ſepulturam immittendum eſt.

Corpus deinde ſuper aliqua tabula, ſeu menſa, panno laneo, ſeu lineo, aut alio ſtraguli genere cooperta, prout vniuſcuiuſque opes erunt, modeſto tamen, deponetur: eique infra manus ſupra pectus ſignum Crucis ligneum, aut alterius materiæ, aut crucifixi imago aptabitur; quæ niſi domi ſit, ab eccleſia ſtatim omnino afferatur; cumque ob eccleſiæ diſtantiam, aut temporis qualitatem, tunc id fieri non poſſet: vtendum erit pagina aliqua, in qua crux deſignata ſit, aut cruce ex duobus lignis vtcunque colligatis effícta.

Accendantur duo intortitia, ſeu candelæ crocei coloris, niſi huius coloris copia ibi deſit: vnumque ad caput, & aliud ad pedes defuncti in duobus candelabris ſtatuatur.

Hæc autem intortitia ſocietas ſanctiſſimi Sacramenti poſtea accipiet, ſi hæredes defuncti pauperes non erunt. Si autem cæra haberi non poſſit, ſaltem lampades accenſæ teneantur: cum plurimùm deceat, vt chriſtianum cadauer, dum ſupra terram eſt, luminibus, quæ lumen æternum, qui Chriſtus eſt, præſignant, aſſocietur.

His peractis monito Parocho, ſi ipſe rebus ſupradictis omnibus præſtandis præſens eſſe fortaſſe non potuerit, campanæ ictibus ter Aue Maria pulſabitur: ita tamen vt breuiter pulſetur, & à ſigno ſalutationis Angelicæ, quod lōgius eſſe debet, aliquantulum differat.

Eo enim ſigno excitantur fideles ad genufiectendum, & Deum pro anima defuncti exorandum. Reliqua autem ſigna, quæ campanæ ictibus dari ſolent, omittantur: idemque non ſolum pro maribus, ſed etiam pro fœminis defunctis obſeruetur.

Si qui affines, aut conſanguinei erūt defuncti, qui ipſius obitum ignorent, illum ipſis Parochus denunciet, vt pro ipſius anima Deum orent: atque, vt par eſt, cadauer ad ſepulturam cum deuotione comitentur.

Parochus per ſchedulam affixam cruci, quæ ad oſtium eccleſiæ apponetur, manifeſtabit defuncti nomen, & ſepulturæ locum, & horam qua erit ſepeliendus. atquè eum ſacerdotum numerum inuitabit, quem defuncti hæredes poſtulabunt: idquè tempus funeri præfigatur, quod ſufficiat, vt ſuper defuncti corpus, quemadmodum antiquo, ſanctiſſimoq; ritu fieri conſueuit, totū officium defunctorum recitetur, ſacerdoteſque opportunè ad ſuas eccleſias reuerti poſſint.

De ratione ſeruanda in deferendo defuncti corpore ad ſepulturam.

SACERDOTES inuitati ad eccleſiam ſe conferent. & appropinquante funeris hora, campanæ iterùm ſignum dabitur, vt populus conueniat. tum cruce præcedente, procedent clerici, & ſacerdotes ſuperpelliceo induti, & pileo clericali: neque galerum ferant, niſi pluuia, aut alia incommoditas vrgeat: poſt hos populus ſubſequetur, priùs mares. poſt fœminæ deuote incedentes, & coronas in manibus habentes: in eoquè itinere, & comitatu Deum exorent pro defuncti, vel defunctæ illius anima, ſeque idem mortis iter breui proſecuturos eſſe meminerint. illud verò præcipue animaduertatur à Parocho, ne efferatur ad ſepulturam defunctus ante ortum, aut poſt occaſum ſolis; & poſt ipſius expirationem

per

per id tempotis ſpatium expectetur, ob varios caſus, qui accidere poſſunt, quo illum verè defunctum eſſe conſtet.

Poſtquam ſacerdotes, & reliquus comitatus appropinquauerint domui defuncti, mittat Parochus aliquem virum aliqua auctoritate præditum, qui prudenter iubeat, lugentes, & exclamantes ſilere, ne Sacerdotum officia ſacra impediantur. ingreſſus poſtea Parochus, & alij ſacerdotes, dicent Reſponſorium cum oratione pro defuncto, iuxta Rituale, ſuper defuncti corpore, antequàm illud domo efferatur.

Pietatis officium eſt veteri, ſanctaque conſuetudine approbatum, vt defunctorum corpora ab ipſis hominibus deferantur. atque ideo cauendum, ne huiuſmodi pius vſus aboleatur, ſed poſito cadauere in feretro, quod aliquo panno, aut linteo contegatur, hominum humeris ad eccleſiam feratur: exceptis tamen illis locis, in quibus ob viarum difficultatem, aut alia incommoda id perfici non poſſet. Laici tamen laicos portent, & clerici clericos, ſimiliterquè ſacerdotes tantummodo à Sacerdotibus efferantur: hócquè charitatis munere vnuſquiſque libenter, & in charitate Chriſti Domini fungatur.

Si defuncti heredes non inopes erunt, de proprio ceram, atque alia ad funerale pertinentia portabunt. Si inopes omnino erunt, duo intortitia accommodabit ijs ſocietas Sacramenti: quorum alterum ad caput, alterum ad pedes cadaueris accenſum ſit, donec ſepeliatur: quibus etiam ad defunctum efferendum vtentur, excepto caſu, quo imber aut tempeſtas aliqua oborire tur: nam tunc laterna ſufficiet, ſi intortitia ferri non poſſunt.

In efferendo defunctum ad ſepulturam crux præcedet, poſtea clerici, alijq. ſacerdotes, tum laterna, aut intortitia circa cadauer, & cadauer ipſum ab hominibus, vt ſupra dictum eſt, delatum: poſt cadauer proſequentur funus vſque ad eccleſiam affines defuncti, alijque: & homines præcedent mulieres ipſas.

Dum diſceditur à defuncti domo, incipient ſacerdotes, & clerici laudes pro defunctis: eas canentes eo mœſto tono, quo eccleſia vtitur, aut deuotè alta voce ſine cantu pronunciantes: quibus abſolutis, ſi tempus erit, dicent pſalmos graduales, quibus in fine addet *Requiem æternam*.

Curabit Parochus, vt in numero intortitiorum, & candelarum, & aliarum huiuſmodi rerum ad funeris pompam ſpectantium, non excedatur quantitas, quæ conuenire magis videbitur, & in diœceſi Bononienſi adhiberi ſolita eſt. neuè quouis caſu diuitiarum defuncti, aut hæredum immutetur; ſed tunc parendum erit prouiſioni funeralium factę in ciuitate ipſa Bononiæ, & à Gregorio XIII. fel. rec. per Breue confirmatæ.

Quid agendum ſit, poſtquam corpus defuncti ad Eccleſiam delatum eſt, ut ſepeliatur.

POſtquàm defuncti corpus ad eccleſiam delatum erit, in ipſius medio, & in loco iam parato, & aliquantulum elato, cum duobus, aut quatuor ad ſummum intortitijs ſiue luminibus conſiſtetur.

Tunc ſacerdotes & clerici, ad chorum ſeſe conferent, vbi dicent matutinum mortuorum, & canent ſaltem primum nocturnum, ſi tempus feret. quòd ſi non feret, reliqua duo nocturna ſine cantu recitabunt, dumquè celebratur officium hoc, ſi matutinum tempus erit Miſſæ plures dicentur, vt ſacerdotes interim expediantur, & populus maiori deuotione officio interſit.

Abſolutis nocturnis cantabitur Miſſa: & ſacerdotes collectæ tempore geneflecteni omnes, ad præſcriptum Miſſalis Romani.

Vbi ſolet aliqua oblatio eleemoſynarum colligi à defuncti cōſanguineis, id tolerari poterit, dummodo id modeſte fiat, neque ſacerdos celebrans ab altari diſcedat.

Dicta præfatione, ſi videbitur, ſacerdotes canere poterunt Litanias, ſeu ſi nume-

numerus ad cantum non ſufficiat, eas alta voce recitabunt: ita tamen breuitati conſulentes, vt ex omnibus ſanctorum Ordinibus, duobus tantum inuocatis, verbi gratia *S. Petre, S. Paule. omnes SS. Apoſtoli, & euangeliſta &c.* & ſimiliter reliqua proſequantur vſque ad finem; cui breuitati icirco conſultum eſt, vt ſacerdos qui Miſſam cantat, cum peruenierit ad *Pater noſter*. non impediatur à cantoribus.

Peracta Miſſæ celebratione, Sacerdos qui celebrauit, depoſita planeta, ſumet pluuiale nigrum, aut violaceum: quod ſi non aderit, ſine planeta, indutus alba, amictu, ſtola, & manipulo, ab altari vnà cum Sacerdotibus, & clericis cum thuribulo, nauicula, uaſe aquæ benedictæ, quæ deferant clerici; omneſ què candelam accenſam in manibus geſtent, ad corpus defuncti accedet, dicentque vnà inter eundum *De profundis clamaui* &c. cum antiphona *Si iniquitates*, quam ipſe Sacerdos, qui celebrauit intonet: cumque ad corpus peruenerint, circumſtent omnes de more, dicatque Sacerdos. *Non intres in iudicium* &c. aſpergatque corpus aqua benedicta, & thurificet, vt habetur in Rituali.

Pòſt hæc deferetur corpus ad ſepulturam, ſiue ea ſit in eccleſia, ſiue in cæmeterio, ibique deponetur ſine ſtrepitu, & tumultu: ſed ea religione, & pietate, quæ chriſtiano huic ſancto ritui congrua eſt.

Parochi caueant, ne in eccleſijs habeant venales ſepulturas: curabuntque vt pauperes miſerabiles gratis ſepeliantur: atque illi eleemoſynæ acquieſcant, quæ ſibi dabitur, iuxta conſtitutiones Archiepiſcopales, nihilq. vlterius quærant. eleemoſynæ verò non in eccleſia diſtribuantur, ſed alibi, ad rumores, ſeu ſtrepitus vitandos.

Depoſito corpore, reuertentur omnes eodem ordine ad altare, dicentes, *De profundis*, & orationem pro ſacerdotibus, & benefactoribus defunctis. Poſtea impoſito ſilentio, & omnibus ſedentibus, Parochus ſermonem breuem habebit populo. atque vti poterit, ſi videbitur eo libello, qui iuſſu Illuſtriſſimi D. Archiepiſcopi editus eſt; in quo habentur ſermones funerales ad id apti, & hanc ob cauſam confecti: vt faciliùs aliquid in hac re dicere poſſit quilibet Parochus, ad excitandum in Chriſtifidelibus ea occaſione, deuotionem, ſpiritum, & timorem Domini. vbi autem ſermones haberi ſolent infra miſſarum ſolemnia, conſuetudinē locorum ſeruabit, & ſermonem intra Miſſam habebit.

Si funus ducendum erit à prandio, idem omnino qui ſupradictus eſt, ordo ſeruabitur: exceptis ijs, quæ ad Miſſam attinent.

A prandio verò in ijs eccleſijs, quæ pluuiali ad funus apto carebunt, Sacerdos qui officium faciet, induet ſuperpelliceum, & deſuper ſtolam: & dicentur tria nocturna officij mortuorum, ſaltem recitando, ſi cani non poſſent; & ſermo in fine habeatur, & reliqua omnia perficiantur, vt ſupra dictum eſt.

Alia quædam in exequiis, & in anniuerſariis ſeruanda.

Officia mortuorum nunquam celebrentur diebus feſtis, neque poſt elapſam tertiam dominicam Quadrageſimæ vſque ad tempus paſchale. Septimæ verò ſi faciendæ erunt, fiant intra tres, ſeptem, aut ad ſummum quindecim dies, prout in ciuitate cõſuetum eſt.

Eo die, quo officium mortuorum dicendum erit, poſtquam ſacerdotes in chorum conuenerint cum ſuperpelliceis vt ſupra, canent nocturnum feriæ currentis, ommittentes inuitatorium *Regem cui omnia viuunt* &c. & pſalm. *Venite exultemus:* ſed ab ipſa antiphona ſupradicti nocturni incipient.

Dicto nocturno, celebrabitur Miſſa ſolemniter, & breuis habeatur ſermo ante offertorium, vt ſupra dictum eſt, prout populi frequentia, & temporis commodum requiret: tum clerici, & ſacerdotes omnes candelam in manibus accenſam ferentes, & pſalmum *De profundis* &c. dicentes, ad locum pro exequijs in media eccleſia paratum procedent

cedent, aut ad ſepulturam ipſam, vbi ſint duo luminaria ad minus, ſiue ad ſummum quatuor accenſa. ibique conſiſtent, thuribulo, nauicula, & vaſe aquæ benedictæ paratis vt ſupra.

Sacerdos qui celebrauit indutus nigro pluuiali ſi aderit, de more vnà cum alijs ſacerdotibus, poſtquam concinerint vnum Reſpōſorium mortuorum ad libitum, aſpergent aqua benedicta tumulum, & thurificabunt. poſtea ſacerdos dicet alta voce *Pater noſter*, reliquum ſummiſſa voce proſequentur omnes vſque ad *& ne nos inducas* &c. ceteraq. omnino peraget, quæ habentur in ſacerdotali: concludens omnia hoc modo *Requieſcant in pace*. Et ceteri reſpondebunt. *Amen*.

Dum in chorum redeunt, dicent Iterum *De profundis* &c. vt ſupra dictum eſt de exequijs ipſi cadaueri faciendis; nemo autem exequiarum tempore ex ſacerdotibus, aut clericis diſcedat, niſi aliqua neceſſitate adductus: atque eo caſu facultatem diſcedendi petat à Plebano aut Viſitatore ſi aderunt: ſi verò vtrique abetunt, à Parocho ipſo loci, vbi officium celebratur.

Plurimum deceret, vt ſacerdotes & clerici eo die, quo officiū celebratur, ab eorum charitate, quorū nomine fit anniuerſarium quodammodo cogerētur ad ſe, ipſorum ſumptu, corporali cibo reficiendum. in ædibus tamen canonicalibus ſeu Parochi, non alibi, ſi id accidat prandere debebunt, quòd ſi exequiarū patroni faciliùs adducantur ad id agendum in proprijs domibus, vt ſacerdotū illo comitatu, affines, alijque ſolatio in Domino afficiantur, non prohibetur: ea tamen modeſtia vtantur omnes, & præſertim eccleſiaſtici, quæ decet locum, congruit perſonis, quç ab iis exemplum ſumere debent, & eſt conſentanea memoriæ mortuorum, quam paulò ante recoluerunt; atque iccirco curent, vt menſæ benedicatur, vt clericus aliquis legat librum aliquem ſpiritualem, ab initio prandii vſque ad finem, neque poſt prandium habeantur colloquia niſi de rebus ſpiritualibus, hoc eſt de breuitate vitæ, de vanitate mundi huius, de ratione rectè viuendi, & ſimilibus, prout magis expedire videbitur.

Quilibet verò ſacerdos modeſtè accipiat illam eleemoſynam, quæ à prædictis exequiarum patronis ſibi aſſignabitur: & quamuis exigua ſit, taceat: & verbis, & factis exemplum, atque ædificationem illis relinquere ſtudeat.

Si in alio diœceſis loco, alius ritus exequiarum erit ab hoc ordine diuerſus, qui tamen laudabilis ſit, & ſi nunc prohiberetur, populum perturbare poſſet; Parochus adhibito Plebani cōſilio, de eo Illuſtriſſimum Archiepiſcopum admonere debebit, qui huiuſmodi ritus qualitate cognita, decernet quod in Domino ad gregis ſui ſalutem magis proficere arbitrabitur.

Sequuntur quidam abuſus & ſuperſtitiones ab Archipresbyteris, & Viſitatoribus delati, in quos populi rudiores diœceſis incidunt: quiquè ideo hic collecti ſunt, vt Parochi in concionibus, & in confeſſionibus pro viribus, illos prohibere, atque arcere conentur.

NE iugum ſuper infirmo agonizāte ponatur, aut tecta domus aperiantur, vt faciliùs expiret.

Ne ſub eiuſdem agonizantis capite, duo, tres, aut plures lapilli abſcondantur: cum confeſſus fortaſſe fuerit, ſe toto vitæ ſuæ tempore totidem confinium terminos amouiſſe.

Ne ſigna, quæ pro defunctis, campana dari ſolent, differant: ſiue defunctus ſit mas, ſiue fœmina: ſed tam pro mari, quàm pro fœmina eadem dentur.

Ne exiſtiment opus eſſe, vt ad inuitādos conſanguineos, ſeu aliós ad funus proſequendum, mittantur duo ſimul, non autem vnus ſufficiat, ea ſuperſtitione adducti, ne ſcilicet ſi vnus mittatur tantùm, aliquis in eadem domo eo anno ſit moriturus: neque præterea ſi vnus

mittatur

mittatur illi panis vllus dandus erit.

Ne paſchali cæreo vtantur, vt ardeat ad caput defuncti dum domi eſt.

Ne prohibeant Crucem in defuncti domum inferri, eo etiam inani timore adducti, ne aliquis eo anno in eadem domo moriatur.

Ne obſtrepant manibus, clamoſoſque gemitus emittant: neque domi, neque in eccleſia pheretrum indignè circundantes, & multa ridicula circumſtantibus narrantes.

Ne funiculum alligent pheretro, aut defuncti ipſius pedi, vt qui conueniunt pro ipſius anima *Pater noſter & Aue Maria* recitent, quæ nodis funiculo adiectis numerant, & ſignant, atque dum in ſepulturam mittitur defunctus, ſuper ipſius corpore eundem funiculum reponunt, totumq. illud ſpirituale auxilium ab eo defuncto ſecum afferri dicunt.

Ne ſenior, aut propinquior affinis extinguat lumen, quod ad caput defuncti eſſe ſolet: illud inaniter arbitrans, eo anno hac ratione neminem alium in ea domo eſſe moriturum.

Ne candelæ plures pheretro, aut alibi accenſæ affigantur: ſed eo tantum, qui ſupradictus eſt honore, cadauer afficiatur.

Ne cum cadauer domo effertur, aut in ipſa eccleſia, dum ſepeliri debet, illud candelis accenſis mares, & fœminæ affines, & conſanguinei ſignent, aut vnus eorum communi nomine; neuè mulieres domi, mares verò in Eccleſia id faciant.

Ne cum cadauer ob eccleſiæ diſtantiam curru vehendum eſt, boues quanti valeant priùs æſtimentur, ne macreſcãt; neuè mulieribus ſolùm, non autem maribus hanc ob cauſam ipſius cuſtodia aſſignetur.

Ne poſtquàm cadauer ad ſepulturam delatum fuerit, defuncti lectum in quatuor angulis lauent, ab eoquè plumas aliquas extrahant.

Ne pecuniæ loco in eccleſia ad eleemoſynam Parochi fabas diſtribuant, quamuis poſtea pecuniam etiam erogent.

Ne in ingreſſu, aut egreſſu eccleſiæ, portas, aut vias etiã affines commutent: per eadem qua ingreſſus eſt defunctus, egrediẽdum ſibi non eſſe exiſtimantes.

Ne ſuper defuncti ſepulturã ligones, aliauè ruſtica inſtrumenta in modum crucis ponant.

Ne in ipſo ſepeliendi actu ſuper defuncti corpus terram emittant ea cogitatione, vt eo anno non moriantur, aut timores nocturnos effugiant, aut ipſius defuncti obliuiſcantur.

Ne mulier ſanguine propinquior defuncto, in offertorio Miſſæ, ſacerdoti celebranti, aut altari ipſi offerat ciſtellam, in qua ſeptem panes, ſeptẽm candelæ ſeptem denarij ſtultè poni ſolent.

Ne affines eccleſiam adire recuſent ante ſeptimas, nam ipſæ ad multos dies interdum prorógantur.

Ne affines dum ſeptimarum officium celebratur, in eccleſia ſedeant, quamuis ſacerdotes genuflectant ad collectam, & ſtent ad euangelium: ſed ipſis etiam eſt genuflectendum, & ſtandũ eſt pro vt in Miſſalis rubricis continetur.

Deniq. ſi alii abuſus, aut indecentiæ, ſeu ſuperſtitiones, quæ hic non deſcribuntur, alicubi eſſent, aut in poſterum naſceerẽtur; Parochi, aut Plebani de omnibus iis Illuſtriſſ. D. Archiepiſc. admonebunt, vt ab ipſo in iis extirpandis opportuna remedia adhiberi poſſint.

Dat. Bonon. in Archiep. Palatio.

N. Vic. Gener. de mandato.

COLLECTOR. *EDITVS eſt ab Illuſtriſſ. Archiep. paſtorali cura libellus ad vſum Parochorum, in quo collecta ſunt exempla plura Inſtructionum, ſeu monitionum, quas ipſi populo in exequiarum celebratione, præbere debent; horum aliquot, perſonis Parochorum ad captum populorum ſuorum accommodatos, ſimplices potius, ac pios, non ſubtiliter elaboratos, vt eò vtiliores eſſent, hic inſerimus, ne libellum integrum afferremus, ne ve illa prætereuntes, collectionis huius operi ex hac parte defuiſſe videremur.*

Exem-

Exemplum primum

Monitionũ habẽdarum in Funeralib.

Quomodo excuſari poſsit, qui propinquorum, aliorumq. quos diligit, mortem dolet.

NEgari minimè poteſt, chariſſimi, triſte, & lugubre admodum ſpectaculum illud eſſe, cum cadauer intuemur exangue, immobile, fœtidum, eſcamque paulo poſt vermibus futurum, quod paulo ante animatum, nobile, agile, & ad omnia operanda idoneum videbamus. Quare non ea ſeueritate vobiſcum agimus, vt peccato, aut vitio, hos animi motus veſtros, ſenſuſq. adſcribamus; homines enim ſumus, & ab humana natura, & dolor, & lachrymæ proficiſcuntur; cuius rei nobis exẽplo ſunt plures ſanctiſſimi viri, quos in ſacris literis, amicorum, & propinquorũ mortem doluiſſe, & ploraſſe legimus. Verùm ſanè admonitos vos eſſe volumus, dolore, & lachrymis, moderationis & chriſtianæ diſciplinæ modum excedentibus, non exiguam culpæ, & vituperationis notam inuri. nam aliter ſe gerere debet chriſtianus vir, qui gratiæ ſpiritũ habet, aliter infidelis, qui naturali tantũ lumine illuſtratur. Quare s. Paulus ad Theſſalon. ſcribens dixit. *Nolo vos ignorare de dormientibus, vt non contriſtemini, ſicut & ceteri, qui ſpem non habent.* Quibus verbis, non accuſat Apoſtolus mode ratũ luctum, ſed immoderatũ; illorũ ſcilicet qui Ethnicorum more, certa reſurrectionis mortuorũ fide carentiũ, quaſi eorum, quos deplorant animæ vnà cum corporibus moriantur, & deſperata ſit omnis futuræ ſalutis expectatio, tundũt pectora, genas laniant, crines ſcindunt, vlulatibus, vocibuſque infandis aures omniũ implent. Ea verò omnia, & in antiqua præſertim lege prohibebantur, & apud chriſtianos, iis chriſtianæ pietatis officiis maxime repugnãt, quæ debẽtur propinquis, & amicis, qui ſic Deo volente, in cuius manu eſt vita, & mors, ab hac vita ad aliam emigrarunt, vbi bono rum operũ ſuorum præmia reportabũt.

Nolite igitur Chriſtiani viri, amplius plorare, ob huius chariſſimi veſtri mortẽ, ſicut & ceteri, qui ſpem non habẽt. ſi enim ſperatis illum in die nouiſſimo ſurrecturum, & viſurũ Deum Saluatorẽ noſtrũ, eiuſq. miſericordia iuuante ſempiterna gloria fruiturũ: non ſolũ vobis lachrymæ cohibẽdæ ſunt, ſed potiùs lætãdum, quòd ex hac lachrymarũ valle, ex hoc tetro carcere, vbi nulla quies, vbi nulla tranquillitas, ſed perpetui dolores, vt experimini, in dies ſuccedunt, ſanctis eccleſiæ ſacramentis armatus, oleoq. ſancto vnctus, quod reliquum, ſi quid erat, peccatorũ pondus ademit, à vobis etiam ſacris Miſſarũ officiis adiutus deceſſerit, & ad portũ ad quem omnes tendimus, in hac mortali peregrinatione præcurſor noſter peruenerit. Agite igitur diuinæ maieſtati gratias, & dicite. *Sicut Domino placuit, ita factum eſt. Sit nomen Domini benedictũ. Fiat voluntas tua Domine ſicut in cælo & in terra.* Quia verò mirabilia iudicia Dei mortales ignoramus, ne ſcimuſq. an huius defuncti anima in Purgatorij igne alicuius peccati pœnã ſolutura ſit, oremus Deũ Dominũ noſtrum, non ſolum hodie, ſed quotidie, vt faciat illi ſecundum multitudinẽ miſerationum ſuarum, eamq. ab iis pœnis liberatam, in æternam gloriam introducere dignetur. Amen.

Exemplum ſecundum

Quod nobis lætandum potius ſit, quam dolendum ob mortem amicorum noſtrorum.

SI pia mente, eaquè charitate, quæ verè Chriſtianũ virum decet, de morte cogitarent mortales homines, proculdubio in ipſius cogitatione, atque adeo in hoc ipſo defuncti intuitu, à lachrymis, & lamẽtis abſtinerent, & dolorẽ omnem cũ ſpirituali lętitia commutarent. Mors enim nihil aliud eſt, niſi à ſeruitute, ab exilio, à carcere, à cathenis, à morte ipſa liberatio: dum qui moritur, in Domino moriatur.

riatur. Verùm dira, & truculenta mors videtur ijs, qui contemplationis oculos nunquam ad cælum eleuant; ſed brutorum more, cæci in terreno hoc caducarum voluptatum cœno voluntantur; quos ethnicis illis potiùs ſimiles eſſe exiſtimandum eſt, qui animam mortalem eſſe affirmabant, quàm dignos, qui Chriſtiano nomine appellētur: cum ſe credere oſtendant, poſt hanc mortalem vitam, nullā aliam à Deo nobis eſſe conſtitutam; ſed tantum his temporalibus bonis definiri, ac terminari. Ex ethnicis tamen multi ſapientes altiùs ſe attollentes, dum hominis ſtatum conſiderarent, naturali quadam ratione adducti, naſcente homine plorabant, moriente gaudebant. Quæ quidem res quamuis aliquam inhumanitatis ſpeciem, & naturæ ipſi repugnantem conditionem præſeferre videatur; nihilominus neque à natura, neque à Chriſtiana diſciplina, & ſacris eccleſiæ cæremoniis longe abeſt. Nam vix in auras haſce editi ſumus, cum lachrymæ ante omnia, vagitus, & plurima alia incommoda nobis præſtò ſunt, loco riſus, & lætitiæ. ex quo patet non ad vitam naſci nos, ſed ad mortem: cum curriculum hoc, quod nos vitam appellamus, ad mortem continuò, tanquam ad metam dirigatur, omnium laborum, & miſeriarum genere cumulatiſſimum: Quòd autem ſancta eccleſia lætetur in morte fidelium, indicant dies feſti in honorem ſanctorum inſtituti; quibus edocemur, non in ingreſſu vitæ mortalis noſtræ: ſed in egreſſu, ad æternam gloriæ poſſeſſionem adipiſcendam, vitam noſtram eſſe conſtitutam. Quod paucis verbis Salomon oſtendit dicens. *Melior eſt dies mortis, quàm dies natiuitatis.* Et S. Ioannes Apoſt. *Beatos mortuos appellat, qui in Domino moriuntur.* Neque iccirco mirum eſt ſi s. Propheta Dauid conquerebatur ijs verbis. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt.* Atque ita etiam Apoſtolus Paulus. *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Plurima ſunt exempla, quæ huc afferre poſſemus, etiā Ethnicorū: ex quibus in morte fidelium nobis in Domino lætandum potiùs, quàm dolendum agnoſceretis. Sed video lachrymas veſtras, Dei gratia mediante, ſtetiſſe, & gemitus compreſſos eſſe. Nā noſcitis certè, chariſſimi, quod nam noſtrum munus ſit in defuncti memoria: illa præſertim dulciſſima, & lætiſſima Chriſti Domini noſtri voce moniti: qui vt conſolaretur nos in doloribus noſtris, cum mors accidit propinquorum, aut amicorum, dicebat viduæ illi Naim. *Noli flere, noli flere.* Quis verò ab hac conſolatione certa gaudia non expectet, cum à veritatis ore proficiſcatur, & à Domino dominantium, noſtroque ipſo Redemptore ſit prolata? Non igitur triſtari debetis, chariſſimi, cum quis veſtrùm diem ſuum obit Chriſtianis præſidijs munitus: Confeſſionis, & Communionis ſacramentis refectus: Oleo ſancto roboratus. Nam huiuſmodi tranſitus, eſt à morte ad vitam, à tenebris ad lucem, ab exilio ad patriam, à peregrinatione ad portum: & demum ab aſſiduis, quibus vndique cingimur procellis, periculiſque, ad æternam tranquillitatem, & ſecuritatem. Cum autem iuxta fidei Chriſtianæ documenta fieri poſſit, vt anima adhuc purgari magis debeat, vt quaſi aurum igne examinatum ab omni labe omnino mundata ad cælum aſcendat: Compatimini, & lætamini in Domino: illum aſſidue rogantes, vt defuncti ipſius animam, meritis Paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, in æternis gaudijs ſuſcipere dignetur. Amen.

Exemplum tertium

Qua ratione poſſumus, & debemus defunctorum animas adiuuare.

ILLVD præcipuum natura ſic dictante homines propriū habent, vt ijs humanis miſerijs potiſſimū compatiantur, quas ſibi etiam communes eſſe intelligunt:

cunque mors inter cetera, hominum ſit maxime propria, dicente Apoſtolo, *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori*. Quis adeo inhumanus, feruſq. erit, vt defunctis pro viribus ſuffragari non ſtudeat, vt ipſe etiam Deo iuuante, quod auxilium viuens præſtat, in eodem caſu defunctus aſſequatur.

Quatuor ſunt ea, quibus defunctis magno auxilio eſſe poſſumus, in conſpectu Dei acceptiſſima, atque in ſacris literis nobis manifeſtata,

Primum eſt, vt ipſorum corpora ſepeliamus: eaque ad ſepulturam comitemur, eo ritu, qui à ſancta eccleſia præſcribitur. Ita etiam admonebat Ezechiel ille .s. Propheta. *Fili in mortuum produc lachrymas, nec deſpicias ſepulturam illius.* Quaſi verò illud dicere voluerit: lachrymæ tuæ ſuper defunctũ temperatæ ſint & modeſtæ: atque in eo ſepeliẽdo Chriſtianæ pietatis adhibe officium, quod quidem quàm gratum ſit diuinæ Maieſtati, legimus in Thobia, vbi Angelus ita ait, *Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Vnde colligitur hinc potiſſimum factum eſſe, vt à Dei benignitate tot gratiarum muneribus ditaretur. Non igitur Chriſtiano viro derelinquendũ eſt huiuſmodi charitatis, & præcipuæ pietatis officium mortuos ſepeliendi, eoſque ad ſepulturam deducendi: ſed illud potius omni ſtudio amplectendum eſt.

Alterum caput, quo fidelibus defunctis auxilio eſſe poſſumus, ad ea pertinet, quibus maximè indigent illorũ animæ, quæ in purgatorio igne detinentur. Id verò ſanctę Indulgentię præſtant, quę inter precioſos theſauros computantur, qui à ſanguine Chriſti ad nos emanarũt cum ipſius Domini noſtri, ſanctorumque ſuorum merita in ipſis efficiant veluti eccleſię ſuæ ſponſę dotẽ ditiſſimã, & ſupellectilem copioſiſſimam, ab auctoritate ſummi Pontificis fidelibus applicata.

Tertiũ eſt eleemoſyna, quam ex noſtris propriis rebus, aut pecunijs, boniſque, debita ratione acquiſitis exhibemus: & cũ ab ipſis defunctis, legato, aut teſtamento mandata eſt. nã ſtatim vnuſquiſque vir timẽs Deũ, eam ad ipſorum beneficiũ erogare tenetur. Hoc exemplũ eſt fortiſſimi illius Ducis Machabęi qui collatione facta xij. millia drachmas argẽti miſit Hieroſolymã offerri ꝓ peccatis mortuorũ ſacrificium. Hinc diſcãt omnes eleemoſyna defunctos iuuari: & præter auxiliũ, quod per eam pauperibus impertitur, peccata etiam, ſicuti ignis ardens aqua extinguitur, per illam deleri crimina reprimi, & talibus hoſtijs Deum promereri.

Poſtremũ eſt oratio ſancta, quæ, vt ait D. Auguſt. tantæ eſt efficaciæ, vt vel omnẽ penitus pœnam deleat animarum in Purgatorio exiſtentiũ, aut ſaltẽ minuat, vt faciliùs ferri poſsit. præcipua verò eſt illa, quæ in ſancto miſſæ ſacrificio Deo offertur, de quo tam multa mirabilia à ſanctis Doctoribus ſcribuntur: & inter cetera refert s. Gregor. in Dialogis, animam defũcti monachi poſt Miſſæ ſacrificiũ oblatum, ſtatim à Purgatorij pœnis liberatam, & glorioſam apparuiſſe.

Vnuſquiſque igitur veſtrum, chariſſimi ſollicitè de defũctorum hoc auxilio laboret; non ſolũ charitatis ratione, ſed etiam propriæ vtilitatis; nam animæ illę poſtquam veſtris piis officijs, indulgentiis, eleemoſynis, orationibus ad cælum euolauerint: ibi pro vobis Deum Dominum noſtrũ aſſidue exorabunt, qui liberet vos ab omni malo, & omne bonũ tribuat vobis in cæleſti patria. Amen.

Exemplum quartum

De duplici morte animæ, & corporis. Et quod deflenda nobis eſt mors animæ potius, quã corporis.

MORS, quæ nil aliud eſt, niſi animæ à corpore diſceſſus, & ſeiunctio; primo aſpectu terra videtur, atque horribilis, vt ipſi etiam in hoc exanimi cadauere contemplari poſſumus, chariſsimi, quod nonniſi metum omnibus incutit, cum quale

nunc

nunc illud eſt, tales nos futuros eſſe prænunciet, & admoneat. Hæc tamen, quam aſpicimus, mors eſt corporis; neque verò ob mortem animæ, quæ longè præſtat corpore, vnquam per turbamur, & timemus. nam & ipſa anima peccati cauſa miſere moritur: cum turpitudinis, & deformitatis aſpectum præſeferens, à quo diuini oculi præſertim abhorrent: omnem pulchritudinem per peccatum amiſit: omnemque diuinæ gratiæ ornatum, quæ ipſa vita eſt, & ipſa pulchritudo. Quòd ſi hiſce oculis mortuam animam intueri nobis liceret, quemadmodum mortuum corpus aſpicimus: obſtuperemus, horreremus, & lachrymarum fonte maderemus, nihil eſt extincto corpore oculis noſtris flebilius: nihil eſt extincta anima horribilius. Illud & ſi dolentes mortales aſpiciamus, ab Angelis tamē, & à Deo, cum inter electos eſt anima, ſumma lætitia aſpicitur. Ab hac & Deus ipſe, & Angeli, & ſancti, ipſiq. iuſti omnes auertunt oculos, tanquam à rerum omnium turpiſſima, & fœtidiſſima. Itaque vtraq. mors corporis, atque animæ horribilis eſt; ſed multo horribilior animæ, quàm corporis; cum præſertim à peccato veniat, quo nil turpius, nil triſtius, nil magis metuendum reperiri poteſt; ita vt etiā corporalis mortis cauſa extiterit, dicente Apoſtolo. *Per vnum hominem peccatum, & per peccatum mors.*

Si igitur tot lachrymis, gemitibus, fletibusque proſequimur corporis mortem; Quis dabit capiti noſtro aquam, & oculis noſtris fontem lachrymarum, & plorabimus die, ac nocte animæ mortē?

Hoc vnum reliquum eſt ſolatium, chariſſimi. Etenim mortuo corpore nullum eſt remedium vt reſurgat, niſi diuino miraculo, aut in die nouiſſimo carnis reſurrectionis. Nam inquit Apoſtolus; ſi *Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus:* ſed facilis, certaque medicina à Dei miſericordia animæ mortuæ in peccatis parata eſt, vt reſurgat, cum voluerit. hæc verò in ſanctis eccleſiæ ſacramentis verſatur, dum anima corpori eſt coniuncta; & præterea, defuncto etiam corpore, cum animæ, quæ in purgatorio igne patiuntur, non viuæ quodammodo appellari poſſint (cum beata vita, & gloria careant, toto eo tempore, quo pœnis illis ſunt addictę) ipſis etiam parata ſunt ſuffragia ad eas leuandas, & ad æternam vitam perducendas: quæ ſunt vigiliæ, ieiunia, peregrinationes, eleemoſynæ, orationes, Miſſarum celebrationes: cuius ſancti ſacrificij tanta vis eſt, vt nequaquam eam aſſequi mente poſſimus. Quare parcite lachrymis, chariſſimi, dum de corporis morte agitis, plorate autem cum de morte animæ cogitaris; & curate, vt vos viuentes anima præſertim in Dei gratia conſtituta, auxilia, & ſuffragia huiuſmodi defunctis veſtris impertiamini, ea fidè, quam beatus Iob profitebatur. *Scio quòd Redemptor meus viuit: & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum: & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum. Quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius, & oculi mei conſpecturi ſunt. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.*

Exemplum quintum

Quod mortem dolere non debeamus.

DEUS hominem creauit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam: illumque in hac lachrymarum valle eſſe voluit, nō vt in his fugacibus, & fragilibus creaturis ſuam ſpem collocaret, aut ſe hic tanquam in perpetua ſede futurum cogitaret. præſens enim ſeculum, vt ſacræ literæ teſtantur, finis noſter non eſt. Verùm, vt tanquam peregrinus, & aduena huius mortalis vitæ curriculum conficiat. nam, vt ait Apoſtolus, *Non habemus hic ciuitatem permanentem, ſed futuram inquirimus.* & alibi de iuſtis loquens. *Non eſtis* (inquit) *hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorū, & domeſtici Dei.* Itaque ſic illi peregrinandum eſt, vt hoc itinere ad ciuita-

tem permanentem perueniat, & animæ in illo felici tempore carnis Reſurrectionis, corporis ipſius gloriam acquirat. Hinc factum eſt, vt omnipotenti Deo placuerit (licet ij, qui in mundi fluxis delicijs ſunt inuoluti, aliter cæci ſentiant) aliquod tanquam mediũ concedere, ad æternam fœlicitatem aſſequendam, quod mors ipſa eſt: quæ ad inſtar pontis ſuper hoc humanarum miſeriarum rapidiſſimo torrente cxædificati, fidelibus iter præbet ab hoc locato domicilio, ad cæleſtem Hieruſalem. Nemini igitur, chariſſimi, dolendum eſt ob mortem amicorum, aut propinquorum, præſertim verò huius dilectiſſimi .N. cum per mortem ab hoc teterrimo carcere ad æternam vitam traducamur; imò verò mortem ipſam cum vita commutemus. Quòd ſi quieſcunt defuncti, quid nobis aliud plorandum eſt? *Modicum plora ſuper mortuum, quia requieſcit* Eccleſiaſtes dicit. & Ioannes Apoſtolus. *Amodo* (inquit) *iam dicit ſpiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis.*

Altera ratio eſt cur mortem dolere non debeamus, quia à Deo, qui vitæ, & mortis dominus eſt, cõſtituta fuit; à quo nil niſi bonũ proficiſci poteſt, quòd animabus noſtris vtile ſit, ipſi verò glorioſum. Summo enim beneficio nos affecit poſt primi illius parentis noſtri peccatum, cum nos morti ſubiecit; ueh enim nobis ſi immortales in hoc miſeriarum pelago permanſiſſemus: æternæ enim quoque erant hæ miſeriæ: æterna hæc mala, quibus vndique premimur, ſed pientiſſimus Dominus ſtatuit hominibus ſemel mori, vt æterna, & immortalia bona conſequeremur. hæc uoluntas Dei fuit, hæc miſericordia, eaque & ore & corde nobis pronuncianda ſunt, quæ beatus Iob dicebat: *Ita Domino placuit, ſic factum eſt. Sit nomen Domini benedictum.*

Alia etiam ratio eſt, quia mors omnibus uiuentibus eſt communis, dicente propheta. *Quis eſt homo qui uiuit, & non videbit mortem?* Quaſi uerò dicat nemo eſt qui uiuit, & non uidebit mortem. ſiue ille diues ſit, ſiue pauper & mendicus, ſiue nobilis, ſiue ignobilis: quinimo (mors ut ait poeta ille) licet ethnicus, qui idem agnoſcebat, æquo pulſat pede pauperum tabernas, Regumque turres.

Omnibus igitur moriendum eſt, chariſſimi. quid proſunt lachrimæ? quid ſingultus? quid gemitus? quid intenſus animi dolor? omnibus inquam moriendum eſt. Hoc animis veſtris ſtatutum proponite, nulla eſſe arma, nullas artes, quæ mortem uenientem impedire, aut retardare poſſint. Itaque quotieſcunque illa uenit, eam æquo animo, & à Deo accipite: dicentes cum Dauid, cum illi mors filij nunciaretur. *numquid potero eum reuocare amplius? ego vadam magis ad eum, ille verò non reuertetur ad me.* Quare lachrymarũ loco preces ad Deum effundite: ut cum uos etiam ibitis, illum in æterna gloria uiuentem reperiatis, eademque gloria ſimul fruamini in ſecula ſeculorum. Amen.

Exemplum ſextum

Quod lachrymæ pro peccatis effundendæ ſunt, non pro defunctis.

DVM uos deſlẽtes uideo, ueſtros queſtus audio, atque in ore, in oculis maximi doloris ſenſus, quo ob huius .N. dilecti amici ueſtri mortem affecti eſtis animaduerto; ego etiam humanæ conditionis, & naturæ particeps compatior, & doleo. Verùm cum ad Chriſtiani uiri munus animum adijcio, facere non poſſum quin uehementiùs doleam, atque in noſtram cœcitatem ardentiùs inueham; cum, his lachrymis, quas effundimus, cælo quodammodo uim inferre poſſimus, ut nobis aperiatur, eaſque in hunc uanum uſum adhibemus, & proijcimus, defunctum hominem deflentes. Gratiſſimæ enim ſunt lachrymæ noſtræ Deo, ut ſint nobis panis die, ac nocte; ut potum cum fletu miſceamus: ut ijs lauemus lectum noſtrum; & ſtratum noſtrum rigemus à

facie

facie iræ indignationis ſuæ propter peccata noſtra, quæ fecimus nos; ſic enim appellat *beatos* Dominus *eos qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*. hinc igitur lachrymarum noſtrarum fontes emanare debent: vt ſciudamus corda, non veſtimenta noſtra: cogitantes, quia peccantes, vt ait Apoſtolus rurſum crucifigimus in nobis filium Dei. nonne hæc eſt maxima lachrymarū cauſa chariſſimi? nonne ſi aliò conuertantur lachrymæ, rei quodammodo mortis ipſius efficimur? an plorandi occaſio deficit? quot enim crucifigentes filium Dei reperiuntur? Imitamini, imitamini ſanctiſſimos illos Dei ſeruos. Iob qui offerebat holocauſta dicens, *ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis*. hic finis veſtri luctus eſſe debet, ne forte peccaueritis vos, aut filij, aut fratres veſtri; adulterij, & homicidij, ita etiam plorabat Dauid peccatum perpetratum. Sic Ezechias, qui fleuit fletu magno, & audiuit Dominus orationē ipſius, & vidit lachrymas ipſius, & ſanauit illum. Quare cum peccatum, hominum fragilitati adeo facile ſit, & aduerſatius noſter diabolus circumeat, quærens quem deuoret, hæc humana imbecillitas à primi parentis peccato, tanquam à capite in membra deſcendens, lugenda eſt potiùs, quàm corporalis mors, per quam à peccatis, quibus diuinam maieſtatem offendimus, liberamur: & in Domino morientes, beati efficimur. peccata veſtra idcirco chariſſimi, & peccata aliorum omnium viuentium potiùs deplorate, gemitibus veſtris quieſcentes defunctos nolite contriſtari. nam quemadmodum offenderetur dormiens amicus, aut affinis veſter longo itinere defeſſus, ſi veſtris vocibus, & tumultu, quiete illa & ſomno carere cogeretur. ita etiam in Chriſto dormientes, & quieſcentes, poſt huius vitæ mortalis curriculum, plurimis periculis, & anguſtijs obnoxium, ſummis laboribus decurſum, ab huiuſmodi lachrymis, & ploratu offendi, piè exiſtimandum eſt.

Atque hanc ob cauſam ſancta eccleſia, vt de hac fidelium in Domino defunctorū quiete & ſomno, potiùs quàm morte nos faciat certiores, locum ſepulchrorum appellat cœmeterium, quod Græcum vocabulum eſt, & latine redditum, ſignificat dormitorium. Ideoq. cum anima huius N. amici, & propinqui veſtri ex hac vita ad aliam emigrarit, dormiente corpore vſque ad diem nouiſſimam reſurrectionis vniuerſæ carnis, luctus, & lachrymæ nobis prorſus relinquendæ ſunt. quòd ſi aliquæ effundendæ, eas in peccatorum pœnitentiam conuertamus, vt vniuſcuiuſque noſtrum, qui hic adſumus, aliorumque fidelium animæ in Abrahæ patris ſinum recipi mereantur.

Præter ſuperiora Exempla poterunt etiam Parochi pro funerum varietate, & perſonarum conditione, quæ ibi aderunt, ex alijs quoque piis auctoribus multa deſumere, quæ eorū iudicio aptiora videbuntur. Et ſi qui nobiles funeribus interfuerint, quod facile euenire poteſt æſtatis tempore cū rura incolunt. Expediet ad eos interdū ſermonē conuertere, eiſque oſtendere: in morte nullum eſſe diuitiarum, & nobilitatis diſcrimen: æque omnes obire: curandum igitur eſſe nobilibus, & diuitibus, vt quò maioribus commodis in hac vita perfruuntur: eò diligentiùs ſibi caueāt, & venturam mortem meditentur: in cuius articulo nemo eſt quin rectè vixiſſe, & Dei præceptis paruiſſe voluerit: timeant tremendam illam Saluatoris noſtri ſententiam de difficultatibus, quæ diuitibus obſtant, quominus ad gloriam iter ſuum dirigant: exemplo cameli, qui per acus foramen ingredi non poteſt: exēplo illius diuitis qui Lazarū pauperē ſpernebat & in inferno ſepultus eſt, paupere in ſinu Abrahæ excepto: & ſimilibus, quæ parochi opportune afferant: & præſentes ad eleemoſynas, aliaque bona opera excitent ac ſtimulent.

Ad hæc vt huiuſmodi res vehemen-

tiùs fidelium animis inſigantur, & mortis memoria aſſidue uigeat: per quam peccata, cum Dei gratia euitantur, Parochi in promptu habeant non ſolum ſententias multas ex ſacris auctoribus ſelectas; ſed cum exempla plurimũ poſſint apud rudiores præſertim, illorum ſupellectilem ſibi comparare curent, quç quidem neceſſaria eſt; nam frequentiſſimus ipſorum vſus eſſe poteſt, & vtiliſſimus etiam in priuatis colloquijs. quàlia ſunt plura, quæ inter ceteros Io. Climacus affert de memo.mor.grad.6. *Monachus quidam* inquit ille *Aegyptius mihi narrauit, quòd cum in intimo cordis memoriam mortis penitus fixiſſet, uelletquè aliquãdo neceſſitate vrgente, carnis huius luto ſolatii aliquid indulgere, ab huiuſmodi memoria veluti à quodam iudice prohibitus ſit: quodque mirabilius eſt, cum vehementer vellet hanc memoriam repellere a ſe, non potuerit.*

Et idem auctor, *alius*, inquit, *quidam huic iuxta commanens, qui Tholas dicitur, ex huiuſmodi ſæpe cogitatione repente obſtupeſcebat, & animo deficiens, veluti inſenſibilis fiebat: repertuſque à fratribus nonnunquam vt qui ferè efflaſſet animã, baiulabatur ab eis.*

Et alibi idem auctor tremẽdum aliud affert exemplum. *Non omittam etiam*, ait, *ſolitarii illius, qui in Choreb habitabat referre hiſtoriam. Hic cum diutiùs negligentiſſimè uixiſſet, nullamque animæ ſuæ curam penitus haberet, morbo tandem comprehenſus ad extrema deductus eſt; cumque iam perfectè corpore migraſſet, poſt unam horam in ſe ipſum rediit, orauitque nos omnes, ut inde protinus abſcederemus: & cellula aditu lapidibus obſtructo permanſit intus annis 12; nulli omnino cuiquam loquens: nec aliud quidquã, præter panem, & aquam deguſtans. ſedens autem, ea tantum quæ in exceſſu uiderat, attonitus uoluebat, atque adeo fixo in iis ſemper erat cogitatu, ut nunquam iam uultum immutaret: ſed ſemper ſic attonitus perdurãs, uim lachrymarum feruentium tacitus profunderet. Cum uero iam morti eſſet proximus, rupto, & patefacto aditu ingreſſi ſumus. Cumq. ab illo doctrinæ uerbum ſupplices inquireremus, hoc ab illo tantũmodo audiuimus; Ignoſcite mihi. nemo qui re uera mortis memoriã agnouerit, peccare unquam poterit.*

Demum parochi tunc in his populo ſuo cum ſpirituali fructu explicandis, ſe diligentes exhibebunt, ſi vt ait D. Gregorius, ſanctorum virorum exemplo, breuitatem vitæ indeſinenter aſpicient, & quaſi quotidie morientes, viuent.

Dat. Bonon. &c.

FINIS TERTIAE PARTIS.

Digitized by Google

ARCHIEPISCOPALE BONONIENSE

SIVE

DE BONONIENSIS ECCLESIAE ADMINISTRATIONE

GABRIELIS CARDINALIS PALAEOTI

PARS QVARTA.

Quæ ad Eccleſias pertinet.

COLLECTOR. AGNOSCENS *Illuſtriſsimus Cardinalis Archiepiſcopus eccleſias ſuas varijs admodum auxilijs, tàm in conſtructione ad earum dignitatem accommodata, quàm in ſacro earum cultu, aut etiam congruenti ornatu: indies indigere poſſe; quibus in viſitatione earum ſæpius facta, certa, & perfecta regula ob locorum inopiam, temporum conditionem, aliaque multa incommoda, ab eodem non ſunt præfinitæ; ſed tantum per modum, vt dicitur, prouiſionis, yſdem interim eſt conſultum; Idcirco cum in Archiepiſcopali hoc libro plenior aliqua, & vniuerſalis formula iure deſiderari videretur, qua & Cathedralis eccleſia, & aliarum etiam, non ſolum rebus neceſſarijs, verùm decori quoque, atque ornamentis, pro vniuſcuiuſque conditione poſsit ſatisfieri; conſtituerat iam in hac quarta parte ea omnia ſigillatim complecti, quæ huc pertinerent: vt non ſolum præpoſiti, parochi, alijque eccleſiarum rectores, ſacras illas quibus ipſi præſunt ædes, ad huiuſmodi regulas conformare ſtuderent; ſed etiam ipſe populus Bononienſis, hac ipſa ſimul collecta legens, eademquè animo plenius contemplans, ab hoc inſigni domus dei decore excitatus, eò meliùs accenderetur ad eccleſias erigendas, ornandas, & locupletandas: vnde tot præclara bona, & diuinarum gratiarum fontes, in Dei gloriam, atquè animarum ſalutem deriuantur.*

Veruntamen re accuratiùs excogitata, cum ad hæc omnia pro dignitate tractanda præſens volumen rebus alijs neceſſarijs explicandis aſsignatum, commodè non ſufficeret; placuit eidem Illuſtriſsimo Archiepiſcopo argumentum hoc de eccleſijs, & earum cultu, quatenus ea in vniuerſum conſiderantur, in alium locum, tempuſque reijcere, ipſiſque proprium commentarium deſtinare; cuius nos indicis ſummarium tantummodo, in lectoris gratiam (cui noſtrum hoc conſilium fore vt probetur, exiſtimamus) hic adſcribere voluimus. Nam cum multi clariſsimi, religioſiſsimiquè auctores in hoc ipſo argumento magna cum laude fuerint verſati, cenſuit Illuſtriſsimus Archiepiſcopus ab ijs ea deſumens, quæ rei noſtræ congruere poſſunt, alia quamplura huic fortaſſe Archiepiſcopatui peculiariter neceſſaria, adiungere. Vnde vniuerſum hoc opus non paucioribus, quàm partibus quinque comprehendi poſſe iudicauit.

Prima

Digitized by Google

Summarium rerum, quæ ad Eccleſias, earum cultum, atque ornamenta pertinent.

PRIMA PARS ad ſacra ædis ædificationem, ſtructuram, eiuſque formam pertinebit: ſubindeque reliquæ eius partes, quæ materiales dicuntur, adnectentur: veluti presbyterium, ſiue chorus, confeſsio, ſiue martyrium, nauis, & loca uaria ad multas functiones, ad concionandum, ad baptiſterium, ad euchariſtiam, ad confeſsiones, ad organum. cappellæ, ſacriſtia, cæmeterium, turris campanilis, capitulum, ædes canonicales, & alia huiuſmodi.

SECVNDA pars aget de rebus ſacris, quæ neceſſaria ſunt in eccleſia, hoc eſt de cuſtodia ſacramentorum, de ſacris Reliquijs, de ſanctorum imaginibus, de aqua benedicta, de altaribus, de tota ſuppellectili eccleſiaſtica.

TERTIA pars explicabit quæ ad miniſtros eccleſiarũ attinent, qui ſunt dignitates, & Canonici, Manſionarij, Cappellani, beneficiati, alij Clerici minores, ſacriſta, magiſter chori, magiſter cantus, magiſter cæremoniarum, organiſta, cantores, hebdomadarij, & alij.

QVARTA pars continebit res quæ aguntur, ſeu miniſtrantur in eccleſia, ueluti ſacramenta, Miſſæ ſacrificium, cappellas ſolemnes, diuina officia, ſacram orationem, conciones, proceſſiones, oblationes, cæremonias, ſynodorum celebrationes, & reliqua eiuſdem generis.

QVINTA pars aget de functionibus epiſcopalibus, quales ſunt, Conſecrationes eccleſiarum, altarium, coemeteriorum, variæ benedictiones Pontificales, ſacræ ordinationes, confirmationis adminiſtratio, & alia ſimilia.

Itaque ex rudi hoc exemplo ſatis lector colligere poterit non poſſe ſingula hæc, breui tractatione, & nimis contracta, pro rerum de quibus agendum eſt maieſtate comprehendi: ſatiuſque fore (quod in animo eſt Illuſtriſsimo Archiepiſcopo) ea omnia in ſeparatum librum ex propoſito diffuſè, & plenè tractari.

Nunc tantùm viſum fuit nonnulla ex ſacris ijs rebus inſignioribus hic recenſere, quæ praxis ipſa (quod noſtrum præcipuè inſtitutum eſt) Illuſtriſsimam Amplitudinem ſuam in Metropolitana eccleſia non quidem valde frequentia, ſed ſuo tempore magis neceſſaria, & vtilia fuiſſe docuit. Quare à ſynodo Diœceſana incipiemus, deinde alia, prout opportunum erit, & pars iſta quarta capere poterit, loco ſuo ſubijciemus.

INDEX
RERVM PRAECIPVARVM
QVAE IN HAC QVARTA PARTE
CONTINENTVR.

DE Synodo Diœceſana.

Concilium primum Prouinciale Bononienſe.

Tranſlationes quatuor ſolemnes ſacrarum Reliquiarum.

De ſacris imaginibus.

De ſanctæ Orationis vſu multiplici.

De Iubilæo Anni Sancti; vbi proceſsiones, & peregrinationes inſignes afferuntur.

In his omnibus comprehēduntur plura etiam alia, quæ ad cultum eccleſiarum pertinent. & ſuis locis nonnulli ſermones Illuſtriſsimi Cardinalis Archiepiſcopi ſunt interiecti.

DE SYNODO DIOECESANA

INSTITVTVM Illuſtriſsimi Archiepiſcopi fuit, ſingulis annis, quemadmodum à ſacro Concilio Tridentino præcipitur, ſynodum Diœceſanam habere: & illud anni tempus in hac functione eligere (hoc eſt infra octauam Pentecoſtes) quo impediri minus parochi poſsint, cæteriquè Diœceſani Clerici, & ob dierum longitudinem, eodem die plura ſimul negocia expediri. Eam verò, vnius diei ſpatio, vt plurimum abſoluit, ne eccleſiæ parochorum præſentia diutiùs careant. aliquandò tamen ob negociorum multiplicem varietatem, eandem ſynodum ad duos dies producere ſolet. Quòd ſi nec id temporis ſpatium ſufficiat (quod perrarò admodum accidit) eam ad tres ad ſummum dies prorogare conſueuit. Itaque hic nos collocabimus primo formam adhiberi ſolitam in ſynodis vnius diei. Deinde alteram duorum dierum. Tum tertiam, quæ trium dierum ſpatio conficitur. Quæ autem præmittuntur ipſi ſynodali actioni communia eſſe ſolent tribus eiſdem ſynodorum generibus.

Quædam quæ præmittuntur, & curantur ab Illuſtriſsimo Cardinali Archiepiſcopo ante Synodi Diœceſanæ celebrationem.

FORMVLA LITERARVM, ad Plebanos ſeu Archipresbyteros, & Viſitatores, de Synodi diœceſanæ celebratione,

I REVER. Archipresbyter. Cũ Illuſtriſſimus D. Cardinalis Archiepiſcopus noſter Diœceſanam ſynodum ſit celebraturus die . . . . . prout ex ipſius Indictione de more promulgata, & affixa, quinetiam in ipſo calendario impreſſa, intelligere potuiſtis: vt hęc ſancta actio perficiatur ad laudem Dei, omni ſtudio, & diligentia, & fidelium animarum auxilia in ſynodo faciliùs exquiri, & proponi poſſint: placuit eidem Illuſtriſſimo D. Archiepiſcopo, ob paſtoralis ſui muneris ſollicitudinem, vt præter publicam Indictionem vos, qui in partem eiuſdem ſollicitudinis eſtis vocati, particularibus hiſce literis admoneremini: vt nonnulla quæ à veſtra cura proficiſci debent, ſedulo præparare poſſitis, & Illuſtriſſimæ Ampliſſimi ſuæ ſignificare.

Quapropter, cumprimùm has literas acceperit R. Veſtra, opportunum diem aliquem eliger, quo parochos iſtius Plebanatus in ipſam eccleſiam Archipresbyteralem congregabit, eisque literas noſtras haſce communicabit.

Deinde vnà omnes, & ſinguli ſeparatim, remoto penitus omni terreno affectu, ſtatum eccleſiarum veſtrarum conſiderate: & quæ illis, ad amplificandum diuinum cultum, ac populis veſtris, ad eorum ſalutem neceſſaria ſunt, adnotate, & ſtatim ad Illuſtriſſimum Archiepiſcopum literis conſignata tranſmittire: quibus quidem literis cupit ampl. s. Illuſtriſſima, vt non ſolum abuſus corrigendos complectamini, ſed etiam remedia ad id vobis benè viſa explicetis.

Examinanda autem vobis potiſſimum pro præſenti ſynodo hæc erunt videlicet.

De obſeruatione decretorum ſynodi ſuperioris anni.
De obſeruatione decretorum Viſitationis.
De cultu eccleſiarum.
De eccleſiarum reparatione.
De reſidentia ſacerdotum, qui ad eam tenentur.
De prædicatione Verbi Dei.
De doctrina Chriſtiana.

De ſa-

De ſacramentorum adminiſtratione,& receptione.
De congregationibus caſuum conſcietia.
De dierum feſtorum ſanctificatione.
De viſitatione infirmorum.
De eleemoſynis.
De locis pijs, & hoſpitalibus,
De diſciplina Cleri, & moribus laicorũ.

Quòd ſi quid forte de fide ſuſpectum inueniretur, id primis renunciate.

Interim verò hoc toto tempore, quod vſque ad deſtinatam ſynodi diem ſupereſt; poſtulat à vobis enixè Illuſtriſſimus Archiepiſcopus, vt nõ ſolum vos feruentioribus precibus & frequentioribus, ſalutarem à Deo finem, ſynodo humiliter poſcere nõ deſinatis: & ſemel ſaltem qualibet hebdomada, Miſſam ſancti Spiritus celebretis; ſed inter eadem Miſſarum ſolemnia populo veſtro oſtendentes ſynodalis actionis neceſſitatem, & vtilitatem: eum ad illam pariter Domino deuotè commendandam, vt fęlicē progreſſum habeat, verbo hortemini, atque exemplo exciteris. Qui vos exaudire dignetur. Datum Bon. &c.

N. Vicarius Generalis.

INDICTIO
Synodi diœceſanæ Bonon. ad diem . . mens . . . ann. . . .

II. GABR. S. R. E. Card. Palæotus Archiep. Bonon. & Princeps. Cũ pro noſtri Archiepiſcopalis officij munere, & antiquorũ, & in ſacri Concilij Tridentini editorum canonum obſeruatione, ad moderandos mores, corrigendos exceſſus, controuerſias componendas, aliaquè à ſacris canonibus permiſſa, ſingulis annis diœceſanam Synodum habere debeamus; Curatos ómnes noſtræ diœceſis iampridem per literas ad ſingulos Plebanos, & Viſitatores ſcriptas euocari, ac de nonnullis in dicta Synodo pertractandis, edoceri curauimus.

Vt igitur alijs etiam omnibus cuiuſcunque ordinis clericis, qui canonum iure, vel eccleſiaſticis ſanctionibus, vel Tridentini concilij decreto, vel conſuetudine, aliaquè ratione Synodo prædictæ intereſſe debent, nota ſit huiuſmo di celebratio, nevè cui ignorantiam rei excuſare liceat: Vniuerſos, & ſingulos prædictos per hoc noſtrum Edictum, quod ad loca ſolita affigi, & promulgari iuſſimus, monemus in Domino, eiſdemquè in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœnis ſacrorũ canonum à iure conſtitutis, omninò iubemus: vt præſtitura illa die, quæ erit . . . . . ſummo mane ad Synodum prædictam, quam in noſtra Archiepiſcopali Eccleſia celebrabimus, conueniant: indequè nè cuiquã diſcedere liceat, niſi impetrata à nobis facultate, ſub dictis pœnis: vt ope Dei, atque auxilio, ea pertractemus, ac promulgemus, quæ ad animarum ſalutem, clerique diſciplinam, & diuini cultus incrementum, totiuſque diœceſis reformationem, pro temporum ratione pertinere, ac ſpectare cenſebimus.

Adſint autem omnes ſcrutinio habendo, ex veteri ſacrorum canonum more: ac ad ea ſi. eliter, & prò conſcientia ſua reſponſuri, de quibus interrogabuntur: atque ad hæc omnia peragenda, ea habitus honeſtate accedant, quæ clericis huius Eccleſiæ, ex ordinibus iã publicatis præſcripta eſt, cum ſuperpelliceis mundis, & alijs requiſitis, prout lariùs in dictis ordinibus continetur. In Quorum fidem, &c.

Dat. Bonon. in Archiepiſc. Palatio.

N. Vicarius Generalis.

EDICTVM
eorum, quæ obſeruanda erunt à clero ciuitatis, & diœceſis Bononiæ.

In celebratione Synodi diœceſanæ. quæ habebitur die . . . . menſis . . . . hoc anno . . . . .

PRAETER illa, quæ Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſ. D. Gabrielis Card. Palæoti Archiepiſcopi Bononię, & Principis

cipis literis, & monitionibus vniuerſo clero ciuitatis, & diœceſis Bononiæ mandata, & repetita fuerunt; vt omnes, & ſinguli ab eiſdem literis, & monitionibus præſcripta præparare, & ſecum deferre, Synodoque intereſſe debeant: Nunc inſtãte die huius Synodalis actionis, vt eò pleniùs norint, quid ſibi hoc ipſo tempore ſit agendum. De mandato eiuſdem Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini Archiepiſcopi, hæc inſuper quæ ſequuntur, ſignificare vniuerſo clero huius ciuitatis, & diœceſis, eademque præcipere volumus.

Summo mane eodem die . . . . menſis . . . . in metropolitanam Eccleſiam conueniant, eo habitu, ſiue indumento, eoque cultu corporis, qui deceat Eccleſiaſticos viros, ad iuuandam non minus exemplo, quàm opere hanc ſacram, & veteri Eccleſiæ ſanctæ ritu obſeruatam actionem. Itaque veſtes habeant vſque ad talos demiſſas: ſuperpellicea munda; bireta, non autem pileos: coronam in capite, quæ appareat, & ordinibus Eccleſiaſticis congruentem: barbam, & capillos modeſtè compoſitos: & cætera quæ in alijs ſynodalibus conſtitutionibus decreta ſunt, vt muneris, & ſtatus Eccleſiaſtici grauitatem, & ſanctitatem in omni re præſeferant.

Neque verò ſolùm externum decorem profiteantur, ſed etiam interioris hominis munditiam ſecum adiunctam habeant: ita vt Sacerdotes ad Miſſam celebrandam, cæteri ad ſacram Euchariſtiam percipiendam, præparati accedant.

Poſt celebratam Miſſam, peractaſque Synodales cœremonias, ſtatim atque ſanctum Crucis vexillum progredi incipiet, eorum quiſque illud ſequatur eo ordine, qui ijs præſcribetur à magiſtro cæremoniarum: idque ita perficere curent, vt religioſam deuotionem inceſſu etiam ipſo declarent.

Caueant ne manus rebus vllis implicatas habeant, ijsquè nihil aliud, præter coronam beatæ Virginis, aut Roſarium, & Breuiarium geſtent; in quo Pſalmos, & Hymnos qui in proceſſione muſicis concentibus canentur, legant, & deuotè recitent; memores, ſacras Proceſſiones eſſe publicum quendam ſanctum, ac vocalem in Eccleſia Dei, orandi ritum, qui procedendo fit: in quo clerus, tanquam ductor exercitus, debet alijs exemplo, ſanctitate, zeloquè diuini amoris anteire, & prælucere.

Abſtineant etiam ab omnibus tractatibus, colloquijs, & ſpectandi curioſitate; atque vbicunque, omni cordis diſtractione fugata, curent, vt collectum in Deo ſpiritum ſecum gerant.

Poſtquàm ad Eccleſiam reuerſi fuerint, in locis ſibi aſsignatis, ſine ſtrepitu, & tumultu ſedeant; omnes vniformi Spiritu Deum rogantes, vt synodalem actionem ſuæ gratiæ fauore proſequi dignetur; atque attentè totum animum adijcientes ad ea audienda, quę proponentur, & ea quæ synodalis ritus poſtulat peragenda, quęque ab Illuſtriſsimo Cardinali Archiepiſcopo ſancientur, obſeruanda,

PRECES DICENDAE.

In Proceſſione, in Eccleſia, & in tota ſynodali actione.

Præter eas, quas vnuſquiſque ad deuotionis libitum, ad Deum piè, ſanctèquè effundere poterit.

Hymnus.

Veni Creator ſpiritus.

Oratio.

Deus qui corda fidelium, &c.

Canticum Zachariæ.

Benedictus Dominus Deus Iſrael.

Pſalmi.

Magnus Dominus, & laudabilis nimis. pſalm. 47.

Exur-

Exurgat Deus. 67.
Fundamenta eius in montibus ſanctis. 86.
Cantate Domino Canticum nouum. 95.
Cantate Domino canticum nouum. 97.
Benedic anima mea Domino. 102. & 103.
Memento Domine Dauid. 131.
Septem Pſalmi Pœnitentiales.
Pſalmi Graduales.

Preces effundendæ.

Pro ſanctiſsimo Domino Noſtro Papa.
Pro omnium Principum Chriſtianorũ felicitate, ad Eccleſiæ Catholicæ incrementum.
Pro omni gradu Eccleſiæ.
Pro Romani Imperii victoria cõtra Turcarum feritatem, aliorumquè fidei hoſtium impietatem.
Pro Regni Galliæ Catholica inſtauratione, & Chriſtianiſſimi Regis, ac S. Eccleſiæ filii proſpera electione.
Pro totius Eccleſiæ tranquillitate.
Pro Illuſtriſſ. Archiepiſcopo noſtro, Reuerendiſſimo illius Coadiutore, cęteriſque miniſtris Archiepiſcopalibus.
Pro huius Synodalis Actionis ſpirituali fructu.
Pro Bononienſis Ciuitatis, diœceſis, & Prouinciæ religione, pace, iuſtitia, honeſtate, innocentia, & incolumitate.

Ad Glorioſam Dei matrem, Virginemquè MARIAM, beatos Apoſtolos Petrum, & Paulum, in quorum honorem Metropolitana hæc eccleſia eſt cõſecrata; ad ſanctos huius Ciuitatis Protectores S. Petronium, S. Proculum, S. Dominicum, S. Franciſcum, vt ſuo nobis patrocinio diuinæ auxilium gratiæ perpetuò tueantur. Dat. &c.

N. Vic. Gen. de mand.

PROMVLGATIO ORATIONIS Quadraginta horarum, synodi diœceſanæ tempore habendæ.

Die . . menſis . . .

Illuſtriſsimus & Reuerendiſſ. D. Gabriel S. R. E. Cardinalis Palæotus Archiep. Bononiæ, eo tẽpore quo Synodus diœceſana celebrabitur, cupiens vt ab vtriuſq; ſexus Chriſti fidelibus, eiuſdẽ synodi ſpirituales progreſſus in Domino adiuuentur, orationẽ quadraginta horarum in Metropolitana Baſilica in loco, qui Confeſsio appellatur, habẽdam conſtituit, feria . . . quæ erit dies . . . . ad quam vt omnes & ſinguli frequentes conueniant, ibique ſuppliciter piis, & deuotis precibus à Deo cęleſte lumẽ, & gratiarum munera, tàm eidem Illuſtriſſ. Archiepiſcopo, quàm vniuerſo Clero expoſcere non prætermittant, enixè in Domino flagitat, atq; hortatur.

Datum Bononiæ &c.

ORDO

Seruari ſolitus ab Illuſtriſſ. Card. Archiepiſcopo in celebratione Synodi diœceſanæ.

5 Antequam synodus inchoetur, quatuor, aut quinque dies integros inſumit Illuſtriſſ. Archiep. in Parochis, aliiſq; ex clero audiẽdis, qui aduenerunt. plures verò ex Archipresbyteris, ſeu plebanis, aliiſq. in Refectorio, quod in Archiepiſcopalibus ædibus ab ipſo pridẽ inſtitutum eſt, religioſa diſciplina quotidie excipit. In quo nõ ſolum corpus modeſto cibo veſcitur, ſed etiã animus toto eo refectionis corporalis tempore, ſpirituali lectione paſcitur.

6 Proponitur inſuper Tabella, & præcipuè in loco Audientiæ & Tribunalis affigitur, In qua præter ſecretarium synodi, syndicũ, Magiſtrum cęremoniarum & alios qui particularia in synodo exercere munera ſolent; nomina deputatorum quorumdam officialium, quibus indigere magis poſſunt clerici, promulgantur in hanc formam.

Admod. Reuerendus Dominus. N. Vicarius generalis, vnà cum Reuerendo Domino N. & N. &c. audient querelas, ſi qua deferentur, & abſentium excuſationes in loco . . . . hora . . . . quotidie hoc Synodi tempore.
Promotor erit. N. *Sindicus erit N.*
Secretarius erit. N. *Magiſter cærem. N.*
Notarii ſunt N. & N. ijdemque Curia Archiepiſcopalis, &c.

De ſynodo quæ vnius diei tantum actione perficitur.

7 Illuſtriſſimus D. Cardinalis Palæotus Archiepiſcopus ſummo manè Cappam Pontificalem indutus, ab vniuerſo clero ciuitatis, & diœceſis, qui ad eum deducendum in Archiepiſcopales ædes cum Cruce, ſuperpelliceis, almutijs, alijsq. cõſuetis pro vniuſcuiuſquè gradu, & conditione eccleſiaſticis indumentis conuenit, comitatus, proceſſionis ritu ad Eccleſiam pergit.

8 Eam ingreſſus, aqua benedicta clerum, vt moris eſt aſpergit;

9 Genuflexus ante ſanctiſſimum Sacramentum in faldiſtorio ad id parato, paululum orat.

10 Accedit ad altare maius, vbi in alio faldiſtorio ſub vmbella ſimiliter parato ſedet.

11 Clero interim loca à Magiſtro cæremoniarum, aliiſquè deputatis aſſignantur.

12 Poſtea Illuſtriſſ. Archiep. ſurgens incipit Tertiam: & reliqua tàm ab ipſo, quàm ab aliis miniſtris peraguntur, quæ in pontificali Romano, de Miſſa ſolemni pontificali habentur.

13 Miſſa verò de ſpiritu ſancto, non tamen ſolemnis, quia tempus non patitur, ſed plana celebratur ab Illuſtriſsimo Archiepiſcopo.

14 Intra cuius ſolemnia, poſt euangelium habetur concio breuis ab aliquo canonico Metropolitanæ, ſeu alio ex clero ad id deputato; & Archiep. in fine Miſſæ præbet clero ſacram communionem.

15 Expleta Miſſa idẽ Illuſtriſsimus Archiepiſcopus, planetam exuit, pluuiale ſumit. incipit antiphonam *Exaudi nos*, & reliqua proſequitur prout in Pontificali, in Ordine ad ſynodum celebrandam: hoc eſt pſalm. *Saluum me fac Deus*, orationem *Adſumus*, orationem *omnipotens*, litanias, Orationem *Da quæſumus*, & Euangelium vt in lib. Pontif.

16 Poſt hæc Illuſtriſſ. Archiep. intonat, *Veni Creator ſpiritus*, vt ibidem.

17 Hymno hoc dicto, ſedente eodem Archiepiſcopo, incipit proceſſio cleri hoc ordine.

18 Præfertur crux, quam bini proſequũtur. primùm clerici minoribus ordinibus initiati; deinde ſubdiaconi; tum diaconi; Ad hoc Plebani & Viſitarores, quorum ſingulos prout vocantur à Magiſtro cæremoniarum, antecedunt curati & clerus ſui plebanatus.

Sequuntur hos Præpoſiti, Priores, Abbates, & nobiles ciuitatis.

His ſuccedit clerus collegiatæ inſignis ſancti Petronij ſub ſua cruce, cum alijs.

Demum proſequitur clerus Metropolitanæ Baſilicæ ſancti Petri ſimiliter ſub ſua cruce.

Poſt quem progreditur Illuſtriſſimus Archiep. præcedente ante canonicos cruce Archiep. indutus ipſe Pontificali habitu, vna cum aſſiſtentibus, alijſquè miniſtris ſimiliter paratis.

19 Proceſſione peracta, reuerſisq; omnibus ad eccleſiam Metropolitanam, & ſedentibus in ſuis locis, Illuſtriſſimus Archiepiſcopali pluuiali & ſtola indutus cum mitra ſedens in faldiſtorio ante medium altaris habet ſermonem.

20 Poſtmodum R. Archid. ad eundẽ Archiep. accedens, genuflexus accipit decreta concilii Tridentini, & alta voce è ſuggeſtu legit. Decretum de ſynodo celebranda, incipiens.

Prouincialia Concilia vſq; ibi *Quare*, & à verſ. *Synodi quoque &c.* vſque in finem. ſeſſ. 24. c. 2.

21 Tum legit ſequentia decreta.

Decretum quód nulli præiudicetur in ſedendo in præſenti Synodo.

NOS Gabriel Palæotus S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Archiepiſcopus Bononiæ & Princeps, ſtatuimus, et decernimus, ſi cui in hanc Synodum admiſſo contigerit ſuo loco non incedere, uel non ſedere, aut alium quempiam actum in eo gerere; non ideo cuiquam ius acquiri, aut acquiſitum eſſe, nihilquè de huiuſmodi iure, aut poſſeſſione detrahi, ſed omnia in eodem ſtatu permanere, in quo

in quo ante hanc diœceſanam ſynodum repe-riebantur.

Idem Archidiaconus legit dicens.
Decretum de querelis, & excuſationibus audiendis.

22 S*Tatuimus itē & decernimus, ne ſingulorū cauſa, grauiorum rerum curſum impediant, aut retardent; vt ſi qui erunt, qui accuſationes, & querelas deferre voluerint, aut etiam abſentium excuſationes, ad nos miſſas, eas exponant RR. DD. N. N. & N. quos ad id iudices deputauimus.*

Idem Archidiaconus legit dicens.
Decretum vt præſentes in ſynodo ſua nomina deſcribi curent.

23 I*tem vt eos qui ob contumaciā, aut negligentiam huic ſynodo non interfuerunt faciliùs cognoſcamus, ipſosq; pœnis à ſacris canonibus iniunctis ſubyciamus. Præcipimus, & monemus omnes & ſingulos, qui in hac ſynodo iure interſunt, vt infra biduum proximum nomina ſua ab eiuſdem ſynodi Notarijs deputatis deſcribi curent.*

Caueant tamen vicarij temporales & cappellani, ne ſe nomine rectorum eccleſiarum, quarum ipſi curam gerunt, ſynodo intereſſe Notarijs aſſerant: niſi eorum procuratores ſint, atque mandata, & excuſationes ad deputatos iudices detulerint.

Tunc vnus ex Notarijs pronunciabit alta voce dicens.

24 M*Onentur omnes, qui ſynodo præcedenti non interfuerunt, & ij qui poſt ſynodum præcedentem beneficia eccleſiaſtica obtinuerunt, vt nomina ſua hodie deferant ad nos Notarios deputatos, vt die craſtina vocari poſsint.*

Poſt hæc Archidiaconus proſequitur legens & dicens,
Decretum de profeſsione fidei ex concilio Trid. ſeſsione 25. cap. 2.

25 C*Ogit temporum calamitas, & inualeſcentium hæreſum malitia.* & quæ ſequuntur vſquè ad ℣. *ad hæc.*

Deinde idem Archidiaconus dicit.

Nos Gabriel S. R. Eccleſiæ Cardinalis Palaotus Archiep. Bononiæ, & Princeps, vt huiuſmodi decretum debitæ executioni mandetur; præcipimus & mandamus vobis omnibus & ſingulis hic præſentibus, qui ab antecedentis ſynodi celebratione beneficia eccleſiaſtica obtinuiſtis, quorum nomina ſtatim per Notarios ſynodales publicabuntur; vobis etiam qui à ſuperioris anni ſynodo abſentes, ea quæ in decreto nuper lecto habentur, non adimpleuiſtis, ut mox ad nos accedatis, & profeſsionem fidei in manibus noſtris emittatis.

Notarij tunc dicunt.

Accedant qui beneficia eccleſiaſtica obtinentes præcedenti ſynodo non interfuerunt, & qui poſt ſynodum eandem præcedentem beneficia Eccleſiæ obtinuerunt.

Notarij eos nominatim ſingulos vocant. qui omnes genuflexi ante Illuſtriſſimum Archiepiſcopum, vno alta voce prælegente, & cæteris ad verbum, quæ ipſe prælegit, alta voce repetentibus, profeſſionem faciunt. & ſinguli poſt lectam formam profeſſionis fidei, in manibus eiuſdem Archiepiſcopi iuramentum emittunt.

26 Peracta profeſſione fidei, idem Archidiaconus proſequitur legens, alia decreta videlicet.

Decretum ſacri concilij Tridentini de Reſidentia ſub Paulo 3. ſeſſione 6. cap. 1.

26 E*adem ſacroſancta Synodus, eiſdem Præſidentibus Apoſtolicæ ſedis &c.* vſque in finem.

Idē Archidiaconus proſequitur dicens.
Decretum ſacri concilij Tridentini de Reſidentia ſub Pio IV. ſeſſ. 23. cap. 1.

C*Vm præcepto diuino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oues ſuas agnoſcere.* vſque in finem.

Tum ſi qua alia decreta amplius videbuntur, aliqua occaſione, ex eodem ſacro Concilio afferenda, aut cōſtitutiones Apoſt. poſt decretum de reſidentia, locus eſſe ſolet, vt promulgentur.

27 Progreditur verò idem Archidiaconus ad reliqua, his præmiſsis hoc modo.

Hæc ſunt nonnulla decreta reformationis, condita ab Illuſtriſsimo, & Reuerendiſsimo Domino Gabriele S. R. E. Cardinali Palaoto Archiepiſcopo Bononienſe, & Principe, ad vſum præſentis Synodi: quæ mandat omnibus & ſingulis, qui eidem ſynodo intereſſe tenentur, vt ea ſuſcipiant, ac apud ſe retineant, & obſeruent: atque ab alijs etiam, ad quos pertinent, obſeruari ſtudeant.

Et ſic promulgantur illa decreta, quę pro illa ſynodo ſunt ab Illuſtriſſ. &. Reuerendiſſ. Card. Archiep. condita.

28 Quibus expletis idem Archidiaconus proſequitur, & legit.

Decretum ſacri concilij Tridentini, de eligendis examinatoribus ad parochiales eccleſias. ſeſſione 24. cap. 18.

Expedit &c. vſque ibi. *Statuit ſancta ſynodus.* additur verſus. *Examinatores*, vſque ad verſum, *peracto.*

Tum ſubiungit.

NOS Igitur Gabriel &c.

Hoc decretum exequi cupientes, proponimus vobis.

RR. N. N. N. N.

Qui nominatim promulgantur.

Placent ne vobis?

Secretarius autem accipit vota à synodo, & dicit, ſi quis eſt cui non placeant, aſſurgat, & ad Illuſtriſſimum Archiepiſcopum accedat.

Tunc illi qui denunciati ſunt examinatores, & præſentes adſunt ſinguli vocati à magiſtro cæremoniarum, & dedu ѐti, in manibus Illuſtriſſimi Archiepiſcopi iuramentum pręſtãt in hunc modum.

Ego. N. deputatus in præſente ſynodo examinator eorum qui eligentur ad parochiales eccleſias, iuro me fideliter hoc examinandi munere perfuncturum, reiecto omni humano reſpectu, ita me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei euangelia.

29 Sequitur verò idem lector è ſuggeſtu, & legit.

Decretum ſacri concilij Tridentini de eligendis quibus committantur cauſæ. ſeſ. 25. capite decimo.

Quoniam ob malitioſam. &c. vſque aduerſum *admonet.*

Poſtea ſubiungit Conſtitutionem Bonifacij octaui.

Statutam &c. vſque ad uerſum: *cum verò.*

ſequitur Archidiaconus.

Nos igitur Gabriel Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Palæotus etc. vt prædictæ conſtitutiones executioni mandentur, deputamus, et nominamus.

Reuerendos. DD. .... & ... & ...
Canonicos .... &c.

30 Sequitur idem lector.

Vetus etiam eſt conſuetudo ſacris introducta decretis, vt in omnibus diœceſanis ſynodis aliquot viri ſpectati, et probati deligantur, qui teſtes ſynodales appellantur, qui diligenter animaduertant, an aliquid in Ciuitate, & diœceſi corrigendum, emendandumquè ſit, cognitumquè ad nos, aut Vicarium noſtrum, quotieſcunquè opus fuerit fideliter referat, vt ſcientes ſpirituales neceſſitates, et ægritudines, facilius remedia comparare poſſimus.

Ideo nos probatum hoc inſtitutum ſecuti, debuimus, et huic officio proponimus eos, quos in hac ſchedula adnotauimus, quorumque nomina minime diuulgandi eſſe cenſuimus, vt maiore diligentia, & libertate huic muneri vacare poſſint.

31 His peractis R. D. N. lector deſcendit de ſuggeſtu, & ad locum ſuum reuertitur.

Vnus autem ex Notarijs tunc ſtatim aſſurgens dicit alta voce.

A ſacris Canonibus ſtatutum eſt, vt cathedraticum in honorem Cathedræ principalis à ſingulis eccleſiarum curatarum Rectoribus in ſynodo Epiſcopo præbeatur. Iccirco monentur omnes & ſinguli parochi, vt huic Metropolitanæ eccleſiæ eiuſquè Cathedræ hunc honorem deferant, & depoſitario Archiepiſcopi ſolitum cathedraticum perſoluant.

32 Tunc idem Notarius proſequens dicit.

Omnes & ſinguli illi qui huic diœceſanæ Synodo intereſſe debent, nominatim nunc vocati reſpondeant. Adſum.

Et ſic ordine nominabit omnes, & ſingulos.

33. Poſt-

33 Poſtmodum R.D. Promotor accuſabit contumaciam abſentium in hanc formam.

Illuſtriſsime & Reuerendiſsime Domine.

CVM aliqui huius diœceſis clerici, qui huic synodo intereſſe debebant, adeo vel negligentes, vel contumaces fuerint, vt ad synodum venire omiſerint, neque ad ſe excuſandum de iuſto impedimento nuntium miſerint, Idcirco pro officij mei neceſsitate ego N. huius synodi promotor fiſcalis eorum contumaciã accuſando, inſto apud Illuſtriſsimam Dominationem veſtram vt ad reliquos iuris gradus procedi velit, & committi citationem ad valuas huius eccleſiæ affigendã. iubeatq. vt omnes ij, qui huic synodo non interfuerunt, nec nomina ſua ad notarios detulerunt, neque ſe quam ob rem non adfuerint excuſarunt, die . . . . menſ. . . . . . coram Illuſtriſsima Dominatione veſtra compareant, ad videndum ſe vti negligentes & contumaces puniri, iuxta formam iuris, & ſacrorum canonum.

Illuſtriſſ. D. dicet, *Admittimus* & *committimus.* & Notarij rogabunt.

34 Deinde Promotor inſtat vt finis imponatur synodo, in hunc modum.

Ego N. huius synodi diœceſanæ ab Illuſtriſſ. D. meo Cardinali Archiepiſcopo Promotor deputatus, ex officio meo, cum videam omnia quæ ad Synodi celebrationem ex præſcripto ſacri Cõcilij Tridẽtini requiruntur, in præſenti synodo eſſe confecta, & decreta, inſto apud eundem Illuſtriſſimum Archiepiſcopum, vt eadem synodus terminetur, & clerus omnis dimittatur ad ſuas Eccleſias, & munera obeunda, ad quę tenetur, & à decretis synodi huius præcipuè obſtringitur.

Archiepiſcopus reſpondet.

Cum gratiarum actione finis Synodo imponatur.

35 Tunc idẽ promotor inſtat, vt de præmiſsis omnibus publicum in actis Archiuij Archiepiſcopalis conficiatur, & aſſeruetur inſtrumentum à Notarijs pro synodo deputatis.

Qui Illuſtriſsimus iubet fieri. dicens, *Committimus, & mandamus.*

36 His peractis fiunt Acclamationes, quæ quidem ſunt in ſeparatis paginis impreſſæ, & ſingulis ex clero diſtributæ, & earum exemplar hic infra adijcietur.

37 Quibus expletis Illuſtriſsimus Archiepiſcopus genuflexus & omnes alij ſimul incipit, *Te Deum laudamus*, cuius primò verſu dicto, ſurgent omnes, & hymnum proſequentur. ipſe verò Archiep. ſine mitra ſtabit verſus ad Altare vſq; ad finem.

38 Quo peracto ſtans ſimiliter dicet.

℣ *Oſtende nobis domine miſericordiã tuã.*

℟ *Et ſalutare tuum da nobis.*

Oremus. *Exaudi quæſumus domine &c.* vt in libro Pontificali.

39 Deinde benedicit ſolemniter.

Sit nomen Domini benedictum &c.

Et promulgatur à Magiſtro cæremoniarum, vt moris eſt, Indulgentia.

40 Quibus peractis Archidiaconus ſtãs iuxta Illuſtriſsimum Archiepiſcopum dicit alta voce.

Recedamus cũ pace; & reſpondent oẽs. *In nomine Chriſti.*

41 Et reuertitur Archiepiſcopus depoſitis pontificalibus indumentis, & ſumpta cappa, cum capitulo & clero metropolitanæ ad palatium præcedente cruce, & ipſo Capitulo &c.

A prandio.

42 Illuſtriſsimus Archiepiſcopus totũ diem tranſigit in audiendis Plebanis, & Parochis, alijsquè qui audiri volunt; & eorum ſingulos alloquitur, antequam dimittat. interea dum in eccleſia Metropolitana ſcrutinium synodale à deputatis præfectis ſcrutinii, ſeu examinatoribus habetur; de quo inferiùs.

43 Fit etiam congregatio eorum, qui in diœceſi legunt caſus conſcientiæ coram R. D. Theologo ad id deputato.

44 Fit quoquè alia congregatio eorum qui præfecti ſunt cæremonijs ſacris coram alio R. qui ad id ab Illuſtriſſ. Archiep. deputatus eſt.

De Synodo quæ duorum dierum actione perficitur.

Prima dies.

Omnia quoad apparatum, officiales, indictiones, literas, cæremonias, Miſſam pōtificalem, orationes, litanias, proceſſionem, & reliqua fiunt, vt ſupra dictū fuit in ordine synodi vnius diei, à numero 1. & ſequentibus, vſque ad numerum, 19. incluſiue.

Miſſa tamen Pontificalis celebrātur ſolemnis, non plana.

Ad offertorium præbetur Cathedraticum, de quo ſupra, num. 31.

Poſt proceſſionem, indutus pluuiali, & mitra, ſedet ante medium Altaris Illuſtriſſimus Archiepiſcopus; & habet ſermonem, vt ſupra num. 19.

Poſt ſermonem leguntur decreta. vt ſupra, hoc eſt.

Quòd nulli præiudicetur in ſedendo.

De querelis, & excuſationibus audiendis.

Vt præſentes in synodo ſua nomina deſcribi curent.

De profeſſione fidei, quę emittitur vtſ.

De reſidentia ex conc. Trid. & cet. vt ſupra, vſque ad numerū 26. incluſiue.

Et perficitur hæc prima ſeſſio cum inſtantia promotoris, & benedictione ſolemni Illuſtriſſimi Archiepiſcopi, vt ſupra num. 34. & 38. Et intimatur publicè omnibus ſequēs ſeſſio ſecunda, cum decreto ſuper hoc condito Illuſtriſſimi Archiepiſcopi, vt infra in Synodo trium dierum in prima die.

A prandio.

Fit ſcrutinium, & fiunt Congregationes caſuum cōſcientiæ, & cęremoniarū. & Illuſtriſſ. Archiep. audit ad ſe accedentes, quorum ſingulos, aduocat, atque alloquitur. vt ſupra n. 42. 43. & 44.

Secunda dies.

Venit ad Eccleſiam Illuſtriſſimus Archiep. indutus cappa, comitatus à clero &c. vt ſupra dictum fuit in synodo vnius diei num. 7. 8. 9.

Genuflexus ſuper faldiſtorio audit Miſſæ ſacrum, quod ab aliquo Canonico celebratur: & tota pariter synodus eidem intereſt.

Non fit proceſſio.

Poſt Euangelium fit concio è ſuggeſtu. vt ſupra num. 14.

Perfecta Miſſę celebratione Illuſtriſſimus Archiepiſcopus ſumit pluuiale & mitram, ac ad altare genuflexus dicit.

Veni Creator ſpiritus &c. vt ſupra nu. 15. & 16.

Quibus peractis ab Illuſtriſsimo Archiepiſcopo habetur ſermo.

Poſt ſermonem leguntur, Decreta.

De eligendis examinatoribus ad Parochiales, deputantur examinatores, qui iurant. vt ſupra num. 28.

De eligendis quibus committantur cauſæ: & deputantur, & nominantur huiuſmodi iudices, vt ſupra num. 29.

De eligendis teſtibus synodalibus, vt ibidem. num. 30.

Demum decreta quæ ſunt cōdita ab Illuſtriſsimo Archiepiſcopo pro illa synodo promulgantur.

Nominantur omnes qui synodo intereſſe debent, vt ſupra num. 32.

Accuſatur contumacia abſentium, vt ſupra num. 33.

Concluditur, & perficitur, vt ſupra dictum eſt in fine synodi vnius diei à num. 34. vſque ad num. 40. incluſiue.

A prandio.

Fit ſcrutinium, & fiunt congregationes caſuum conſcientiæ, & cæremoniarum. & Illuſtriſsimus alloquitur ſingulos Parochos, alioſquè ex clero, & dimittit: vt ſupra nu. 42. 43. 44.

De

De Synodo, quæ trium dierum actione perficitur.

Prima dies.

OMNIA quoad apparatum, officiales, indictiones, literas, cæremonias, ac Miſſam Pontificalem, orationes, litanias & reliqua, fiunt vt ſupra in ſynodo vnius diei à nu.1. vſque ad nu.19.incluſiuè.

Ad offertorium in Miſſa præbetur Cathedraticum, de quo ſupra nu.31.

Proceſſione peracta, habitoque ſermone ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo, vt ſupra num. 19. Perficiuntur omnia, quæ habentur à num. 20. vſque ad nu.24.incluſiuè.

Poſt quæ Archidiaconus proſequitur legens nonnullas monitiones ad clerum, ex ſacris doctoribus excerptas, & ad id paratas. Quibus lectis, vltimo loco promulgat infraſcriptum decretum, poſt inſtantiam promotoris, vt continuetur ſynodus, quouſque perfecta ſit.

Decretum intimationis ſequentis ſeſſionis.

Nos Gabriel &c. vt ſupra, ſtatuimus,& mandamus proximam ſeſſionem die craſtina, iuuante Deo, hora . . . . hoc eodem loco celebrandam eſſe, eamque indicimus vniuerſo clero ciuitatis, & diœceſis noſtræ.

His expeditis, Archidiaconus reuertitur ad locum ſuum, & Promotor rurſum inſtat,vt ſupra nu.35.

Demum Illuſtriſſimus Archiepiſcopus ſolemniter benedicit, & ſeſſionẽ primam dimittit; Pontificalia verò indumenta exuens, ſumit cappam, & reuertitur comitatus,vt ſupra nu.41.

A prandio.

Ea fiunt quæ ſupra nu.42.43.44.

Secunda die Synodi mane.

ILluſtriſsimus Archiepiſcopus ad eccleſiam Metropolitanam ſe confert vt ſupra num.7.vſque ad num.10.

Ipſe non celebrat Miſſam Pontificalẽ, ne longior actio ſit, quàm temporis anguſtiæ patiuntur.

Celebrat Canonicus metropolitanæ ſolemniter: præſens adeſt Archiepiſcopus ſub vmbella ad id parata, & cappa pontificali indutus.

Poſt Euangelium in medio Miſſæ habetur concio ab aliquo Canonico, vt ſupra num.14.

Peracta Miſſa Illuſtriſſ. Archiep. induit pluuiale, atque cum aſſiſtentibus pariter indutis ad altare procedit; vbi proſequitur omnia,quæ ſunt in Pontificali libro, de ordine ſynodi celebrandæ in ſecũda die, vſque ad hymnum, *Veni creator ſpiritus* incluſiuè.

Proceſſio non fit ſecunda die.

His expletis Illuſtriſsimus Archiepiſc. habet ſermonem ad clerum.

Poſt quem accedit ad eum Archipreſbyter, ſiue alius deputatus Canonicus metropolitanæ,& genuflexus accipit librum decretorũ, aſcendit ſuggeſtum,vbi illa alta voce legit, eo ordine, qui ſupra à nu.25.vſque ad numerum 27. incluſiuè.

Poſt hæc inſtat promotor,vt continuetur ſynodus, & legitur ab eodem lectore decretum Illuſtriſſ. Archiep. de intimatione futuræ ſeſſionis: & reliqua fiunt pro fine ſecundæ illius ſeſſionis, quæ ſupra dicta ſunt in prima die. & ſic abſoluitur.

A prandio.

Ea fiunt quæ ſupra nu.42.43.44.

Tertia die Synodi mane.

OMnia fiunt prout in ſecunda die, vſque ad ſermonem Illuſtriſſ. Archiepiſcopi, mutatis tamen antiphonis,& pſalmis,alijſque prout in Pontificali libro habentur de ordine ſynodi celebrandæ in tertia die.

Poſt ſermonem Illuſtriſſimi Archiepiſcopi aliquis Canonicus metropolitanæ deputatus,accipiens ab eodem Archie-

Archiepiſcopo decreta promulganda, ea è ſuggeſtu legit alta voce, eo ordine, & modo qui ſupra in ſynodo vnius diei, à nu. 28. vſque ad num. 33. incluſiuè.

Et reliqua perficiuntur pro fine illius ſeſſionis, & ſynodi; quæ ibidem dicuntur à nu. 34. vſque ad nu. 36. incluſiuè, & ſynodus dimittitur.

A prandio.

Omnia fiunt quæ ſupra num. 42. 43. 44.

Forma Acclamationum, quæ haberi ſolent in fine ſynodi diœceſanæ, tam vnius, & duorum, quàm triũ dierum.

ARCHIDIACONVS, genuflexis omnibus ex Clero, ſtans in loco vbi aſſiſtit ante altare, & ſtante ſimiliter Illuſtriſ. Archiepiſcopo, reliquiſque miniſtris, dicit.

Archid. ℣. Benedictus Deus, & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis: ipſi omnis laus, honor, & gloria in ſecula ſeculorum.

Clerus ℟. *Amen, Amen, Amen.*

Archid. ℣. Beatiſſimo Domino noſtro N. ſanctæ Catholicæ eccleſiæ ſummo Pontifici, fidei Chriſtianæ vbique gentium incrementum, & fructus quàm vberrimi: veræ pietatis, & diſciplinæ obedientia: omnium populorum pax vera, & diuturna proſperitas.

Clerus ℟. *Exaudire digneris nos famulos tuos. quæſumus Domine Deus noſter, & quem Paſtorem eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti, diutiſſime, & feliciſſime conſerua; mitte illi auxilium de ſancto, vt eo gubernante gentes omnes illuminẽtur: & quæ diſperſæ ſunt, ad tui nominis confeſſionem perducantur.*

Archid. ℣. Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo D. Cardinali Palæoto Archiepiſcopo noſtro vigilantia ſuper gregem hunc, conſtantia in laboribus pro ipſius cuſtodia perferendis, ſalus animæ, & corporis.

Clerus ℟. *Dominus conſeruet eum, & benedictionibus ſuis, gratiaque ſalutari aſſidue eum cumulare dignetur.*

Archid. ℣. Principibus chriſtianis Catholicæ religionis zelus, iuſtitiæ & pacis oſculum, & fœcunditas, & contra hoſtes fidei Chriſtianæ victoria.

Clerus ℟. *Rex Regum, & Domine Dominantium, terrenos Principes oculis tuæ miſericordiæ propitius reſpice; concede vt ſint omnes catholicæ fidei, iuſtitiæ, & pacis conſeruatores: hos cuſtodi, & fac illos hoſtium noſtrorum exterminatores.*

Archid. ℣. Huic vrbique, & Diœceſi Bononiæ tranquillitas, ſalus, & diuinarum gratiarum abundantia.

Clerus ℟. *Benedic domine filios tuos, & eſto in circuitu populi tui ex hoc nunc, & vſque in ſeculum.*

Archid. ℣. Decretorum huius Diœceſanæ synodi obſeruationem ſalutarem, omnes qui adſumus vnanimi voto à Deo bonorum omniũ largitore humiliter imploremus, intercedente Deipara Virgine Maria Domina noſtra, cum beatis apoſtolis Petro, & Paulo, & beatis Petronio, Dominico, Franciſco, Proculo, huius almæ ciuitatis protectoribus, & omnibus ſanctis.

Clerus ℟. *Fiat. Fiat. Amen. Amen.*

A prandio.

Fiunt cõgregationes, vt nu. 42. 43. 44. Scrutinium abſoluitur. Illuſtr. Archiep. alloquitur præfectos ſcrutinij, & ab ijs accipit, quid præfecti remedio indigeat, ſiquid fortaſſe ipſi animaduerterint: vt antequam clerus dimittatur, eos quorũ intereſt, alloqui poſſit. Singulos verò archipresbyteros, & viſitatores ſecretò eodem die monet de ijs, quæ tunc eius Amplitudini in memoriam reuocanda ſeu præcipienda videntur magis neceſſaria, ad rectum diœceſis regimẽ: & in ſcriptis præcipua rerũ capita ijſdem tradit. ſicque eos dimittit in nomine Domini.

DE

DE SCRVTINIO IN SYNODO DIOECESANA HABENDO.

COLLECTOR.

FVIT Scrutinij, ſiue examinis huiuſmodi vſus maximè probatus, & in synodis plurimùm receptus, & commendatus. non ſolùm quia hinc totius gregis ſui ſtatus (ad quem perſcrutandum in primis synodi quotannis celebrantur) vnicuique Epiſcopo, tanquam in ſpeculo, vno aſpectu cognoſcendus proponitur; ſed etiam quia, cum hinc intelligere poßint Paſtores, quibus auxilijs oues indigeant; neceßitatibus, atque incommodis tum clericorum, tùm populorum faciliùs ſubuenitur; & præcipuè parochorum, qui ſunt cooperarij Epiſcopi in vinea Domini.

Quapropter Illuſtriſſimus Cardinalis Archiepiſcopus, tam ſalutarem, atque opportunam iuuandæ eccleſiæ ſuæ rationem nullo modo ſibi prætermittendam eſſe exiſtimans, Scrutinium etiam ipſe in ſuis synodis Diœceſanis inſtituit, idque ad infraſcripta capita redegit: relinquitur tamen Examinatorum prudentia dijudicandum, quæ debeant ab vnoquoque ſcrutari; ijdemque ad cuiuſque conditionem, ſtatum, & neceſsitatem ſe accommodare curabunt: vt ex inſtructione breui, quæ ad eos pertinet, & in fine Tabellæ ſcrutinij habetur, colligere poterunt.

Ceterum, ne ob cleri multitudinem confuſio in hac actione oriatur, hoc ordine Illuſtriſsimus Archiepiſcopus vti ſolet. Primùm enim ſeliguntur præfecti ſcrutinij ſiue examinatores totidem, quot ſunt Plebanatus diœceſis, & regiones ſeu quarteria Ciuitatis Bononiæ; hi verò ſunt viri graues, prouectæ ætatis, Doctores, Theologi, Canonici metropolitanæ, & S. Petronij, & religioſi prout Illuſtriſsimo Archiepiſcopo expedire magis videtur. Eos pridie diei actionis synodalis ipſe ſimul congregatos in Archiepiſcopalibus ædibus graui ſermone alloqui ſolet, hortarique ad munus hoc ſumma diligentia, et ſecreti cuſtodia explendum, ſingulisque eorum diſtribuit paginam ſiue Tabellam ſcrutinij, vt ſe comparent. Tùm ſeliguntur in ipſa eccleſia metropolitana tot cappellæ, quot ſunt examinatores, & vnicuique loco affigitur ſchedula maiuſculis literis conſcripta in hanc formam.

R.D.N. præfectus ſcrutinij pro plebanatu S. N. & Parochijs ss. N.N.N.&c. ſeu, pro Quarterio Portæ. N. & Parochijs .ss. N.N.N.&c.

& ſic vnuſquiſque parochus, ſiue rector eccleſiarum, ſiue clericus ſtatim ſcit, quo loco examini ſe ſubicere debeat, & à quo præfecto ſit examinandus. Porrò examinatores ipſa die synodi à prandio ſtatim ad eccleſiam metropolitanam ſe conferunt, & vnuſquiſque ad menſam ad id paratam in cappella ſibi aſſignata ſedet. ipſe interrogat ad præſcriptum Tabellæ ſcrutinij; & clericus aliquis examen ſcribit.

TABELLA SCRVTINII

Synodi diœceſanæ Bononienſis.

SCIANT clerici ſinguli, qui synodo intereſſe debent, præter ea, quæ pro ratione gradus, & muneris vniuſcuiuſque, ante dimiſſionem synodi facere, aut ſcripto denunciare debebunt, iuxta Illuſtriſſimi Archiepiſcopi conſtitutiones; ſe quoq. à Præfectis Scrutinii de iis, quæ ſequuntur, diligenter interrogandos eſſe; non vt delicta puniantur, nec vt contra examinatos procedatur; non enim huiuſmodi hoc examen eſt, ſed vt abuſus, de quibus inquiritur, emendētur; & eccleſiaſticæ reformationi prouideatur; & quæ emendatione non indigent, dignoſcantur, atque approbentur. onerata grauiter eorum conſcientia, niſi fideliter ad ea reſponderint.

Quapro-

Quapropter die . . . hora . ſe conferant ad eccleſiam metropolitanam: ibique huic ſancto examini coram præfecto deputato ſuæ parochiæ, in ſpiritu humilitatis, & zeli domus Dei ſe ſubiiciant, qui eorum mentes illuminare, & linguam in veritatem dirigere dignetur.

De eccleſia, & canonicalibus ædibus.

Caput. 1.

1 *Q*Vo *in loco ſit eccleſia. quo titulo poſſideatur, & quo ſancti nomine appelletur.*

2 *An ſit conſecrata, & cui Plebanatui ſubiecta.*

3 *An intus ſit benè dealbata, & extra rubro colore undique tincta, & ante oſtiũ habeat imaginem ſancti titularis.*

4 *An Cœmeterium habeat conſecratum, & quomodo cuſtoditur.*

5 *An ſub ea eccleſia ſint oratoria: quot ſint, & qualia.*

6 *An habeat domum canonicalem, & congruam.*

7 *An fuerit ſatisfactum omnibus ordinationibus factis in uiſitatione, tam quoad eccleſiam, & domum canonicalem, quàm quoad alia.*

De rebus ſacris, quæ ſunt in eccleſia, & eius ſupellectile: ſiue in domo canonicali.

Cap. 2.

1 *D*E *ſacramento Euchariſtia & eius cuſtodia: & an habeant omnia ad ipſam requiſita.*

2 *An eccleſia habeat baptiſterium, & in qua parte eccleſiæ ſit poſitum, & quomodo cuſtodiatur.*

3 *An intra eccleſiam ſint cappellæ: quis ſit earum numerus: & qualiter dotatæ ſint, & quibus oneribus, & an iſtis ſatisfiat.*

4 *An lampas perpetuò ardeat ante ſacram Euchariſtiam.*

5 *An ſint ibi reliquiæ, & quales, quomodo cuſtoditæ: & quando publicè oſtendantur, & qua ceremonia.*

6 *An ſanctorum imagines ſint integræ, & in loco honorifico depictæ.*

7 *An aqua benedicta renouetur, & quoties.*

8 *An in eccleſia ſit locus ad concionandum, & ad confeſſiones audiendas.*

9 *An eccleſia habeat neceſſariam ſupellectilem pro cultu, & adminiſtratione ſacramentorum. de quibus ſingulis breuiter interrogentur.*

10 *An præter ſacra indumenta, ſint duo ſaltem ſuperpellicea: unũ pro presbytero, & alterum pro clerico, qui ei inſeruiat, integra & munda.*

11 *An habeant aliquem alium ornatum ad uſum eccleſiæ pro diebus ſolemnibus.*

12 *An hæc omnia paramenta, & alia cuſtodiantur in ſacriſtia in loco ſeparato & decenti, cum claui & aliis neceſſariis.*

13 *An præter Miſſale, Breuiarum, & Calendarium, habeant etiam libros in ſynodis, & viſitationibus mandatos: & præcipuè ſacrum Concilium Tridentinum, & catechiſmum Romanum, Rituale ſacramentorum, librum nuper impreſſum Archiepiſcopale Bonon. librũ ordinationum viſitationis: librũ vbi ſcribuntur matrimonia: & alium vbi ſcribuntur confirmati: & alium vbi ſcribuntur baptizati, & omnes animæ curæ ſuæ commiſſæ, cum ſigillo Illuſtriſſimi Archiepiſcopi, & ſubſcriptione ſecretarij Illuſtriſſ. Dominationis ſuæ.*

14 *An ſigillum habeant propriæ eccleſiæ.*

15 *An domus Canonicalis habeat ſuppellectilem neceſſariam à prædeceſſore ſuo relictam, ſeu ab illo auctam.*

16 *An inuentarium omnium bonorum immobilium, & mobilium, quæ pertinent tam ad eccleſiam, quàm ad domum canonicalem, tranſmiſerint ad Vicarium generalem.*

17 *An habeant veſtes ſacerdotales nigras demiſſas vſque ad talos, quibus vtantur in ciuitate & in parochia: & alias breuiores pro itinere faciendo.*

De perſonis ad vſum eccleſiæ neceſſarijs, ſiue ſubiectis eidem parochiæ, ſiue quæ habitant in domo canonicali.

Cap. 3.

1 *AN præter ipſum Parochum, ſit alius ſacerdos, vel clericus, qui eũ adiuuet in adminiſtratione ſacramentorum.*

2 *An ſecum habitent aliqui in familia, & qui: & ſi mulier aliqua, an id factum ſit, obtenta licentia in ſcriptis, & à quo tempore hanc renouauerit.*

3 *Quot ſint numero mares, & fœminæ, quæ ſubſunt parochiæ eius.*

4 *Quàm pia populi in eccleſiis conuerſatio: & an arma prohibita ad eas deferantur.*

5 *An in parochia ſint publicè peccantes, concubinarij, blaſphemi, ſuperſtitioſi, dies feſtos nõ obſeruantes: non cõmunicati in die paſchatis, vel alij cum ſcandalo notabili viuentes.*

6 *An in populo ſint aliquæ prauæ conſuetudines, vel ſuperſtitiones.*

7 *An ſit aliquis magiſter ſcholæ, qui non fecerit profeſſionem fidei, aut qui ſit de fide ſuſpectus, vel habeat libros prohibitos, & quam diligentiam in hac re ſcienda adhibuerit Parochus.*

8 *An in parochia ſit medicus, qui fecerit profeſſionem fidei, & qui in viſitandis infirmis ſeruet conſtitutionem Pij .V.*

9 *An in eccleſia ſua ſint canonici, & tunc interrogabitur de numero, de qualitate, de officio, & reſidentia eorum.*

10 *Item ſi alij ſint clerici in ſua parochia, quærendum erit breuiter de eorum functionibus, de habitu, de tonſura clericali, de moribus, & in quibus exercitijs occupentur: & præſertim au doctrinam Chriſtianam docendam adiuuent, & alia huiuſmodi.*

De proprio officio Parochi in functionibus eccleſiaſticis, & alijs.

Cap. 4.

1 *AN reſideat, & prædicet populo, & quàm frequenter.*

2 *An Miſſam ſingulis diebus celebret, aut quibus diebus.*

3 *An doctrinam Chriſtianam pueros, & puellas doceat.*

4 *In cura pauperum, & præſertim infirmorum, quam rationem ſeruet.*

5 *An ſacramenta omnia debito ritu miniſtrentur; & inter cetera, an matrimonium in facie eccleſiæ, & cum ſolitis denunciationibus, & debita hora celebretur.*

6 *An aliquis ſine ſacramentis è vita diſceſſerit, & quam ob cauſam.*

7 *An prædicatores tempore quadrageſimæ ad eius eccleſiam mittantur, & quæ ab Illuſtriſſimo ſunt de iis ordinata, ſeruentur.*

8 *An ieiunia ab eccleſia ſancta præcepta; & dies feſti obſeruentur, & an nundinæ, ſeu mercatus tunc fiant.*

9 *An adſit ſocietas corporis Chriſti, & an fiant ſingulis menſibus proceſſiones, & au illa curam gerãt pauperum, aut ſint aliqui abuſus.*

10 *An non communicatos in die paſchatis denunciauerit.*

11 *An interſit caſibus conſcientiæ: & ſeruetur mos iam conſtitutus de huiuſmodi congregationibus habendis.*

12 *An habeat ſepulturam ad ſepeliendos pauperes deputatam: & in ſepeliendis mortuis ritum ab Illuſtriſſimo præſcriptum ſeruet.*

Vltra hæc ſi parochus ſit Regularis, interrogabitur.

1 *AN habeat licentiam ſuorum ſuperiorum, & approbationem ab Illuſtriſſimo in ſcriptis.*

2 *An ſit Vicarius perpetuus, aut qualis.*

3 *An in adminiſtratione ſacramentorum proceſſionibus, & aliis actibus, in quibus ſacerdotes ſeculares vtuntur ſuperpelliceo, vtatur eo ipſe etiam ſemper.*

4 *An Congregationibus, & proceſſionibus aliorum ſacerdotum adſit.*

5 *An quæ a Viſitatoribus deputatis ſunt illi ordinata, adimpleuerit.*

De Archipresbyteris Plebium, ſeu de Viſitatoris officio, & alijs.

Cap. 5.

NOn modo ab his ea omnia quæ ad parochos ſpectant, ſed hæc etiam ſpeciatim inquirenda erunt.

1 *An eccleſias omnes ſuo plebanatui ſubiectas viſitet, quoties, & quando: & an viſitationem ſcriptam tranſmittat Bononiam.*

2 *An in ſuo plebanatu ſit aliqua eccleſia, ſeu domus Canonicalis reparatione indigens.*

3 *An habeat tabulam cum deſcriptione, & nominibus omnium eccleſiarum, hoſpitalium, & piorum locorum ſuæ viſitationi ſubiectorum.*

4 *An habitum Archipresbyteralem in eccleſiaſticis functionibus gerat.*

5 *An parochi ſui omnes, & Canonici reſideant, & viſitatoribus obediant.*

6 *An in plebanatus eccleſia diebus feſtis duæ ſaltem miſſæ celebrentur.*

7 *An in ſuo plebanatu ſit lector caſuum conſcientiæ, & magiſter cæremoniarũ. & quomodo iſti munere ſuo fungantur, & quàm frequenter congregationes fiant.*

8 *An Maſſarij, ſeu alij officiales ſocietatis corporis Chriſti rationem dati, & accepti ſingulis annis illi reddant.*

9 *An aliquis parochus ſuo plebanatui ſubiectus è vita diſceſſerit, & ipſe inuentariũ ſtatim fecerit rerum omnium mobilium, tam eccleſiæ, quàm ædium canonicalium, & illud ad Illuſtriſſimum Archiepiſcopum miſerit.*

10 *An aliquis clericus in ſuo plebanatu cum publico ſcandalo viuat; nec fraternè ab ipſo correctus, velit emendari.*

De ijs quæ communia ſunt Parochis ipſis, & etiam Sacerdotibus alijs, & clericis omnibus.

Cap. 6.

1 *QVo loco celebrent miſſam, & quoties: & an pro eorum arbitrio vel ex aliquo onere: quòd ſi non ſint ſacerdotes, in qua eccleſia functiones exerceant.*

2 *An frequenter confiteantur, & quibus confeſſoribus.*

3 *An doctrinam Chriſtianã alios doceant, & in qua eccleſia.*

4 *An accedant ad Congregationes, proceſſiones, lectiones & alia, vbi parochi, & reliqui eccleſiaſtici congregantur.*

5 *An obediant parochis, & viſitatoribus, & magiſtro cæremoniarum in ſuis officiis.*

6 *An habeant veſtes clericali ſtatui conuenientes, iiſque vtantur.*

7 *An tonſuram pro ratione ordinis apparentem deferant, necnon barbam præciſam, ſicut oportet.*

8 *An per diœceſim, aut extra cum iter habent, vtantur veſtitu adeò producto, vt à ſecularibus laicis dignoſci & diſtingui poſſint.*

9 *An habeant breuiarum cum ſignaculis, & calendarium præſentis anni, & quomodo diuinum officium recitent, & ordinent.*

10 *An cantum eccleſiaſticum nouerint, canantque aliquando in choro cum aliis.*

12 *An omnes, aut ſaltem qui ſunt in ſacris habeant vltra concilium Tridentinum & Catechiſmum, aliquas Summas approbatas, & libros aliquos pios. & hi moneantur de habẽdo, & ſæpius legendo librum qui Archiepiſcopale Bonon. dicitur.*

13 *An in domo cum mulieribus aliquibus habitent quæ non ſint conſanguineæ, & abſque licentia in ſcriptis.*

14 *An tabernas, choreas, ludos, mercatus, publica ſpectacula, venationes, rixas, factiones, ſecularíaque negocia à ſe repellant.*

15 *An operam dent ſtudiis, quibus, & à quo tempore.*

16 *Ad hæc illi qui in ciuitate morantur interrogentur. An ſint in Congregatione Perſeuerantiæ, & Oratorii. An frequentent eas, & exequantur quæ à præfectis iniunguntur. Et an lectioni caſuum conſcientiæ in Oratorio interſint.*

INSTRV-

Inſtructio pro examinatoribus, ſiue præfectis Scrutinij Synodalis,

SINGVLI examinatores, ſiue præfecti ſcrutinij, quamuis varia capita illis inquirenda ſeu examinanda proponuntur: non tamen omnia, & ſingula ab vnoquoque inquirere debent: ſed ea tantùm, quæ ad cuiuſque conditionem, ſtatum, & neceſſitatem magis accommodata eſſe exiſtimabunt.

Sciant ſe teneri ad ſecretum cuſtodiendum in omnibus, quæ ſibi in examine dicuntur; & pariter clericos, aut alios miniſtros quorum opera vtuntur in deſcribendo examine. quapropter curent vt ij ſint ſcribæ huiuſmodi, quorum integritati plurimùm fidere poſſint.

Habeant libellum in quo, latino, vel vulgari ſermone totum examen annotabunt.

In eo cuiuſque examẽ diſtinctè, & ſeparatim deſcribetur. & cuicunque examini titulus præponatur, in hunc, vel ſimilem modum. *Examen D. N. Archipresbyteri* .N. ſiue, *Parochi*, ſiue, *Viſitatoris*, prout ipſius munus erit, atque adminiſtratio.

Poſtquam examinandus acceſſerit, eum benigne, & humaniter excipiant: & ſedere, & caput tegere iubeant; moneantque hoc examen non tale eſſe, vt inquiri velit Illuſtriſſimus Archiepiſcopus de delictis alienis, aut eiuſdem examinandi defectibus, vt puniantur: ſed vt abuſus emendentur, & emendationis remedia exquiri poſſint. Quapropter eũ hortabuntur, vt fideliter, & pro conſciẽtia; quam grauiter oneratam forè ſciat, ſi ſecus fecerit, reſpondere debeat.

Examina breuiter deſcribenda ſunt, hoc eſt ſimplices ad quæſita reſponſiones, negatiuæ, vel affirmatiuæ, aut aliquo modo limitatæ, ſeu etiam excuſationes, aut ea quæ interrogationem aliquo modo declarare poſſint.

Demum examinatores, & quicunque in hoc tã graui opere illos adiuuabunt, curent, vt ante oculos habeant, quales quantique in Domino fructus ex eorum diligentia, & charitate orientur, vt cognitis defectibus, & ſpiritualium infirmitatum cauſa, gregi ſuo Paſtor ſuccurrere, & mederi poſſit. Dat. &c.

CONCILIVM PROVINCIALE BONON. I.

COLLECTOR.

HOC loco deſiderari fortaſſe a lectore poſſent ipſæ Conſtitutiones Synodi diœceſanæ. Verùm quia Illuſtriſſimus Archiepiſcopus ad tutiora, & vtiliora decreta promulganda, id ſibi in primis curandum eſſe exiſtimauit, vt vultum pecoris ſui bene agnoſceret, eiuſdemq. mores perſpectos haberet, & quibus cibarijs, quibus medicaminibus, aut ſubleuationibus indigeret, omnino inueſtigaret; quod non niſi crebris viſitationibus, colloquijs, tractationibus, multiſque repetitis Synodis, quibus ſinguli audiuntur, eorumque ægritudines exquiruntur, perfici poteſt; Idcirco factum hinc eſt, vt maturò ſibi omnia priùs diſpicienda eſſe cenſuerit, quàm decreta ſtabilia, & perpetua, quæ Synodorum materiam integram cõplecterentur, promulgare voluerit; quamuis non prætermiſerit ſingulis annis ſemper quædam magis neceſſaria in Synodis ſancire.

Interim verò cum tempus Concilij ſui Prouincialis primi celebrandi aduenerit, exiſtimauit commodè fieri poſſe, ſi decreta Prouinciæ toti applicata, atque in eo concilio a Patrum illorum qui ipſi interfuerunt ſapientia, & doctrina accuratè examinata, & Roma a ſacra Congregatione Illuſtriſſimorum S.R.E. Cardinalium approbata; eadem ad Ciuitatis, & diœceſis ſuæ vſum, quem pro ſua experientia, eidem maxime profuturum cernebat, ederentur. Huiuſmodi igitur decreta Concilij Prouincialis Bonon. primi hic adijciemus, in quibus omnium ferè Synodorum Diœceſanorum compendium continetur. Quod eò magis congruere viſum eſt, quia in hoc libro Archiepiſcopali, huius ipſius Archiepiſcopalis functionis ab Illuſtriſſimo Archiep. ſumma diligentia, ſummoq. ſplendore celebrata, aliqua mentio facienda eſſe videbatur

CONSTITVTIONES

CONCILII PROVINCIALIS BONON. I.

Celebrati ab Illuſtriſſ. et Reuerendiſs. D. Gabriele Cardinale Palæoto Archiep. Bonon. primo et principe. anno Domini 1586.

Ratio præſentis Synodi Prouincialis.

DVO ſunt quæ à ſacro Tridentino Concilio ad Prouinciales Synodos relata fuerunt. Alterum earum rerum eſt, quæ nominatim executionem à Metropolitanis, & Synodo requirunt. Alterum generaliter ea tractanda complectitur, quæ pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controuerſijs componendis, alijsq. huiuſmodi variè poſſunt ſingulis Prouinciis, & eccleſiis pro commodo illarum, atque vſu conuenire.

Nos igitur in hac Archiepiſcopali prima Synodo noſtra, id primum aggrediendũ duximus, quod neceſſitatis erat, nec abſq. neglecti officii offenſione poterat omitti. Itaque ſingula ea rerũ capita, quæ Trid. Concilii auctoritate expreſſim nobis mandata erant, totidẽ decretis ſuimus complexi: Reliqua verò, quæ arbitrii potiùs videbantur, ac prudenti Coepiſcoporũ iudicio, pro eccleſiarũ ſuarũ vſu examinanda, atque implẽda relicta fuerunt; ea nos quoq. prio ribus materiis quoad eius fieri potuit ſubiicere, & quatenus Prouinciæ noſtræ ratio poſtulauit, eiſdẽ ſubtexere non prætermiſimus. Reſeruantes in alias ſubſequentes Synodos, ſi Deo placuerit, cætera quæ præſens locus, & neceſſaria propoſitarũ rerũ tractatio non ita congruè iis admiſceri, & interponi poſſe patiebãtur. Nã & iis, quæ ad ſacramentorũ miniſtrationem pertinent, ſuperſedendum cenſuimus, quòd hæc ex Rituali Romano breui emittendo tutiùs, ac pleniùs hauriri poterunt.

Cæterũ quidquid à nobis pio, ſinceroq. conſilio pro muneris noſtri neceſſitate collectũ, deliberatumq. fuerit, id ſupremo ſanctæ Romanæ eccleſiæ iudicio fideliter, reuerenterque ſubiicimus.

Capita Conſtitutionum Concilij Prouincialis Bonon. I.

1 De Ijs, quæ ad fidem pertinent.
2 De eccleſiis, & diuinis officiis.
3 De Veneratione, & reliquiis ſanctorum, & de ſacris Imaginibus.
4 De Indulgentiis, & eleemoſynis.
5 De Conciliis Prouincialibus.
6 De Reſidentia.
7 De Viſitatione.
8 De examine, & collatione beneficiorum per concurſum.
9 De forma examinis.
10 De Vnionibus beneficiorum.
11 De Seminario.
12 De Monialibus.
13 De cauſis & foro eccleſiaſtico.
14 De Iudicibus, & conſeruanda immunitate eccleſiaſtica.
15 De locationibus, & alienationibus rerum eccleſiaſtica.
16 De concubinatu, & meretricibus.

DE IIS

DE IIS QVÆ AD FIDEM PERTINENT.

Verba ſacri Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 2.

PRæcipit ſacta Synodus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, et omnibus alijs, qui de iure, vel conſuetudine in cõcilio Prouinciali intereſſe debent, vt in ipſa prima ſynodo Prouinciali poſt finẽ præſentis Concilij habenda, ea omnia, & ſingula etc. Simulq. hæreſes omnes à ſacris canonibus, et generalibus Concilijs, præſertimque ab hac eadem ſynodo damnatas publice deteſtentur, & anathematizent.

INTER ea quę à ſacro Conc. ad Synodos prouinciales vt in vsũ inducerentur, relata fuerũt; illud vnũ de fidei profeſſione Synodus noſtra ſibi primo loco deligendũ eſſe propoſuit, quod initium, & radix eſt omniũ bonorum operum, & totius ſpiritualis ædificii fundamentum. Nam cum accedentem ad Deum non ſolùm oporteat credere: ſed etiam, vbi opus ſit, veram, orthodoxamque fidem palàm conteſtari; idcirco de perſonis, quæ illam docere, & prædicare: de his, quæ traditam ab alijs ſuſcipere: de his, quæ ſuſceptam palàm profiteri debeant: tandemque de propulſandis noxijs venenis, quæ fidem hanc labefactare poſſent, Synodus noſtra, Deo aſpirãte hæc, quæ ſequuntur, ex Trid. Conc. ſententia omnib⁹ teſtata, cõſtitutaq. eſſe decreuit.

Cum igitur ſine fide impoſſibile ſit placere Deo, nihil ſanè inter homines magis neceſſarium cenſeri debet, quàm vt hæc ipſa fides rudi, & ſitienti ſalutem populo annuncietur, atque in illius corda inſeratur, dicente Dño: *Docete omnes gentes, prædicate Euãgelium omni creaturæ.*

Quapropter ſtudioſè admodum, vehementibuſque verbis ſacrum Concilium in eo elaborauit, vt hæc catholica fides, chriſtianis operibus coniuncta, lectionibus, prædicationibus, aliiſquè ſpiritualibus ſermonibus frequenter in auribus hominum diſſeminetur.

De Fide docenda.

PRIMVM itaquè nominatim eauit, vt in eccleſijs ab eo enumeratis, Præbenda, quam vacare primùm ex quacunque cauſa contigerit, præterquam ex cauſa reſignationis (cui aliud onus incompatibile iniunctum non ſit) ſi nulla antea ad id conſtituta reperiretur, in Theologalem, ad vſum ſacræ ſcripturæ interpretandæ erigeretur. Quod quidem Synodus noſtra adeò in poſterum obſeruandum eſſe decernit, vt quamuis præbenda nihil, præter diſtributiones haberet, tamen clerico ſeculari idoneo, & qui per ſeipſum id munus explicare poſſit; non autem regulari, præcedente priùs per concurſum examine, ſi plures ſe obtulerint, conferatur.

Quòd ſi clericus ſecularis idoneus non reperiatur, collatio quidem differatur, interim verò fructus omnes Priori alicuius monaſterij regularium aſſignẽtur, qui curet, vt ex ſua aliquis familia in ſacris literis benè probatus, in Cathedrali Eccleſia ſacram ſcripturã doceat: & quę fuerint lectori neceſſaria ſuppeditet, reliqua invſum Monaſterij cõuertat.

Porrò locũ, diẽ, horam, ac materiam interpretãdam Ordinarius ipſe arbitrio ſuo diffiniet, dato tamẽ lectori triũ menſium ſpatio, Iulij, Auguſti, & Septembris quibus à docendi munere vacare poſſit; eoque inſuper priuilegio, vt quibus diebus legẽdi officium præſtiterit, integras diſtributiones totius eius diei, quamuis abſens percipiat. ceteris diebus æquo iure cum alijs canonicis cenſeatur.

Vbi verò nulla ad id præbenda idonea inueniretur, ſacrum Concilium varias rationes, conſiliaq. Epiſcopis capiẽda propoſuit, ne tã pia, & fructuoſa inſtitutio, quouis quæſito colore negligeret.

In Monaſterijs quoque monachorum vbi commode fieri poteſt, ſcripturæ ſacræ lectionem haberi eodem Concilio ſancitum eſt: ita vt ſi Abbates negligentes in eo fuerint, ab Ordinarijs tanquàm ſedis Apoſtolicæ delegatis, opportunis remedijs compellantur.

In Conuentibus verò aliorum regula

rium, in quibus vigere ſtudia commodè
poſſunt, ſacræ pariter Theologię lectio-
nem haberi mandauit, aſſignandã à Ca-
pitulis generalibus, vel prouincialibus,
ijs, qui digniores Magiſtri habiti fuerĩt.

Sed in gymnaſijs publicis ſacræ ſcri-
pturæ lectionem ad catholicæ fidei de-
fenſionem, & incrementum, ſanæque do
ctrinæ conſeruationem, & propagatio-
nem inſtituendam ſanxit, neminemq. ad
huiuſmodi lectionis officium admitten-
dũ, qui prius ab Epiſcopo loci, de vita, &
moribus, & ſciẽtia examinatus, & appro
batus non fuerit: ꝙ tamen de lectoribus
in clauſtris monachorũ nõ intelligatur.

Idem etiam & de illis qui Scholaſte-
Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 18. rias obtinent, & de alijs quibus eſt le-
ctionis, vel doctrinæ munus annexum;
conſtituit, vt per ſe ipſos, ſi idonei fue-
rint: alioquin per idoneos ſubſtitutos ab
Ordinariis approbandos, in ſcholis ea,
quę expedire Epiſcopo videbũtur, doce
re teneantur. & in poſterum huiuſmodi
Scholaſteriæ nõ niſi idoneis, qui ꝑ ſe ip-
ſos id munꝰ explere poſſint, cõferantur.

Inſuper & illud mandauit, vt feſtiuis
Seſſ. 24. c. 4. diebus in ſingulis parochiis illi, ad quos
ſpectat, pueritiam omnem, quę veluti ſe
ges eccleſiæ eſt, in fidei rudimentis, &
obedientia erga Deum, & parentes dili-
genter inſtituant. Quod opus ſanctiſ-
ſimum ſpiritualibus gratiis Pii V. & Gre
gorii XIII. fel. rec. mirificè adiutum, cum
Synodus noſtra in dies magis prouehi,
& vbiq. feliciter propagari cupiat, Coe-
piſcopos omnes vehemẽter in Domino
hortatur & monet, vt Chriſtianæ doctri
næ ſocietatem, ſummorum Pontificũ li-
teris probandam, quàmprimùm erige-
re, & regulis conuenientibus munire cu-
rent. In quam pii, ac Deo ſeruiendi cu-
pidi viri, mulieresque, & præſertim no-
biliores, ac matronæ receptæ, fœminas
edocendo, in præclaro religioſoq. ope-
re, laborare contendant.

De Fide prædicanda.

Seſſ. 5. c. 2. PRæter has literarum ſacrarũ lectio-
nes publicè, priuatimq. habendas,
ſancitum etiam fuit pro fide amplifican
da, confirmandiſque fidelium animis
apoſtolicum prædicandi miniſterium
atque Euangelicæ veritatis præconium
in eccleſiis de loco ſuperiore, populo
exhibendum eſſe. Cumque præcipuum
hoc munus Trid. concil. ad Epiſcopos,
Archiepiſcopos, Primates, & omnes ec-
cleſiarum Prælatos pertinere cognoue-
rit. Statuit ſimul, & decreuit, vt hi per ſe
ipſos, ſi legitimè impediti nõ fuerint, ad
prædicandum populo ſanctum Chriſti
Euãgelium teneantur. Quòd ſi legitimo
impedimento laborent, viros idoneos
aſſumant ad huiuſmodi prædicationis
officium ſalubriter exequendum, alio-
quin diſtrictæ ſubiaceant vltioni.

Itidem Archipresbyteros, Plebanos,
Parochos, & quoſcunque curam anima-
rum habentes, per ſe ipſos idem prædi-
cationis munus obire ſanxit; quòd ſi le-
gitimè impediti fuerint, diebus ſaltem
dominicis, & feſtis ſolemnibus per alios
idoneos plebes ſuas, pro ſua, & earum
capacitate, paſcant ſalutaribus verbis.
alioquin iuxta præſcriptum à Concilio
Tridentino c. 2. ſeſſ. 5. mulctentur.

At verò cum publicę huius officii ne-
ceſſitati vix ſatis vnquàm fieri poſſe, pro
populorum vtilitate Synodus noſtra ani
maduertat; illud quoq. in Prouincia no
ſtra à pia Epiſcoporum ſollicitudine in-
ſtitui vehementer cuperet, vt in Cathe-
dralibus eccleſiis præter ſacrum Qua-
dragesimę, & Aduentus Dominici tem-
pus, ſingulis etiam diebus feſtis, mane
ſacra Concio ad populum haberetur, ex
diuinæ ſcripturæ, & ſanctorum Patrum
fontibus, ad pietatem, & vitæ diſcipli-
nam deducta. & poſt ueſperas ſpiritua-
lis ſermo eodem die præſentibus Cano-
nicis, & Clericis non intermitteretur.
Huncque ſanctum, & religioſum morẽ,
in Collegiatis quoque inſignibus obſer
uari magnoperè optaret.

Et quoniam debitores ſumus ſapien-
tibus, & inſipientibus; quin ubi periculo
ſiores, frequentioresuè morbi inualeſce
re ſolent, eò crebriora, & certiora me-
dicorum remedia expetuntur. Ideo cũ
illi, qui longiùs ab urbibus, ac frequen-
tia hominũ, in uallibus, ſyluis, aut monti
bus morãtur: eò magis cognitione uirtu
tis, diſciplinę lege, ac Dei timore egere
uideãtur. Propterea Ordinarii in prima
diœceſana Synodo celebrãda, in eo ſtu
dioſè cũ plebanis, parochis, uniuerſoq.
clero

Digitized by Google

clero ſuo vrgebunt: vt conſilio cum iis initio, prædicatores doctrina, & moribus probati, ac certis documentis ab Ordinario inſtructi, per diœceſim miſſi diſtribuantur: vt ſciat plebs deuota, ad quem locum confluere, & verbum Dei, ſalutiſque poculum ſalubriter haurire poſſit.

Sicuti verò eorum Concionatorum pietatem, & zelum synodus noſtra maxime probat, qui ad timorem Dei, & mandatorũ illius obſeruationem in animos hominum imprimendam, ac virtutes extollendas, vitia inſectanda, cordaquè compungenda, ac vitam populorum reformandam, cum breuitate ſermonis ſe conuertunt. Sic illos grauiter arguendos præcipit, qui captioſa hæreticorum argumenta, vanaſque diſputationes ſimplicibus in fide conſtantibus temerè proponunt. Quin & laicos quorum non eſt prædicandi munus, & qui facile labi poſſunt, ne, ſe concionatores agere, nec vllibi de fide diſputare audeant, pœnis grauiſſimis ab Epiſcopis exequendis interdicit.

Quòd ſi illud quoque, quod magno cum fructu nonnullis in locis pridem inſtitutum fuit, à ſingulis quoque coepiſcopis noſtris reciperetur: vt certis quibuſdam feriatis diebus, in loco ab Ordinario deſignando, hora opportuna poſt Veſperas, ſermones ſpirituales, ac familiares quædam collationes ad praxim Chriſtianæ vitæ formandam, moreſque emendandos, atq. deuotionem excitandam haberentur, certis tum regulis, tum pertractandi rationibus comprehenſi: mirificum ea res in ſpirituali ſtudio perfectum, atque ædificationem populo eſſet allatura.

De Fide audienda.

SED quoniam fides eſt ex auditu, & fruſtra effunditur ſermo, vbi non eſt qui audiat: nec ſufficit illorum, qui docẽt, aut prædicant, diligentia & aſſiduitas, niſi & audientium illis attentio reſpondeat. Quinimmo ſicut Apoſtoli mandatum prædicandi à Chriſto Domino acceperunt, ſic & populi præceptum audiendi habuerunt; ſcriptum eſt enim. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? aut quomodo audient ſine prædicante?* Idcirco cum mutua hæc ſint, & vtrinque neceſſaria officia, tam docẽdi, quàm audiendi: nihil frequentiùs, ſtudioſiùs, & vehementiùs, opportunè, & importunè curabunt Paſtores omnes, & Confeſſarii & Sacerdotes, quàm vt populum ſæpè moneant, vrgeant, & pia quadam vi compellant ad ſacras conciones, euangelicaſquè voces audiendas attentis animis, puro corde, accenſoquè ſpiritu: non vt verba hominum, ſed vt eloquia Dei, ex diuino throno ſapiẽtiæ ad eos cælitùs demiſſa.

Adeoque illis hæc monita inculcare non deſinent: vt planè intelligant, non ſolum teneri omnes ſcire communiter ea, quæ ſunt fidei, & vniuerſalia iuris præcepta; ſed etiam ſingulos illa, quæ ad eorum ſtatum, vel officium ſpectant. *S. Thom. 1.2 q. 76. art. 2. in reſp.* Alioquin peccato ommiſſionis eos obſtringi, ac propter neglectam rerum huiuſmodi, quas ſcire debebant ignorantiam, reos habendos fore.

Ad hæc pueri, & puellæ vt Chriſtianæ fidei initijs imbuantur, ad eamquè percipiendam diebus Dominicis ad eccleſias conſtitutas accedant; erit hoc Parochorum, ac Sodalitatis doctrinæ Chriſtianæ munus præcipuum; ſubindeque non deſinent Epiſcopi illos, eorumque parentes, & curatores cohortationibus, ſuaſionibusq. inuitare: & ſi opus erit, opportunioribus etiam remediis incitare, vt teneram illam cuiuſcunq. ordinis & ſexus ętatem, ad Parochos in eccleſiis ſanctè erudiendam mittant. *Conc. Later. ſub Leone X. ſeſſ. 9 & Tridem ſeſſ. 24. cap. 4.*

Sunt & alii, qui vt in viam ſalutis perducantur, vel nolentes tanquam phrenitici ad pharmaca ſalutaria capienda ſunt compellendi. Nam & in quibus locis Iudæi habitant, velamen errorum in cordibus ſuis gerentes: iſti vt à cæcitate mentis, atque animæ duritia, ad ve-

ritatis lumen reuocētur, erunt ſtatis diebus ad audiendam Dei legem ex Chriſtianorum dogmatum, & Catholicæ eccleſiæ ſenſu explicandam, certo loco, atque ordine adigendi, iuxta conſtitutionem felicis recordationis Gregorii Papæ XIII.

Itemque publicæ meretrices fœdum corporis ſui quæſtum facientes, & in ſordidis lupanaribus, impuroque vitæ genere, vt in luto iacentes: certis & ipſæ temporibus, ſacris adeſſe concionibus compellātur, aut ipſę ſolæ, ceteris remotis. aut à matronis pijs, quarum hæc cura ſit comitatæ; aut etiam ſi ita Epiſcopis expedire videbitur, inter ceteras mulieres, quæ concioni interſunt, ipſæ quoque admittantur; vt voce Domini percuſſæ, quæ confringit cedros, faciliùs ad cor reuerti, ac pœnitentia ſuſcepta, mutatiſque moribus, Deo reconciliari, atque in eius gratiam redire valeant.

De Fide Profitenda.

POſt hæc reliquum putauit Synodus noſtra, eos commonefacere, qui cōceptam fidem verbis confiteri, palamq. conteſtari pro officij ſui neceſſitate coguntur; nam & ſi quicunque Chriſti Domini Redemptoris noſtri militiam ſequuntur, ſanctiſſimamque illius religionem colunt, illi non ſolum interiore animo firmiter diuinę illius legi aſſentiri debeant: ſed etiam vbi oporteat, fidem illam omni humano periculo contempto liberè profiteri; nam vt ait Apoſtolus, *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem* Sunt tamen nonnulli, quos nulla etiam contemptæ religionis ſuſpitione, nec vllo bonorum, aut vitæ periculo propoſito; ſed ſola officij quod gerunt ratione, fidei ſuæ catholicæ publicum dare teſtimonium oportet.

In primis enim cum ſacro concilio conſtitutum ſit ſeſſione 24. capitulo primo, vt quicunque ad Cathedrales eccleſias fuerit promouendus; poſt inquiſitionem, aut examen de eo adhibitum, fidem ſuam profiteatur. Idcirco ſi contigerit vt à Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa hac in Prouincia noſtra alicui ex coepiſcopis noſtris recipienda profeſſio fidei à promouendo committatur: curet omnino illam emitti conceptis verbis, atque ea ipſa formula quæ à Pio IIII. felicis memoriæ fuit præſcripta, nullis prorſus verbis additis, detractis, aut mutatis.

Item Archiepiſcopi, Epiſcopiquè omnes in prima Synodo Prouinciali, in qua ipſi interfuerint, eandem fidem eadem formula conceptam, emittere omnino tenebuntur.

Qui dignitates etiam, aut canonicatus in Cathedralibus eccleſijs obtinent, non ſolùm coram Epiſcopo, ſeu eius generali Vicario: ſed etiam in Capitulo licet exempto idem facere debebunt, atque id quoties prouiſi fuerint.

Parochi itidem, & quicunque beneficia conſecuti ſunt curam animarum habentia, intra duos menſes à die poſſeſſionis adeptæ coram Ordinario, vel eius generali Vicario, quoties ea obtinuerint, idem obſeruabunt. *ſeſſ.24.c.12.*

Ceteri omnes ſiue in præſenti, ſiue in futurū beneficia eccleſiaſtica habituri, & qui in Synodo diœceſana conuenire debent, in eadem Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, ad eiuſdem formulæ præſcriptum, fidem profitebuntur; alioquin pœnis à ſacro Concilio conſtitutis mulctabuntur. *Seſſ.25.c.2.*

Quicunque etiam ad Magiſterij ſacræ Theologiæ, ſeu Doctoratus, tam canonum & legum, quàm artium inſignia ſuſcipienda acceſſerint, in manibus Ordinarij, ſiue prioris Collegij, quem pro laurea obtinenda adierint, eandem fidem profiteri tenebuntur. Bullæ Pij. IIII. incip. In ſacroſāctā. & incip. Inuictū &c.

Et amplius ad medicam facultatem promouendi, iurare debebunt ſe Bullam Pij Papæ V. felicis memoriæ *De infirmis viſitandis*, plenè obſeruaturos. Bulla Pij v. quę Incip. ſupra gregem.

Qui

Qui verò publice alios docendi munus in vniuerſitatibus, aut Academijs cuiuſcunque facultatis, & ſcientiæ profitentur, cum aliorum ingenia doctrinis excolere, & diſciplinarum cognitione exornare ſtudeant, eò diligentior ab illis erit religionis ſuæ ratio exigenda: vt purus, intactuſque ſanæ doctrinæ liquor in audientium aures, ab illis inſtilletur. *ſeſſ. 25. c. 2.*

Itaque omnes poſt emiſſam ſemel fidei profeſſionem, initio etiam cuiuslibet anni, ſolemni iuramento coram iis ad quos pertinet, ſe ad inſtitutum concilii Trid. ſeruandum obſtringent.

Promittentes inſuper illi qui philoſophiam, metaphiſicam, aut alias huiuſmodi diſciplinas publice docent, ſi quādo eos ex illius facultatis initiis, quam tradunt, quædam proponere auditoribus contigerit, quæ cum catholicæ religionis veritate nō conſentiant: ſe poſt concluſiones ſuorum auctorum explicatas, ſimul veritatem orthodoxæ fidei manifeſtam facturos: atque omni ſtudio, & conatu contraria argumenta confutaturos, iuxta ea quæ in Lateranen. conc. à Leone X. diffinita fuerunt. *ſeſſ. 8. in Bulla quæ incip. Apoſtolici regiminis.*

Sed & ludi magiſtri, Præceptores, Pedagogi, & alii quicunque, licet non in publicis gymnaſiis, ſed alibi vbilibet publicè, vel priuatim in propriis domibus, ſuis expenſis doceant, & quaſcunque artes, ſeu facultates, grammaticam, muſicam, arithmeticam, geometriam, aut huiuſmodi alia diſcipulis tradant, eandem fidei profeſſionem emittent.

Immo & hi qui prædicandi ſibi facultatem, ſeu benedictionem dari poſtulabunt, tam ſeculares, quàm regulares, poterunt ſi Ordinario videbitur, non ante in eo concionandi munere approbari, quàm illos ex eadem formula Pontificiæ ſanctionis fidem emiſiſſe conſter.

Quæ omnes fidei profeſſiones in documenta publica à Notario erunt redigenda, teſtibus adiectis, nullo tamen ſumptu profitentium: eaque collecta in archiuio archiepiſcopali conſeruanda.

De Hæreticis denuntiandis.

POrrò vt hæc catholica fides muro cincta inexpugnabili, hoſtibus contra irruentibus fortiter obſiſtere valeat, neuè dormiētibus hominibus inimicus homo Zizania ſuperſeminare facile queat. Idcirco excubandum omnibus Epiſcopis ſynodus noſtra edicit; vt ea quæ fidelium mentes inficere poſſunt, longe arceantur; & quæ vitio temporū, atque hominum inuecta ſunt, omninò comprimantur, & reſtinguantur. Quapropter omnibus Parochis pręcipit, vt ſaltem ſingulis annis edictum *de Hæreticis denuntiandis*, promulgent; & quantū illud ſit, tàm in confeſſionibus, quàm aliis omnibus in actibus oſtendant. Laudabile quidem in primis eſſet, ſi Confraternitatem, cuius præcipuum munus eſſet hæreticos denuntiare, erigendam curarent, qualem multis in locis magno cum fructu conſtitutam ſcimus. Magiſtratus verò ſeculares in viſceribus Chriſti hortamur, & obſecramus, vt ne ſuas partes, cum tanta res poſtular, deſiderari patiantur.

De Libris prohibitis.

CVM autem ab hæreticorum, & ſuſpectorum auctorum libris venena mortifera ad fidelium perniciem ſæpius emanarint, quibus occurrendum omninò eſt; Impreſſoribus qui in huius Prouinciæ ciuitatibus prælum habent, ſub pœnis concilio vltimo Lateranen. & Tridentino comprehēſis intimamus, & præcipimus, ne quidquam prælo ſubiicere præſumant, quod non ante lectum, probatumque ab Ordinario & Inquiſitore fuerit; à quibus etiam licentiā imprimendi in ſcriptis in principio operis ponendam recipiant.

Sed ne tum quidem ſtatim venale exponant, niſi cum originali collatum, & ab ipſo auctore ſua manu ſubſcriptum, & Epiſcopo, vt perpetuò in Archiuio ſeruetur, oblatum fuerit. *ſeſſ. 4. c. vnico §. Sed & Impreſſoribus.*

Qui aliter fecerint, tam impreſſores,

quàm

quam auctores pœnis à iure ſtatutis plectantur. Quod item ſancimus de illis, qui libros huiuſmodi aliunde allatos temerè venales habent.

Qui verò ſcienter libros prohibitos retinuerit, contra eum tanquam de hæreſi, vel alio crimine ſuſpectum, pro qualitate librorum procedatur.

Illi autem qui ab Epiſcopis ad libros recipiendos, & probandos, vel reijciendos electi fuerint, diligentiſſimè munus ſuum exequantur; & in ijs quæ hæreſim apertam, aut probabili argumento ſuſpectam habent, grauiter: in iis verò quæ excuſari poſſunt, prudenter ſe gerant, ita vt illa quæ ſunt contra indicem Pii Quarti omnino repellant.

Poſtremo ſi qua erunt, quæ catholicæ fidei lumen, & dignitatem reſtringuere, obſcurare, aut quocunque modo lædere poſſint, qualia ſunt impia ſuperſtitionum commenta, diuinationes, iudiciariæ artes, & alia ex conſtitutione ſanctiſſimi D. Noſtri Sixti Quinti prohibita, tum blaſphemiæ, periuria, & omnis in ſacras literas irreuerentia, idque genus alia ſãctis legibus damnata; Epiſcopi vt ab agro Dominico, quem omni veræ pietatis cultura pinguelcere oportet, quam longiſſime arceantur: pro eximia quam debent ſolicitudine, atque paterno gregis ſui zelo, propoſitis etiam grauiſſimis pœnis curare nunquam deſinet.

DE DIVINIS OFFICIIS.

Verba ſacri Conc. Trid. ex ſeß. 24. cap. 12.

CEtera quæ ad debitum in diuinis officijs regimen ſpectant, deque congrua in his canendi, ſeu modulandi ratione, de certa lege in Choro conueniendi, & permanendi, ſimulque de omnibus eccleſiæ miniſtris, quæ neceſſaria erunt, & ſi qua huiuſmodi; Synodus Prouincialis pro cuiuſque Prouinciæ vtilitate, & moribus, certam cuique formulam præſcribet.

DIVINA officia ex vetere ſanctorum Patrum ritu ad altiſſimum omnipotentis Dei nomen colendum, atque inuocandum inſtituta, cum eiuſmodi ſint: vt pro illarum dignitate, & myſterio, nunquam de his ſatis decerni poſſit, propterea ſacrum concilium Tridentinũ poſt multa de his ſæpè conſtituta, cetera Prouincialibus ſynodis opportunius ſãcienda reliquit. Quæ quidem late adeò patere animaduertimus, vt commode nequeat certa, atque vniformis pro varia locorum conditione obſeruatio, ſingulis eccleſijs præſcribi. Quapropter potiora tantùm, & generalia quædam capita attingenda putauimus; ex quibus facilior deinde aditus ad cetera perſequenda, quibuſque Epiſcopis in ſuis eccleſijs poterit aperiri.

Inter omnia igitur diuina officia cum ſummum illud, ac tremendum miſſæ ſacrificium, in quo viuifica hoſtia Deo offertur, ceteris omnibus præſtare digno ſcatur; nonnulla in eo præcipuè obſeruanda, & commemoranda cenſuimus; quarum quædam ad perſonas: quædam ad loca: alia ad tempus: reliqua ad miſſas ipſas, reſque illis adiunctas poſſunt pertinere.

Seſſ. 22. c. de obſer. et euit. in celebrat. miſſ.

Quæ ad perſonas pertinent.

DE perſonis Epiſcopos ipſos in primis monemus, vt cum ab eorum exemplo potiſſima populorum pendeat reformatio; tales ſe in hac actione omnium pręſtantiſſima præbere contendant; vt ex eorum præparatione, reuerentia, pietate, ſtudio, ac celebrandi frequentia, ceteri ſacerdotes quid ipſi præſtare debeant, facile agnoſcant.

Itaq; illos in Domino monemus, & cohortamur, diebus etiam non feſtis crebro ſacrum facere in populi præſentia, ad illius ædificationem: in maioribus verò ſolemnitatibus, aut aliis diebus, quibus ex eccleſiarum ſuarum inſtituto id moris eſſet, ne Pontificales miſſas omittant, mandamus. Intra quarum ſolemnia, & ſermonem ſacrum ab eiſdem, aut ab aliis ad id conſtitutis, ſi ipſi nequeant, haberi vehementer optamus: ne tam ſolemnis actio diuini verbi pabulo, quo plebs reficiatur, careat. Reliquis autem diebus feſtis Epiſcopos miſſis conuentualibus, ac Veſperis, & ſacris concionibus, ſi ipſi non concionentur,

nentur, intereſſe ſummopere cupimus.

EPISCOPORVM exemplo eos, qui Dignitates, ſeu Canonicatus obtinent, tanquam eiuſdem corporis conſortes frequenter Miſſas, in Cathedrali præſertim Eccleſia, celebrare maxime decet: cum interiori cordis munditia, & puritate: exteriorem quoque pietatis, ac deuotionis nitorē coniungentes, vt eò magis acceptabile ſit Deo illorū ſacrificiū.

Tum parochos, ac reliquos ſacerdotes ab Ordinarijs approbatos, ne ad hęc diuina myſteria pollutis manibus, cordeque impuro accedant, grauiter ſacrilegij, cæleſtisque vindictę periculo monemus; cum illos oporteat cōſcientia diligēter antea excuſſa, præeuntibus, quas oportet precibus, prælectis maturè quæ recitanda erunt, ac neceſſarijs cęremoniarum ritibus bene cognitis, ſumma modeſtia, ac ſanctimonia ſe dignos miniſtros Dei, ac diſpenſatores myſteriorum Chriſti exhibere; non operto capite, niſi ex diſpenſatione: nec cum annulo, niſi dignitas ſuffragetur: nec alio habitu, ſeu capillitio, aut barba, quàm ſacerdotalis religio expoſcat.

Cæteri verò ignoti, vagiquè ſacerdotes, ſiue peregrini abſque commendatitiis literis, nequaquā admittantur: ſed nec recenter initiati ſacerdotes, niſi Pręfecti cæremoniarum teſtimonio, ad ſacra recipiantur.

Huc pertinet illarum quoque perſonarum ratio, quæ ſacerdotibus celebrātibus ſiue miniſtrare, ſiue eorum ſacro intereſſe ſolent. Nam quod ad miniſtros attinet, in Pontificalibus Miſſis præter canonicos, aliosque choro ſeruientes, tot etiam alios maiorum, minorumuè ordinum clericos, ad altare ipſum congruis ornamētis indutos adſiſtere oportet, quot vetere Eccleſiarum ritu inſtitutum eſt. In aliis verò Conuentualibus Miſſis tot adſciſcendi erunt, quot probata eccleſiarum conſuetudo laudabiliter obſeruat. At in alijs quæ priuatim habentur Miſſis, vnus ſaltē clericus, ſi eius copia haberi poſſit, ſuperpelliceo, talarique veſte indutus. alioquin laicus clericali, aut diſciplinatorum, ſiue honeſto aliquo habitu amictus, ſacerdoti celebranti decorè, ac reuerenter inſeruiat.

Ab iis verò qui altari non miniſtrant, ſed ſacra tantū faciētibus interſūt, hæc obſeruari vehementer Synodus optat;

Primùm vt ad Pontificales Miſſas magiſtratus, atque nobiliores Ciuitatum ordines, pro loci cuiuſque conditione aduocentur: cum non deceat Præſulem Pontificali illo habitu altiſſimum ſacerdotem in cæleſti maieſtate Chriſtum Dominum referentem, ac plebem ſuam Deo conciliare ſtudentem, eique ſolemniter benedicere cupientem, non niſi magna populi frequentia ſtipatum hæc myſteria pertractare.

Deinde vt in conuentualibus etiam Miſſis, quæ diebus feſtis aguntur: moneantur omnes, qui iuſtis non arcentur impedimentis, ne eas præſentia ſua, ac deuota attentione deſtituant, cum indignum ſit hæc myſteria, quæ ad communem populi deuotionem, ac ſpiritualē fructum ſolemniter celebrari inſtitutum fuit, à multis tanquàm ad ſe non pertineant, otioſe, inutiliterque derelinqui.

Subindeque vnumquemque diligenter inſtrui à Parochis, & Concionatoribus cupit, de ingenti fructu, qui ex ſacro quotidie audiendo percipitur; proptereaque omnibus conſulant, ita domeſticas ſuas curas, aliauè negotia diſponere, ne quotidiano hoc ſpiritus careant incremento.

Omnes verò ij, cuiuſcunque generis ſint, atque ordinis laici, ſiue viri, ſiue mulieres per cancellos, & ſepta ab altari maiori, atque à clericis, ac ſacrorum officiorum miniſtris omninò ſeparentur. In aliis etiam quæ ſeorſum habentur Miſſis in Sacellis eccleſiarū, ſeu Oratoriis, quantum cuiuſque loci conditio patietur, idem obſeruari mandamus; vt ſaltem ſeculares omnes à ſacra menſa ſemoti congruenti ſpatio diſtent; ac non ſtantes, ſed genibus poſitis, qua decet humilitate, atque attentione venerandis adſint myſteriis: viri aperto, mulieres velato, vt eſt ſancitum, capite.

iate;

interimque iuxta conſtitutionem Pii Quinti fel. rei importunæ eleemoſynarũ exactiones, publicæ piorum locorum commendationes, aliaue id genus intempeſtiua pietatis ſubſidia, vnde celebrantium, atque audientium ſpiritualis feruor obtunditur, procul arceantur.

Quæ ad loca pertinent.

DE locis illud primum obſeruetur, vt Pontificales, conuentuales, ſolemneſque omnes Miſſæ diebus præſertim feſtis nõ niſi in altari maiori coram populo celebrentur, niſi forte ex vetere Eccleſiarum ritu, eximiaque populi deuotione, ad aliud etiam altare hæc ſacra fieri Epiſcopus quãdoq. permittet.

Porrò altaria ipſa fixa vbique ſint, atque ea forma cõpoſita, quam Epiſcopi ſuis eccleſiis præſcribent.

In altaribus verò quæ ſub dio, aut etiã ſub Porticu eccleſiæ parietibus adiuncto inueniuntur, ſacrum fieri non permittant.

Quæ Miſſæ in altari certo celebrandæ ſunt, illæ in alio non celebrentur, niſi in caſibus iure permiſſis, qui ab Epiſcopo, cum ſeſe res offeret, declarentur.

Quæ ad tempus pertinent.

QVod ad tẽpus attinet, hæc erunt obſeruãda. Primùm ne Miſſæ ante auroram celebrentur, niſi aliter neceſſitas in caſibus à iure permiſſis ab Epiſcopo probata poſtulet. Tùm verò in eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis Miſſę ita diſtribuãtur, præſertim diebus feſtis, vt ab aurora vſque ad meridiem frequentes Miſſæ variis diſpoſitæ altaribus, ad populi commodum nõ deſint. Præterea vt præſcribantur ab Ordinariis certi dies, quibus Canonici in cathedralibus, & collegiatis eccleſiis conuentualem Miſſam celebrent.

In Parochialibus etiam eccleſiis pręſertim ruri exiſtentibus, vbi alii deſunt ſacerdotes, curent Parochi ſe tempori illi accommodare, quo frequentior populus Miſſæ intereſſe poſſit, quacunq. aliorum importunitate diuerſam horã petentium reiecta. Ipſiq. parochi in primis caueant, ne diebus feſtis ſuas eccleſias deſerant, niſi vrgente aliqua ratione ab Epiſcopo probanda.

Feſtis diebus, quo tempore matutina cõcio in quibuslibet eccleſiis habetur, non liceat Canonicis, aut aliis quibuſcunque Miſſas, ſeu alia diuina officia in eadem eccleſia, quamuis in ſeiunctis, & ſeorſum poſitis ſacellis celebrare.

In Parochialibus verò eccleſiis non ſolùm idẽ obſeruetur, ſed etiam caueatur, ne quo tempore Miſſa, vel ſacra cõcio, vel veſperæ habentur, aut in doctrina Chriſtiana pueri erudiuntur, in Oratorijs, ſeu eccleſiis Confraternitatum ſub eadem Parochia poſitis, aliud officium celebretur, cum animarum curandarum vtilitas id non patiatur; niſi Epiſcopus confratribus ipſis inter eos tantum hæc agi permittat, ianuis eccleſiæ clauſis, aliiſque nullatenus admiſſis.

Quæ ad Miſſarum celebrationem pertinent.

POrrò quod ad miſſas ipſas celebrandas, atque alia iis adiũcta pertinet, illud in primis Synodus mandat, vt ad ea tollenda, quæ vel auaritia, vel irreuerentia, vel ſuperſtitio induxit, cum reliquis rebus à ſacro Concilio ſancitis, Epiſcopi omnes toto pectore incumbant, omnemque huius ſacri peragendi, ac congrui in eo apparatus adhibendi rationem, ad præſcriptum Miſſalis Romani cum ſuis rubricis accommodare ſtudeant.

Inter cætera verò in eo diligenter elaborandum monet, vt Miſſæ Pontificales, quæ omnem requirunt ſolemnitatem, omni etiam cultu, ornatu, atque diſciplina celebrentur.

Tum Miſſæ conuentuales diebus feſtis ſuo etiam non careant apparatu.

Cæteræ conuentuales Miſſæ ſingulis diebus hora debita celebrentur; & nunquam propter Miſſas defunctorum, aut alias votiuas, Miſſæ diei congruentes omittantur.

In

In Miſſis verò pro defunctis ea ratio adhibeatur, vt fidelium charitati erga mortuos, quantum fieri poteſt, ſatisfiat; ſed non tamen ob earum frequentiam locus alijs Miſſis ex ritu eccleſiæ debitis præripiatur.

In Miſſis nouis maiorem aliquem apparatum cum pietate coniunctum adhiberi Synodus non prohibet: ita tamen vt in illis, & in aliis omnibus ceſſent obambulationes ad indecoros quęſtus per eccleſiam: ſed tantum liceat celebranti ad altare, ex veteri eccleſiæ ritu eleemoſynas recipere; ceſſentq. pariter tripudia, ceſſent commeſſationes, ac denique omnia, quæ veram in tanto ſacrificio diſciplinam perturbare ſolent.

Quæ ad reliqua diuina officia pertinent.

DE reliquis diuinis officijs, horiſque canonicis, cũ diuerſa ſit multis in rebus eccleſiarum conditio, mandat Synodus, vt ſinguli Epiſcopi cũ duobus canonicis, quorum vnus ab Epiſcopo, alter à capitulo deligatur, ea omnia quæ ad Chori reformationem, & congruam illorum celebrãdi rationem pertinebunt, ſaluis concilii Tridentini decretis, in vnum colligere, atque in vſum inducere, in Diœceſanaque ſynodo promulgari curent: atque inter cetera de his quæ ſequuntur, ea quę neceſſaria erunt, decerni ſtudeant; vt ſingulis chori officialibus, ſiue miniſtris ſuas partes præſcribant, manſionarijs, cappellanis, & reliquis cuiuſuis ordinis clericis, præfecto chori, magiſtro cæremoniarũ, punctatori, ſacriſtæ, cuſtodi, ſeu Theſaurario, magiſtro cantus, minorum clericorũ præceptori, & alijs huiuſmodi, pro cuiuſque eccleſię ſtatu.

Vt in ſingulis eccleſiis quatenus per earum facultates licebit, non deſinãt ornamenta ijs coloribus diſtincta, quę feſtorum dierum, & aliorum temporum varietas expoſcit: ac quæ linea ſunt, candida, munda, atque integra adhibeantur.

Vt Kalendarium in Cathedrali eccleſia ſingulis annis ad præſcriptum Romani Breuiarij pro certa diuini officij recitandi regula conficiatur, ad cuius normam cæterę eccleſię omnes dirigantur. nec aliud Kalendarium non conſentiente Epiſcopo, ab vlla eccleſia promulgetur.

Vt de ſupplicationibus, de funeralibus, de confraternitatibus, aliisque huiuſmodi pro ſingularum eccleſiarum ratione, quod oppotrunum videbitur, decernatur.

Vt ſecularium deambulationes, confabulationes, & prophanorum quorumuis negociorum tractationes, in Eccleſiis quolibet tempore interdicantur.

Vt in his quæ ad ſacros ritus, vetereſque eccleſiæ cęremonias attinent, interim illa obſeruentur, quæ in Pontificali, & ſacerdotali, alijſque de hac re probatis à Sancta Romana Eccleſia libris continentur, donec liber cæremonialis ex Vrbe Roma prodeat, ad vſum Epiſcoporum, & eccleſiarum omnium confectus, qui breui expectatur.

DE

DE INVOCATIONE VENERATIONE ET RELIQVIIS SANCTORVM, ET DE SACRIS IMAGINIBVS.

Verba ſacri Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. De inuoc. venera tio. & Reliq.

MANDAT Sancta Synodus omnibus Epiſcopis, & ceteris docendi munus, curamque ſuſtinentibus, vt iuxta catholicæ, & apoſtolicæ Eccleſiæ vſum à primæuis Chriſtianæ religionis temporibus receptum ſanctorumq; patrum conſenſionem, & ſacrorum conciliorum decreta, in primis de ſanctorum interceſsione, inuocatione Reliquiarum honore, & legitimo imaginum vſu, fideles diligenter inſtruant, docentes eos, Sanctos &c. Quòd ſi aliquis dubius, aut difficilis abuſus ſit extirpandus, vel omnino aliqua de his rebus grauior quæſtio incidat. Epiſcopus antequam controuerſiam dirimat, Metropolitani, & comprouincialium Epiſcoporum in Concilio Prouinciali ſententiam expectet; ita tamen vt nihil inconſulto Sanctiſsimo Romano Pontifice, nouum, aut in eccleſia hactenus inuſitatum decernatur.

De veneratione Sanctorum.

GLORIOSAM ſanctorum memoriam, quorum vita meritis præclara mors pretioſa in conſpectu Domĩni fuit, à cunctis Chriſti fidelibus celebrandam eſſe catholica ſemper docuit eccleſia; nouiſſimèque Trid. Concilium adeò de ſacroſancto hoc vetere inſtituto retinendo, ac propagando, ſollicitum ſe eſſe oſtendit, vt in Prouinciali etiam Concilio de grauioribus nonnullis rebus, quæ in his verſari poſſent, conſultãdis accurate inter ſe Patres agere, matureque negocium expendere præceperit: ita vt ſuperſtitioſo, indecoroque omni illorum cultu à fidelibus ſublato ſanctorum cum Chriſto regnantium honor, inuocatio, & veneratio in Chriſtiano populo ſincera pietate, ac religione perperuò efflorefcat.

Quapropter mandat ſynodus noſtra Prouincialis omnibus Epiſcopis, vt diligenter recognitis omnibus eccleſiis, quæ in honorem Sanctorum extructę in ciuitate, aut in diœceſi reperiuntur; ceteros ſanctos inſigniores, quos prætermiſſos, nec peculiares eccleſias habere competerint, nouis ſi fieri poterit eccleſiis decorari ſtudeant, aut ſaltem altaria aliqua in maioribus eccleſiis nominatim in eorum memoriam erigi: ita vt ſingulis ſanctis qui ſunt illuſtriores, & in Breuiario Romano recenſentur, ſi rerũ ſtatus patietur, ſua ſint ſacra loca aſſignata; in quibus illorum orationes, auxiliaque implorentur, & dignus eorum gloria cultus peragatur. Aut certe ſancti illi, qui inſigniore feſtiuitate à catholica eccleſia celebrari ſolent, nullo pacto permittantur non propriis eccleſiis, aut oratoriis, ſiue ſacellis, vel altaribus honorari. Quod vt in vſum inducatur, Epiſcopi omnes pro ſua pietate, & prudentia omni ſtudio curabunt.

Ad hæc vt populus ad ſanctos illos magis venerandos excitetur, in quorũ honorem Parochialis eccleſia fuit inſtituta, atque eorumdem patrocinio commiſſa; Optat eadem Synodus, ſollicita Paſtorum cura & ſtudio, fideles pie, diligenterque moneri; vt quando dies feſti ſanctorum illorum, qui tutelares Parochiæ illius habentur, aduenerint; à Parochiarum incolis, eorum ſolemnitates ſanctè, religioſeque colantur, hac certa fidu-

ta fiducia illorum interceſſionem rebus ſuis apud Deum omnipotentem eò ſalubriùs adfuturam, quò ſe illorum gratia & precibus digniores præbuerint. Quin etiam curabunt, illorum imagines tum ſuper oſtio Eccleſiæ, tùm ſuper altari maiori, loco conſpicuo depictas oculis fidelium offerri. Item illorum vitam, inſignioreſq. eorumdem actiones ab Eccleſia probatas, qua templi illius parte cómodiùs videbitur, coloribus deuote exprimi.

Quemadmodum verò Sanctorum illorum feſtiuitates, quæ publicè ex vetere Romanæ eccleſiæ inſtituto, aut locorum conſuetudine celebrari ſolent; omni religionis, venerationiſq. cultu, ita obſeruari Synodus noſtra præcipit; vt & opera ſeruilia, ceteraq. ſacris conſtitutionibus agi eo tẽpore prohibita, omnino inter mittantur. Sic nouos aliquos Sanctos, atque in eccleſia inuſitatos introduci nequaquam patitur, niſi prius illorum obtenta canonizatione à ſede Apoſtolica.

De Reliquiis certis, & incertis.

QVoniam autem non ſolum ſanctis ipſis in Cælo cum Chriſto regnantibus venerationem deferri apoſtolica traditio, & ſacroſancta Concilia iubent: ſed & eorum reliquias, qui viua Chriſti membra fuerunt, & per quos beneficia multa à Deo impetrantur, à fidelibus coli ſanxit. Id vt diligentiùs à nobis prçſtetur, mandat Prouincialis Synodus, vt quiſque Epiſcopus omnes ſanctorum reliquias, ſiue in Ciuitate, ſiue in Diœceſi quamprimum exquiri, & recognoſci ſtudeat, ita vt certæ ab incertis, & probatæ ab alijs ſuboſcuris omninò ſeparentur: omneſque ordine, nominibuſque diſtinctis diligenti inuentario conſcriptæ in Archiuio Epiſcopali excipiantur.

Quòd ſi nouæ aliquæ effodiantur, nemini liceat, niſi Epiſcopo recognoſcente, & approbante illas recipere, qui Theologis, & pijs viris in conſilium adhibitis, ea decernat, quæ cum veritate, & pietate congruere iudicabit. Fiat autem omnium quæ probatæ, certæque fuerint, catalogus, cum oratione, & indulgentijs, qui in ſacello ſeu loco vbi illæ repoſitæ fuerint, affigatur; vt accedentes quaſi moneat, quàm pie, quàmque ſanctè pro obtinendis ſanctorum ſuffragijs, & interceſſione, ad illorum reliquias venerandas accedere debeant.

De Loco Reliquiarum.

DE loco verò ad illas recipiendas congruente, hæc ſeruentur: primo minutioribus reliquijs fiant arculæ quædam, aut vaſcula impensè, vt decet ornata; in quibus condantur, & ſingulis reliquijs ſingulç ſchedulæ cum ſanctorum nominibus adiiciantur; Maioribus autẽ, vas ſeu tabernaculum maius, honorificentiuſque præparetur, deinde omnia in aliquod decens pro dignitate loci reliquiarium referantur, quod ad id commode factum erit: ita vt certç omnino ab incertis proprio tabernaculo ſeparentur.

Sed quia de loco Eccleſiæ ad reliquias reponẽdas non ſatis certa deliberatio, propter diſſimilem Eccleſiarum conſtructionem fieri poteſt; cuiuſque Epiſcopi prudentiæ referuatum volumus, vt aptum locum, & ſanctorum reliquijs ſeruandis, & venerandis cõgruentem eligat, ibique reliquiarium cum lãpade ponendum curet: ac ſi fieri poſſit, omnes Eccleſiæ ſua reliquiaria habeãt, ad quç fideles pro poſcendis ſanctorum ſuffragijs piè, ſanctèque accedant.

De iis autem, quas pia deuotione optare ſolent multi, vt ſibi ius ſit eas intra domeſticos parietes, ſiue in Oratoriis aſſeruare; erit illa cura ab Ordinario ſuſcipienda, vt non alibi quàm loco certo ab eo viſitato & probato, & qui oratio-

ni, & diuinis rebus, non aliis vſibus deſtinatus ſit, cuſtodiantur.

De Reliquiis oſtendendis.

AT verò cum populo die aliquo ſolemni oſtendendæ erunt; à ſacerdore, non aliter niſi fuerit indutus ſuperpelliceo, & ſtola, & accenſis luminibus, & in capſula, in qua ſunt, oſtendantur.

In Eccleſijs verò Cathedralibus, & inſignioribus, in maioribus ſolemnitatibus laudabile inſtitutum eſſet, de ſuperiore ſuggeſto ad id præparato, recitatis Sanctorum nominibus alta voce, cũ pia aliqua adhortatione, eas populo demonſtrare, omni quæſtus ſuſpicione penitus excluſa.

De Reliquiis non aſportandis.

POſtremò ne omnino alienari, aut aſportari extra vrbem, nec in ipſa vrbe de eccleſia ad eccleſiam transferri, vt ibi maneant, ab Epiſcopo permittatur, niſi cauſa ſubſit honeſta, quæ illius animum iuſtè moueat. Quòd ſi permittente ex iuſta cauſa Epiſcopo, aliquę ex grandioribus reliquiis ad aliam eccleſiam ad tempus transferantur; id niſi cum proceſſione, & ſolemnitate tàm cũ transferuntur, quàm cum reportantur, nullo modo fiat.

Quæ verò aliunde in vrbem afferuntur, ab Epiſcopo adhibitis Theologis, & piis viris recognoſci debebunt, vtrũ authenticis documentis probentur: vnde allatæ: à quo acceptæ: & quæ, qualeſuè ſint: vt pro illarum conditione & magnitudine: vel ſolemniter, vel priuatim recipiendas decernat.

DE IMAGINIBVS SACRIS.

EX ſacris imaginibus Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum ſanctorum, cum magnum percipi fructum paſſim à fidelibus Carholica Eccleſia ſemper cognouerit, quòd per eas intuentiũ mentes ad prorotypum reuocatæ, vehementiùs ad Dei beneficia agnoſcenda, ac pietatis ſtudia conſectanda, accendantur. synodus noſtra ex Tridentini Concilii decreto, abuſus omnes, qui in eas irrepſerint, diligenter emendari cupiens, omnibus ſuis Epiſcopis enixè præcipit, vt eas perluſtrari, & animaduerti à piis, peritiſquè viris mandantes, quas à ſanctorum Patrum inſtituto abſcedere inuenerint, probè accommodari, aut ſi opus ſit, omninò mutari, aut penitus tolli iubeant.

Et in primis ne in Sanctuario Dei prophanæ imagines admittantur, non ſuperſtitioſæ, non apocryphæ, non falſæ, non otioſæ, non nouæ, aut inſolitæ, non ridiculæ, non monſtruoſæ, non quæ ſanctorum ſpecie, viuentium faciem ſtudioſè repręſentant, non alia huiuſmodi quæ à priſca abhorrent diſciplina.

Nam de obſcœnis, aut laſciuè, procaciterque pictis, ſiue quæ indecora oſtendunt membra: curandum eſt, vt ne priuatim quidem habeantur; & qui rales in poſterũ pingere, aut fingere auſus fuerit, tamquam morũ corruptor ſeuerè puniatur. Sed nec humi etiã ſacræ imagines exprimãtur, ne conculcentur.

Omnium autem cuiuſcunque generis imaginum noua miracula, niſi conſultis locorum Epiſcopis, illaque adhibitis in conſilium Theologis, & aliis piis viris recognoſcentibus, & approbantibus, vt à ſacro Tridentino Concilio ſancitum eſt, non recipiantur.

Atque vt eò tutiùs omnibus huius generis deformitatibus occurratur, optaret vehementer synodus, à ſingulis Epiſcopis aliquos rerum Eccleſiaſticarũ vſu peritos deputari, qui ſanctorũ, aut ſacrorum myſteriorum imagines in poſterũ pingẽdas, antequã fidelium vene-

venerationi publicè proponantur, accuratè inſpicerent, atque ex norma eccleſiaſtica factas probarent, ac ex Pontificalis libri ritu benedicendas mandarent, nominibus etiam ſanctorum, aut myſteriorum illorum breuiter adſcriptis, quæ obſcuriora intuentibus videri poſſent.

DE INDVLGENTIIS, ET ELEEMOSYNIS.

Verba ſacri Conc. Trid. ſeſſ. 25. de indulg.

SACROSANCTA Synodus Indulgentiarum vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem, & ſacrorum Conciliorum auctoritate probatum in eccleſia retinendum eſſe docet, & præcipit,& quæ ſequuntur & cet. Abuſus verò qui in his irrepſerunt &cet. omnino abolendos eſſe &c. Mandat omnibus Epiſcopis, vt diligenter quiſque eos colligat, atque in prima Synodo Prouinciali referat, vt aliorum quoque Epiſcoporum ſententia cogniti, ſtatim ad ſummum Ro. Pontificem deferantur.

DE Sacris indulgentijs, cum duo ſint præcipuè quæ,à Trid. Cōcilio ſancita fuerunt: alterum quod ad eas conferendas,ſalutaremque illarū vſum in Chriſtiano populo retinendum: Alterum quod ad abuſus qui irrepſerunt, corrigendos pertinet; Synodus noſtra, de vtriſq. illorū, hęc quę ſequuntur, Epiſcopis Prouinciæ ſuæ obſeruāda decernit.

De Indulgentijs concedendis.

PRimùm enim paſtoralis officij, & ſollicitudinis eſſe monet, ſubiectos ſibi populos de maximo, atque vberrimo indulgentiarum fructu diligēter erudire: vt eò accuratiùs ſtudeant intima animi religione, atque Chriſtianæ pietatis operibus dignos ſe cæleſti hoc theſauro exhibere: cuius diſpenſatio cum ſummo Rom. Pontifici diuinitùs tradita fuerit, cui licet pro ſuprema poteſtate modò maiores, modò minores, interdum etiam pleniſſimas indulgentias, pro locorum, caſuumque diuerſitate elargiri: erunt Epiſcoporum partes curare, vt Chriſtianus populus eas omni deuotione, atque ſingularum rerum, quæ in litteris apoſtolicis mādatæ erunt, obſeruatione ſuſcipiat. Itidem eas quæ à Legatis de latere, Nūciis apoſtolicis, aliiſuè auctoritatem habentibus, pro facultate illis tradita conceſſæ fuerint, piè, religioſèque recipiat.

Epiſcopi verò cum ex ordinaria poteſtate præſcriptam facultatem habeāt, certos indulgentiarum dies fidelibus conferendi, ſynodus illos monet, ne illis impertiendis fines conſtitutos tranſeant, nec pro temporalium rerum commodo, atque piorum locorum, eleemoſynarum colligendarum intuitu præcipuo, tàm ingentia dona effundant; ſed in primis ad animarum ſuffragia, pœnarumq. relaxationes, atque ſpiritualem fructum augendum, eas largiantur; tùm ne paſſim illas, aut nimis frequenter concedant, ne eccleſiaſtica diſciplina eneruetur; ſed qua decet moderatione, modò perpetuas, modò temporales pro ut rerum ſtatus poſtulauerit, piè, ſapienterque diſtribuant.

De Indulgentijs publicandis.

QVoniam autem multorum ſæpè importunitate, ac ſupplicationibus, ficta pietatis ſpecie, huiuſmodi indulgentiæ præter religioſam eas conferentium mentem extorquentur; vnde obtrectationes, & ſcandala crebrò apud fideles oriuntur; Idcirco Synodus, vt omnibus fraudibus, atq. circumuenientiū dolis occurratur, ſtatuit nullis prorſus

ſus nec Parochis, nec concionatoribus ſecularibus, nec etiã in eorum eccleſiis, ſiue in ciuitate, ſiue in diœceſi licere eas publicare; niſi licẽtia Ordinarij gratis, & in ſcriptis præcedente: ita vt nec prætextu priuilegiorum quorumcunq., nec cõfraternitatũ, aut ſocietatum, quocunque nomine nuncupentur, ius cuiquam ſit has publicè affigendi, aut aliter populo denunciandi, niſi apoſtolicæ literæ aliud mandarent: alioquin pro modo culpæ plectantur.

Verùm cum illæ iam impetratæ ad eũ locum delatæ fuerint, in quo promulgari eas oporteat; mandat ſynodus, vt Epiſcopo loci, ſeu eius Vicario in primis exhibeãtur: qui adhibitis duobus ad id idoneis de Capitulo, eas quas fideliter, & præter legitimam ſubreptionis ſuſpitionem, impetratas fuiſſe cognouerit, in linguam vulgarem, nihil illis addendo, aut minuendo verti curet: vt diſtinctim populus, quid meditandum, quid orandum, quis locus viſitandus, aut quid omnino agendum pro fructu illarum conſequendo clarè admoneatur. In de illas quę perpetuò, aut ad tempus impetratæ fuerint, in libro ad id nominatim conſtituto, atque in Archiuio conſeruando, diligẽter adnotari præcipiat.

Quas verò Epiſcopus, ſeu eius Vicarius legitimè ſubreptitias eſſe cognouerit, tunc ſuper illis, quid ſibi agendum ſit, Sanctiſſimum D. N. conſulat.

Quòd ſi harum Indulgentiatũ occaſione eleemoſynæ eſſent colligẽdæ, pro redimendis captiuis, aut expeditione contra infideles, aut ad aliorum piorum locorum ſubuentionem; in his quod à Trid. Conc. præſcriptum fuit, nullatenus prętermittatur: vt iiſdem duobus de capitulo adhibitis, quæ colligentur ſubſidia, in certam, & clauibus munitam capſam inferantur: atq. ad deſtinatum vſum, nulla prorſus accepta mercede, fideliter transferantur.

De Indulg. præteritis reuidendis.

IN illis verò indulgentiis, quæ ſuperioribus temporibus conceſſæ perhibentur, illa erit ratio, pro vigilanti Epiſcoporum ſollicitudine, obſeruanda: vt quotcunque in ciuitate, ſeu diœceſi cõpertæ fuerint, diligenter à prudentibus, peritisque viris deputandis recenſeantur; & quas inuenerint requirere manus adiutrices ad illas cõſequendas, eas vt abrogatas à fel. rec. Pio Quinto ab eccleſiis, publicisque locis tolli iubeant; quas etiam ex quauis cauſa conceſſas à fel. rec. Greg. XIII. etiam expeditionis contra Turcas, ſi quæ per Nuntios Apoſtolicæ ſedis, vel quęſtores deferebãtur, cum aliis facultatibus ipſas indulgẽtias quomodolibet cõcernentibus, cũ à S. D. N. Sixto V. ad eius beneplacitũ ſuſpenſæ fuerint, ea ratione, & modo qui in eius Cancellariæ Apoſt. conſtitutionibus continetur. Ideo iſtas durante beneplacito indici, diuulgariuè minime patientur. Et ſi quos alios abuſus in quibuſcunque indulgentijs quomodolibet ſucceſſiſſe deprehẽderint, ad Prouinciaelem ſynodum eos primo quoque tempore deferre non prætermittent.

Ceterum ad fidelium pietatem magis excitandam, eosque ad diuinæ miſericordiæ ſuffragia frequentiùs imploranda, Epiſcopalis ſollicitudinis munus illud erit, vt ſacras omnes indulgentias ſiue perpetuo, ſiue ad certum tempus, quod nõdum elapſum fuerit conceſſas, fideli inuentario exceptas, in libro certo, ad idque nominatim confecto, atque in Archiuio conſeruando, ſigillatim deſcribi curent, notatis locis, temporibus, ceterisque neceſſarijs obſeruandis: cui inuentario alius præterea accedet libellus, ſiue tabella in ſacriſtia vniuscuiusque eccleſiæ, aut alio aptioti loco retinenda, vbi peculiares indulgentiæ illius eccleſiæ ad omnium notitiam adnotentur, & conſeruentur.

De Altaribus priuilegiatis.

DE altaribus verò, quæ priuilegiata dicuntur, quòd præcipuo gratiarum munere à Summis Pontificibus ita fuerunt inſignita, vt quoties aliquis ſacer-

ſacerdos, ſiue regularis, ſiue ſecularis Miſſam in eo, ſiue ſuo, ſiue alterius nomine celebrauerit pro anima cuiuſcunque fidelis, quæ Deo in charitate coniũcta ab hac luce migrauerit, eam à pœnis purgatorii, per modum ſuffragii liberare poſſit. ſynodus id maximè cupiens, ne pia fidelium vota, quæ hiſce ſalutaribus ſubſidiis exoptant adiuuari, errore, negligentia, aut vlla alia ratione deſtituantur, paternam Paſtorum vigilantiam excitans, eos monet: vt in ſingulis eccleſiis Ordinariis ſubiectis vbi hæc altaria extiterint, liber proprius conſeruetur; in quo oblationes omnes ordine deſcribantur, vt præfecti illius Eccleſiæ eorum oblationibus, quæ anteriores fuerint, & ſubinde aliis ritè ſatisfieri curẽt; atque eas tantum eleemoſynas recipiãt, quibus numerus Miſſarum reſpondere poſſit, nec ex iis quiſquam ſuo deſtitutus voto, aut fructu relinquatur.

De Eleemoſynarum collectoribus.

DE reliquis etiam, qui indulgentias, aut ſpirituales gratias ad indignos plerumque quæſtus diuulgare ſolent, cum ſacrum Tridentinum Concilium quæſtorum nomen, & vſum penitus ſuſtulerit, Epiſcopi quoque in Prouincia noſtra eos nullatenus vagari permittent. Quia tamen ad vſum pauperum, ſiue hoſpitalium, aut monialium, ſeù fabricæ Eccleſiarum, aliorumùe piorum locorum indigentium neceſſitatem, pios aliquot viros non deeſſe oportet, quorũ fideli miniſterio eleemoſynæ, aut alia charitatis ſubſidia pauperum nomine petantur, & colligantur: hos minime paſſim prohibendos, ſed chriſtiana charitate certis præſertim in locis intra Diœceſis fines complectendos Synodus docet: dum tamen collectores ſpectatæ bonitatis, & religionis ſint, Epiſcoporum iudicio probati: quorum in eleemoſynis pars nulla ſit: quiq. munus tale obeant diligenter ac decenter, ſine vlla fraude, ſine vlla bonorum offenſione, ac ſcandalo, nec quæſtoris vllo modo nomine, ſed eleemoſynarum collectores ſimpliciter appellentur. Prætерea nullas indulgẽtias diuulgent, nec concionentur, nec ſua priuilegia, aut ſacras reliquias circumferant, neque imprecationibus, aut minis eleemoſynas ab hominibus exprimant, aut extorqueant, non campanas, aliauè huiuſmodi inſtrumenta, quę olim erant quæſtorum inſignia, ipſi deferant aut pulſent, ad homines excitandos, nec tale quicquam petant tanquam debitum, aut vſitatum, nec vllo artificio, aut ſpecie commemorandæ orationis ſancti Antonii, aut alterius ſancti, neque imaginem vllam deoſculandam deferẽtes, aut alios libros, neque deſcribentes nomina populorum, aut benefactorum, vel alio peruerſo more pecunias exquirant; ſed ſimpliciter, piè, ac modeſte eleemoſynas petant, ad inopiam piorum locorum ſubleuandam, & accipiant tantum quod ſibi ſponte offeretur; nec ſuper iis eleemoſynis vllam quouis nomine conuentionem faciant etiam in vtilitatem ipſorum piorum locorum: modò ne in eccleſiis, dum peraguntur diuina, queritent, nec orantium deuotionem perturbent: & quicquid talis eleemoſynæ nomine collectum fuerit, nullam ad rem aliam, niſi ad vſum eorum, quorum intuitu ſubſidia petita fuerint, transferantur.

DE SYNODIS PROVINCIALIBVS ET DIOECESANIS.

Verba ſacri Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 2.

PROVINCIALIA Concilia ſicubi omiſſa ſunt, pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controuerſijs componendis, alijsq. ex ſacris Canonibus permiſſis renouentur &c. Ad ea Epiſcopi omnes, & alij qui de iure, vel conſuetudine intereſſe debent &c. conuenire omnino teneantur. &c. Itidem Epiſcopi, qui nulli Archiepiſc. ſubijciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum ſemel eligāt, in cuius Synodo Prouinciali cum alijs intereſſe debeant; & quæ ibi ordinata fuerint, obſeruent, ac obſeruari faciant.

POSTQVAM Tridentina Synodus Prouincialia Concilia quolibet ſaltem triennio poſt Octauam Reſurrectionis, ſiue alio cōmodiore tēpore celebranda eſſe cōſtituit; vſquè adeo vt Metropolitano legitimè impedito, id à Coepiſcopo antiquiore præſtādum eſſe iuſſerit. Synodus noſtra magnum diuinæ clementiæ beneficium, erga ſe agnoſcens, quæ Prouinciā hanc per Gregorium xiij. fel. rec. ſummum Pontificē Metropolitico iure exornauerit, ſubindeque annuente S. D. N. Sixto V. felix initiū huius auctoritatis exercendæ hoc ipſo tempore indulſerit; idcirco cum partes ſuas in primis eſſe intelligat, vt ea quę de ſynodis Prouincialibus à Tridētino Concilio ſancita fuerunt, diligentiſſimè in poſterum obſeruētur; atque ad illa quæ neceſſaria erunt, Epiſcopi omnes huius Prouinciæ ſe opportuniùs poſſint comparare: certum in præſenti tēpus prouincialis proximæ futuræ ſynodi cogendæ, atq. aperiēdæ ſtatuendum eſſe cenſuit, quod incipiet ab hinc triennio in Dom. 3. poſt Paſcha Reſurrectionis Domini, idque in hac ipſa Metropolitana Eccleſia; cum nō deceat ei quæ mater aliarum eſt, niſi iuſtis admodum impedimentis, in râm inſigni, ſolemniquè actione loca alia præferri.

De inuitandis ad Concilium.

PORRÒ illius ratio celebrandi hæc erit. Primum per edictum generale, certumque nuntium per duos menſes ſaltem ante deſtinandum, omnes cōuocabuntur, qui in eo intereſſe debent, pœna canonica appoſita, ab eodē Concilio declaranda aduerſus eos, qui legitimo impedimento ceſſante ſui copiam nō fecerint. Qui verò impediri fuerint, mittant Procuratorem cum mandato ſpeciali ad iurandum, & ſuſcipiendum decreta, quæ in Concilio ſtatuentur.

Edicti autem forma hęc, vel ſimilis erit.

Tenor edicti.

SACROSANCTI Trid. Concilij decreto mandatur, pro moderādis moribus, corrigendis exceſſibus, controuerſijs componendis, alijsque ex ſacris canonibus permiſſis, Prouinciales ſynodos quolibet triennio celebrari. Cui quidem decreto nos pro noſtri Archiepiſcopalis officij munere, vt par eſt, obtemperantes, ſynodum Prouincialem ad noſtram Metropolitanam Baſilicam hoc publico edicto euocamus, eidemq. ſynodo inchoando Dominicam tertiam poſt proximam ſacratiſſimæ Reſurrectionis ſolemnitatem præſtituimus. omneſque, & ſingulos Prouinciæ noſtræ Reuerendiſſimos Epiſcopos, Metropo

Metropolitanæ eccleſiæ Bonon. ſuffraganeos, ad ipſam Metropolitanam eccleſiam mane eadem die hic adeſſe iubemus: ac deinceps alijs conſequentibus diebus, donec ad Dei laudem, & gloriam abſoluatur.

Ceteris etiam omnibus, & ſingulis qui poſſunt, debentvè iure, aut priuilegio, aut conſuetudine eidem Prouinciali Concilio intereſſe, & ad quos id pertinet quauis ratione, illud idem indicimus, ac denunciamus, ne cuiquam vel rei ignorantiam ad excuſationem adhibere, vel ſe contemptum, neglectum vè dicere liceat.

Quòd ſi qui eorum, qui debent ad eandem Synodum perſonaliter accedere non poterunt, procuratores mittant cum ſufficienti mandato, qui cauſam eorum abſentiæ in Synodo ipſa approbandam, ſeu reijciendam proponant: alioquin pœnas, cenſuraſque illas ſe ſubituros eſſe meminerint, quæ canonicis ſanctionibus decretæ ſunt.

Atque vt hæc Concilij Prouincialis actio Deo auctore inſtituatur, eiuſque lumine dirigatur, ac ſalutari gratia perficiatur; in eo Reuerendiſſimorum Coepiſcoporum noſtrorum, atque fidelium omnium huius Prouinciæ nobis in Domino dilectorum operam, pietatem, ac ſtudium enixè imploramus, vt religioſis, aſſiduiſquè eorum precationibus adiuti, nos in hac ſancta concillarium rerum tractatione, quæ tota ad Dei gloriam, & ſpiritualem huius Prouinciç fructum intenditur, impleamur agnitione voluntatis eius, in omni ſapientia, & intellectu ſpirituali, & ambulemus dignè, Deo per omnia placentes.

Edictum verò hoc, ſingularum Eccleſiarum Cathedralium, aliarumquè inſignium noſtræ Prouinciæ, etiam exemptarum valuis affigi, publicèque proponi mandamus. In quarum rerum omnium fidem, edictum hoc confici, auctoritateque noſtra imprimi, & noſtro ſigno muniri, tum noſtra etiam manu ſignatum promulgari voluimus.

Dat. Bonon. in Palatio noſtro Archiepiſc. die. &c. *Gabr. Card. Archiep. Bonon.*

De his qui accedere debent ad Concilium.

PRoinde ne quis ex ijs, qui in Concilio intereſſe debent, ignorantiam excuſare, aut erroris alicuius prætextu abſentiam obtegere poſſit; Synodus noſtra omnibus ad quos pertinet, id teſtatum eſſe, atque vniuerſos infraſcripto decreto commonefactos voluit.

Primum enim Epiſcopi omnes comprouinciales accedere debebunt.

Tum Abbates eiuſdem Prouinciç populum habentes.

Item Capitula Cathedralium eccleſiarum inuitanda, vt aliquos de eorum capitulo, ſiue illorum Nuncium mittant.

Epiſcopi quoque alienæ Prouinciæ, qui nulli antea Metropolitano ſubiecti, ſemel elegerint Metropolitanum Bononieſem, eiuſdem prouinciales Synodos continuare debebunt.

Quòd ſi alij fuerint in eadem Prouincia non ſolum Abbates, & clerici: ſed etiam laici, qui propter publicam, aut priuatam cauſam, ſua intereſſe putauerint, vt in Concilio audiantur: omnibus his, ſi tamen ſpecialiter inuitati fuerint laici, licebit ad Concilium accedere, ad mittendique erunt à Patribus, atque illorum querelæ, & propoſitiones in Concilio examinandæ.

De ratione celebrandi Concilium.

POrrò vt ea quæ in Synodo ſumma maturitate, & vigilantia excutiẽda, & tractanda erunt, ſalubriter deliberẽtur, atque in Dei gloriam, eccleſiarum vtilitatem, fideliumque ædificationem cedant: fient interim in ſingulis prouinciæ ciuitatibus, præſertim in eccleſia Metropolitana ſupplicationes, & preces, vt Deus, & Pater luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectũ deſcendit, Patrum ipſorum corda radijs

ſuæ

ſuæ lucis perfundat: quibus illuſtrati, quid dignum, quid rectum, quid expediens, atquæ prouinciæ huius neceſſitati accommodatū ſit, intelligant, ſapienterque decernant: vt ſolida pietatis, ac veteris diſciplinæ in tota prouincia fundamenta iaciantur.

De ordine ſedendi.

QVæ omnia vt congruenti ordine, rationequè perficiantur, primùm quę in pontificali Romano, de celebratione huius concilij tradita ſunt, erunt diligēter obſeruanda. Tum ad omnes controuerſias tollendas, Epiſcopis ipſis in concilij conſeſſu loca, non pro dignitate eccleſiarum quas obtinent, ſed pro graduum ſuſceptione aſſignabuntur; quos ſubſequentur Abbates populum habentes: tum Abbates titulares, vel mitræ vſum habentes: tum Monaſteriorū, ſiue Abbatiarum Commendatarij: deindequi dignitates obtinent: & poſtremò Cathedralium eccleſiarum procuratores, ſeruato Epiſcoporum ſuorum ordine: niſi tamen omnibus ſuperiùs relatis ius aliter ſedendi ex legitima conſuetudine præſcriptum eſſet.

Quando tamen Canonici cathedralis eccleſiæ capitulariter procederent, illi Abbatibus titularibus, & commendatarijs eſſent præponendi.

Verum & ſi accideret aliquos loco non ſuo, aut ordine, quandocunque durante concilio permanere, nulli ob id præiudicium, nullique ius nouum acquiſitum eſſe intelligētur.

De tractandis in Concilio.

TRactanda verò in prouinciali Synodo ea in primis erunt, quæ à Tridentino concilio nominatim agi debere præſcripta fuerunt. Tum generaliter, alia, quæ ad mores emendandos, exceſſus corrigendos, controuerſiaſquè componendas pertinent, ex vario eccleſiarū locorum, & temporum vſu, atque opportunitate.

Teſtes etiam Synodales de veteri more erunt decernendi; & decreta de reſidentia, alterum ſub Paulo III. alterum ſub Pio IIII. felicis recordationis, pleno conſeſſu, totaque prouinciali Synodo audiente recitanda erunt.

De habentibus votum.

QVibus quantum opus erit à patribus excuſſis, atque pertractatis; tum ex frequentiore illorum ſententia, erunt ſingula terminanda, ita vt Epiſcopi ſolum diffiniendi iure vtantur. Reliqui verò Abbates, & commendatarij & Capitulorum procuratores voce tantum conſultiua potiantur: qui capitulorum procuratores ad tractarum tantum, vbi de eorum intereſſe agitur, admittātur. Reliqui nulla in his auctoritate gaudeant, niſi Patres concilij ex cauſa procuratoribus Epiſcoporum abſētium, gratificandum duxerint, vt ad votum etiam diffinitiuum eos admitterent.

De Subſcribendo, & exequendo.

HIs peractis ſubſcribent decretis à Synodo probatis omnes qui concilio interfuerint, & voti diffinitiui ius habuerint; indequè poſt legitimam decretorum omnium promulgationem, quæ publico edicto fieri ſciant vniuerſi, conſtitutionibus illis comprouinciales omnes Epiſcopos, & alios qui accedere tenentur, item illorum ſubditos adſtrictos eſſe, pœnis aduerſus non obedientes conſtitutis. Quæ vt efficaciùs in hominum mores inducantur, partes erunt cuiuſque Epiſcopi in ſubſequente prouinciali Synodo rationem decretorum, quæ vſu recipi curauerit reddere, viciſſimque in Synodo ſua Diœceſana eandem rationem ab omnibus clericis ſuis, eorū quæ impleuerint exigere, vt quantum in Epiſcoporum facultate erit, non obſcurè doceāt, ſe illorum executionem qua decuit animi alacritate amplexos fuiſſe.

Quæ

QVAE AD SYNODVM DIOECESANAM PERTINENT.

De his qui ad synodum Diœceſanam venire debent.

CVm verò prouincialis Synodi celebratio vſque in tertium annum differatur, interim diœceſana ſingulis annis congregetur. quam ſi Metropolitanus, vel alius Epiſcopus legitima cauſa impeditus, per ſe cogere, & perficere non poterit, ſaltem per Procuratorem, aut Vicarium ſuum generalem, cum mãdato ſufficiente celebrandam curabit. atque ad hanc, præter ſubditos, qui adeſſe compelluntur: Rectores etiam exẽpti, qui à proximiori Epiſcopo poſſunt viſitari, ſi ab eodem inuitati fuerint, accedere teneantur. Quòd ſi per edictum generale vocati legitimo impedimento ceſſante non accedant, vel ſi acceſſerint, ante finem, licentia non obtenta diſcedant, arbitrio Ordinarij etiam vſque ad ſuſpenſionem officiorum, & beneficiorum mulctari poſſint.

De tractandis in synodo.

IN hac verò Synodo teneãtur qui beneficia eccleſiaſtica obtinẽt, & ad Synodum conuenire debent, profeſſionem fidei emittere: Hic præterea decreta Concilij prouincialis promulgẽtur, quæ vnuſquiſque habere apud ſe debeat, ne ſe illorum ignoratione excuſare poſſit. Hic poſſint Epiſcopi de Miſſarum reductione pertractare, vt ijs quæ piè à fidelibus legati titulo relicta ſunt, ſatisfieri commodè poſſit: ita tamen vt defunctorum ea relinquentium in omnibus commemoratio fiat. Hic præterea ſex ad minus examinatores proponantur, qui Synodo ſatisfaciãt, & ab eadem probentur; vt in concurſu qui fit ad eccleſias Parochiales diligenter, & exactè
Seſſ.6.c.1. promouẽdos iuxta decretũ Conc. Trid.
Seſſ.13.c.1. examinent. Hic publicentur decreta
Seſſ.24.c.18 fel. rec. Pauli III. & Pij IIII. de Reſidentia. Poſtremo tractentur illa, quæ pro temporis ratione ad cultum diuinũ confirmandum, & augendum pertinere videbuntur.

Quæ ſpectant ad publicationem atque executionem Synodi Diœceſanæ.

SYnodales vero conſtitutiones ita promulgari oportet, & ad notitiã totius diœceſis perducere, vt vnuſquiſque clericus eas apud ſe habeat; & quantum erit in eo, ſub pœnis, & cenſuris ibi contentis diligenter exequatur. Vt autem quæ in Diœc. Synodo acta fuerint, cum ijs quæ in prouinciali erunt diffinita cõſentiant; Epiſcopus quiſque diœceſanæ Synodi ſtatuta ad prouinciale Conciliũ deferat, ab eo, vel ab alio, cui pars iſta à Concilio delegata fuerit, examinanda; & ſi contra Synodorum, canonumuè decreta aliquid irrepſiſſe compertum fuerit, ad iuris rationem, & ordinem reuocetur.

De Congregationibus.

NVnc illorum occaſione quæ de Synodis habendis tradita ſunt, cum fructum inde vberrimum manare, atque ex frequenti clericorum inter ſe conuẽtu, mutuaque laborum, ac meditationũ communicatione, diſciplinam eccleſiaſticã mirificè augeri omnes intelligant; optaret maxime prouincialis hæc Synodus, omnes Epiſcopos ſuos in eam curã diligenter incumbere; vt Parochi omnes Ciuitatis ſingulis menſibus vnum in locum, quem Epiſcopus deſignauerit, conueniant: atque ſub præfecto ab eodem conſtituendo, de modo adminiſtrãdi, & regendi eccleſias: de caſibus conſcientiæ: de Sacramentorum adminiſtratione, & huiuſmodi aliis, quæ magis ex re videbuntur, certa lege, & ratione ab his ſeruanda, inter ſe tractent.

In diœceſi itidem per Plebes, aut Vicarias aliæ congregationes certis temporibus habendæ inſtituantur: in quibus de ijſ-

de iiſdem rebus, & præcipuè de cura animarum, de cultu eccleſiarum, de populorum ædificatione iuuanda, ſub alijs Præfectis, & regulis ab Epiſcopo aſſignandis, accuratè, religioſeque agatur.

DE RESIDENTIA.

Verba ſacri Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 1.

AD Metropolitanum cum Concilio Prouinciali ſpectabit iudicare de licentijs à ſe, vel à ſuffraganeo datis: & videre ne quis eo iure abutatur, & vt pœnis canonicis errantes puniantur.

EPiſcopalis officij recte, vtiliterque exercendi rationem à perſonali reſidentia potiſſimum pendere, eamque veluti baſim totius Paſtoralis adminiſtrationis eſſe, non modò ſanctorum Patrum teſtimonio, & ſacrorum Conciliorum auctoritate probatū habemus; ſed vſu etiam ipſo, & euidenti eccleſiarum omnium exemplo adeò cognitum, planèque perſpectum, vt ea de re noui quicquam ſtatuere ſuperuacaneum videri poſſit. Verumtamen quæ humanæ infirmitatis imbecillitas eſt, cum multi propriæ vineæ colendæ interdum obliti, libentiùs ſe in alienos campos inferant. Idcirco factum eſt, vt priſcarum vſque legum ſeueritas grauiter in eos animaduerterit, qui à proprijs eccleſijs temere abſcederent, nouiſſimèque ſacroſanctum Tridentinum Concilium multiplices pœnas iteratis decretis aduerſus eos promulgauerit, qui præter cauſas in eodem Concilio expreſſas, ſtationes ſuas desererent; mandans etiā Metropolitano, vt in Concilio prouinciali de tota hac re, ac legitimis abſentiæ cauſis iudicet, ne quis facultatibus alioquin permiſſis abutatur.

De his qui ad Reſidentiam tenentur.

QVapropter Synodus noſtra ſalutaria hæc ſacri Concilij Trid. decreta cunctis Prouinciæ coepiſcopis in memoriam reuocans, omnibus & ſingulis indicit, nemini licere niſi ex præſcripto cauſarum, & temporum, & conditionum in eodem Concilio comprehēſarum, vlla ratione ſedes ſuas Epiſcopales relinquere.

Et quoniam in hoc reſidendi munere adeo ſe Tridentinum Concilium ſtudioſum, ſollicitumque oſtendit; vt poſt Epiſcopos ad eccleſias reuocatos, ipſorum pariter vigilantiæ curandum reliquerit, vt reliqui omnes, quibus animarum cura commiſſa eſt, in eccleſijs ſuis maneāt. *ſeſſ. 6. c. 1. & ſeſſ. 23. c. 1.* Idcirco Synodus noſtra ad Paſtoralem eorum ſollicitudinem pertinere commemorat: non ſolum Parochos cogere, vt in ſuis eccleſiis permaneant; ſed etiam Abbates, & Commendatarios, aut alios quoſcunque, qui aut curam animarum habeant, tametſi in illa Parochia tres, aut quatuor tantùm incolæ eſſent, quos compelli debere ſtatuit in domo parochiali, ſi idonea ſit, habitare: aut ſi duæ eccleſiæ vnitæ fuerint, in digniori ac frequentiori commorari. Quòd ſi Canonicatum cum Parochiali obtinuerint, quamuis coadiutorem acceperint, adhuc à Parochia eis abeſſe non licebit.

De aliis verò quibus non imminet cura animarum, ſed tamen alia onera ſunt adiuncta, quæ perſonale miniſterium requirunt: ad Epiſcoporum pariter ſtudium ſpectabit, vt quiſque ſuo muneri per ſe ipſum, non per ſubſtitutum, cum electa ſit perſonæ induſtria, ſatisfaciat. Huiuſmodi ſunt hi, qui dignitates aut canonicatus obtinent, quorum præſentia, & officio non ſolùm eccleſiæ cultus, diuinaque miniſteria, ſed etiam Epiſcopalis ipſa adminiſtratio vehementer ornatur, & augetur.

Itaque hi tum in Cathedralibus, tum

in Colle-

tum in Collegiatis quibuſque eccleſijs etiam non inſignibus, niſi tamen iſtæ nõ inſignes Collegiatæ, eſſent rurales prorſus deſtitutæ: aut in quibus nunquam antea ſupra hominum memoriam ſolitum eſſet reſideri aut adeò tenues reddi tus eſsẽt, vt canonicos nõ habẽtes aliun de vnde viuerent, alere non poſſent, ſingulis horis diuinis officijs attentè, religioſeque pſallendo ſic intereſſe debebunt, vt nec ſtatutum vllum (niſi fuerit à ſede Apoſtolica confirmatum) huic fortaſſe repugnans ſanctioni ſit obſeruandum; ſicuti nec conſtitutio illa, aut immemorabilis conſuetudo vires habeset, quæ illos vltra tres menſes quolibet anno à choro abeſſe pateretur. Siquidem nec toti Capitulo ipſi licet; nec vt ſingulis Canonicis in Capitulo, quæſito vllo prætextu, diſtributiones quotidianas abſentibus donare, aut remittere: nec canonicis qui non interfuerint, illas tuta conſcientia retinere, adeo vt nec ſufficiat, eos in ciuitate commorari, niſi diuinorum tempore choro interſint. Et quando permiſſis aliquibus caſibus liceret Canonicis à choro abeſſe, non tamen ab Ordinario ferendum erit, vt omnes, aut plurima eorum pars eodem tempore eccleſiam deſtituât; ſed illius & Capituli arbitrio, ſingulis diſcedendi à choro facultates proportionabiliter diſtribuentur.

Adeoque hoc inſeruiendi eccleſiæ onus illis incumbet, vt Epiſcopo pontificali ritu celebranti, & ſecundum vices ſuas, aut functionum munera aſſiſtere, & Subdiaconi, ſeu Diaconi officium præſtare debeant, dum tamen Epiſcopus in ciuitate ex eccleſiarum conſuetudine, non extra ciuitatem hæc Pontificalia munera obeat.

Canonicus verò, ſiue Pœnitentiarius, ſiue Theologalis eo amplius præter cæteros canonicos, & reſidere, & eccleſiæ intereſſe debebit, vt muneribus proprijs quiſque eorum integrè ſatisfaciat.

Qua de re optandum valde eſſet, quod priſcis olim temporibus eccleſiaſtica diſciplina induxit, vt Canonici prope Cathedrales, collegiataſuè eccleſias ſua domicilia certis concluſa locis, & ſpatiis, à ſecularium commercio ſeparata haberent; idem quoque mos aut retineri, aut inſtitui ſtudioſa Epiſcoporum diligentia poſſet. Hinc enim & diuino cultui incrementum, & eccleſijs decus, & Epiſcopis adiumentum, & eiſdem Canonicis commodum non mediocre accederet.

Quæ verò de neceſſaria Canonicorũ reſidẽtia dicta fuerunt, ea multo magis ad Manſionarios, ſeu Cappellanos præbendatos, qui ſuſtinẽt pondus diei & æſtus, pertinere Synodus ſtatuit.

Verùm quod pertinet ad eos, qui dignitates obtinent nullas diſtributiones habentes, vt & ipſi competens eccleſiæ ſeruitium impleant, arbitrio Ordinarij præſcribendum; propterea ipſe Ordinarius tertiam partem ex fructibus, & prouentibus quibuſcunque illarum dignitatum, in diſtributiones conuertat, aſſignandas iuxta decretum Concilii Tridentini.

De Beneficiariis ſimplicibus.

PRæter hæc ſunt alia beneficia nulli animarum curæ, aut muneri choro deſeruiendi obnoxia; ita tamen ſuæ erectionis initio, ſiue immemorabili conſuetudine, aut alia ratione conſtituta, vt illorum Rectores aſſidui in ea eccleſia eſſe debeãt, & quædã alia præſtare, quæ in eorum fundationibus, vel aliàs continentur. Hos igitur cogere debebit Epiſcopus, vt perſonaliter impleãt, quod inſtitutionis beneficii, ſiue alterius oneris ratio poſtulat. & propterea Paſtoralis vigilantia in eo non ſegniter verſari debebit: vt edicto publico perquiſitis, diligenterque cognitis omnibus eccleſiaſticorum quorunc ũque beneficiorum erectionibus, & oneribus, tam ex ipſa fundatione, quàm quacunque alia ex cauſa prouenientibus, ſingulos Rectores ad munia ſua obeunda compellat.

Sunt item alia beneficia quæ nec clerum, nec populum, nec adminiſtrationem, nec peculiare vllum officium habent,

habent, ſimplicia beneficia vulgò dicta, quæ ex generali conſuetudine eccleſiæ, reſidendi neceſſitatem Rectoribus non imponunt. Hos nec Synodus noſtra inuitos quidem in ijs permanere cogẽdos putat; ſed tamen quoniam beneficia omnia pro ſpirituali aliquo ſeruitio inſtituta fuerunt, & à pijs fidelium votis, qui ea fundarunt, ac prouentibus auxerunt, maxime alienũ fuiſſe creditur, vt ea ab illorum poſſeſſoribus veluti pro derelictis haberentur.

Idcirco non prætermittent Epiſcopi quando huiuſmodi beneficia, ſeu capellæ, aut altaria neceſſarijs rebus indigeant, Rectores eorum cõpellere iuxta loci, & prouentuum conditionem, ad eas ſupplendas, & tecta etiam iuxta canonum decreta, inſtauranda.

De Rectoribus Altarium, ſiue Cappellaniarum.

AD hæc ſunt in eccleſijs altaria titulis Cappellaniarum, ſeù alio nomine nuncupata, & certis oneribus ſubiecta, vt earum Rectores præſcriptis diebus Miſſas per ſe ipſos celebrare, aut proceſſionibus intereſſe, aut alia huiuſmodi munia obire debeant; quarum rerum obſeruatio ad Epiſcoporum pariter ſollicitudinem pertinebit, vt ex fundationis lege impleatur, & quiſque aſſignato titulis ſuis munere fungatur.

De functionibus Clericorum.

Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 17 POſtremò ſunt ſacerdotes & clerici, quibus licet nulla beneficia eccleſiaſtica fuerint diſtributa, quo tamen tempore fuerunt illis ab Epiſcopis in ſacra Ordinatione manus impoſitæ, peculiares etiam eiſdem functiones aſſignatæ fuerunt, certis in eccleſiis, atque miniſteriis obeundæ, quas per ſe ipſos præſtare, nec à ſuis ſe muneribus ſubducere debebunt.

De Cauſis excuſantibus a Reſidentia Curatos animarum.

QVæ ſuperius de Reſidentiæ aſsiduitate in eccleſiis præſtanda, ſancita fuerunt; non tamen adeo durè, ſtrictimque accipiẽda eſſe Synodus declarat, quo minus æquitate ſuadẽte non poſſint, & debeant temperari. Nam quod ad Epiſcopos pertinet, Chriſtiana charitate exigente, aut vrgente neceſſitate, ſeu debita obedientia, aut euidenti eccleſiæ, vel reipublicæ vtilitate poſtulante, Tridentinum Concilium eos lege interim ſolutos eſſe edixit, dumtamen hæ legitimæ abſentiæ cauſæ in ſcriptis, illorum ad quos pertinet teſtimonio, iiſque modis, & rationibus probarentur, quæ in eodem Concilio conſtituta fuerunt. Seſſ. 23. c. 1.

In Parochis quoque multa poſſunt ſe impedimenta offerre, quæ Epiſcoporum animum iuſtè queant inducere, vt illos ab eorum eccleſiis, facultate illis ſcripto conceſſa, ad tempus abeſſe patiantur: veluti ſi Rector infirmitate laboret, nec medicorum, aut aliarum rerum, quæ ad illius curationem ſint neceſſariæ, copia in loco vbi eccleſia ſita eſt, haberi poſſit; Tũc enim charitatis ratio ſuadebit, vt ſe ad locum viciniorem, & commodiorem recuperandæ valetudinis cauſa poſſit transferre, relicto interim idoneo vicario ab Ordinario approbando, qui eius vicem ſubeat, cum portione congrua fructuum ex eiuſdem eccleſiæ reddiribus colligenda.

Aequè ob graues, & non ſimulatas inimicitias, ſed quæ poſt adeptum beneficium, citra Parochi culpam, Ordinarij iudicio dignoſcendam exortę fuerint, permittet illi Epiſcopus, vt permanentibus inimicitiis, vſque ad annum, in alium tutum locum viciniorem commigrare poſſit, relicto in eccleſia vicario approbando ab Ordinario, cum portione congrua, vt proximè dictum fuit.

Si etiam

Si etiam datus fuiſſet Parocho Vicarius perpetuus, in quem tota animarum cura, atque adminiſtratio legitimè trãſlata fuiſſet, à parocho abdicata: erit à reſidentiæ munere excuſandus.

Item modicum admodum, ac breue abſentiæ ſpatium reuertendi quamprimum animo ſuſceptum, veluti ad duos, aut tres dies non ſolemnes, nec quo tẽpore periclitãtur infirmi: eiuſmodi non erit, vt licentiam in ſcriptis obtinere oporteat.

Nec illo etiam caſu cum Epiſcopus Parochi opera in viſitatione, aliouè diœceſis ſuæ munere, non tamen vltra bimeſtre ſpatium, vteretur: relicto tamen ibi Vicario idoneo ab ipſo Ordinario approbato.

Quòd ſi Parochus iuſta ex cauſa diſcedendi facultatem ab Ordinario ſuo vſque ad bimeſtre tempus poſtularet; recuſante Epiſcopo licebit illi ad Metropolitanum, illius obtinendæ cauſa confugere, eoquè retinente ad ſum. Ro. Pontificem appellare.

De Cauſis excuſantibus Canonicos a Reſidentia.

Habent item dignitates, & Canonici legitimas ſuas cauſas, ob quas à Chori ſeruitio excuſari poſſunt; nam ſi ea fuerint ægritudine correpti, quæ eos domo egredi, aut ſine vitæ diſcrimine in eccleſia permanere non patiatur: ſolitiq. ſint cum rectè valent, eccleſiam frequentare: tunc infirmitatis tempore excuſandi erunt. Itidemque qui ſenio confecti fuerint, aut carcere indebitè incluſi, aut aliàs abſentes ex cauſa à iure permiſſa.

De inimicitijs etiam citra culpam ſuam ſuſceptis, eadem quæ ſupra de Parochis decreta ſunt, obſeruanda erunt; ita vt ſi omnes fructus in diſtributionibus quotidianis conſiſtant, eos canonicus deducta tertia parte, alijs loco eius deſeruientibus aſſignanda, ſibi poſſit comparare.

Quòd ſi haberet eccleſia conſtitutiones à ſede Apoſtolica confirmatas, quæ permitterẽt Dignitatibus, aut Canonicis longius abſentiæ ſpatium, quàm ſupra decretum fuit, erunt ea quoque obſeruanda.

Illi quibus in Cathedrali, Collegiatauè eccleſia munus datum eſſet exercendi curam animarũ: dum in ea actione, curæq. exercitio occupantur, erunt loco intereſſentium habendi.

Sicuti & Canonicus qui præbendam pœnitentialem, aut theologalem obtinet: dum ſinguli eorum, quæ propria muneris ſui ſunt, fideliter exercent: portiones fructuum & diſtributionum, quas alij capiunt, conſequetur.

Sed & ſi Collegiatæ eccleſiæ ruri eſſent poſitæ, & hominũ frequentia prorſus deſtitutæ: ſiue in quibus ex immemorabili conſuetudine nullus reſidendi mos eſſet: aut ex quibus adeò tenues prouentus perciperentur, vt ſuſtinendo pro dignitate Canonico aliunde non habenti vnde viueret, non ſufficerent: non erunt hi Canonici inuiti ad reſidẽdum in ea eccleſia adigendi.

De Pœnis non Reſidentium.

QVI verò iuſtis cauſis non præeuntibus, nec facultate ſibi a ſuperioribus ſuis legitimè cõceſſa, ab eccleſiarum ſuarum ſtatione, quæ ſibi ad militandum Deo fuit aſſignata, diſcedendum putauerint; ij pro culpæ ſuæ grauitate magnas ſibi pœnas ſemper cumularunt. Nam aduerſus deſides Epiſcopos, quàm ſeuerè Trid. Concilium animaduerterit, ſatis decreta ſub Paulo III. & Pio IIII. ea de re edita, quæ & in prouincialibus, diœceſaniſque Synodis legi cautum eſt, abundè teſtantur. Quibus & literæ apoſtolicæ Pii IIII. & motus proprius Pii Quinti nouis eos vinculis, ac pœnis obſtringentes acceſſerunt.

De Parochis verò, ſeu aliis quibuſcunque beneficiatis animarum curam habentibus, qui eccleſias ſuas in ſterili quaſi viduitate relinquunt; præter ea quæ nominatim Trid. Concilio, & con-

ſtitutionibus eorundem ſummorũ Pontificum Pii IIII. & Pii V. continentur; ampliùs ad eorum contumaciam comprimendam, fuit eorum Ordinariis conceſſum: vt quo aptiore, atque efficaciore remedio aduerſus abſentes ſibi agendum putauerint, pro modo culpæ, eccleſiarumque auctoritate, eos ad officium ſuum vrgere, & compellere non deſinãt; vſque adeo vt Rector ille, qui olim moroſus in reſidendo fuit, licet elapſo biennio, ad reſtituendum fructus abſentiæ tempore perceptos iure adſtringi poſſit; tametſi nec Epiſcopale edictum, nec monitiones vllæ, aliauè huiuſmodi præceſſiſſent; cum ſatis eos paſtoralis officii ſui ratio omni diuino, naturali, humanoque iure debeat interpellare.

De vera & fructuoſa Reſidentia.

VErùm ne cæco fortaſſe errore quiſquam decipiatur, ſatiſque muneri ſuo, ac paſtorali officio feciſſe putet, ſi præſentiam tantum corporis aſſiduam temporibus debitis eccleſiæ ſuæ præſtiterit; Synodus noſtra prouincialis cum caput hoc totius negotij præcipuum, grauiſſimique periculi plenũ eſſe agnoſcat; hortandos in primis, accuratiſſimèque admonendos Coepiſcopos ſuos eſſe cenſuit: vt quãuis humano iudicio, Eccleſiaſticiſq. ſanctionibus tuti, immuneſque eſſe videantur; ſciant tamen non eos ſupremum illud, acerrimumq. præpotentis Dei tribunal euaſuros, niſi & alia multa cum hac perſonali reſidentia coniunxerint, quæ eos non ſpecie tantũ, ſed verè Epiſcopos, Paſtoreſque eſſe declarent.

Quorum illud primum eſt, vt ab omnibus ijs criminibus longè abſint; quæ Apoſtolus ad Titum, & Timotheum ſcribens, cauenda, deuitandaque præcepit; Nam quę peruerſitas eſt, vnde perfectionis exempla, ſalutariſque norma expectari debuit: inde faſtus, auaritiæ, turpitudiniſque venena ſæpè emanare?

Sed præterea fœcundos, iugeſque bonorum operum fructus in labore, & ſolicitudine eos afferre oportet: vt verum Epiſcopi officium, non nudum nomen, ac potiùs ſimulacrum Epiſcopi in otio, & deſidia referant. Hinc Trid. Concilium diuino præcepto hæc inter cetera illis nominatim mandata eſſe recenſuit: oues ſuas agnoſcere: pro his ſacrificium offerre: verbum diuinum prædicare: ſacramenta adminiſtrare: bonorum omnium operum exemplo paſcere: pauperum, miſerabiliumque perſonarum curã paternam gerere: & in cetera munia paſtoralia diligenter incumbere.

Quæ tamen nec ſufficient ad Epiſcopale miniſterium fideliter implendum, niſi vt ait apoſtolorũ princeps, Epiſcopi ipſi nõ coactè quaſi officii neceſsitate, & pœnarum, ſeu popularis cenſuræ metu; ſed ſpontaneè, & forma facti gregis ex animo hæc fuerint amplexi; ita vt non ad quieſcendum, nec ad propria commoda, amplioreſuè gradus ſibi hinc muniendos ea exerceant: ſed vt purè Dei in primis gloriam, animarumque ſalutem intima charitate, & ſolicitudine quærant.

Hæc tum erit vera illa, & paſtoralis, ac Chriſtiana reſidentia, quam Synodus noſtra à Coepiſcopis ſuis omnibus ardenter expoſcit: & quam per eorum exempla in Parochorum ſuorum mentibus acriter inſeri exoptat; vt hinc vniuerſus populus duces, præpoſitoſque ſuos agnoſcens, fideles eſſe miniſtros mysteriorum Dei, & diuinæ gratiæ diſpenſatores: ad illorum monita ſalubriter excipienda, virtuteſquè imitandas, omni ſtudio excitetur.

DE VISITATIONE.

Verba Sacri Concilij Tridentini Seſſ. 24. c. 3.

A Metropolitanis etiam poſt plenè viſitatam propriam Diœceſim, non viſitentur Cathedrales Eccleſiæ, neque Diœceſes ſuorum Comprouincialium, niſi cauſa cognita, & probata in Concilio prouinciali. Itẽ ſi Viſitator amplius accipere præſumpſerit, quàm ſtatutum eſt; is præter dupli reſtitutionem intra menſem faciẽdam, alijs etiam pœnis iuxta conſtitutionem Concilij generalis Lugdunenſis quæ incipit, *Exigit*, necnon in Synodo prouinciali arbitrio Synodi abſque vlla ſpe veniæ mulctetur.

VIſitationis munus in Epiſcopali adminiſtratione quàm ſit neceſſarium, quàm latè pateat, quàm attentum animum, perpetuamque ſollicitudinem requirat, ex ipſo Epiſcopi nomine conſtare poteſt, quod inſpectoris, ſeu ſpeculatoris partes, officiumque demõſtrat. Nam cum debitor ille ſit ſapientibus, & inſipiẽtibus, puſillis, & magnis, cumque multa illa ſint, ac planè diſſimilia, quæ pro locorum, temporum, atque rerum varietate, ab eo præſtari debent; mirificè refert præter mentis vigilantiã, corporis etiam ſenſus, oculos, manuſq. adhibere, atque in rem præſentem venire, & aſpectu cuncta luſtrare. Nam quò certiùs ſingula tenemus, medicorum more languores omnes ſciſcitantes, vulneraque ipſa manibus contrectantes, eò ſalubriora eis remedia adhibemus.

Hæc ſacrum Tridentinum Cõcilium cum animaduerteret, ea de toto hoc negotio conſtituit, & nobis pleniùs eaucenda reliquit, quæ in eius decretis continentur.

Verùm cum ipſi cognoſcamus, opus hoc eiuſmodi eſſe, vt in omnes ſe paſtoralis curæ partes effundat, ac nihil ferè in toto Epiſcopali munere inueniri, quod viſitationis officium effugiat. Idcirco viſum nobis eſt, hæc quæ breui decreto pro rei magnitudine, ac neceſſitate, ſatis comprehendi non poſſent, ad aliquot generalia capita, veluti in compendium redigere: vt ea ob oculos poſita, faciliùs recognoſci, ac ſæpiùs in memoriam poſſint reuocari.

Quæ ad viſitationem perſonarum pertinent.

IN primis igitur ſunt perſonæ, quæ viſitationi ſubijciuntur, & hæ cuiuſcunque ferè generis, ordinis, & conditionis: ſunt enim Abbates multi, ſunt Canonici, ſunt Plebani, ſunt Parochi, ſunt qui beneficia quæcunque obtinent, atque alij qui carent beneficiis eccleſiaſticis; ſacerdotes, & clerici, de quorum vita, doctrina, & ſtudiis, quid ſit indagãdum, quid animaduertendum, quid emendandum, optimè Epiſcopi ipſi pro ſua prudentia, ſpiritualique zelo cognoſcere poterunt, cum ſingula ſingulis præſcribere ſit infinitum.

Viſitabunt etiam capitula Cathedralium, & Collegiatarum inſignium, & aliarum Eccleſiarum, quamuis etiam fuerint exempta à fundatione, dummodo per ſe ipſos generalem obeant viſitationem; alioquin ipſis legitimè impeditis, ab eorum Vicariis poterunt viſitari.

Itidem viſitabunt Abbatias, Prioratus, & Monaſteria commendata, in quibus non viget regularis obſeruantia. omnes tamen regulares viſitabunt, qui curam habent animarum ſecularium perſonarum in his, quæ ſolam curæ adminiſtrationem attingunt. Exceptis regularibus habẽtibus curam animarum dictarum perſonarum regularium in illis monaſteriis, ſeu locis, in quibus Abbates generales, aut capita ordinum ſedem ordinariam principalem habent; ſeu in illis in quibus Abbates, aut alii

regularium Superiores iuriſdictionem Epiſcopalem, & temporalem in parochos, & parochianos exercent: Saluo tamen eorum Epiſcoporum iure, qui maiorem in prędictis locis, vel perſonis iuriſdictionem exercent.

In monaſterijs, ac aliis beneficijs regularibus commẽdatis, curatis, vel non curatis, vbi viget obſeruantia regularis, prouideant Epiſcopi paternis admonitionibus: vt eorum regularium ſuperiores, iuxta eorum regularia inſtituta, debitam viuendi rationem obſeruent, & obſeruari faciant, & ſibi ſubditos in officio contineant, ac moderentur. Quòd ſi admoniti intra ſex menſes eos non viſitauerint, vel correxerint, ijdem Epiſcopi eos viſitare poſſint, & corrigere iuxta eorum inſtituta.

Item ſanctimoniales, quæ ſub regularium cura ſunt, in his tantum, quæ ad clauſuram pertinent, licebit viſitare. Sanctimoniales verò ſedi Apoſtolicæ immediatè, ſubiectas, tàm in his quæ clauſuræ ſunt, quàm quoad cetera omnia, quæ ad veram religioſè viuendi diſciplinam ſpectant, ius erit viſitandi, cu randique ſimul, vt tàm in eccleſiaſticis miniſteriis, quàm reliquis vitæ exemplis ſanctè, fideliterque muneri ſuo reſpondeant.

Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 9.

Ad hęc adminiſtratores quoruncumque piorum locorum, quocunque nomine vocentur, tam Eccleſiaſticos, quàm laicos viſitabit Epiſcopus: ac liberationes eo non adhibito factæ, illis non proderunt, niſi ſecus forte in inſtitutione & ordinatione expreſsè cautum eſſet. & ſi ex priuilegio, conſuetudine, vel conſtitutione loci alijs eſſet reddenda ratio, tunc cum illis etiam adhibeatur Epiſcopus.

Seſſ. 22. c. 9.

Item eleemoſynarum collectores, cõfratrum ſodalitates, cathecumenos, Hebræos ſi qui erunt, Epiſcopalis curiæ officiales, cuſtodes carcerum, & alios huiuſmodi viſitabunt; prouidentes vt omnia rectè adminiſtrentur, & ad præſcriptum ſacri Tridentini Concilij, atq. huius noſtræ prouincialis ſynodi peragantur.

Præterea in viſitatione curabunt inquirere, qui nam eo anno non confeſſi, & non communicati, qui excõmunicati, qui ab Eccleſia interdicti, qui apoſtatæ, blaſphemi, vſurarij, ſortilegi, concubinarij, matrimonij fœdus violantes, parentibus contumaces, ſiue alii facinoroſi homines fuerint: quos tum monere, tum emendare non deſinent: nunc oleũ, nunc vinum infundentes, vt eos in viam ſalutis perducere, ac Domino lucrari valeant.

Infirmos etiam inopia laborantes, carcere incluſos, expoſitos, dæmone correptos, alijſue calamitatibus oppreſſos & viſitare, & iuuare, & ſolari ſtudebunt; omnem operam pro eorum pietate adhibentes, vt qua licebit ratione eorum neceſſitatibus non ſolum corporalibus ſubueniatur: ſed etiam vt in eorum animas cæleſtem ſalutis rorem paterna præſentia, verbis, & benedictione infundant. In quibus omnibus ita ſe gerant, monentes, conſulentes, præcipientes, & caſtigantes, quemadmodum ſuggerente Domino, chriſtiana illis prudentia, charitas, & ſollicitudo dictabit.

Quæ ad viſitationem locorum pertinent.

De locorum viſitatione minimè dubium eſt, ſacras ædes, atq. pia loca omnia inuiſenda eſſe: & quicquid eorum ſtructuram, ſitum, ambitumue complectitur, id diligenter curandum, vt decorum, aptumque ſit: neque detrimentum aliquod, aut vetuſtate temporum, aut cæli, pernicioſorumuè hominum iniuria patiatur.

Viſitabit igitur vnuſquiſque noſtræ prouinciæ Epiſcopus eccleſias omnes in ſua diœceſi exiſtentes, Cathedralem collegiatas, & alias eccleſias, domus canonicales, eccleſias parochiales, earumque domos, eccleſias quaſcumque quomodolibet exemptas; Abbatias ſimiliter, Prioratus, Præpoſituras, in quibus non viget regularis obſeruantia,

Mona-

Monaſteria commendara perpetuò, vnita alijs, vel pijs locis; Otatoria, Hoſpitalia, loca Sodalitatum, ſeu Confratrum, Scholas, Montes pietatis, & alia quæcunque pia loca: In quibus omnibus locis ea obſeruent, & animaduertant, atque prouideanr, quæ mutatione, aut inſtauratione, aut alio repetient auxilio indigere.

Quæ ad viſitationem rerum pertinent.

NOn ſolum verò perſonæ, & loca, ſed etiam res ipſæ ſunt viſitandæ cuiuſcunque generis ad eccleſiaſticum ius, rationemuè pertineant, Nam ſacramenta, ſacraque eorum vaſa, venerabiles ſanctorum reliquiæ, ornamenta omnia ad altaris, eccleſiæuè vſum, pontificales, ſacerdotaleſque habitus ſacri, & quidquid huius generis eſt, ſingula diligentiſſimè ſunt conſpicienda, vt religioſo cultu omnia aſſeruentur, & cuſtodiantur: & ne quid deſit, quod pro loci qualitate ad Sacramentorum adminiſtrationem, diuinorumque officiorum celebrationem neceſſarium videri poſſit.

Viſitenr etiam ſupellectilem omnem Eccleſiarum, & domorum canonicaliũ, redditus quoſcunque beneficiorum: inſpiciant libros, inuentaria, & archiuia diligenrer; Idem in hoſpitalibus, aut alijs pijs locis obſeruent, vt ſupellectilem omnem, & reddituum libros accuratè recognoſcant; illaque præcipiant, & reformenr, quæ ſalubriorem rationem exigere, aut emendatione indigere cognoſcent.

Quæ ad viſitationis tempus pertinent.

QVod pertinet ad viſitãdi tempus, nihil hoc loco certi præfiniri poſſe Synodus cenſet: cum ea ſit rerum humanarum viciſſitudo, & multiplex neceſſitas, vt nullo vnquam tempore conquieſcere, ſed vigilare ſemper Præſulem oporteat; Ideoq. viſitationis tempus prudentis Epiſcopi iudicio relinquendum putat: modò ſit memor, nihil tam vineæ prodeſſe, quàm domini præſentis oculum, atque diligẽriam: & quò ſæpiùs gregem ſuum inuiſerit, eò certiorem, vberioremque fructum ab eo relatum iri.

Et quoniam non omnia per ſe ipſos, præſertim in lata diœceſi, præſtare Epiſcopi poſſunt; curabunt præter eam, quam multis in locis Archidiaconi, & Archipresbyteri præbere operam in viſirando ſolent, huic muneri viros idoneos pro locorum regionibus diſtribuere: fideles, qui non fallant: prudentes, qui non fallantur, & qui tamquam vigiles Epiſcoporum oculi, accuratiſſima inueſtigatione quæ erunt neceſſaria, paſtoribus ſuis referanr.

Cum verò multipliciter de Vi ratorum victu, atque expenſis olim co ſtitutum fuiſſe ſciamus, Synodus noſtr conſilium illud valdè probat offerendæ optionis iis, qui viſitantur: ſi malint ſoluere ius procurationis certa pecunia conuenta & conſueta, an verò victualia ſubminiſtrare; iis adiectis obſeruationibus, quæ à Tridenrino Concilio præſcriptæ fuerunt.

DE

DE EXAMINE
PER CONCVRSVM.

Verba ſacri Concil. Tridentini. Seſſ. 24. c. 18.

SI Epiſcopo, aut Synodo prouinciali pro regionis more, videbitur magis expedire, per edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari &c. Caueant examinatores, ne quicquam prorſus occaſione huius examinis, nec ante, nec poſt accipiant; alioquin ſimoniæ vitium tam ipſi, quàm alij dantes incurrant &c. Et de his omnibus non ſolùm coram Deo, ſed etiam in Synodo prouinciali, ſi opus erit, rationem reddere teneantur &c. Licebit etiam Synodo prouinciali, ſi qua in ſupradictis circa examinationis formam addenda, remittendaue eſſe cenſuerit, prouidere.

EX omnibus Eccleſiaſticis functionibus, cum illæ, quæ in Sacramentorum adminiſtratione, ac morbis animarum curandis verſantur, ceteris vtilitate, myſterio, ac poteſtatis vi præſtare cenſeantur; merito ſacrum Concilium priuſquàm huiuſmodi munera aliquibus committantur, de illorum meritis diligentiùs, ac maturiùs deliberandum duxit. Nam ſi in ſecularibus certaminibus, non ijs, qui aut nobilitate, aut diuitijs, aut ornatu ſplendido antecellunt, palma, brauiumque decerni ſolet: ſed ijs, qui pugna, aut curſu ceteros ſuperarunt; ſic in ſacra hac, ſpiritualique militia, non eos belli duces, aut caſtrorum præfectos deſignandos Concilium ſtatuit, qui ſponte currentes pugnent, quaſi in incertum, ac veluti aerem verberantes; ſed qui collato cum alijs morum, & doctrinæ prælio, ſe illis prudentia, ſcientia, ac bonitate præſtantiores oſtenderint. Hinc igitur quamuis ſapienter admodum eodem fuerit Concilio ſancitum, vt illi ad parochiales Eccleſias tantum admittantur, qui inito antea per concurſum examine, ceteris digniores fuerint renunciati. Quoniam tamen multa frequenter ad hoc ſaluberrimum Synodi conſilium impediendum, aut implicandum, à nonnullis obtrudi ſolent; Synodus noſtra prouincialis, vt difficultates huiuſmodi, ſeu callida multorum inuenta prorſus amoueantur, hæc quæ ſequuntur, ex eiuſdem Tridentini Concilij ſententia ſubijcienda eſſe decreuit.

De Edicto proponendo.

IN primis enim quoties vacare parochialem aliquam eccleſiam contigerit, tunc mandat habita notitia vacationis parochialis, edictum per Epiſcopum vel eius Vicarium generalem ad valuas Cathedralis, & vacantis eccleſiæ, alijſque publicis locis, ſi videbitur, proponi: in eoquè omnes conuocari, qui ſe poſt decem dies ab affixionis tẽpore, examini per concurſum ſubijcere voluerint. hac forma, videlicet.

Forma

Forma Edicti.

VAcante parochiali Eccleſia .s. N. noſtræ diœceſis, cupientes eidē de idoneo prouidere Rectore, atque ſacri Concilij Tridentini decreta pro viribus Deo adiuuāte exequi, tenore preſentium requirimus, & monemus primo, ſecundo, tertio & peremptorio omnes, & ſingulos presbyteros, & clericos volentes ad examen per concurſum faciendum ſe præſentare, ac omnes volentes clericos ad id aptos nominare, quatenus infra decem dies proximè futuros à die executionis præſentis edicti computandos, debeant in actis notarij infraſcripti N. noſtræ Curiæ deſcribi facere eorum nomina, cognomina, ætatē, & patriam: ad effectum, vt de eorum natalibus, vita, moribus, & alijs rebus ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis, iuxta decreta dicti ſacri Concilii inquiri, & tranſacto conſtituto tempore examinari poſſint. In quorum fidem &c. Dat. &c.

De quibus beneficijs edictum ſit proponendum per concurſum.

HOc edictum non ad dignitates, canonicatus, aut beneficia ſimplicia pertinet; nec ad beneficia regularia, quæ regularibus conferri conſueuerūt: neque ad permutationes beneficiorum: neq; ad Eccleſias Iuriſpatronatus laicorum, niſi aliter in ipſa fundatione cautū exiſteret. At vbi Eccleſia parochialis Iuriſpatronatus eccleſiaſtici fuerit, aut etiā partim eccleſiaſtici, partim laicorū etiam ſi pro duabus partibus ad laicos pertineret, & pro vna tantum ad eccleſiaſticum; erit edictum proponendum, debebitque epiſcopus cum nominatis a patrono eccleſiaſtico, alios etiam clericos ad concurſum admittere, niſi in inſtitutione, aut fūdatione aliter cautum eſſet, tunc enim tantum debebit præſentatus examinari citra concurſum, & approbari ab Ordinario, etiam ſi inſtitutioni, & fundationi repugnaret.

A quibus proponendum.

PRæterea edictum hoc ab aliis Epiſcopo inferioribus non eſt proponendum, niſi omnimodam iuriſdictionē Epiſcopalem haberent, nec alicui ſubderentur, ſed immediatè ſedi Apoſtolicæ ſubiecti eſſent, ac nullius diœceſis cenſerentur, propriumque territorium haberent, cum facultate congregandi ſynodum, quam antea etiam coegiſsēt, & in ea examinatores elegiſſent. Tunc enim in collatione parochialium, tum edictum, tum alia, quæ ab Epiſcopis ſeruari debent, erunt & ab ipſis obſeruanda.

Quando edictum prorogandum.

NOn aliter licebit Epiſcopo diē examinis ad aliū terminū prorogare, niſi qui deſcripti ſunt, legitimo impedimēto detenti fuerint, quominus præſtituto tempore ad concurſum acceſſerint: ſiue etiam, ſi in tempore quidem ſe obtulerint; ſed legitima aliqua cauſa, ne ad concurſum accederent, impediti fuerint; nā tunc poterit Epiſcopus vſq; ad alios decem dies terminum prorogare.

At ſi nullus intra priorem terminum ſe obtulerit, vel ex accedentibus nullus idoneus repertus fuerit: tunc aliud edictum erit proponendum, cuius termino elapſo, ſi nemo ſe exhibeat, aut ex oblatis nullus idoneus inueniatur: tunc omiſſo edicto, atque concurſu, præcedente tamen examine, alteri beneficium poterit conferri. Non etiam aliud edictū erit neceſſarium proponere, aut propoſitum prorogare, ſi infra terminum, vnus tantum ſe exhibuerit, nam de eo ſolo periculum erit faciendum.

De venientibus ad examen.

POrrò qui ad examen ſunt acceſſuri, ea quæ in edicto conſtituta ſunt ad vnguem obſeruare debebunt, ac ſaltem per tres dies ante examinis faciendi terminum, per ſe, vel per alios dare nomina, cognomina, ætatem, & patriā: doce-

docereque de natalibus, & moribus, aliiſq. neceſſariis; tum præſentare ſe in habitu, tonſura, ac totius corporis compoſitione congruenti, paratoſque in primis ad peritiam ſuam declarandam in legendo, exponendo, reſpondendo, concionando, atque etiam in cantu firmo ſi videbitur.

De examinatoribus.

Seſſ. 24. c. 18. ITem examinatores, modò plures pro Eccleſiarum conditione, modò pauciores, non tamen infra tres ab Epiſcopo conuocentur, qui in Synodo diœceſana ritè ſint delecti, & qualitatibus à Tridentino Concilio requiſitis præditi: ac præſtito iuramento, nihil ſe prorſus occaſione huius examinis ante, vel poſt accepturos, ſub pœnis ab eodem Concilio conſtitutis. Quos quidem Synodus noſtra biduo ſaltem ante diem examinis, de Eccleſiæ vacantis, atque de examinandorum qualitatibus ab Ordinario admoneri mandat; vt maturiùs de tota re deliberare poſſint: cauentes tamẽ ſub pœnis arbitrio Ordinarii infligendis, ne quemquam ex deſcriptis, a die, quo edictum propoſitum fuit, edocere de examinibus habendis, vel exercere audeât.

De ratione examinandi.

NEc verò vniformis examinandi ratio illis erit præſcribenda: ſed pro varia Eccleſiarum conditione, prudenti eorum arbitrio relinquenda, cum ad inſigniores Eccleſias per grauiora certamina clericos aſcendere æquum eſſe videatur.

Illud tamen noſtra Synodus obſeruandum eſſe ducit, vt cum plures ſe obtulerint examinandos: illi, qui prius nomina dederint, primi ad examen admittantur; aut, ſi ita expediat, omnes ſimul coram examinatoribus conuocentur, vt de vnoquoque coram omnibus periculum fiat; ac ſi ex re magis videatur, liceat ſingulis examinatoribus aliquid interrogare, ea ſemper ratione ſeruata, vt inter examinandos, quanta fieri poterit æqualitas obſeruetur, & ſuper eadem re, & per eaſdem interrogationes ſinguli examinentur, & omnis colluſio, ſiue inſtructio præcedens amoneatur ſub periurii periculo.

Quod quidem & in patronatu laicorum, vbi plures ſunt præſentati, erit retinendum, nam & concurſum fieri inter ipſos præſentatos tantum, & ex pluribus præſentatis digniorem eligere oportebit. at ſi vnus tantum fuerit legitimè præſentatus, illum quoque ſubiici examini neceſſe erit, ſed non per concurſum.

De votis examinatorum.

PEracto examine licebit examinatoribus aliqua inter ſe, de illorum conditionibus, & peritia, ſeu imperitia in examine cognita, in morem colloquii tractare; certum tamen illorum iudicium, conſtanſque determinatio non à verbis palam prolatis, ſed à ſecreta ſuffragiorum per albas fabas, & nigras deciſione pendebit; Ita tamen, vt nec etiam priuatas illas ſermocinationes cuiquam ſub pœna arbitrio Ordinarii infligenda liceat propalare.

Suffragiis detectis, ſi plures approbati fuerint, in pattonatu quidem Eccleſiaſtico ad patronum ſpectabit gratificatio, ſi inſtitutio ad ipſum Epiſcopum, nõ autem ad inferiorẽ ſpectet. In aliis verò eliget Epiſopus digniorem ex renunciatis, nec à reiectione examinatoris licebit appellare, ſed bene à mala electione Epiſcopi. verùm appellatio interim non ſuſpendet executionem.

De collatione beneficiorum, & inſtitutione.

HIs abſolutis collatio Eccleſiæ, & inſtitutio ab eo erit facienda, ad quem ſpectat: & ſi fuerit beneficium Iuriſpatronatus Eccleſiaſtici, quod vacauerit in menſe reſeruato, inſtitutio ſpectabit ad Papam, facta ei atteſtatione examininis per concurſum, & dignioris ab Epiſcopo electi.

DE

DE FORMA EXAMINIS FACIENDI.

Verba Sacri Concilij Tridentini ſeſſ. 24. c. 1.

MAndat Sancta Synodus, vt in prouinciali Synodo per Metropolitanum habenda, præſcribatur quibuſque locis, & prouincijs propria examinis, ſeu inquiſitionis, aut inſtructionis faciendæ forma, ſanctiſsimi Rom. Pontificis arbitrio approbanda, quæ magis eiſdem locis vtilis, atque opportuna eſſe videbitur.

QVi ad Cathedralium Eccleſiarum adminiſtrationem deliguntur, cũ ad alios purgandos, & illuminandos, ac perficiẽdos adhibeantur, ac tanquã præfecti in domo Domini virtutum magnitudine cumulari, ac meritorũ ornamentis præter ceteros debeant commendari; ſumma ratione, ſingulariq. ſapientia ſacroſanctũ Conciliũ tã multa, & tàm ſæpe de ijs promouendis conſtituit. Vnde ſynodus noſtra, vt impoſito ſibi muneri ſatisfaceret, nõ prętermiſiſſet certam inquiſitionis, & examinis de ijs, quæ ad vitæ mores, ac ſtudiorum ſcientiam pertinerent, rationem conſcribere. Verùm cum id minime neceſſarium eſſe duxerit, propterea quòd in Prouincia noſtra hoc inquirendi, & examinandi munus haud exerceri conſueuerit. Ideo his prætermiſſis, ad ea quæ ſubſequuntur, erit procedendum.

DE DIGNITATIBVS *Eccleſiaſticis.*

QVoniam poſt Epiſcopalem dignitatem alia quoque ſunt munera, quæ eccleſiaſticis perſonis, non temere, ſed ſumma maturitate ab Epiſcopis ipſis deferri debent; congruum eſſe duxit prouincialis noſtra Synodus ad exemplum Tridentini Concilij, his etiam gradibus adipiſcendis formulam aliquam inſtructionis ſumendæ adſcribere: non vt ad eam præcisè retinendam velit Epiſcopos ipſos compellere; ſed vt hanc, vel aliam commodiorem amplectentes, ſi ita eis videbitur, tutiùs conſcientiæ ſuæ, ac paſtorali officio poſſint ſatisfacere.

Quapropter à dignitatibus Eccleſiaſticis exordientes, cum ob id in Eccleſijs inſtitutę fuerint, vt per eas tanquam gradu eminentiores, eccleſiaſtica diſciplina conſeruari faciliùs, & augeri commodiùs poſſit; Idcirco diligenter curandum erit, vt qui ad eas vocantur, ita reliquis vitæ integritate, & pietatis ſtudio præſtent, vt alijs benè viuendi exemplũ præbere, & Epiſcopos officio atque opera iuuare poſſint. Vt igitur tales illos in eccleſia ſua vnuſquiſque Epiſcopus habere poſſit, ea quæ ad inquiſitionem morum, & examen doctrinæ illorum pertinere Synodus arbitrata fuit, vniuerſis prouinciæ Coepiſcopis proponit.

Quæ ad inquiſitionem dignitatum pertinent.

AN ſit è legitimo matrimonio natus.

An ætate idoneus ad dignitatem illam obtinendam.

An ordinem habeat requiſitum.

An honeſtæ famæ, & timoratæ conſcientiæ publicè habeatur.

An habeat beneficiũ aliud incompatibile.

Quod vitæ genus exercuerit, quo loco, quibus ſociis, & quibus temporum ſpatiis.

An de hæreſi vnquam ſuſpectus, excõmunicatus, ſuſpenſus, aut publicam pœnitentiam egerit.

An comeſſationibus, tabernis, venationibus, choreis, aut hiſtrionibus deditus.

An ſententiam ſanguinis dictauerit, ſcripſerit, aut executus ſit.

An mulierum ſuſpectarum familiaritatem domi, aut extra domũ frequẽtet.

Quæ ad examen dignitatum pertinent.

QVid ſit dignitas eccleſiaſtica.

Ad quem finem ſint dignitates in eccleſia inſtitutæ.

Qualis eſſe debeat, vt dignè quis ad eam admittatur.

Quo animi propoſito debet promouendus ad illam accedere.

An tutus ſit in conſcientia, qui nouit ſe non benè inſtructum eſſe iis, quæ ad ſuſtinendam dignitatem requiruntur.

An vtiliùs ad ſalutem animæ ſuæ eſſe exiſtimet, obtinere illam dignitatem, aut non obtinere.

Quòd ſi dignitas fuerit habens diſtributiones, interrogetur.

A quo tempore, & ad quem finem introductæ fuerint in eccleſia diſtributiones quotidianæ.

Ex pluribus intereſſentibus choro pari deuotione, quis plus apud Deum mereatur, an qui maiores conſequitur diſtributiones, an qui minores, an qui nullas.

An fructus diſtributionũ poſſint pro libito eas acquirentis diſpenſari.

Quòd ſi habeat etiam iuriſdictionem, interrogetur.

Quid ſit iurisdictio, & quotuplex.

Quæ requirantur ad exercendam legitime iuriſdictionem.

In quo differat iurisdictio eccleſiaſtica à ſeculari: & vtra ſit antiquior, aut præſtantior.

Quòd ſi habuerit adminiſtrationem, interrogetur

Quid ſit adminiſtratio.

In quo differat adminiſtratio rerum patrimonialium, & eccleſiaſticarum.

An ſi per negligentiam adminiſtratoris, aut officialium illius, aliquid pereat, teneatur id reficere de ſuo.

Nũquid ſi intelligat ſe minus aptum eſſe ad dignitatis ſuæ muneta, poſſit illam tuta conſcientia retinere.

Quòd ſi dignitas habuerit curam animarum, tunc interrogetur, prout infra de Parochis.

DE CANONICIS.

POſt dignitates, cum Canonicorum ordo veluti eccleſiæ ſenatus cenſeatur, ideo in iis admittendis, diligens erit ratio ineunda, vt illorum muneri, vitæ integritas, & ſcientia reſpondeat.

Quæ ad inquiſitionem canonicorum pertinent.

HAec ſumi poterunt ex his, quæ ſupra de dignitatibus tradita ſunt: aliis adiectis, aut mutatis, prout res poſtulabit.

Quæ ad examen canonicorum pertinent.

QVid ſignificet hoc nomen Canonici, & quo tempore proditum ſit.

In quo differat canonicus ſecularis à regulari.

An ſuſcipiens canonicatum ea mente, vt poſtea renunciet, interim faciat fructus ſuos.

An horas canonicas omittẽs, ad fructuum reſtitutionem teneatur, etiam ſi diuinis interſuerit.

An ad conſequendas diſtributiones quotidianas, neceſſe ſit dicere officium diuinum totum in choro, & pſallere cũ pſallentibus.

An percipiẽs diſtributiones dierum, quibus non interfuit, ex amicitia, & gratificatione punctatoris, teneatur ad reſtitutionem.

An accedens ad eccleſiam propter diſtributiones conſequẽdas, aliter non acceſſurus, ſit tutus in conſcientia.

Reuelans dicta, aut facta in capitulo, quo peccati genere teneatur.

Quæ

Quæ ad examen præbendæ Theologalis pertinent.

QVòd ſi fuerit Canonicatus præbendæ Theologalis, poterunt illi aſſignari duo puncta ex Magiſtro ſententiarum, & ex Epiſtolis apoſtoli Pauli, dato ei competenti interuallo ad reſpondendum; tum poterit præter ea, quæ ſupra dicta ſunt de examine canonicorũ,de his, vel ſimilibus interrogari.

Quid ſit Theologia, & an alijs ſcientijs præſtet.

Quæ requirantur in Theologo huius præbendæ, vt dignè poſſit illam ſuſcipere.

Quæ ſit fructuoſior, Theologia ſcholaſtica, aut poſitiua.

Qua lingua ſingulæ partes veteris & noui teſtamẽti fuerint initio conſcriptę.

Poteſtas à Chriſto tradita beato Petro Principi apoſtolorum, quomodo tota tranſeat in Romanos Pontifices eius ſucceſſores.

Quibus ex locis ſacræ ſcripturæ probetur, Spiritumſanctũ procedere à filio.

Traditiones, quæ parem habent auctoritatem cum verbo Dei ſcripto,quæ nam ſint: & quibus certis notis deprehendantur.

Quæ ad examen præbendæ Pœnitentialis pertinent.

QVòd ſi fuerit præbenda Pœnitentialis, poterunt ei æquè duo puncta aſſignari: alterum ex Magiſtro ſententiarum:alterum de caſibus conſcientiæ, ſiue ex iure canonicò, quod ſpectet ad praxim:aſſignato ei congruo ad reſpondendum ſpatio,prout ſupra; tum præter ea, quæ dicta ſunt de examine canonicorũ, interrogetur de his,vel ſimilibus.

Quid ſit pœnitentia, & quot eius partes ſint.

Vnde ſacramenta eccleſię habuerint originem, & ex quo loco ſcripturæ ſingula probentur.

Item de vnoquoque ſacramento aliqua interrogentur, quæ commodiora videbuntur.

Quid ſit Indulgentia, à quo dari poſſit, & quibus poſſit.

Quid ſit cenſura, quid excommunicatio, & quot eius ſpecies.

Quid Irregularitas, quid Interdictũ.

Reſeruatio caſuum vnde primum inuenta: & quot,qualeſuè ſint caſus iure reſeruati.

DE PAROCHIS.

PArochorum munus cum grauiſſimũ ſit, quippe quibus animarum cura, & ſalus hominum committitur; propterea qui ad huiuſmodi officium vocãtur, vix ſatis vnquam probare ſe ipſos idoneos poſſunt: pro humanæ tamen imbecillitatis ratione,eos ſaltem tales eſſe oporteret, quos infraſcripta minimè redarguerent.

Quæ ad inquiſitionem Parochorum pertinent.

PRæter ea,quæ ſupra tradita ſunt,de inquiſitione dignitatum, inquiratur etiam,

An legitimæ ętatis, & in ſacris ordinibus,& à quo tempore.

An curam animarum vnquam exercuerit,& per quod tempus.

Ad quem præcipuè finem hanc parochiam velit ſuſcipere.

An ſit aptus ad prædicandum.

An filios habeat legitimos, & quàm benè eos inſtituat.

Quomodo pacificus ſit domi,& foris.

Cuius famæ, conuerſationis, familiaritatis, & prudentiæ.

Quæ ad examen Parochorum pertinent.

QVid ſit Parochus,& quo primum tempore hoc munus inſtitutum fuerit.

Quibus virtutibus Parochum oporteat eſſe præditum.

An

An teneatur ad omnia ſubeunda, quę ſpectant ad ſalutem animæ, & corporis gregis ſui.

An doctrinæ Chriſtianæ cognitio ſit omnibus neceſſaria ad ſalutem.

Inter omnes curæ ſuæ functiones, quænam cenſeatur eſſe maioris meriti apud Deum.

An liceat oblationes accipere, etiam ex illicito lucro prouenientes.

An teneatur aliquid pati in victu ſuo, vt alijs poſſit ſubuenire.

De adminiſtratione ſacramentorum, quæ videbuntur magis neceſſaria & opportuna.

DE IIS, QVI BENEFICIA ſimplicia obtinent.

HAec beneficia, quæ ſimplicia dicuntur, tametſi animarum curam non ſuſtineant; quoniam tamen non ad otium illa quoque inſtituta fuerunt, ſed in Dei honorem, & ad pietatem exercendam: atque ad diuinam clementiam pro peccatis populorum obſecrandam, & ſuffragijs in ſalutem benefactorum conciliandam: Idcirco maximè decet, hos etiam quibus hæc deferuntur, tales eſſe, qui pro ratione illorum beneficiorum ſua impleant munia; Itaque hæc quæ ſequuntur, inquiri poterunt.

Quæ ad Inquiſitionem prædictorũ pertinent.

AN legitime natus.

An habeat ætatem, & ordines requiſitos.

Quibus moribus, cuius vitæ, pro ratione ætatis ſuæ.

An alia beneficia habeat, quæ ad victum ſufficiant.

An alia ei obſtent, quæ beneficium impediant obtineri.

Quæ ad examen eorundem.

IN hoc examine, quod ſpectat ad ſumendum reſtimonium doctrinæ, non poreſt certa regula conſtitui; ſed pro qualitate perſonæ, ætatis, ac beneficij erit quilibet interrogandus.

DE SCRVTINIO.

PRæter ea, quæ in ſingulorum beneficiatorum examine ſeruanda eſſe duximus, confert maximè ad Eccleſiaſticam diſciplinam promouẽdam, quotannis etiam in diœceſana Synodo, clericorum omnium vitam, mores, habitũ, functiones compendio quodam recenſere: atque in ijs, quæ cuiuſque propria ſunt, muneris peritiam, atque diligentiam ſcrutari. Quod ſanè inquiſitionis genus ſæpiùs repetitum, cum maiores noſtri vſu ipſo ſaluberrimum comprobarint: mirificè nos quoque illius rationem Prouinciæ noſtræ Epiſcopis commendamus, in hanc, vel aliam commodiorem, vt illis videbitur, formam.

De habitu.

De domeſtico victu.

De conuerſatione.

De literarum ſtudijs.

De exercitijs ſpiritualibus.

De proprijs muneribus ſingulorum quæ videbuntur magis opportuna.

De alijſq. huiuſmodi rebus pro perſonarum, atque officiorum cuiuslibet qualitate, & conditione.

DE VNIONIBVS.

Verba Sacri Concilij Tridentini Seſſ. 24. c. 13.

Voniam pleræque cathedrales Eccleſiæ tam tenuis redditus ſunt, & anguſtæ, vt Epiſcopali dignitati nullo modo reſpondeant, neque Eccleſiarum neceſſitati ſufficiant; examinet Concilium Prouinciale, vocatis iis, quorum intereſt, vt diligenter expendat, quas propter anguſtias, tenuitatemque inuicem vnire, vel nouis prouentibus augere expediat. In parochialibus etiam Eccleſijs, quarum fructus æquè adeò exigui ſunt, vt debitis nequeant oneribus ſatisfacere; curabit Epiſcopus, &c. In vnionibus verò quibuslibet, &c.

ECcleſiarum rectè adminiſtrandarum ratio, cum præter Dei cultũ, ad populorum ſalutem in primis dirigatur; priſca ſanctorum Patrum pietas in omnem ſe ſtudioſæ ſollicitudinis partem effudit, vt multiplici auxiliorum varietate laborantibus interdum Eccleſiis conſuleretur.

Quapropter etſi ſingulis Eccleſiis ſingulos Rectores præficiẽdos eſſe veteres ſanctiones iubeant; quandoq. tamen poſtulat plebis vtilitas, vt quæ antea plures, ac diuerſæ erant, nunc in vnũ veluti corpus redigantur, ac ſimul coniunctæ pro vna eccleſia habeantur. Quandoq. etiam, vt quæ coniunctæ, connexæque vnionis vinculo habebantur: nunc dirimantur, ſingulæque ſeorſum, tamquàm recens erectæ conſtituantur, & gubernentur.

Quæ omnia cum ab vna tantùm ratione publicæ vtilitatis adiuuandæ proficiſcantur, non poſſunt inter ſe pugnantia, ſed maximè ad eumdem finem conſentientia, & coeuntia cenſeri.

Quamobrem cum ſacrum Tridentinum Concilium hac de re multa conſtituerit, quædam etiam prouinciali Synodo demandauerit, viſum eſt Epiſcopis noſtris, hæc quæ ſequuntur, decernere.

De ratione iuuandæ tenuitatis Cathedralium.

PRimùm enim mandatur omnibus Coepiſcopis, vt in prouinciali quaque Synodo referant ſinguli ſtatum eccleſiarum ſuarum, amplitudinem ciuitatis, & diœceſis, populorum frequentiam, animarum eis ſubiectarum numerum, locorum interualla, aduenarum concurſum, annuos prouentus, & redditus tàm certos, quàm incertos: tum onera ordinaria, & extraordinaria eccleſiis ſuis imminentia, & ſi qua huiuſmodi alia: vt omnibus ſimul collatis, certius iudicium de illarum commodis, incommodiſuè fieri poſſit: & quæ ea tenuitate laborare inuentæ fuerint, vt Epiſcopali dignitati nequeant reſpondere, de illarum adiuuandarum ratione ſapienter ſynodus poſſit Sanctiſſimum D.N. conſulere.

De aliorum verò beneficiorum vnionibus cum Tridẽtinum Concilium multa pariter Ordinarijs examinanda, atque implenda proponat; viſum eſt Synodo noſtræ Epiſcopos ſuos ad ea tutiùs expedienda, his quæ ſequuntur obſeruationibus, & regulis dirigere.

Quæ ſeruanda in vnionibus.

IN primis enim cum de vnione plurium beneficiorum conficienda de-

Y libe-

ſciplina ſubminiſtrat, orationis, meditationis, ſacræ lectionis, & aliarum rerum ſimilium, validioribus in dies ad reſiſtendum vitibus ſe ſe communiant, atque præparent.

De Paupertate.

SEd faciliùs multo moniales id aſſequentur, ſi propriū nec poſſidebūnt, nec appetent; ſed ex omni parte amplectentur, & cuſtodient paupertatem, quā vouerunt: quæ veluti totius ædificij religioſi tectum eſt, quo diabolicæ tempeſtates, ardores carnis, & mundi inſidiæ auertuntur. Quare nos ſacri Tridentini Concilij decretis inhęrentes ſtatuimus, vt poſt profeſſionem factam, nemini monialium Epiſcopis ſubiectarū liceat quidquam bonorum immobiliū, vel mobilium, cuiuſcunque qualitatis ſint, vel ſuum dicere, vel tanquam proprium apud ſe tenere, ſub pœna proprietarij impoſita: ſed quidquid illud fuerit, ſiue donatum, relictum, & datum, ſiue etiam ſuo labore, vel induſtria partum, totum id monaſterii Præpoſitæ ſtatim tradatur; quæ ex eo monialis ipſius, cuius cauſa id quæſitum eſt, neceſſitati ſubueniat; reliquum verò in communē vſum monaſterii conuertat. Quod vt in poſterum obſeruetur, curabit Præpoſita monaſterii, vt ſingulę moniales quolibet anno, conficiant inuentarium omnium bonorum, quæ illis in vſum relicta ſunt, illudque ſibi conſignari faciat anni cuiuslibet initio: vt inde conſtet, an præter ſuperiorum licentiam, quidquam retineant.

Quamuis autem ipſa egeſtas ſit nutrix virtutum, & Chriſtianæ perfectionis decus; quoniam tamen hæc corporis ſarcina, niſi neceſſariis alimentis, & commodis ſuſtētetur, ſpiritus vigorem facile deprimit, atque eneruat; Idcirco curent Epiſcopi, vt monaſteriorum eis ſubiectorum facultates quāprimum recenſeātur: & ſi quidem par fermè fuerit ratio prouentuum, & expenſarum, numerus monialium non augeatur, niſi aliud manifeſta monaſterii popoſcerit vtilitas.

Sed in vnoquoq. monaſterio is monialium conſtituatur, & cōſtitutus ſeruetur numerus, qui ex propriis redditibus, aut ex conſuetis eleemoſynis commodè ſuſtentari poſſit.

Quòd ſi numerus monialium, facultates & redditus monaſterii excedat, non ampliùs aliæ recipiātur, quàm cum eleemoſyna, quæ ſuppetat pro expenſis totius victus; ita vt monaſterium inde non grauetur, niſi alia ordinatio ſuper hoc à Sede Apoſtolica emanauerit.

QVAE PERTINENT ad diſciplinam Monialium.

De Moribus.

CAeterum quoniam vltra eſſentialia religionis ſupradicta vota, obediētiæ, caſtitatis, & paupertatis (in quorū cultu, & obſeruatione perpetuò moniales ſunt continendæ) multa quoque ſunt tum ad communem vitam, victum, & veſtitum, tum ad regularis diſciplinæ mores, & peculiaria præcepta pertinentia; quibus illæ ſi inhæſerint cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia ſupportantes inuicem, & ſolicitę ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, proculdubio dignè ambulabunt vocatione, qua uocatæ ſunt.

Propterea ſtatuit noſtra Synodus prouincialis, ut omnes Ordinarii uiſis regulis, & conſtitutionibus cuiuslibet monaſterii eis ſubiecti, quæ tàm ad ipſas moniales, quàm ad confeſſarios, & alios miniſtros ſpirituales, & temporales ſpectant, etiam uiſitando monaſterium: eaſdem regulas, & conſtitutiones ad Concilii Tridentini, & Bullarum Summorū Pontificum, ac huius prouincialis Synodi normam redigant, & quoad fieri poterit, à monialibus fideliter obſeruari curent.

De de-

De deuotione, & ſpiritualibus auxiliis.

QVæ omnia cum, ob fractas, & debilitatas, peccati labe, vires arbitrij noſtri, moniales ſi ope diuina deſtituantur, nequaquam præſtare, nec ſuperiorum iuſſis prompte parere, nec carnis motus comprimere, aut terrenas cupiditates reijcere valeant: propterea ad Dei implorandum, quod tantopere neceſſarium eſt, auxilium, Ordinarii eas certis conſtitutionibus inducant, vt ſaltem ſingulis menſibus, ſi non frequentiùs ſe ſe confeſſionis Sacramento expient, atque ſacro Euchariſtiæ conuiuio, qua decet pietate reficiāt; Sic enim ſublatis omnibus ad Deo ſeruiendum impedimentis, inebriabuntur profectò ab vbertate domus Domini, & torrenre voluptatis ſuæ potabit eas Deus. Vnde libenter iam orationibus uacabunt aſſiduis, exercebuntur crebris ieiuniis, incumbent deuotis vigiliis, laſciuas vel mundanas auertent picturas & imagines, vitioſos vitabunt libros, voluntarias ſubibunt corporis caſtigationes, neque illis quidquā magis curæ erit, quàm vt orationi optima lectio, lectioni virtutis aliquod opus ſuccedat.

De Diuinis Officiis in Choro.

QVantum verò auxilii afferat ad hæc omnia faciliter, & ex animo exequenda, & progrediendum in via Domini, diuinorum officiorum celebratio, religioſi omnes quotidie ſatis experiuntur: cum hinc deuotionis affectus maximè ſingulares excitentur, & cæleſtium donorum theſauri hauriantur.

Itaque moniales Epiſcopis ſubiectæ quæ abdicatæ ſeculo inter clauſtra Deo uiuere ſanctiſſimè deuouerunt, præfixas diuinis officiis horas nullo modo præter mittant; eaſq. in deuoto ſilentio, & meditatione præſtolentur, omneſq. ipſius diuini officii partes recitēt deuotè, & artē tè in choro pſallētes; ita ut non cātibus, aures ſecularium mulcere potius, quàm hymnis, & canticis ſpiritualibus uacare, & Deo canere ore, & corde uideantur. Et idcirco organa in poſterum fieri in eccleſia interiore, præcipit noſtra Synodus; optaret autem uehementer, ut quæ iam extructa ſunt in exteriore eccleſia, amoueantur, ni grauiores impenſæ obſtent; alioquin ea ita obſtrui mandat, ut monialibus proſpectus in eccleſiam minimè pateat.

De Præpoſitis Monaſteriorum.

CVM autem uerus monaſteriorum profectus à ſuperiorum diſciplina, & vigilantia potiſſimum pendeat; idcirco electio præpoſitarum monaſteriorū Epiſcopis ſubiectorum, quocunque nomine vocentur, canonicè fiat, tàm quoad tempus, & locum, quàm quoad perſonam & modum, iuxta decretum Tridentini Concilij, & Bullam Gregorij XIII. fel. recordat.

Tempus erit quolibet triennio, quo tempore, quæ aliis in proximè elapſo triennio præfuerit, rurſus præpoſita non creetur, niſi per aliud triennium dignitare vacauerit.

In huiuſmodi electione vota ſingularum monialium Ordinarius, ſeu ab eo deputatus alibi non recipiat, quàm in exteriore collocutorio ante feneſtellam cancellorum.

Perſona eligenda erit non minor annis quadraginta, & quæ octo annis poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter uixerit. Quòd ſi his qualitatibus non reperiatur in eodem monaſterio, ex alio eiuſdem ordinis eligi poſſit. Si hoc etiam incōmodum ei, qui electioni præeſt, uideatur; ex ijs, quæ in eodem monaſterio annum trigeſimum exceſſerint, & quinque ſaltem annis poſt profeſſionem

illorum conſilium ab Epiſcopo requiri; nam poterit ipſe poſtea pro ſua prudentia id ſponte ſtatuere, & deliberáre, quod magis ex re Eccleſiæ futurum eſſe cenſuerit.

Quod & in conſtirurionibus illis, ſiue regulis condendis obſeruandum erit, quæ ad cuiuſq. ſeminarii vſum, & commodum debebunt Epiſcopi, conſultis priùs eiſdem Canonicis, ad Tridentini Concilii præſcriptum prudenter accõmodare: veluti de admittendorum ætate, veſtitu, lectionibus, exercitationibus, de illorũ præfectis, de quotidiana diſciplina, de Cathedrali diebus feſtis frequentanda, & aliis huiuſmodi pro locorum conditione.

Itidem vt ex eodem Concilij decreto crebrò ſeminaria ab Epiſcopo, & duobus Canonicis viſitentur: & quos ibidem moribus prauis, ſiue nullius ſpei, vt proficere debeant, compererint, ab aliorum conſortio expellat Epiſcopus.

De promouendis clericis Seminarii.

CAeterum qui in Seminario inſtituentur clerici, quamuis ab Epiſcopis in rebus illorum maximè iuuari, & in concurſu etiam examinis cæteris paribus anteferri deceat; non tamen promouere eos ad titulum ſeminatii in ſacra ordinatione licebit, niſi pro vſu & ſeruitio beneficii, quod ſeminario vnitum fuerit. Quo caſu certi annui redditus huic clerico erunt aſſignandi, ex quibus ille promotus honeſtè poſſit ſe ſuſtentare; ita tamen vt aſſignatio illa ceſſet, cum primùm ille aliunde ad vitam neceſſaria (vita eius durante) firma permanſura nactus fuerit.

De aliis collegiis clericorum.

HOc Seminarii exemplo mãdat Synodus noſtra omnibus Epiſcopis, vt quæcunque clericorum collegia, ſiue conſortia quocunque titulo nuncupentur, in eorum diœceſibus inſtituta inueniantur; ea quiſque Epiſcopus certis legibus vtiliter dirigere ſtudeat, veteres conſtitutiones emendet, nouas inſtituat ſacris canonibus, ac Concilio Tridentino conſentientes, atque ſingulis collegiis modum congruentem præſcribat ſimul conueniendi, tractandi, & exequẽdi ipſorum functiones: ita vt emolumenta conferantur tantùm obſeruantibus conſtitutiones, atque deſeruientibus, iuxta pias teſtantium voluntates.

Eadem ratione cupit Synodus noſtra, vt vnuſquiſque Epiſcopus modum exquirat, quo clerici omnes, qui contra Tridentini Concilii normam certo non ſunt addicti miniſterio, ad alicuius benè inſtituti, aut de nouo inſtituendi collegii normam volentes redigantur; vnde illis occaſio ad eccleſiaſtica munia exercenda, publicæquè diœceſis vtilitati ſeruiendi præbeatur. Quapropter piis eos cohortationibus ac monitis, tum facili commodaque viuendi regula inuitare contendant, vt libenter propoſitũ vitæ genus profeſſioni, ac ſaluti ſuæ congruens amplectãtur.

DE MONIALIBVS.

Verba ſacri Concilij Triden. ſeſſ. 25. c. 22.

SI quid executioni mandatum non ſit circa decreta Monialium, & Regularium, Epiſcoporum negligentiam Concilia prouincialia ſuppleant, & coerceant. Regularium verò Capitula prouincialia, & generalia, & in defectum Capitulorum generalium, Concilia prouincialia per deputationem aliquorum eiuſdem ordinis prouideant.

QVemadmodum Religioſi, qui ordinis ſui regulam verè, fideliterque obſeruant, vitam in terris agunt potius angelicam, quàm humanam: & eò propiùs Deo accedunt, quò diſciplinam quam profeſſiſunt, arctiùs colunt; ſic à tramite ſui inſtituti paulatim deflectentes, verendum eſt ne à perfectionis culmine, ad quod tendere debent, deciden tes, eis propterea meritò exprobrari poſſit, *filij huius ſæculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt*: quippe qui lucem derelinquẽtes, deteriores ſecularibus in ſuo vitæ genere iudicentur.

QVAE PERTINENT AD PVELLAS in Monaſterijs Deo ſe dicare cupientes.

De inquiſitione facienda.

HOc ne Sanctimonialibus contingat, cum initium viæ bonæ ſit ſe ipſum Deo, cuius eſt totum quod eſt optimum offerre; optamus valde, vt puellæ quarum Spiritus ſanctus cor tetigegerit, mundo renuntiantes, quæ retro ſunt oblitæ, vnam petant à Domino, & hanc requirant, vt inhabitent in domo Domini omnibus diebus vitæ ſuę; hancque à ſeculo ad clauſtra migrationem, & ab imperfecto viuẽdi genere, ad perfectum, conuerſionem ſcientes faciant, & volentes, & perſeuerantes; non errore ductæ, non vi aut metu coactæ, non alio, quàm Chriſto potiſſimum ſeruiendi deſiderio adductæ.

Propterea cũ aliqua puella, aut eius parentes pro ea, petierint illam recipi in quodcunque monaſterium ſub Ordinariis, ſiue ſub Regularium cura exiſtens, ſeu aliàs exemptum, dummodo in ciuitate, aut diœceſi ſit; ſtatuit noſtra Synodus, antequam per ſecreta monialium ſuffragia, præcedente in primis ſuperioris licẽtia, acceptetur: vt Epiſcopus, vel eo abſente, vel impedito, eius Vicarius, aut aliquis eorum ſumptibus ab eis deputatus, exploret diligenter ipſius puellæ voluntatem, an coacta ſit, an ſeducta, an ſciat quid agat: deinde opportunis interrogationibus in loco à ſe deligendo, ab eadem ſcrutetur, quo animi propoſito, ac fine monaſterium ingredi elegerit: an iugum religionis libenter amplectatur: an inſtructa ſit de arcta vitę monaſticæ diſciplina: an illius obſeruationi totã ſe tradere omnino cupiat; nam in vocatione tàm ſancta, operæpretium erit de omnibus quæ ad regularia inſtituta ritè conſetuanda pertinent, quaſcumque ad perfectionis metam aſpirantes, optimè edocere.

Quòd ſi religionem ingreſſura, ex iis puellis ſit, quæ in monaſterio propter educationem permanent, antequam admittatur in religionem, ſemel exire ſi petierit, permittatur: vt illius voluntas, dum inter ſuos libera vixit, certior deprehendatur.

DE

De earum acceptatione.

COgnita cuiuſque puellæ voluntate, ſi in monaſterio ipſi Epiſcopo ſubiecto locus erit, poterunt Curatores monaſterij cum eiſdem puellæ parentibus, de congrua eleemoſyna ſuo tempore eroganda agere. Nouitia deinde à monialibus per calculos approbata, non antea religionis habitum ſuſcipiet ad induendum nouum hominem, qui ſecūdum Deum creatus eſt, quàm duodecimum ſuæ ætatis annum expleuerit, (ſuper qua ętate Epiſcopo diſpēſare nō licebit)& per diligentem ſuimet diſcuſſionem, & ſacramentalem, ſeu generalem, ſi videbitur, confeſſionem, vetere homine cum actibus ſuis ſe ſe expoliauerit. per id verò temporis ſpatium, ante monaſterij ingreſſum abſtinebit omnino à ſpectaculis, ludis, & choreis, auertens oculos ſuos, ne videant vanitatem.

De ingreſſu & habitu.

POſtquam acceptata puella fuerit(ſi in monaſterio ipſi Ordinario ſubiecto, ob probationem non commorabatur) ad illud deducatur per menſem ante quàm ſuſcipiat habitū, paucis tamen comitata affinibus, & ſine vlla pompa, & in monaſterio rurſus erit examinanda, ſi ita expedire videbitur. Quòd ſi conſtans reperiatur, ſtato die, inter miſſarum ſolemnia, vti moris eſt, ab ipſo Ordinario, ſeu deputato ab eo, ſacris ad hibitis benedictionibus, poſtquam ipſa cæleſti cibo refecta fuerit, ad Communionis feneſtellam, humiliter, & deuotè recipiet regularem habitum, ſibi ab Ordinario, ſeu ab eo quem Ordinarius deputauerit foris manente oblatum.

De puellis pauperibus.

VT autem Virginibus pauperibus in Domino conſulatur, ne ipſis ad religionem properantibus præcludatur aditus, eo quòd eleemoſynam æquè ac opibus affluentiores, monaſterio conferre nequeant; optat noſtra Synodus, vt cum monaſteria ipſis Ordinarijs ſubiecta bonorum prouentibus iam ſatis abundauerint, debeant moniales, ſi qua earum ex præſcripto ſui collegij numero deceſſerit, alteram, & ab ipſis monialibus probandam, abſque eleemoſyna in demortuæ locum recipere, vel ſaltem mediocri eleemoſyna contentæ ſint, æſtimata parentum inopia, & qualitate.

QVAE PERTINENT ad Nouitiatum.

De Magiſtra Nouitiarum.

IN vnoquoque monaſterio ipſis Epiſcopis ſubiecto, ſit nouitiarum magiſtra, virginali maturitate, prudentia virili, ac religioſa pietate veneranda, cui omnes nouitiæ ſubſint, & obediant. Huius erit illarum animos ad regulæ, & conſtitutionum normam informare, vt omnium rerum, quas tenentur ſeruare, rationem addiſcant: & in ſimplici verecundia, decoraque timiditate ſilendo proficiant: tum lectioni, & orationi inſtēt, horis canonicis interſint: abſtinentiis, ieiunijs, ac laboribus, quoad per ætatem, & corporis habitudinem licebit, aſſueſcant: & denique dum ſeorſum à profeſſis morantur, ſe ipſas ad clauſtralis diſciplinæ rudimenta percipienda, in ſumma humilitate, & ſanctitate exerceant.

De Rebus mobilibus & aliis ante profeſſionem.

QVemadmodum verò magnopere optamus, vt monialibus neceſſaria non deſint: ſic vehementer dolemus, & improbamus in ſupellectili pro nouitijs paranda, tot ſuperflua importunè poſtulari, & exigi, quæ ſtatui paupertatis, quam Deo vouerunt, maxime repugnant. Id ne in poſterum fiat, vtque ſupel-

ſupellex huiuſmodi ſit munda, ſimplex, vniformis, omniaque luxu careant, Synodus noſtra diſtinctè pręcipit omnibus monaſteriorum Ordinarijs ſubiectorum præpoſitis, vt ne à parentibus nouitiarũ inter mobilia quidquam ampliùs cælati argenti, aut auri petant, vel ſpontè oblatum capiant; ſed ſi quid tale in monaſterium importatum fuerit, vel quoquo modo peruenerit, ſtatim parentibus nouitiarum reſtituatur. Quæ verò ſecus fecerint præter alias arbitrio noſtro irrogandas pœnas, illis etiam à Tridentino Concilio conſtitutis puniantur.

Superiores verò regulares hortamur in Domino, vt id ipſum ſentiant, & à ſibi ſubiectis obſeruari curent.

Nihil autẽ ante cuiuſque puellæ profeſſionem excepto victu, & veſtitu à parentibus, aut puellæ curatoribus monaſterio tribuatur, ſub pœnis à ſacro Concilio Tridentino conſtitutis; Nec renunciationes fiant, & factæ nullum ſortiantur effectum, niſi ſeruata in illis Tridentini Concilij forma. Nam cum per annum nouitiæ probent, ac probentur, vtrique parti tàm monaſterio, quàm ipſis integrum eſſe debet, vt ſine diſpendio ſuum valeant mutare conſilium.

De Profeſſione facienda.

EXacto integro, qui datur, probationis anno, ante menſem præfiniti tẽporis, monaſteriorum præfectæ, ſub pœna ab eodem Concilio Tridentino ſtatuta, Ordinarium, aut eius Vicarium de profeſſione emittenda certiorem faciant: vt rurſus exploretur eius, quæ profiteri cupit voluntas, an coacta, an ſeducta ſit, an ſciat quid agat.

Qua voluntate explorata, ſi nouitia decimum ſextum ſuæ ætatis annum expleuerit, poterit admitti ad profitendum, monaſterioque erogari debebit quicquid eleemoſynæ nomine promiſſum fuerit.

QVAE PERTINENT ad tria vota monialium.

De obedientia.

VEhemẽter cupit noſtra Synodus, in ea digniſſima cogitatione, curaque ſanctimoniales omnes ſuis Epiſcopis ſubiectas verſari: vt intelligant meliorem eſſe obedientiam, quàm victimas: & auſcultare magis, quàm offerre adipem arietum. Nam Samuele teſte, quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare; & quaſi ſcelus idolatriæ, nolle acquieſcere. Voluntariè igitur, & ſimplici quodam affectu ſuperiorum voluntati pareant ſanctimoniales, & non tantùm vt voto illi, quo ſe ad obedientiam obſtrinxerunt, ſatisfaciant; ſed vt cæteris exemplo, & ædificationi ſint, promptè, & hilariter ſuperiorum mandata accipiant, non ægro animo, aut mœſto vultu, ſiue illa paruipẽdentes, quod abſit: ſiue ad ea euertenda, quod deterius eſſet, & abolenda, importunas etiam ac moleſtas ſęculi interceſſiones aduocantes.

De Caſtitate.

AB hoc verò ſanctiſſimæ obedientię ingreſſu ſternitur via facilis ad alterum caſtitatis votum conſeruandũ; illa eſt veluti fundamẽtum fortiſſimum, hęc ſuperædificat ſuper firmam petram. Subijcientes igitur ſe ipſas moniales iugo ſuauiſsimo Creatoris ſui: curent vt intra ſe cogitent, quæ Chriſti tantum ſunt, & quomodo illi placeant ſponſo æterno, qui ſeptus choreis virginum, eſt ipſe corona virginum, & paſcit inter caſtitatis lilia; igitur conentur vt fortiſſima ſit colluctatio Spiritus aduerſus carnem, & diuina gratia quærant ſtabilire cor ſuum, caſtitate ſuccinctæ lumbos mentis ſuæ; & contra immiſſas à dæmone tentationes, optimis illis præſidijs, atque armis, quæ monaſtica diſciplina

rerint, ex eiuſdem Concilii decreto irritas declarare, ac beneficia ipſa ſeparare; ſicuti & alias vniones ex iniuſtis quibuſlibet cauſis, & aduerſus canonicas ſanctiones contractas, iuxta regulas ſupradictas recognoſcere, & inualidas retractare.

Quæ verò legitimè factæ inuenietur, in iis curabunt Epiſcopi, vt quæ onera illis impoſita fuerint, impleantur; & quibus animarum cura erit adiuncta, illa laudabiliter, vt decet, peragatur.

DE SEMINARIO.

Verba Sacri Concily Tridentini ſeſſ. 23. c. 18.

SI Cathedralium, & aliarum maiorum Eccleſiarum Prælati, in Seminarij erectione, eiuſque conſeruatione negligentes fuerint, ac ſuam portionem ſoluere detrectauerint, Epiſcopum Archiepiſcopus, Archiepiſcopum & ſuperiores ſynodus Prouincialis acriter corripere, eoſque ad omnia ſupradicta cogere debeat; & vt quamprimum hoc ſanctum, & pium opus vbicunque fieri poterit, promoueatur, ſtudioſè curabit.

Si verò in aliqua Prouincia Eccleſiæ tanta paupertate laborent, vt collegium in aliquibus erigi non poſſit, Synodus Prouincialis curabit, pro regionis more, quæ neceſſaria videbuntur, & cæt.

QVanta in clericorum ſeminario probè inſtituẽdo ſit ab omnibus Epiſcopis diligentia adhibenda, non ſolùm naturalis ratio, & patrum temporalium ſollicitudo oſtendit, qui in teneram filiorum ætatem doctrinæ ſemina inſerere, eamque virtutum omnium ornamentis excolere contendunt; ſed etiam id ex ſacro Tridentino Concilio vſq. adeò liquet: vt inter potiſſima ad eccleſiaſticā diſciplinam inſtaurandam remedia, hoc vnum de Seminarij erectione, vti præſtantiſſimum à ſapientiſſimis illis Patribus habitum fuerit. vnde eò magis Epiſcoporum noſtrorum pietas, & ſollicitudo excitari, atque impelli debebit, vt nihil laboris, nihil induſtriæ, aut aſſiduitatis, in hoc tàm præclaro opere ſtruendo prætermittant.

De ratione erigendi Seminarii.

ANimaduertimus enim hoc tam à ſacroſancto Concilio diſciplinæ eccleſiaſticæ fructuoſum, vel neceſſarium potiùs habitum fuiſſe; vt quamuis aliqua diœceſis tanta redituum Eccleſiaſticorum tenuitate laboret, vt nec ex illorum contributione, nec ex beneficiorum vnione, ſeminarium vllatenus poſſit ſuſtineri; adhuc tamen decreuerit, ex duarum, pluriumuè Cathedraliũ Eccleſiarum collatione vnum erigi ſeminarium, in quod clerici ſingularum illarum diœceſum tot numero admittantur, quot pro ratione fructuum, quæ ab illis conferentur proportionabiliter poſſint educari.

Et ſi hoc deſit ſubſidium, vt nullo pacto Seminarium erigi valeat, omnino curandum eſt in ſingulis Cathedralibus, vel Collegiatis inſignibus magiſtros ſcholæ, & cantus deligi, qui gratis doceant clericos habitum & tonſuram clericalem deferentes, ac ſe inſtrui cupientes, dum tamen alicui ſeruiant eccleſiæ.

nem rectè uixerint, Epiſcopo conſentiente, eligatur.

Quoad modum, Superior poſteaquam de imponendo hoc onere, ſine fuco, & fallacia, de eodemquè ſuſcipiendo ſine prenſatione, & cupiditate, grauiter verba fecerit, & ſupplicationes octo dierū decreuerit: ipſo Scrutinij die, dicta ſancti Spiritus oratione, ſecretò quoad moniales colliget vota earum, adhibitis tamen ſecum duobus ſacerdotibus teſtibus; & illam præpoſitam pronunciabit, in quam ex eiſdem monialibus is ſuffragiorum numerus conuenerit, qui iuxta ſingulorum ordinum conſtitutiones eſt requiſitus. Quòd ſi paria fuerint ſuffragia, integrum erit ipſi Ordinario ſiue ab eo deputato, habita ratione vtilitatis monaſterij, cui maluerit accedere, ita tamen vt ſingularum eligentium nomina nunquam publicentur.

QVAE PERTINENT ad Clauſuram.

Qvamuis omnia ad clauſuram pertinentia, Epiſcopi iure ordinario, & tamquam ſedis Apoſtolicæ delegati, in quibuslibet monaſterijs ſiue ſub ſua, ſiue ſub regularium cura exiſtentibus, ſiue exemptis, dummodo ſint ſuarum diœceſum, per ſe ipſi animaduertere, viſitare, & prouidere poſſint, & debeant: & totam hanc clauſuræ curam, & cuſtodiā ipſorum ſolicitudini, & timoratæ conſcientiæ, noſtra Synodus ſummopere commendatam relinquat; Tamen quædam præcipua ad ipſas clauſuras ſpectantia hic attingere æquum eſſe exiſtimauit. Reliqua verò quæ non ita commodè pro locorum diuerſitate vniformi conſtitutione comprehēdi poſſunt, Epiſcoporum prudentiæ, ac circumſpectioni reſeruamus.

De Oſtiis.

IN primis quoad portas, quælibet monaſteriorum oſtia per quæ res neceſſariæ importantur, aut vehuntur firmiſſima ſint, & tres habeant ad minus ſeras, duas interiores, & alteram exteriorem, totidem firmiſſimis vectibus munitas; ac interiorum quidem ſerarum claues, per diem oſtiaria, per noctem verò monaſterij præpoſita cuſtodiat; exteriorum autem ſerarum claues confeſſarius, aut alter ab Ordinario, ſiue ſuperiori regulari, ſi regularibus monaſterium ſubiectum fuerit, eligendus aſſeruet.

Oſtia non ante ſolis ortum recludere, ſed ante ſolis occaſum omnino occludere neceſſe eſt; Oſtiariæ verò nunquam ab oſtio diſcedant, niſi prius occluſa ſera, quam vnaquæque earum cuſtodit; neque cuiquā aperiant, ad immittenda ea quæ per rotas admitti poſſunt; neque vllum introducant, qui licentiam in ſcriptis obtentam non oſtenderit. Quæ ſecus fecerint, officio priuentur, & pro modo culpæ, ſuperioris arbitrio grauiſſimè puniantur.

De Rotis.

ROtæ verò firmiter obſtructæ ſint, atque ita anguſtæ, vt nec infans in ipſis recipi poſſit.

Rotarum cuſtodes in monaſterijs Epiſcopis ſubiectis longa non habeant colloquia cum ijs, qui ad ipſas accedunt.

Nihil accipiant præter eleemoſynas, & alia quæ totius monaſterij vſui, & communi neceſſitati inſeruiunt.

Quòd ſi quis literas, ſiue libros, ſiue alia pertinentia ad certas moniales afferat: cuſtodes Rotarum antequam ipſa conſignent, de ijs monaſterij præpoſitam commonefaciant: cuius eſt committere, vt vel reiiciantur, ſi contra diſciplinam rectam monaſterii ſint: uel accipiantur, ſi uiderit eadem futura eſſe uſui illius monialis, ad quam mittuntur.

De

De Cratibus & locis Alloquutoriorum.

POſt oſtia, non minus muniendę ſunt crates duplicibus cancellis ferreis, palmi ſpatio ab inuicem diſtantibus, ita anguſtis, vt per eos paruula manus immitti nequeat.

Quæ verò crates in alloquutoriis sũt, decet maximè vt habeant à parte interiori laminam orbiculis perforatam, vel obductam: in qua ſit iuxta magnitudinem cratis, vel vna, vel duæ feneſtellæ vtrinque pedales.

At ſi quæ crates in eccleſiis monaſteriorum reperiantur, inde omnino amoueantur, & loca ſolido obſtruantur muro, ea crate excepta, quæ ſuper altari maiore collocari ſolet, per quam eleuatio ſanctiſſimi Sacramenti in Miſſa à monialibus conſpici poſſit; quæ tamen & duplicibus cancellis ferreis munitæ ſint, & firmæ, & poſt eleuationem ſtatim claudantur.

Si quæ etiam crates erunt in cubiculis confeſſariorum, omnino eas amoueri præcipit noſtra Synodus, & nullatenus permitti.

Eadem prorſus & maior diligẽtia adhibeatur in alloquutoriis cuſtodiendis. Et quoniam in multiloquio non deerit peccatum, ad cohibendos religioſarum ſermones, quos cum ſecularibus habẽt: conſtituantur iuxta antiquum, & probatum morem ex ſenioribus, in vnoquoque monaſterio Epiſcopis ſubiecto, profeſſis colloquiorum auditrices: quæ colloquiis interſint, & quæ dicuntur audiant, ſine quarum præſentia nemini monialium liceat, vel minimum in locis alloquutoriorum loqui, ſin minus illis perpetuò priuabunrur.

Ad alloquutoria autem quicunque accedit, licentiam Ordinarii, vel ab eo deputati, quando tamen monaſterium ipſi Ordinario ſubiectum fuerit, ſubſcriptam prius obtineat, in qua notetur nomen, dies, menſis, & annus.

Quòd ſi ſine licentia legitima colloqui cum monialibus ipſi Epiſcopo ſubiectis quiſpiam deprehenſus fuerit, graues aduerſus huiuſmodi perſonas, arbitrio Ordinarii conſtituendas pœnas ſubibit.

At mulieres ſeculares intortis crinibus, & aperto capite, cum luxu & pompa incedentes, quanuis ſanguinis propinquitate ſibi coniunctas moniales conuenire, & alloqui, quoad poterunt modeſtè vitabunt; decet enim cum ſanctis ſanctas eſſe, & cum religioſis religioſè conuerſari.

De locis ad Confeſſiones audiendas.

LOca item ad confeſſiones monialium Epiſcopis ſubiectarum audiẽdas in eccleſia deinceps aptari omnino ſtatuit noſtra Synodus, neque amplius in cubiculis permitti, ſed tolli eos abuſus, ſi qui erunt in hac Prouincia, vt hæc loca nec prandijs, nec diurnæ habitationi, aut nocturnæ, neque vlli rei inſeruiant, præterquam huic ſanctiſſimo Pœnitentiæ sacramento, donec fuerint illa in eccleſiam translata, adminiſtrando. Quæ verò extra eccleſiam ſunt, in eccleſiam transferantur. porrò habeant feneſtellam in muro inter confeſſarium, & pœnitentem interiectam, non ſolũ lamina ferrea paruulis foraminibus terebrata: ſed tela nigra, quæ amoueri nequeat, adeò tecta, vt ſe inuicem audire, ſed nullo modo aſpicere poſſint.

De Proſpectibus.

NE verò detur conquerendi cum Hieremia occaſio, quòd mors introierit per feneſtras, ad tollendum proſpectus, qui procul etiam plurimum obeſſe ſolent, aliquis modus adhibeatur, vel tranſenna appoſita, vel ſpecularibus vſque ad caſdem dimidias penitus occluſis.

Et quantum iure fieri poterit, prohibeatur, ne ædificia circa monaſteria extruenda

extrueda nimis attollantur, aut in eis feneſtræ, vel editiora loca fiant, vnde cunćta oculis intuentium pateant; & quæ hactenus fabricata ſunt, obſtrui mandent Ordinarij, vel alij ſuperiores: inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.

QUAE PERTINENT ad perſonas, quæ ex neceſſitate ingrediuntur ſepta monaſteriorum.

De operarijs, & alijs artificibus.

INter perſonas quæ in ſepta monaſteriorum admitti poterunt, ſunt artifices, quibus indigent moniales; ii tamen non admittantur niſi vrgente neceſſitate, & obtenta in ſcriptis licentia: in qua nomen cuiuſque adnotetur, annus, menſis, & dies. Hanc verò licentiam concedant ſuperiores iis tantùm auxiliariis, vel artificibus, & aliis huiuſmodi, qui honeſtate morum probentur.

Mercatoribus autem ad merces monialibus diuendendas, & ſarcinatoribus ad veſtes ſuendas, poſtquam cogniti fuerint viri probi, nõ nugaces, neque garruli, per id temporis ſpatium, quod neceſſitas requiret abitrio Ordinarii, dabuntur licentiæ.

De Medicis.

AT verò vt ægrotis monialibus præſto ſint medici, & chirurgi, annuam licentiam illis concedent Ordinarii, ſiue alii ſuperiores, & deputati; iureiurando illos obſtringentes, vt ea tantum munia circa ipſarum curationem fideliter exerceant, quæ ars medica ſine detrimento ſalutis æternæ poſtulauerit: vtque non miſceant colloquia vana, neque ſe præter neceſſitatem curationis detineant cum ceteris monialibus, aut domicellis in Monaſterio conuiuantibus, ſub grauibus pœnis eis infligendis.

De Confeſſariis, & aliis Sacerdotibus.

COnfeſſarii monaſteria nunquam ingrediantur, niſi ſuperpelliceo, & ſtola ornati, ad eccleſiæ ſacramenta ægrotis miniſtranda.

Sacerdotes caueant ab eodem ingreſſu ad iuſta defunctis perſoluenda, cum in exteriore eccleſia id æquè bene perfici poſſint: & interim honeſtius ſit moniales ſepelire ſororis cadauer intra ſepta monaſterii. Quocirca ne aliter deinceps fiat, diſtrićtè præcipimus.

QUAE PERTINENT ad conuertitas.

SAluator noſter qui venit vocare non iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam, pronunciata parabola de oue, & drachma perdita, ex gaudio quod in cælo fit ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, ſatis apertè docuit quanti à nobis eorundem peccatorum conuerſio ſit facienda, & nihil aliud præter animarũ lucrum Paſtoribus eſſe conlectandum. Quapropter noſtra Synodus perpendens, ſi famoſis mulieribus à vaſto luxuriæ gurgite penè abſorptis, aliquis ſalutis aditus aperiretur, earum multas fortaſſe abrepta pœnitentiæ tabula, ad illum properaturas: optat vt in Ciuitatibus huius prouinciæ, in quibus adhuc non extat monaſterium conuertitatum, quamprimũ liberalitate etiam Principũ, & magiſtratuum, de quorum in hac re pietate plurimum in Domino confidimus, inſtituatur; in ipſum verò non recipiatur aliud mulierum genus, præterquam illæ, quas ſordidam vitam egiſſe conſtet.

Quæ verò ex his petunt recipi in monaſterium, primum per aliquot menſes apud aliquam honeſtiſſimam mulierem aut alio in loco ad id deſignato, vtrum firmæ, & conſtantes permaneant, optimè probentur. Deinde ſi in ſententia perſtiterint, admittantur in monaſteriũ.

Verùm ne perperam ſacrum induant religionis habitum, commonefiant, ſibi poſt emiſſam profeſſionem, quam tempore quo earum conſtitutionibus id cauetur, emittere debent, inde amplius exire nullatenus permiſſum iri.

QUAE PERTINENT ad Tertiarias.

EX his quæ accidunt quotidie, ſatis liquet ſapientiſſimè aliàs à fel. recor. Gregorio XIII. conſtitutum fuiſſe, ne Tertiariæ quas vocant, per Ciuitates vagarentur; ſed vt cuiuſuis ordinis exiſterent, ſub obedientia in ſuis quæq. ſelectis, & ob id ſeptis domiciliis, ſublata exeundi ſpe commorarentur, ad vitam tutiùs, quàm in ſeculo, religioſiùſque ducendam: & quæ id obſeruare nollent, habitum dimitterent. Idcirco curent Epiſcopi prænominatam Gregorii XIII. conſtitutionem omnino ſeruari: neq. huiuſmodi Tertiariæ in poſterum recipiantur, niſi habeant vnde viuant, habuerintque qualitates iuxta conſtitutiones ab Ordinario approbatas.

QUAE PERTINENT ad puellas, cupientes Deo ſeruire extra monaſterium, & ſine habitu religionis.

PRæter eas quæ habitũ religionis ſuſcipiũt, ſunt & aliæ puellæ bono ſpiritu plenæ, facultatibus autem quandoque deſtitutæ, aut quibus aliàs conſanguineorum ſocietatem deſerere non licet, nolunt tamen nubere: ſed cupiunt Deo in ſancta virginitate, & cælibatu in ſeruire. Harũ vt ſancto propoſito conſulatur, optaret Synodus noſtra, ſocietatẽ aliquam in quibuſlibet Prouinciæ ciuitatibus inſtitui, ſub pia matronarum nobilium, ac prudentum cuſtodia, quales nõnullæ variis in locis, titulo ſanctæ Vrſulæ, ſeu ſanctæ Helenæ fuerũt inſtitutæ: cuperetque maxime, huiuſmodi puellas quę bono hoc ſpiritu ducuntur, certis di rigi regulis, ac piis viuẽdi rationibus inſtitui, vt in pietate proficerent, & altiſſimo rectè famularentur. Atque eaſdem ſocietates noſtra Synodus inſtitui cupit etiam pro viduis, quemadmodum alibi ſub titulo ſanctæ Annæ.

QUAE PERTINENT ad puellas, quæ in monaſterijs educantur.

CVm cõceſſum ſit rectæ inſtitutionis gratia, puellas in monaſteriis educari quando monaſteria ſoliti ſint illas recipere; curatores cuiuſlibet monaſterij Ordinarijs ſubiecti, quos vulgo Aſſumptos vocant, priuſquã earum aliqua recipiatur, cognoſcent quibus parentibus ſit nata: num vita & fama integris: cuius ætatis ea ſit: an rationis capax: & ſaltem ſeptennium attingens: vel aliàs magiſtræ præceptis paritura: an etiã parentes eam inducere in monaſterium conentur recreationis potius, aut cuſtodię cauſa, quod ferendum non eſt: an vt verè bonis, religioſiſq. moribus imbuatur. Agent quoque de expenſis pro eius victu ante quodlibet trimeſtre monaſterio perſoluendis: tum de habitu, & ornatu, qui dum ibi commorabitur totus virginalem ſimplicitatem, & puritatem redolere debeat.

His ita conſtitutis, & inter partes conuentis iidemmet curatores per ſubſcriptionis ſuæ notam, ſuperiori teſtabũtur, eum puellæ ingrediendi monaſteriũ licẽtiam legitimè impartiri poſſe, ſi illam puella prius à ſede apoſtolica obtinuerit, conditioneſq. requiſitas adipleuerit.

Poſt ingreſſum puella quæ abſque famula ingrediatur, nuſquam egrediatur regreſſura, niſi infirmitatis cauſa teſtimonio in ſcriptis habito à medico, quod loci, & aeris mutatio illi neceſſaria, & profutura ſit.

Si qua verò ex his puellis diuino ſpiritu tacta religioni nomen dederit, anteq̃ ſuſcipiat religionis habitũ, ſemel exire permittatur: vt illius volũtas, dum inter ſuos libera viuit, eò certior deprehendatur, vt ſupra ſuo loco dictum fuit.

Quæ autem à parentibus nuptui in ſeculo deſpondebitur, ea quãprimum ad ſuos

ſuos remittatur, niſi vrgente aliqua honeſta cauſa, ad breue tempus nulla mutatione veſtimentorum, nec propinquorum viſitatione ſequuta, ibidem detineretur.

Idem in iis obſeruãdum erit, quæ poſt vigeſimum annum in monaſterio adhuc morantes, ſi interrogatę à ſuperioribus, declarent nolle ſe habitum ſuſcipere; nam & illæ domum erunt remittendæ.

Optimè verò puellis iſtis, & monialibus conſultum erit, ſi ab vna tantùm magiſtra, ætate grandæua, virtute, ac religione pręſtanti, in ſilentio, cum omni humilitate, & ſubiectione, ſalutaribus imbuantur præceptis: & fidei rudimenta edoceantur, & in ſuis operibus exerceantur.

In monaſteriis ſeorſum habitabunt, ne monialibus ſint oneri, aut impedimento: cubabunt ſolæ: ſurgent mane cum ceteris, ornantes ſe cum verecundia, non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veſte precioſa; ſed habitu, qui deceat virgines promittentes pietatem per bona opera: quæ æquè præſtabunt omnia, exceptis ad religionis eſſentiam pertinentibus, & officiis ab eiſdem monialibus iure exequendis, ad quæ moniales ipſæ tenentur.

DE LOCO INSTITVENDO ad cuſtodiam mulierum diuertentium à maritis.

QVòd ſi in ſingulis ciuitatibus pia Epiſcoporũ ſolicitudine inſtitui certa loca domeſticis munita neceſſitatibus poſſent: in quæ mulieres illæ reciperentur, quibus ob maritorum ſæuitiam, aut turpitudinem, ſiue aliis iuſtis ex cauſis, minus tutò cum illis licet habitare, quæ dotium ſuarum, aut laborum prouentibus eſſent educãdæ: hoc tanquam pium, ſalutareque conſilium Synodus noſtra valdè commendaret; vt partim grauibus incommodis, atque ingentibus periculis proſpiceretur, quæ non tutæ cohabitationis probata ſuſpicio plerunque afferre ſolet; partim etiam mulierum pudori conſuleretur, quas legitimam thori ſeparationem obtinentes, ſeorſum in certo aliquo, ac benè inſtituto loco, ſub honeſtarum matronarum gubernatione cuſtodiri, nõ autem propriæ vagandi libertati relinqui, æquius longè congruentiuſque eſſet.

Idem & erga puellas illas obſeruari vehementer optaret, quæ incuria, vel orbitate parentum, oblatam peccandi occaſionem declinare negligunt, ac pręcipites in omnem turpitudinem feruntur: aut ignorantia ſui erroris obcæcatę, in ipſa turpitudine tanquam derelictæ inſordeſcunt. Ad Epiſcoporum quippe pietatis officium pertinere in primis cẽſet: vt curent in ſingulis parochijs ciuitatum ex nobilibus, & probatis fœminis tres, vel quatuor ætate & prudentia maturiores initio cuiuſque anni eligẽdas, quæ ſollicitam curam gerant, tùm recludendi tuto in loco ab eiſdem Epiſcopis præſcribendo eas puellas, quarum honeſtas periclitari ſolet, tum illas à turpi lucro reuocandi, quæ minus honeſtè viuunt, vel denique proiectas in fœdam libidinẽ, ad religioſam conuertitarum regulam pijs hortationibus perducere contendant.

DE CAVSIS IN FORO EPISCOPALI.

Verba Sacri Concilij Tridentini ſeſſ. 24. c. 5.

MINORES cauſæ criminales Epiſcoporum, in Concilio tantùm prouinciali cognoſcantur, & terminentur, vel à deputandis per Concilium prouinciale.

De cauſis Epiſcoporum.

SI quando acciderit, vt minores cauſæ Epiſcoporum ad Concilium prouinciale deferantur; erunt in hunc, qui ſequitur modum, & cognoſcendæ, & terminandæ. Nam à Patribus in Concilio vnus, aut plures conſtituentur, qui totam facti ſeriem quanta poterunt diligentia, fide, atque ſilentio inueſtigent: inſtructioneſque omnes, in acta redactas, atque proceſſum ipſum vſque ad ſententiam excluſiuè rite confectum, Concilio prouinciali exhibeât: vt tum Patres re maturè perſpecta, inuicemque collata, quod iure conſentaneum duxerint, diffiniant, & decernant. Quòd ſi temporis ſpatium celebrando Concilio præſtitutum id nequaquam patietur, ad Metropolitanum cauſa remittetur ex iuſtitiæ legibus terminanda.

De litibus præcidendis.

ET quoniam prouinciali Concilio ea pariter cura mandata eſt, vt ſtudeat litium anfractus præcidere, & controuerſias omnes quanta licebit breuitate, ac compendio dirimere; Ideo vnumquemque Epiſcopum enixè monet, atque in Domino hortatur: vt adhibitis in conſilium aliquot probatæ conſcientiæ iuriſperitis, pro vſu eccleſiæ ſuæ, rationem aliquam contrahendarum litium, quoad eius fieri poteſt ſalubrem ineat, quam certis, accuratèque examinatis conſtitutionibus comprehenſam, nec iuri contrariam, conſtanter obſeruari huius Synodi auctoritate in foro ſuo præcipiat.

De Appellationibus.

DE appellationibus verò, cum illud ſtatutum ſit, vt non admittantur, niſi à diffinitiua, vel diffinitiuæ vim habente, & cuius grauamen per appellationem à diffinitiua reparari nequeat: ſi quis tamen, ſe indebitè longiori tempore carceribus incluſum conquereretur, non poterit Ordinarius non huic appellationi deferre: patieturque proceſſum transferri ad iudicem appellationis: reo tamen in carceribus interim permanente, donec iudex appellationis cauſa cognita, ſecus decreuerit.

Illa quoque appellatio, quæ in cauſa viſitationis, & correctionis compilato proceſſu agitata aliquando interponitur, quamuis à iudice ſit admittenda; non tamen executionem ſuſpendet, niſi vbi grauamen aliter non poſſit reparari.

Metropolitanus verò donec iudicium coram Epiſcopo vertitur, nullatenus poterit ante diffinitiuam ſententiã de grauamine illato cognoſcere, licet citra præiudicium curſus illius cauſæ pendentis, id ſe facere conteſtaretur; nec ad hunc effectum licebit ei aut inhibere, aut ſimpliciter Epiſcopo mandare, vt ſibi proceſſus

ceſſus

ceſſus copia tranſmittatur expenſis etiã appellantis.

Quòd ſi continget Iudicem à quo rite appellatum fuit in cauſa criminali, con tumacem in exhibendis actis extitiſſe: partes erunt Iudicis ad quem, reum appellantem à moleſtijs ſibi illaris abſoluere, ſimulque pronunciare ſenten tiam iudicis à quo, cum illius actis ſi vnquam producantur, irritam & inanem eſſe; & notarius, ſi id ipſius culpa eueniſſe compertum fuerit, ab officij adminiſtratione arbitrio Ordinarij ſuſpendatur, & ad dupli pœnam quanti ea lis fuerit, inter appellantem, & pauperes loci diſtribuendam compellatur.

De expenſis litium.

NE verò hi qui in Iudicio diſceptant, præter litium labores & incommoda, grauioribus quàm decet ſumptibus opprimantur; mandat Synodus noſtra, vt quiſque Epiſcopus cum peritorum prudentiumq. virorum conſilio, totam mercedum, expenſarumque rationem certa moderatione, ac regula téperare ſtudeat; duaſque, ſi ita videbitur, tabulas in aula publicæ audientiæ affigi mandet: in quarum altera mercedes, ſiue taxæ omnium ciuilium cauſarũ minutatim deſcribantur: in altera criminalibus actis mercedes præfigantur: atque ea quæ ex officio, & gratis præſertim in pauperum ſubſidium concedi debent, adiungantur. Præter illa autem quæ ibi præſcripta fuerint, nemini ius eſſe, omnes intelligant, quidquam prorſus, nec ſponte oblatum percipere.

Quæ quidem vt fideliter, conſtanterque obſeruanda eſſe vniuerſi intelligãt, mandat Synodus, tabellionibus, cancellarijs, alijſuè ad quos pertinet omnibus: vt cum acta exhibituri ſunt, adſcribant in margine quid, & quantum partes perſoluerint, ne vllus fraudi locus relinquatur.

De Notariis.

DE Notarijs verò, eorumuè ſubſtitutis deligendis, examinandis, ſuſpendendis, ac reprobandis iuxta Trid. Concilij decreta: & quàm diligentem operam adhibere debeant in actis conſcribendis, in originalibus non exhibẽdis, in teſtibus examinandis, in documentis publicis conficiendis, in ſcripturiſque extendendis: Tum quotuplices libros pro cauſarum varietate retinere, quantam fidem in ſingulis tueri compellantur, quales ſe erga pauperes præſtare debeant, quibusuè pœnis in munere ſuo delinquentes ſint ſubijciẽdi; Curabunt ſinguli Epiſcopi, vt hæc, & alia huiuſmodi ad eorum munus ſpectantia, per certas, ac multorum benè ſentientium conſilio probatas conſtitutiones, ad cõmunem cleri & pauperum vtilitatem ac commodatas, omnibus innoteſcant.

De Procuratoribus.

DE cauſidicis quoque, ſeu procuratoribus cauſarum, optat vehemẽter Synodus, illorum munus iuſta aliquà ratione; quam magis Epiſcopi de peritorum conſilio probabunt, ex Eccleſiarum conſuetudine, & vtilitate dirigi: vt eorum patrocinium, non ad inuoluendas, protrahendaſuè lites: ſed ad iuſtitiam tuendam, bonumq. publicum iuuandum, inſtitutum eſſe omnes agnoſcant.

Sed illud præſertim enixè Synodus contendit, vt pauperum, miſerabiliumque perſonarum cauſas gratis, accuratèque pro Chriſtianæ pietatis officio, tueantur; atque idcirco vehementer exigit ab Epiſcoporum ſtudio, vt quibus in locis huiuſmodi procuratores nõ ſunt, deputentur: & vnoquoque quadrimeſtri vnus ex illorum numero, qui ab Epiſcopis probari erunt, coram Ordina

 rio

rio fortè extrahatur, qui cauſas prædictas fideliter agendas, defendendaſque vbi conſtiterit de aliquorum paupertate, ſuſcipiat.

De Archiuio.

AD hæc, vt perpetuis monimentis quæcunque ad eccleſias, clericorumque ſtatum quomodolibet poſſunt pertinere, tutò, fideliterquè cuſtodiantur; erit in Epiſcopali palatio locus aliquis Archiuij titulo conſtituendus, cum certo fidelique cuſtode, cui ſcripturæ, & documenta omnia committatur: qui ea ſuis locis diſtincta, proprijſq. materijs diſtributa, eodem in Archiuio recondet.

Hic facultates omnes ad ſpirituales actus exercendos conſeruabuntur.

Hic ſacrarum omnium reliquiarum, atque indulgentiarum, quæ in ſingulis eccleſijs reperiuntur, catalogus includetur.

Hùc legata quæcunque ad pias cauſas relicta, deferentur.

Hic inuentaria omnia rerum mobiliū ſacrarum, ſeu ad eccleſiam pertinentium, & immobilium ad quæcunque beneficia ſpectantium, reponentur.

Hic tranſumpta authentica omnium bullarum, ſeu titulorum, abbatiarum, dignitatum, canonicatuum, & quorumcunque beneficiorum cuſtodientur.

Hic parochorum libri, in quibus baptizatorum, confirmatorum, contrahentium matrimonia, & defunctorum nomina: item familiarum parochiæ, & animarum omnium, quæ ſub eius cura ſunt, numerus ſingulis annis deſcribendus, & iterandus, collocabuntur.

Tum alia quæ vniuſcuiuſque eccleſiæ ratio, & vtilitas in eodem Archiuio recondēda, & conſeruāda eſſe poſtulabit.

Cum autem in huiuſmodi Archiuio magnum eccleſiarum præſidium, ac tutum rerum ipſarum munimentum ſit conſtitutum; ideo illud ſæpe ab Epiſcopis, aut eorum deputatis viſitari, ac diligenter de ſingulis rebus ſupra traditis inquiri: tum in eos, quos Bullas, inuentaria, aut alia eccleſijs neceſſaria non detuliſſe compererint, grauiter animaduerti Synodus noſtra, pœnis eorum arbitrio propoſitis, ſtatuit & decernit.

De Pœnis pecuniariis & mulctis.

POſtremo omnibus Vicarijs, & officialibus eadem Synodus in Domino præcipit: vt ipſi emolumentis illis rantùm ſint contenti, quæ tuta conſciētia, legitimoque eccleſiarum vſu, nec ſacris conſtitutionibus repugnante, iuſte ex tribunalium foro illis licet percipere. Et Epiſcopi omnes pecuniarias pœnas, ſiue mulctas quaſcunque, in eccleſiarum fabricas, quæ magis indiguerint, ſeu alia pia loca, aut miſerabiles perſonas, re ipſa, integreq. erogandas, curent.

Quod vt in maiorem fidelium ædificationem cedat, mandat has omnes pecunias apud ædem ſacram, aut Pietatis montem, aut alios idoneos eccleſiæ officiales, aut camerarios, vel ſyndicos Capituli deponi, atque in libro ab aliis Epiſcopalibus rationibus ſeiuncto quicquid à reis, quacūque ratione fuerit exactum, & in quod opus pium collatū fuerit, ſigillatim deſcribi: diſtributionem verò arbitrio quidem Epiſcoporum permittit, ſed adhibito tamen conſilio alicuius ex ſenioribus canonicis eccleſiæ cathedralis, quem quilibet Epiſcopus elegerit, vt coram Deo, & hominibus Epiſcopales actiones commendentur. Tum tertio quoque anno librum hūc in prouinciali Synodo cum rationibus dati & accepti, exhiberi mandat, vt à fratribus ſuis Coepiſcopis vnuſquiſque eorum prudens, atque fidelis diſpenſator probari mereatur.

DE IVDICIBVS DELEGANDIS.

Verba Sacri Concilij Tridentini ſeſſ. 25. c. 10.

STatuit ſancta Synodus, in ſingulis Concilijs prouincialibus, aut diœceſanis, aliquot perſonas, quæ qualitates habeant iuxta conſtitutionem Bonifatij viij. quæ incipit, *Statutum*; & alioquin ad id aptas deſignari, vt præter Ordinarios locorum, ijs etiam poſthac cauſæ eccleſiaſticæ, ac ſpirituales, & ad forum eccleſiaſticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur.

AD publicam tranquillitatem, pacemque in populo retinendam, cum illud maximè conferat, ne quiſque iure ſuo ſpolietur, quod quidem nō tantum à legum æquitate, quàm à iudicum qui leges exequuntur, pendet integritate; propterea nō ſatis eſſe veteres prudenter exiſtimarunt, certas de dirimendis cauſis ſanctiones edere, niſi & de perſonis, quæ ſecundum eas ritè, rectèque iudicarent, maturè conſtituerent.

De modo eligendi Iudices, quibus cauſa committantur.

HInc igitur ſacrum Concilium animaduertens quanti referret, probos, idoneos, minimequè ſuſpectos iudices controuerſijs præfici: ac intelligēs propter locorum longinquitatem aliquando cauſas perſonis non vſquequaque idoneis, propter non habitam eorū notitiam, committi: ea de illis delegandis prouinciali Concilio, ſeu diœceſano decernenda reliquit, quæ modo relata fuerunt; quæ vt executioni mandentur, ſtatuit noſtra Synodus, vt vnuſquiſque Epiſcopus in diœceſana ſynodo, quæ ſingulis annis habenda erit, non prætermittat tot Eccleſiaſticas perſonas, quot diœceſis ratio poſtularit, & ſaltem quatuor deligere, quibus poſthac cauſæ Eccleſiaſticæ, ac ſpirituales, & ad forum eccleſiaſticum pertinentes delegandæ cōmittantur: ij verò ſint iuris canonici doctores, & in aliqua dignitate eccleſiaſtica, ſeu perſonatu conſtituti, ſiue canonici cathedralis Eccleſiæ.

Horum verò nominatio potiſſimum ad Epiſcopum in ipſa Synodo pertinebit; non ita tamen, quin & cæteri, qui in Synodo intereſſe debent, alios quoque nominare poſſint.

Ceterùm ijs delectis, atque approbatis, illorum nomina per cancellarium curiæ in loco publico deſcripta proponentur, vt omnibus innoteſcant, qui illos ſibi iudices decerni optabunt.

De iudicum delegatorum mutatione.

QVòd ſi ex deſignatis aliquem interim mori, aut dignitate vel canonicatu, ſuo delicto priuari contigerit, aut ad eum ſtatum redigi, vt dignitatis eccleſiaſticæ incapax habeatur, aut à loco vbi cauſa tractanda eſt, per longum temporis ſpatium abeſſe inceperit; partes erunt Ordinarij cum conſilio Capituli (quod tamen conſilium ſequi nō compelletur) alium in deficientis locum ſubſtituere, vſque ad nouam prouincialem, vel diœceſanam ſynodum. At ſi is qui tempore delegationis dignitatem, aut canonicatum, aut perſonatum obtinebat, eum volens, ac rite dimiſerit, manebit adhuc iudex competens, cauſamque proſequi, atque definire poterit, ac ſi prioris dignitatis munere fungeretur.

Cum verò poſt delegationem factam, legitima iudicis recuſandi cauſa ſe parti ob-

ti obtulerit, quę ab excipiēte probetur, aut aliàs notoria ſit; tunc iudicabunt reliqui ex deſignatis, in quos partes con ſenſerint: niſi ſecus reſcripto cautum eſſet, cuius forma erit obſeruanda: aut in re dubia ſummus Pontifex conſulēdus, interimque omnia in ſuſpenſo detinenda, ita vt neutri partium tempora labantur.

Quod ſeculares in cauſis eccleſiaſticis ſe non immiſceant.

ſeſ.25.c.10. HViuſmodi autem nominationes ſiue electiones in ſingulis Eccleſijs factas, vnuſquiſque Epiſcopus ad ſummum Pontificem ſtatim tranſmittere curabit vt iiſdem Apoſtolica auctoritate cauſſæ delegentur, & delegationes quęcunque aliorum iudicum, alijs quàm iis factæ, ſubreptitiæ cenſeantur.

De cauſis terminandis.

POrrò iudices prædicti, eum in procedendo, iudicando, & exequendo ſtylum obſeruabunt, qui ſibi à iure cōmuni, ſiue ex legitima conſuetudine permiſſus eſt, modò ne aliud fuerit in reſcripto delegationis expreſſum: Interim illud maxime attendentes quod Sacrum Tridentinum Concilium monuit, vt terminandis cauſis quantà fieri poterit breuitate, ſtudeant.

DE LOCATIONIBVS RERVM ECCLESIASTICARVM.

Verba Sacri Concilij Tridentini ſeſ. 25.c.11. LOcationes verò rerum eccleſiaſticarum etiam auctoritate Apoſtolica confirmatas, ſancta Synodus irritas decernit, quas à triginta annis citra, ad longum tempus, ſeu vt in nonnullis partibus, ad viginti nouem, ſeu bis viginti nouem annos, vocant factas: Synodus prouincialis, vel deputandi ab ea, in damnum Eccleſiæ, & contra canonicas ſanctiones contractas fuiſſe iudicabunt, &c.

SI clericorum ordo ſuæ conditionis, atque officij memor eſſet, ac bonorum eccleſiaſticorum non dominium, ſed adminiſtrationem ſuæ fidei creditā eſſe agnoſceret, proindeque iuſtam de his diſponendi poteſtatem non eorum arbitrio, ſed ſupremæ ſummi Pontificis tātùm auctoritati reſeruatam fuiſſe intelligeret; nō tot conſtitutionibus, multiplicatiſque pœnis opus fuiſſet, rerum eccleſiæ alienationem prohiberi, aut iam diſtractas ad ius, ſtatumq. priſtinum reuocare.

Quamobrem præter veteres de his ſanctiones, ſacrum etiam Conciliū Tridentinum hanc partem vti maximè neceſſariam, ad conſeruandum Chriſti Domini noſtri, & pauperum eius patrimonium, nullatenus prætermittendam putauit, facultate ſynodis prouincialibus, vel ab eis deputandis relicta, iudicandi in damnum eccleſiæ, & contra canonicas ſanctiones factas eſſe locationes vllas rerum eccleſiaſticarum, etiam auctoritate Apoſtolica confirmatas: cū Tridentina ſynodus illas irritas decreuerit, quæ à triginta annis citra ad longum tēpus, ſeu ad vigintinouē, ſeu bis viginti nouem annos factæ fuere.

DE

De modo reuidendi locationes rerum eccleſiaſticarum.

HInc igitur Synodus noſtra caput illud, quod de locationibus rerũ eccleſiaſticarum in ſupra annotato Concilij Tridentini decreto conſtitum fuit, exequi cupiens; mandat omnibus Epiſcopis, vt edicto in Eccleſiis ſuis propoſito, omnibus Eccleſiarum rectoribus præcipiant, quaſcunque bonorum eccleſiaſticorum locationes ad longum tempus, à triginta annis citra, ante Tridentini Concilii confirmationem factas, vt quàmprimum exhibeant; eaſque per duos iuriſperitos, et ſi fieri poterit canonicos Cathedralis, aut alios in eccleſiaſtica dignitate conſtitutos, integritate, atque ſcientia probatos, iubeant recognoſci, & diligenter examinari: qui citatis de iure citandis, & ſi opus fuerit in rem præſentem accedentes, atque reliquis legitimè obſeruatis, ſummariè tamen, & ſine ſtrepitu & figura iudicij, quas locationes inuenerint in damnum eccleſiæ, & contra canonicas ſanctiones quauis poteſtate etiam Apoſtolica contractas fuiſſe, eas auctoritate prouincialis noſtræ ſynodi iuxta facultatem ſacri Tridentini Concilij irritas decernant.

De inuentario rerum eccleſiæ faciendo.

AD hæc, vt Eccleſiarum bona ad diuinum miniſterium acquiſita conſeruentur, mandat ſynodus noſtra omnibus Epiſcopis prouinciæ, ac rectoribus beneficiorum, quocunque titulo ea poſſideant, vt intra trium menſiũ ſpatium, inuentarium omnium bonorum mobilium, & immobilium, iurium, & actionum fideliter conficiant, quod in archiuio Epiſcopali ſub certo cuſtode, aliiſque modis infra declarandis perpetuò retineatur.

Quòd igitur ad mobilia attinet, illa in inuentarium redigantur, quæ vel ſacra, vel ad vſum eccleſiæ deſtinata, vel ad vſum domus eccleſiæ à prædeceſſoribus acquiſita, atque à præſenti rectore, adepti beneficij tempore, in Eccleſia inuenta fuiſſent, aut aliàs illius generis rerum fuerint, quas Pius V. fœl. rec. in ſua conſtitutione voluit ad eccleſiam pertinere; adeò vt rector nullatenus ea in poſterũ poſſit diſtrahere, aliòue trãsferre, non obtenta ab Ordinario licentia: quam ille nõ aliter concedat, quàm ſi alias res meliores, aut ſaltem æquales, in locum amouendarum rector re ipſa ſubſtituat, niſi forraſſe iuſta aliqua, neceſſitas, nulla rectoris culpa contracta, ſecus ſuadeat, quod Epiſcopi prudentiæ ſtatuendum relinquitur. Huius autem inuentarij traditi exemplum, ab eodem rectore in libro proprio Eccleſiæ, manu ſua ſubſcripto conſeruetur, vnde illorũ ſucceſſores bonorum omnium ad eccleſiam pertinentium admoneantur.

De bonis verò immobilibus, quod Pontificijs ſanctionibus ſub excommunicationis, aliiſque grauiſſimis pœnis conſtitutum eſt, ne abſque Apoſtolica auctoritate vllo pacto vltra triennium locentur, aut alia ratione alienentur; illud adeò inuiolabiliter obſeruandum erit: vt etiam alienationes factæ cũ clauſula, reſeruato ſedis Apoſtolicæ beneplacito, irritæ, & inualidę cenſendæ ſint, ſi ante impetratam confirmationem poſſeſſio rei eccleſiaſticæ alteri tradita fuerit; Quin etiam & rectores ipſi, & poſſeſſores, tamquam intruſi, ad pœnas conſtitutas tenebuntur.

Quod tamen in rerum tenuiorum, licet immobilium alienatione iuxta diſpoſitionem capituli *Terrulas* 12. q. 2. locum non habebit; dummodo cauſa cognita, & euidente eccleſiæ vtilitate comperta, eas Ordinarius auctoritate ſua probauerit.

De pœnis alienantium bona Eccleſiæ.

VT etiam eccleſiarum indemnitati eò diligentius conſulatur, præcipit

cipit Synodus noſtra, vt in ſingulis parochialibus eccleſijs inter miſſarum ſolēnia in tertia Dominica Quadrageſimæ publicetur decretum Concilij Tridentini ſeſſ. 22. c. 11. quod incipit, *Si quem clericorum*; idque vulgari ſermone, vt ab omnibus intelligi poſſit: moneantq. rectores quoſcunque, qui bona eccleſiarum ſuarum abſque ſanctæ ſedis Apoſtolicæ aſſenſu, poſt Concilij promulgationem, ad longum tempus ſcienter locauerunt, permutauerunt, aut aliàs alienauerunt, ſiue aliarum eccleſiarum bona ſimiliter conduxerunt, aut alienata receperunt: eos omnes pœnis in dicto Concilio propoſitis ſubiectos eſſe, niſi culpam ſuam impetrato Apoſtolico aſſenſu emendauerint.

DE CONCVBINATV.

Verba Sacri Concilij Tridentini Seſſ. 25. c. 14.

QVàm turpe ac clericorum nomine, qui ſe diuino cultui addixerunt, ſit indignum, in impudicitiæ ſordibus, immundoque concubinatu verſari, ſatis res ipſa communi fidelium omnium offenſione, ſummoque clericalis militiæ dedecore, teſtatur. Vt igitur ad eam, quam decet continentiā &c. Epiſcopi quoq. quod abſit, ſi ab huiuſmodi crimine non abſtinuerint; & à ſynodo prouinciali admoniti ſe non emēdauerint, ipſo facto ſint ſuſpenſi: & ſi perſeuerent, etiam ad ſanctiſſimum Romanū Pontificem ab eadem Synodo deferantur; Qui pro qualitate culpæ, &c.

VT omnis impudicitiæ, ac turpitudinis labes diuinis legibus maxime inuiſa, à Chriſtiano populo arceatur multa ſacrum Concilium Tridentinum contra concubinatus tùm clericorum, tùm laicorum grauiter, ſeuerèque ſanxit; quorum ratio vt vniuerſis prouincię noſtrę hominibus eò pleniùs innoteſcat, hæc quæ ſequuntur, prouincialis Synodus omnibus promulganda decreuit.

Quæ ad clericos ſpectant.

IN primis de clericis illud decernit, ſimplicem etiam incontinentiam, atque fornicationem ſacrorum canonū pœna plectendam eſſe. Aduerſus verò eos qui concubinas, aut alias mulieres, de quibus haberi poſſit ſuſpitio, in domo, vel extra domum detinent, aut cum vna, vel pluribus conſuetudinem habere: & modò cum hac, modò cum illa turpiter verſari comperiuntur: in illos ex decretis Tridentinæ ſynodi animaduertendum eſſe ſtatuit.

Monitiones verò, quæ ſuper his adhiberi debent, eas declarat non tantum in actu viſitationis, ſed alijs quoq. temporibus iniungi poſſe: ſpatio etiam illo temporis interiecto inter vnam, & alteram monitionem, quod Ordinarius pro arbitrio ſuo ſtatuet; cui pariter licebit aduerſus concubinarios per accuſationem, denūciationem, inquiſitionem ex officio, vel alio quouis modo ſibi benè viſo procedere.

At clericus honeſtatis decorem abijciens, ſi primò quidem deliquerit, tametſi edicta generalia Ordinarii præceſſiſſent: non tamen propriis Concilii Tridentini pœnis, ſed aliis à ſacris canonibus, vel ſtatutis eccleſiarum impoſitis condemnabitur.

Quòd ſi monitus deinde, & quidem ſpeciali monitione ſecundò deliquerit, tertia parte fructuum, obuentionum, ac prouētuum beneficiorum ſuorum quorumcunque, tùm penſionum, & fructuum etiam præbendæ, quæ à diſtributionibus diſtincta ſit, ipſo facto erit priuatus, non tamen diſtributionibus quotidianis, quas ratione canonicatus, vel dignita-

tis

tis diuinis intereſſendo percipit:niſi rurſus ſecundæ etiam monitioni non obediens,& in delicto perſeuerans,ab adminiſtratione beneficiorum, ſuſpendi meruerit;nam tunc cum chori munia, pro priaſq. functiones obire nequeat, amittet etiam diſtributiones quotidianas.

Quam quidem executionem nulla exemptio,aut appellatio ante, vel poſt diffinitiuam ſententiam ſuſpendere poterit. Quinimo clerici quorum vita in concubinatu notorio perſtiterit, ipſo iure ſicuti veteribus ſanctionibus,ſic & hodie à diuinis ſuſpenſi, atque aliis ſubiecti pœnis intelligentur.

Quę omnia, vt vniuerſus clericorum ordo faciliùs cognita habere,ac memoriæ commendare,ſeque à tam fœdo criminis probro poſſit abſtinere; mandat prouincialis ſynodus,vt decretum illud Tridentini Concilii ſeſſ.25.c.14.tùm in ſynodo diœceſana,tùm in aliis congregationibus clericorũ ab ordinario præſcribendis,cunctis audientibus ex ſuperiore loco recitetur.

Quæ ad laicos ſpectant.

De concubinatu verò laicorum cũ TridentinoConcilio poſt trinam monitionem excommunicationis pœna ſit conſtituta,admonet prouincialis Synodus,non ideo tamen alias pœnas iure communi, vel ſynodalibus decretis inflictas,cenſeri fuiſſe abrogatas:nec prohibitum etiam quominus Epiſcopi aliis quoque aduerſus concubinarios rationibus,ac iuris remediis agere,atq. animaduertere poſſint; ſed vbi tantùm excommunicationis gladium exercere velint, tunc Tridentini Concilii formam eſſe obſeruandam.

Quod quidem in Eccleſiis parochialibus ſæpius inter miſſarum ſolemnia publicè edici ſynodus noſtra mandat: vt crebrò repetitam huius turpitudinis fœditatem, faciliùs quiſque Deo iuuante odiſſe incipiat:& ſanctam,Deo placentem, & cum ratione recta conſentientem vitam inſtituat.

Eadem ratione de aliis quoque grauioribus, atque fœdioribus obſcœnitatum laqueis, optaret ſynodus opportunè populum admoneri: vt quod ipſa ratio per ſe, eximiaque honeſtatis forma perditis hominibus perſuadere non poteſt, illud ſuppliciorum atrocitas, diuinis, humaniſque legibus conſtituta vtiliùs aſſequatur.

Quæ ad meretrices ſpectant.

Meretrices autem quas tanquam ſtercus in via ab omnibus conculcari ſapiens clamat, non modò propè eccleſias,aut monaſteria habitare ſynodus prohibet: verum nec inter alias honeſtas perſonas domicilium habere permittit; ſed peculiares eis vicos quoad eius fieri poterit ab hominum frequentia remotiores aſſignandos eſſe optaret: ita vt eccleſias monialium numquam ingrediantur, atq. habitu ab aliis honeſtis mulieribus, certo ſaltem aliquo ſigno ſint diſtinctæ: quæ etiam ſingulis menſibus ſacris concionibus in eccleſia ab Epiſcopo deſignanda,vel ipſæ ſolæ ceteris remotis, aut etiamſi ita Epiſcopis expedire videbitur, inter ceteras mulieres, quæ concioni interſunt admiſſæ, vt ſuprà dictum fuit, intereſſe compellantur.

Quæ verò coniugio iunctæ mulieres fuerint,iis nequaquam ad meretriciam licentiam aditus permittatur, quamuis etiam pro derelictis à viris ſuis haberentur:ſed ad honeſtè viuendum pœnis iure conſtitutis adigantur.

Superiora omnia Synodi huius Prouincialis decreta, recognita, & approbata fuerunt a ſacra Congregatione Concilii Tridentini.

HIERONYMVS CARD. MATTHAEIVS.

FINIS CONCILII PROVINCIALIS PRIMI BONON.

DE

DE SACRARVM RELIQVIARVM TRANSLATIONIBVS.

COLLECTOR.

INTER præcipuas, & inſigniores actiones, quæ in eccleſiis celebrantur, antiquiſſima ſanctorum patrum traditione fuiſſe eas legimus, quæ in ſanctorum reliquiis, à loco minus culto aut ornato, ad honeſtiorem aut ampliorem deferendis verſantur. Eiuſmodi verò actiones, cum non vbique, & rarò contingant, in iiſque Epiſcoporum pia ſollicitudo maximè eluceat; ideo illas in hac parte collectionis noſtræ prætermittere nolumus: in qua non omnia ab Illuſtriſſimo Cardinali Archiepiſcopo inſtituta, & perfecta coaceruare, ſed ſingularia quædam tantummodo ſeligere profitemur.

Sciendum verò eſt lectori, Illuſtriſſimum Cardinalem Archiepiſcopum nunquam niſi neceſſitate cogente, cum ſacræ reliquiæ debito cultu omnino indigerent, aut etiam Magiſtratu & vrbe ipſa efflagitante, atque impellente, huiuſmodi Translationes celebraſſe; admonito etiam, vbi opus fuit, prius Summo Pontifice, ipſoque annuente.

Quater igitur tantum, a ſuæ adminiſtrationis Epiſcopalis initio in hunc vſque diem hoc munere perfunctus eſt, adhibuitque ſemper plures congregationes Canonicorum, Theologorum, Doctorum, ipſorumque etiam Senatorum, & nobilium, grauiumq; virorum, antequam ſacræ reliquiæ à ſuis ſedibus mouerentur.

Quæ omnia ex quatuor hiſce Translationibus quas hic collocabimus, quæque variis cæremoniis, varioque apparatu ſolemniter ſunt celebratæ, colligere licebit. Prima itaq; erit Trãslatio Sanctorum Vitalis, & Agricolæ Bononienſium Martyrum; cuius occaſionem, aliaque plura, ſequentes literæ paſtorales edocebunt.

SEQVVNTVR QVATVOR TRANSLATIONES

ſolemniter celebratæ ab Illuſtriſſimo Cardinale Palæoto Archiep. I. Bonon. Quarum prima eſt.

Translatio SS. Martyrum Bononienſium Vitalis & Agricolæ. celebrata die 25. Maii 1578.

LITERAE PASTORALES.

GABR. PALAEOT. S.R.E. CARD.

Tob. 12.

Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt: opera autem Dei reuelare, & confiteri honorificũ eſt: ego ſum Raphael Angelus.

HIS etiam ego verbis meritò vobiſcum vtar dilectiſsimi, quæ Angelus Domini, dum Tobiæ aperit omnem geſtæ rei, & conditionis ſuæ veritatem, pronunciauit.

Placuit ſempiternæ Dei bonitati, vt venerandæ duorum Sanctorum militũ, atque inuictiſſimorum Chriſtianæ militiæ ducum reliquię, quæ diu ipſo permittente oculis mortalium abſconditæ fuerant,

rant,

rant, nunc demum in lucem prodirent; aut potius ſua luce tenebras noſtras illuſtrarent: dum quanta Deus fecerit mirabilia ſanctis iſtis reminiſcimur: atque ad ipſorum imitationem accendimur, qui ſanguinem ipſum profundere, & Chriſti fidem morte ipſa profiteri conſtantiſſime voluerunt. Hi verò glorioſi Martyres *Vitalis & Agricola* fuerunt: qui Bononiæ olim in hos fluctus mortales editi, Bononiæ etiam ad immortaliratis portum peruenerunt: olim noſtri ciues, nunc cęleſtes, olim familiares noſtri, nũc facti domeſtici Dei: olim in terris marryrio conſumpti, nunc in cęlo immarceſſibilem coronam aſſequuti, feliciſſime triumphant: vt vnà cum eodem Angelo dicendum ſit nobis, *Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.*

Nam ſi antiqui Patres diuino lumine illuſtrati, vt ſacræ hiſtoriæ teſtantur, tamquam præſidia, & propugnacula quibus in huius corruptis ſeculi euētibus defenderentur, ſeruorum Dei veſtes, cineres, aliaſque reliquias, à remotiſſimis terrarum oris, omni cura conquirere ſtudebant: quonàm honore afficienda, & qua reuerentia colenda nobis erunt hæc ſacra corpora noſtrorum ciuium, qui ſanguine, natiuitate, educatione, multiſque aliis vinculis nobiſcum colligantur? Si enim dum ipſi mortalem vitam hic agebant, iiſque temporibus, quibus neque propriam ſalutem tueri poterant, tot charitatis, & beneuolentiæ ſigna quibuſcumque præbuerunt; quid nunc ſperandum eſt, atque expectandum ab ijs, qui gloria cumulati, in charitate perfecti, omnibuſque bonis affluentes, ſempiterna felicitate perfruuntur?

Non ita hic agemus vobiſcum dilectiſsimi, quaſi cultum, & venerationem, quæ ſanctorum reliquiis debetur, vobis perſuadere velimus: alloquimur enim vos, alloquimur fidelem populum, in ſanctæ Eccleſiæ gremio Dei gratia rectè inſtitutum: qui omiſſa rationum, quæ infinitæ ſunt, curioſitate, eccleſiæ Catholicæ præceptis acquieſcit, & ſacrorum Conciliorũ auctoritati paret: quæ ſemper non ſolùm ſanctorum reliquias colendas, & venerandas eſſe ſanxerunr; ſed eos omnes, qui ipſarum honori detrahere auderent, tamquam hoſtes Dei, & ipſis dæmonibus peiores, anathemate damnarunr, prout s. Hieronymus ad Vigilantium hæreticum ſcribens, in hanc ſententiam dixit[e]. *Tu audes negare, quod dæmones confitentur?*

[e] *S. Hieron. aduerſus Vigil.*

Verùm neque volumus aliquem fortaſſe admirari, aut in ſuſpenſo eſſe, quòd hæc ſacra corpora diuinorum operum præclariſſima inſtrumenta, & Spiritus ſancti templa, tot annorum ſpacio in humili loco condita, debito cultu carnerint. Nam quamuis ea vna ratio illi ſufficere deberet, nempe Chriſtiano viro mirabilia Dei iudicia non eſſe perſcrutanda: ſed ipſius ſummæ prudentiæ omnia tribuenda, quæ vt ait D. Auguſtinus, omnia propriis locis, & temporibus congruis diſponit, abſconditque ſimiliter, ac detegit opera ſua: ſuorumque ſanctorum, diuerſis locis, & temporibus, prout ſuæ gloriæ, & eccleſiæ exaltationi magis expedit. Tamen meminerit inſuper vnuſquiſque, idem etiam alijs temporibus accidiſſe, quemadmodum memoriæ proditum eſt de ſacratiſſimo Crucis ligno, quod per tot annos à mortalibus ignoratum eſt, indeque eo reperto, ſacer ipſius Inuentionis dies in eccleſia celebratur; Idem etiam de corporibus ſanctorum Geruaſii, & Prothaſii legimus, vt ſcribit s. Ambroſius, qui ea diuino afflatus monitu reperiit; Idemque de corpore s. Stephani protomartyris habemus, cuius inuentionis quotannis ſimiliter memoriam colimus.

Atque præter plura alia Sanctorum corpora & reliquias, quæ poſt longum tempus, quo occulta fuerunt, eccleſiaſticæ hiſtoriæ, & Martyrologia reperta fuiſſe teſtantur: idem demum accidiſſe ſcimus, de glorioſiſsimi Patris, Paſtoris, ac protectoris noſtri Petronii corpore, quod ſedente Innocentio II.

Pont. Max. Epiſcopo autem Bononiæ Henrico, mirabiliter inuentum, populoque venerandum propoſitum fuit, vt in ipſius vita, quā vobis editā promulgauimus, vnuſquiſq. veſtrū legere poterit.

Cum autem aliqui fortaſſe ſcire cupiant, qua ratione hæc ſacra corpora, de quibus loquimur, Bononiæ in hac ipſa noſtra Cathedrali eccleſia reperta fuerint: de hoc aliqua dicenda nobis eſſe cenſuimus, ex grauiſsimis auctoribus excerpta, vt omnem animorum ſuſpenſionem deleamus; atque vt omnes pro certo habentes, hęc glorioſa corpora apud nos aſſeruari: ad ipſorum memoriam piè recolendam, maiori deuotionis & pietatis ſtudio excitentur.

Nemini igitur dubium eſſe debet, quin Imperatoribus Dioclitiano, & Maximiano, decima Chriſtianorum perſecutione ſæuiente, anno ſalutis 301. & 302. hi fortiſsimi fidei ſanctæ propugnatores, in hac ipſa Vrbe glorioſi martyrii palmam fuerint adepti. Primus fuit Vitalis Agricolæ ſeruus, qui vt in breuiario Romano habetur, vario tormentorum genere cruciatus, conſtanter omnia perferens, in oratione ſpiritum Deo reddidit. Secundus verò ipſe dominus Agricola, qui cum eius ſupplicium dilatum eſſet, ſi forte tormentis ſerui permotus, Chriſto vellet renunciare, eius exemplo magis confirmatus eſt: & cruci affixus, Vitali ſeruo conſors, & ſocius nobilis Martyrii fuit.

Cumque eorum corpora in horto, ſeu agro, cui tunc nomen erat, Iudæorum ſepulchrum, humata fuiſſent, atque ibi neglecta iacuiſſent, vſque ad annum ſalutis. 393. eo tempore Ambroſius ſanctiſsimus Mediolani Archiepiſcopus, Eugenii Imperatoris perſecutionem fugiens, Bononiam peruenit: vbi Deo reuelante, theſaurum hunc cæleſtem abſconditum fodit, prout ipſemet teſtatur in ſermone ad Virgines vbi inter cætera ſic ait[a]. *Ego ad Bononienſe inuitatus conuiuium, vbi sancti Martyris celebrata translatio eſt, apophoreta vobis plena sanctitatis, & gratiæ referuaui. Martyri nomen Agricola eſt, cui Vitalis ſeruus fuit ante; nunc conſors, & collega Martyrij. Sepulti autem erant in Iudæorum ſolo, inter ipſorum ſepulchra: illic Martyris exuuias requirebamus tanquam inter ſpinas roſam legentes. circumfundebamur Iudæis, cum sacræ reliquiæ eueherentur: aderat populus Eccleſiæ cum plauſu, & lætitia.*

a S. Ambr. in exhort. ad Virgines.

Bononia verò idē beatiſsimus præſul, Fauentiam, atque inde Florentiam ſe conferens, conſecrauit eccleſiam, in qua ex his ſanctis Reliquiis particulas aliquas repoſuit, vt teſtatur auctor, qui S. Ambroſii vitam deſcribit.

Quare factum eſt, vt temporis progreſſu, horum ſacrorum corporum celebre nomen in alias etiam partes ſeſe diffuderit, vt refert S. Paulinus Epiſcopus Nolanus, qui floruit anno ſalutis. 320. Qui de ipſis in ſuo poemate ſic ſcribit[b].

b S. Paulin. natal. 9.

„ *Vitalem, Agricolam, Proculumq. Bononia condit,*
„ *Quos iurata fides pietatis in arma vocauit*
„ *Proque ſalutiferis texit Victoria palmis.*
„ *Corpora transfixos trabalibus inclyta clauis.*

Anno deinde. 376. vt ait Gregorius Turonenſis in hiſtoria de gloria Martyrum Epiſcopus[c] quidam Aruernus Numatius appellatus conſecraturus eccleſiam miſit Bononiam, vt horum corporum aliquas reliquias haberet; Idemq. Gregorius eodē in loco plura refert miracula, quibus ea occaſione illa apud omnes clariora, atque illuſtriora euaſerunt.

c Greg. Tur. de Glor. mar. y. c. 44.

Vſuardus item, qui Martyrologium ſcripſit anno 700. aliaque etiam Martyrologia, quæ poſt illum conſcripta ſunt, & hoc quoque quod quotidie legimus, hæc ſacra corpora Bononiæ eſſe confirmant.

Verùm ob temporis iniuriam Eccleſia, vbi ea aſſeruabantur ſemidiruta, quæ apud eccleſiam s. Stephani erat, cum non eo, qui par erat, honore colerentur; Martinus, tūc Abbas sancti Stephani, obtenta à Frugerio Epiſcopo Bonon. facultate, cum conſenſu Canonicorum, præmiſſa oratione, & ieiunio vnà

cum

cũ ſuis monachis deuotè ſeruato, anno ſalutis 1019. die 3. Martij in Confeſſionem, quam ipſe ædificauerat .s. Ioanni Baptiſtæ dicatam, eadem glorioſa corpora tranſtulit; quemadmodum ex antiquiſſimo volumine manuſcripto cõſtar, quod in ſacriſtia eiuſdem eccleſiæ .s. Stephani eſt: quodque nos ipſi, & vidimus, & legimus, atque etiam palàm oſtendimus.

In ea Confeſſione vſque ad annum 1060. permanſerunt, quo tempore Ioãnes Epiſcopus Bononiæ maiorem ipſorum partem, vnà cum aliis reliquiis ſanctorum Innocentium, & Beati Iſidori in Confeſſionem eccleſiæ noſtræ cathedralis tranſtulit: atque in eo altari, quod ſcitis omnes, ſemper ſanctorum Vitalis, & Agricolæ nomine appellatum fuiſſe, collocauit. Reliquam verò ipſorum partem in eadem Confeſſione .s. Ioannis Baptiſtæ reliquit, vbi ad hoc vſque tempus aſſeruantur: cuius rei memoria legitur in alio antiquo volumine manuſcripto, quod RR. Canonici cathedralis in ſua bibliotheca habent: quodque ſimiliter, & vidimus, & legimus, atque etiam palam oſtendimus.

In hoc altari ab eo tempore ſemper fuerunt: quamuis nobis plane id certum non eſſet, niſi ſuperioribus diebus, cum diuina gratia fauente, ea illic eſſe cognouimus: quod etiam præſentibus Magiſtratibus, Senatu, Prælatis, aliiſque nobilibus huius ciuitatis viris demonſtrauimus, non ſolùm librorum, authenticarum ſcripturarum, eccleſiæ cathedralis rituum, aliarumque rerum auctoritatibus id comprobantes; ſed etiam omnium, qui præſentes erant, oculis reliquias ipſas offerentes: qui & eas inſpexerunt, & deuotè ſunt venerati.

Atq. inter cætera ſancto timore perculſi obſtupuerunt omnes, dum integrũ adhuc .s. Vitalis caput illud venerandum intuerentur lineo panno circumuolutum, & ſanguine tàm recenti viuoque tinctum, vt non dudum eo reſperſus eſſe videatur: ſimulquè partem ſanguinis illius feliciſſimi coagulatam, clauumquè vnum, quorum meminit .s. Ambroſius dicens. *Nos legimus Martyris clauos, & multos quidem: & plura fuerunt vulnera, quam membra: collegimus ſanguinem triumphalem, & crucis lignum.* Quarum rerum omnium authentica documenta, ad poſteritatis memoriam confecta, in archiuio Epiſcopali cuſtodiuntur.

Nunc verò dilectiſſimi, vt ex officio noſtro, Deo omnium bonorum largitori eò gratiores nos exhibeamus, quò precioſior eſt theſaurus iſte, quem nobis credidit, & nunc demum aperuit: atque hæc patriæ noſtræ lumina, eo quo poſſumus honore ſummo proſequamur; ſtatuimus, vt ſolemni pompa, publicaque ſupplicatione, quæ dominica Trinitatis die habebitur, hæ ſacræ reliquiæ in honeſtiorem locum, atque in altare ſublimius, & ornatius, in ipſa tamen eccleſiæ cathedralis Confeſsione transferantur.

Sed cum ad huiuſmodi tranſlationũ celebritates, ex eccleſiæ ſanctæ antiquiſſimo ritu, ieiunio, oratione, aliiſque piis exercitationibus Chriſtifideles ſe ſoleant cõparare; hortamur vos omnes & ſingulos, dilectiſsimi: vt ieiunio, quod iis ipſis diebus quatuor temporum eccleſia præcipit, alia etiam ſancta opera coniugatis: veſtraſque animas ab omni peccati labe purgatas, ſanctiſsimo Euchariſtiæ ſacramento reficiatis: vt digniores efficiamini, qui intercedentibus ſanctiſsimis Chriſti martyribus ſpiritualia, & temporalia etiam munera à gratiarum perenni fonte Deo conſequamini; ad quæ peragenda vos vehementiùs incitare debebunt indulgentiæ, quæ à ſanctiſsimo D. N. Gregorio xiij. pont. max. has ſacras reliquias viſitantibus, per apoſtolicum Breue conceduntur.

Sint itaque iuſti hi apud vos in æterna memoria, Deo gratias agite, ipſique accepta referte ſingularia beneficia, quibus patriam noſtram, tot rantiſque nominibus augere dignatus eſt, vt etiã duos noſtros hos ciues præclariſsimos veluti legatos, & procuratores noſtros ſibi aſsiſtere ſit dignatus, qui ſuas preces pro veſtra ſalute Deo fundere non

Aa 2 ceſſant,

ceſſant,& contra diaboli inſidias vos aſſiduè adiuuare: ad ipſorum patrociniũ confugite,ipſorum opem in neceſsitatibus veſtris implorate: in hoc incumbite huius præſertim ſolemnitatis tempore, vt ſacrum hunc triumphum non ſolùm morum, ſed etiam veſtium compoſitione,& ſummo deuotionis affectu comitemini: non enim hæc mortalis triumphi, ſed immortalis ſpecies eſſe debet: abſint arma, abſint conuiuia, abſint choreæ,abſit equitatus: & eorum loco, quæ immortalitati repugnant, lumina ferantur,pſalmi concinantur,triumphalis via tapetibus exornetur: aliaque deuotionis ſigna vbique appareant, quæ tantorum martyrum,patronorumque noſtrorum ſanctitati,& maieſtati reſpondeãt: atque ita vnuſquiſque ſe cum ipſis ſpiritu coniungat, vt poſt hanc mortalem vitam,vnà cum iiſdem, cæleſtium,æternorumque bonorum particeps effici mereatur.Quod faxit Deus benedictus,qui hæc bona,quæ vobis precamur, & concedere, & indiès augere dignetur.

Datum Bonon. in Epiſcop. Palat. die xij. Maij. 1578.

Ordo ſeruatus in Translatione ſacrarum reliquiarum ſanctorum martyrum Bononienſium Vitalis & Agricolæ.

Excerptus a libello de eadem tranſlatione edito & approbato.

POſtquàm Illuſtriſsimus Cardinalis Archiepiſcopus per literas paſtorales, populo ſuæ ciuitatis,& diœceſis, vt ad deuotionem inflammaretur, ſuum has ſacras reliquias transferendi conſilium aperuit; vt hæc Translatio quanta maxima fieri poſſet, ſolennitate celebraretur, Congregationem inſtituit Theologorum,aliorumque eximiorum virorum, cum quibus ſæpiùs conuocatis, de ordine in ea ſeruando, de recognitione, aliiſque rebus ad eam pertinentibus ſedulò egit.

Porrò ſtatuit, vt non omnes Bononiç ſocietates ſpirituales laycorum, neque omnes regularium ordines inuitarentur: ſed quædam tantùm, quæ huiuſmodi ſupplicationibus ſolemnibus inteeſſe vt plurimùm ſolent, atq. iis etiam numerus confratrum,& regularium prçſcriberetur: vt quicunq. acceſſuri erant, ſacris indumentis, aliiſque eccleſiaſticis ornamentis conſpicui celebritatem hanc proſequerentur.

Societates autem quæ inuitatæ ſunt, fuere quæ dicuntur *Hoſpitalis vitæ: ſancti Hieronymi: D. noſtri Ieſu Chriſti: & Hoſpitalis s. Mariæ de morte.*

Regulares inuitati fuere *Monachi, qui dicuntur s. Michaelis in Boſco ordinis s. Benedicti montis Oliueti: Canonici regulares s. Saluatoris ordinis s. Auguſtini: Monachi s. Proculi ordinis s. Benedicti congregationis Caſsinenſis: & Canonici regulares congregationis Lateranenſis s. Ioannis in Monte:* Præterea *Canonici, & Manſionarij collegiatæ inſignis s. Petronij: item Canonici & Manſionarij eccleſiæ ipſius cathedralis.*

His verò omnibus,& ſingulis, ſchedulis quibuſdam in ſcriptis,quæ nonnullis ante diebus ad eos miſſæ fuerunt, quid ſeruandum ab iis eſſet in huius celebris translationis proceſsione ad vnguem præſcribebatur.

Inuitauit etiam Illuſtriſsimus Epiſcopus quoſdam propinquiores Epiſcopos, vt horum ſanctorum corporum triumphum comitarentur, prout antiqui moris fuiſſe, eccleſiaſticæ tradunt hiſtoriæ: fuerunt verò ij Reuerendiſsimi epiſcopi, *Imolæ, Fauentiæ, Ferrariæ, & Viglenæ,* qui Bononiæ proximus erat.

Plures quoq. hymnos, antiphonas muſica arte componi, inquè varios choros diſtribui mandauit, quç omnia ad Martyres pertinerent: vt quicquid concineretur, huic ſanctæ actioni conueniret.

Lumina quoque, thuribula, aliaq. ornamenta, in ipſa proceſsione ab omnibus diſtinctè,& copioſè ferri: vias, ac loca per quæ tranſire proceſsio debebat; apte, & magnifice exornari: campanas in quibuslibet eccleſiis pulſari, muſicæ ſymphonias varias in quibuſdam

dam eccleſias, quæ in proceſſionis curſu erant, diligenter aptari iuſſit: ad quæ ſingula exequenda idonei viri præpoſiti fuerunt.

Iter autem decretum fuit, vt ſequens eſſet: ad eccleſiam ſanctorum Vitalis, & Agricolæ, quod eſt monaſterium monialium, nè templum ipſorum nomini dedicatum relinqueretur: inde ad S. Stephani, vbi ipſorum corpora diu fuerunt aſſeruata; ad S. Petronij, quod templum eſt Epiſcopo, & protectori Ciuitatis dicatum: à quo ad Cathedralem reuerterentur,

Inuitauit etiam Magiſtratus omnes, Senatores, iudices, alioſque nobiles viros, vt frequentiſſimi ſacram illam pompam luminibus accenſis proſequerētur.

Exædificauit etiam in ipſa Confeſſione Cathedralis altare marmoteum inſigni ornatu elaboratum, picturiſq. exornatum: in cuius medio tumulus conſpicuus exurgit marmoreus, in quem reliquiæ ſunt repoſitæ, qui laminibus ferreis inauratis circumdatur: quæ ſera, peſſuloq. firmiter occludunrur, & aperiuntur: vt cum ita res poſtulet, inde extrahi poſſint, & populo oſtendi.

Tumulus autem ille his literis inſculptus eſt.

Ad latus epiſtolæ.

Sanctorum martyrum Vitalis, & Agricolæ corpora in ſolo olim iudæorum a ſancto Ambroſio diuinitùs inuenta, & in ſacro loco repoſita, poſt in Confeſſionem ſancti Ioannis Baptiſtæ, Frugerio Epiſcopo, translata ſunt: quorum reliquiæ cum ſanctorum Innocentium, ac Beati Iſidori in Confeſsionem huius baſilicæ, a Ioanne Epiſcopo, demum in hoc monumentum a Gabriele Palæoto Cardinali Epiſcopo, populo inſpectante, illatæ ſunt, anno Domini MDLXXVIII.

Ad latus Euangelii.

Vitalis ſeruus, & Agricola Dominus, ſed in glorioſo martyrio socij, in perſecutione Imperatorum Diocletiani, & Maximiani ob Ieſu Chriſti nomen Bononiæ martyrium paſsi ſunt. Quorum Vitalis vario tormentorum genere cruciatus, contemptu vitæ æternam vitã acquiſiuit. Agricola dominicum agrũ arbori crucis affixus ſanguinis effuſione irrigauit.

In ſuperiori parte circa ipſum tumulũ.

Reliquiæ sanctorum martyrum Vitalir & Agricolæ.

Ad latus epiſtolæ.

Coronas meruerunt.

Ad latus eiiangelii.

Viuent in æternum.

In poſteriori parte.

Lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine.

Quinque inſuper Tabernacula parata ſunt, fabricata, & apte ornata, auroq. exterius circumtecta interiùs verò oloſerico rubro circumueſtita, in quibus reliquiæ ſacræ reponerentur.

Ad hæc etiam elaboratum eſt altare portatile, hoc eſt machina quædam parua quadrata, in ſingulis cuius angulis collumnulæ fornicem ſuſtinebant auratam, alijſque picturis atque ornamentis diſtinctam: hoc autem altare duobus lignis concinnè factis ſimiliterque auratis, à Sacerdotũ humeris ferendũ erat.

His omnibus ita paratis promulgauit Illuſtriſſimus D. Cardinalis Palæotus ſummarium Indulgentiarum perpetuarum, quas conceſſit Sanctiſſimus Dominus Noſter Gregorius XIII. omnibus fidelibus, qui has ſanctas reliquias viſitabunt.

Summarium autem hoc eſt.

Notum ſit, a Sanctiſsimo Domino Noſtro Gregorio XIII. Summo Pontifice, vt ex ipſius Breui conſtat, concedi in perpetuum Indulgentiam plenariam, & omnium peccatorum remiſsionem omnibus vtriusque ſexus Chriſtifidelibus, qui contriti, & confeſsi altare sanctorum martyrum Vitalis, & Agricolæ viſitabunt, quod eſt in Confesſione eccleſiæ Cathedralis in die feſto ipſorum, a primis Veſperis vſque ad occaſum ſolis prædicti diei: & pro concordia, & vnione Principum Chriſtianorum, extirpatione hæreſum, & tranquillitate sanctæ Ecclesiæ Deum exorabunt.

Iis etiam qui deuote idem altare visitabunt, & coram ipſo dicent ter orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam, Deũque similiter precabuntur in feſtiuitatibus Natalis Domini noſtri, Circuncisionis, Epiphaniæ, Paſchatis reſurrectionis, Aſcensio-

Digitized by Google

nis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, & Omnium ſanctorum, ſeptem annos, & ſeptem quadragenas indulgentia idem Summus Pontifex concedit.

Iis verò qui ſingulis Dominicis diebus, alijſque feſtiuitatibus ab Eccleſia preceptis toto anni tempore idē altare viſitabunt, orantes vt ſupra, annum indulgentia concedit.

In ferijs autem quicunque illud viſitabit orans vt ſupra, centum dies indulgentia conſequetur.

Praterea Illuſtriſsimus & Reuerendiſsimus Dominus Cardinalis Palaotus Archiepiſcopus Bonon. omnibus, & ſingulis, qui proceſsionem ipſarum Reliquiarum Tranſlationis, qua habebitur proximo dominica Trinitatis die, luminibus accenſis comitabuntur, centum item dies indulgentia largitur.

Dat. Bononia in Archiepiſc. Palatio, &c.

Poſtea Sabbatho qui præceſſit huius celebritatis ſolemnitatem, cum Illuſtriſſimus Archiepiſcopus ex vetere altari deprompturus eſſet ſacras reliquias, vt eas in Tabernaculis ſupradictis reponeret, hora xxiij. ex palario in eccleſiam ad altare ipſum ſe contulit: ibique pluuiale ſumens, & mitram, pluribus luminibus accenſis, thuribulis, alijſque adhibendis præparatis, præſentibus Illuſtriſſimo D. Hieronymo Boncompagno, & Reuerendiſſimo D. Bonon. Suffraganeo, & RR. Canonicis tam cathedralis, quàm collegiatæ ſancti Petronii, pluribus nobilibus parochiæ s. Stephani, alijſque honeſtis viris: præcipuè verò tribus excellentiſſimis Medicis anatomiſtis, qui aduocari fuerunt, vt quamlibet ipſarum reliquiarum partem recognoſcerent: reciratis quibuſdam precibus ex Ponrificali deſumptls, iuſſit amoueri ſuperiores lapides marmoreos veteris altaris; & poſtquàm aperta eſt arcula, in qua repoſitæ erant reliquiæ ſacræ in quatuor partes diſtributæ, ſingulæ earum diligentiſſimè recognitæ fuerunt, arque ab anaromiſtis alta voce nominaræ: quas omnes, & ſingulas Notarius, dum nominabantur annotabat: demumque in rabernaculis ſupradictis accommodatæ: quorum vnum Illuſtriſſimus Cardinalis, aliud Reuerēdiſſimus ſuffraganeus, tria reliqua Canonici in dignitate conſtituti ferebant, ab eodem Illuſtriſſimo Cardinali è Confeſſione ad Eccleſiam in hymnis delatæ, & ſuper altare maiori, populo venerandæ expoſitæ fuerunt.

Nihil hic agetur de ipſius maioris altaris, & reliquo eccleſiæ ornatu, nihil de ipſa Confeſſione ab eodem magnificentiſſime extructa, martyrumque hiſtorijs, & elogiis exornata, nihil item de populi frequentia, & deuotione: ſufficiat dicere, vbiq. aurum, & argentum enituiſſe: omnes ad reuiſendos conciues ſuos & rogandos, ſingulari pietatis affectu confluxiſſe.

Itaque his peractis, oratio ſtatis horis coram ſanctis reliquijs habenda diſtributa eſt, cui Illuſtriſſimus Cardinalis Archiepiſcopus vnà cum Capitulo & Canonicis metropolitanæ, & ſancti Petronij, aliiſque ſacerdoribus, & nobilibus viris interfuit: qui toto eo tempore, quo ſacræ reliquiæ expoſitæ fuerunt diuerſis horis continuato orarionis curſu preces ad Deum effuderunt.

Mane verò, qui dies fuit Tranſlationi aſſignatus, ij omnes qui inuitati fuerant, ad eccleſiā Cathedralem conuenere: inter quos præcipui fuere Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus D. Boncompagnus, Illuſtriſſimus D. Hieronymus eius filius, Magiſtratus omnes, hoc eſt Reuerendiſs. D. Gubernator, Illuſtr. D. Vexillifer iuſtitię, Poteſtas, Anriani, Domini Collegiorum, Auditor Turroni, Audirores Rotæ, Senatores, atque nobiles viri; qui omnes, & ſinguli ad valuas eccleſiæ à Sacerdotibus ad id deputaris, & ad loca in quibus conſidendum erat, ducebantur.

Hora autem Miſſæ illuſtriſs. D. Cardinalis ad eccleſiam deſcendit, quē comitati ſunt Reuerēdiſſimi Epiſcopi, qui aderant ab eo inuitati, canonici & capirulum cathedralis, aliique plurimi nobiles viri.

In eccleſia poſtquàm paululum orauit, ad ſedem ſub vmbella paratam perrexir, ibi Pontificalibus indumentis ſuſceptis,

ſceptis, pontificalẽ miſſam, inchoauit adpræſcriptum ſolemnium cæremoniarum, quæ in Pontificali habentur; ſilentio prætereo ſymphonias, concentus, organa, tubas, atque alia, quæ triumphi tanti ſpeciem præſignabant.

Inter miſſarum ſolemnia Illuſtriſſimus Cardinalis paterno ſermone gregẽ ſuum, ad harum reliquiarum venerationẽ hortatus eſt, qui ſermo paulò inferiùs adiicietur. Confectâ verò miſſa proceſſio habita eſt, innumeris luminibus Reliquias præcedẽtibus eo ordine, quẽ ſuperuacaneum eſſe duxi huc afferre: cum ex iis, quæ ſupra diximus, quilibet eum coniicere, & ſolemniſſimæ celebritati nihil defuiſſe exiſtimare poſſit.

Confecto ſacro itinere, reuerſiſque ad eccleſiam ſanctorum reliquiis, quæ ſemper ſub vmbella oloſerica rubra ad id confecta, Cardinalis ipſius, Epiſcoporum, aliorumque ſacerdotum humeris viciſſim delatæ ſunt: Illuſtriſſimus Cardinalis eas ſuper altari in Confeſſione vbi reponendæ erant, populo per totam diem venerandas reliquit: precibuſque ex Pontificali dictis, populo benedixit: & ad Epiſcopales ædes ſolemniter reuerſus, vnà cum Epiſcopis, Canonicis, aliiſque nobilibus viris, pauperibus viginti quatuor, quibus menſa ab ipſo lautè inſtructa fuit in aula Epiſcopalis palatii humiliter inſeruiuit, prout ex aliis hiſtoriis Epiſcoporum in huiuſmodi actionibus fieri ſolitum eſſe legimus; poſt verò gratiarum actionem, eiſdem in ſaculis ſericeis eleemoſynam diſtribuit.

A prandio autem poſt veſperarum ſacram celebrationem, quæ ad noctem vſque ferè protracta eſt, præſente populo, reliquiſque qui intereſſe debebant, tabernacula Reliquiarum ſanctarum in tumulo, vt ſupra dictum eſt, ad id inſtructo, pſallendo, & orando, ab Illuſtriſſimo Cardinali ſunt reconditæ, ibique ſumma fidelium veneratione, & aſſidua frequentia aſſeruantur.

SERMO ILLVSTRISSIMI Cardinalis Archiepiſcopi habitus inter miſſarum ſolemnia in eadem ſolemni Translatione ſacrarum Reliquiarum.

Qua celebrata eſt ipſo die Dominico ſanctiſſimæ Trinitatis.

QVOD hodie publica ciuium noſtrorum lætitia, ac frequenti ordinum omnium in hanc eccleſiam concurſu à nobis agitur, vt ſanctorum martyrum theſauros, olim in eccleſiæ noſtræ agro abſconditos in lucem hominum proferamus: decuit maxime dilectiſſimi hoc ipſo die, qui ſanctiſſimæ Trinitati ſacer eſt, perfici; nam cum illius maieſtati, & gloriæ, ipſi dum viuerent ſtrenue ſemper militarint: & ſanguinis effuſione teſtimonium eidem ſanctum, æternumque reddiderint; nemini iuſtiùs, quàm huic ipſi celebritati eorum honores, & trophæa debebantur.

Quemadmodum enim operoſa ædificii moles, architecti commendat induſtriam, & libri elegantia auctoris indicat ingenium, & ex picturæ imagine pictoris laus effulget; ſic qui martyrum excelſos celebrat triũphos, quid aliud, quàm Deum Patrem, Deum Filium, ac Deum Spiritum ſanctum prædicat, & confitetur, qui glorioſus eſt in ſanctis ſuis, qui cuſtodit omnia oſſa eorum, qui protegit eos in tabernaculo ſuo, & eſt laudabilis ac mirabilis in omnibus operibus ſuis?

Legitur in ſacris literis: cum olim procederet Salomon regio amictu, ſacroque inunctus oleo à propheta Nathan, canebat buccina, populus exultabat, ac multitudo acclamabat, *Viuat Rex, Viuat Rex*. Noſque vſu videmus cum Reges terræ ciuitates ingrediuntur, ac ſolii ſui ma-

ſui magnitudinem, excelſamque maieſtatem ciuibus oſtentare quærunt, ſolẽt cohortes militum præmittere, regalia ſigna ferentes, pręeunt proceres, excelſique viri, hi in curribus, & hi in equis; ex quorum fulgore, ſplendidoque apparatu, quanta ſit ipſa Regis dignitas, ſublimiſque potentia facile omnes agnoſcunt. Sic hodie cum celebret ſancta eccleſia altiſſimam, & æternam perſonarum diuinarum diſtinctionem, myſterium ſeculis abſconditum, arcanumque immenſum, quod non licet homini loqui: Chriſtianum populum erudiens, *vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneretur*; præcurrunt fortiſſimi hi heroes, ac ciuitatem noſtram luſtrantes, magnis perſonant vocibus dicentes *Sanctus, Sanctus, Sanctus. Gloria Deo Patri, gloria Filio, & gloria Spiritui ſancto.*

Sed & amplius, circumferunt ijdem non ſolùm veſtigia, ſed imaginem ipſam ſanctiſſimæ Trinitatis, altè olim ijs dum viuerent, ac manifeſte impreſſam: & quomodo? Noſtis viri doctiſſimi, à ſacris theologis illud rraditum eſſe, in ipſo Trinitatis ſacramẽto tres eſſe perſonas eiuſdem tamen ſubſtantiæ, & diuinitatis, *Nam qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus ſanctus*, habere tamen vnam quanque ex his quaſdam non ſolum proprietates, ſed appropriationes dixere, & attributa: ita ab ijs nominata, vt faciliùs mentis noſtræ imbecillitas per eas perfectiones, quæ in creaturis reperiuntur, ſingulas inter ſe perſonas poſſet internoſcere.

Attributa autem hæc, quæ propoſito noſtro in præſenti ſeruiunt, tria ſunt: quę vt dicere ſolemus, ad perficiendam quālibet actionem requiruntur. Vt enim aliquid omnibus abſolutum numeris peragamus, tria omnino ſunt neceſſaria, nec plura, nec pauciora. primum eſt, vt poſſimus; alterum, vt ſciamus; tertium, vt velimus. Hinc igitur poteſtas Patri, ſapientia Filio, amor, ſeu voluntas Spiritui ſancto delata fuit, quæ quidem ſancta eccleſia ſolet illa oratione complecti, *Deus a quo ſancta deſideria, recta conſilia, & iuſta ſunt opera* &c. dum enim ait *ſancta deſideria*, ecce voluntatem. *recta conſilia*, ecce ſcientiam. *iuſta opera*, ecce poteſtatem.

Cum itaque ij, dum viuerent hęc tria cumulate præſtiterint: ſequè inter hæc vitæ certamina tales oſtenderint, qui poſſent, & ſcirent, & vellent pro Chriſti gloria omnia ſuſtinere, & calicẽ eius bibere, ac lauare ſtolas ſuas in ſanguine Agni; quis dubitat, in his minime obſcuram Trinitatis eiuſdem imaginem enituiſſe?

Nam cum ſeruus, cui Vitali nomen fuit, terrenti eum vario tormentorum genere iudici, accinctum fortitudine pectus, inuictumque animi robur obijceret; quid aliud, quàm altiſſimæ Trinitatis ſigna extollebat, quibus ſe, & poſſe omnia Deo operante, & noſſe cæleſtia eo docẽte, & velle ſalutaria eodem inſpirante, palam teſtatum faceret? quid Dominus eius Agricola, quem præeuntis ſerui ſupplicium, eò ardentiùs ad eiuſdem diuinæ Trinitatis gloriam illuſtrãdam, arrepto Crucis triumpho, eique plurimis clauis affixus, inflammauit?

Poſtquam igitur ſic magnificauit Dominus facere nobiſcum, vt tam præclara hæc lumina olim ſub modio latentia, noſtro hoc tempore ſuper candelabrum ponerentur: vt omnes, qui ingrediuntur lumen videant; hinc illius exemplo, qui inuenta oue perdita, vel drachma congregatis amicis, & vicinis dixit, *Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram.* nos quoque non tantùm vniuerſum populum noſtrum, ſed & propinquos eccleſiæ noſtræ fratres chariſſimos, collegas amantiſſimos, Præſules clariſsimos accerſendos curauimus: quorum pręſentia ſacri huius ſpectaculi dignitas eò magis ornaretur, noſque cum his communis huius gaudij ſolatia maiora caperemus.

Quoniam autem vt ſancti Patres noſtri dixerunt, *Sanctorum ſolemnia tunc maxime colimus, cum eorum veſtigia conſectamur, veraque martyrum celebratio eſt operum imitatio*; quid nos dilectiſſimi præſtabimus, vt gaudium noſtrum plenum ſit, &

ſit, & iucunda, decoraque laudatio? nollem ſanè lætis miſcere triſtia, aut diei huius hilaritatem aliqua mœroris labe aſpergere. Verùm cum mecum cogito, hos ipſos eodem quo nos ſolo genitos, eodem lacte, cibiſque enutritos, eadem ciuitate ſuſceptos, eadem diſciplina, patrijſque legibus inſtitutos, nobis ſanguine, propinquitate, muneribus, familiaritate, atque omni neceſſitudinis genere coniunctos; cumque eorum fidem, patientiam, charitatem, atque excelſum in perferendis iniurijs & calamitatibus animum, cum præſentibus vitæ noſtræ moribus, ac inſtitutis confero: ac quantum à priſca illorum virtute deflexerint contemplor, non poteſt non animus ingemiſcere, ac triſtitia impleri cor noſtrum. Nunquid enim nos quoque eorum more, quos arguit propheta, accuſabimus priora tempora, quę meliora fuerint, quàm noſtra? Abſit, non enim Deus acceptator eſt temporũ, aut locorum, aut perſonarum: ſed diues in omnes, qui inuocant nomen eius.

Norunt hi doctiſſimi, ac Reuerendiſſimi Patres non cælo, non rerum viciſſitudini, non temporum calamitati, non inclinanti ſeculo, non humanæ infirmitati, non ſyderibus hæc eſſe adſcribenda; ſed intus crimen latere: voluntatem ipſam in culpa eſſe: ignauiam noſtram, languorem noſtrum, ac cordis duritiem ſolam accuſandam eſſe. *Nos declinauimus à ſemitis tuis Domine, nos peccauimus, nos iniuſte egimus, & iniquitatem fecimus.*

Dicite quæſo, quæ nobili huius ciuitatis viro erit excuſatio, cum inanem faſtum ſuum, & male impenſas diuitias, neglectumque Dei cultum, nobilitatis, & maiorum claritatis clypeo velandum putabit? Obijciet illi Deus in die nouiſſimo hunc ipſum Beatum Agricolam nobilem, clarum, ſeruis ſtipatum: qui tamẽ hæc omnia arbitratus eſt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaceret. Pauperes itidẽ, & ignobiles vanis ſe tergiuerſationibus tuentes, tunc quoque Vitalis ſerui exẽplo arguet. Statuet ille contra faciem noſtram, inertiamque noſtram hos ipſos ciues noſtros, fratres noſtros, & collactaneos noſtros.

Quin eò maior noſter ſe torpor, & negligentia prodet, quòd à nobis non corporis cruciatus, aut ſanguinis effuſio nunc exigitur, cum per Dei gratiam catholicæ religionis ſinu foueamur. Verùm ſola à nobis peccatorum deteſtatio, vitæque immutatio requiritur: vt ambulemus in lege Domini, vt memores ſimus iudiciorum eius, & exerceamur in iuſtificationibus ſuis ſemper: vt cum ille venerit, inueniat nos vigilantes.

Hæc ſunt dilectiſſimi, quæ nos in ſacra ſolemnique hac pompa celebranda præcipue meditari oportet. hæ ſunt reliquiæ cogitationis, quæ diem feſtum agere debent Domino; hoc illuſtres hi athletæ, hoc ſacra eorum pignora, hoc pretioſus eorum cruor qualibet purpura clarior, hoc eorum merita, hoc vita, hoc mors, hoc eorum memoria in omnem æternitatem conſecrata, ſuo ſibi iure à nobis expoſcunt.

Quoniam verò mens noſtra terrenarum rerum pondere preſſa non facile ſolet ad hæc cæleſtia deſideria erigi, vos beatiſſimi ſpiritus, qui ſanguine, fidei veritati ſubſcripſiſtis, & Euangelium Chriſti morte iuraſtis: vos qui tenebras huius mundi in lucem admirabilẽ commutaſtis: vos qui triumphales coronas promeruiſtis, hodieque ciues ſanctorum, & domeſtici Dei effecti, cælo felices perfruimini; reſpicite de excelſo ſancto populum hunc vobis ſupplicantem: videte congregatos filios veſtros veſtræ ſe pietati, ac patrocinio committentes: ne obliuiſcamini dilectæ huius ciuitatis, ac patriæ veſtræ, quæ olim vos genuit & educauit, ac ad æternam gloriam prouexit, quam vos ſanguine veſtro irrigaſtis, & martyrij honore decoraſtis; Excipite gratiæ veſtræ præſidio, pia clericorum noſtrorum obſequia, Magiſtratus, Senatores, Doctores, legum ſtudioſos, iuuenes, virgines, ſenes cum iunioribus, ac vniuerſam ciuitatẽ, & diœceſim noſtram ſingulari veſtra pietate tuemini. Meque in primis infirmũ eorum Antiſtitem ac ducem penè

cæcum

cæcum cæleſtibus veſtris oculis aſpicite, diuinamque ſpiritum nobis conciliate, vt pacis ſtudia, caſtitatem, iuſtitiam, ſanctamque religionem perpetuo colentes, veſtraque virtutum exempla imitantes: quos ciues, & ſocios habuimus in terris, eoſdem & conſortes gloriæ habere mereamur in cælis, gratia, benignitate, & miſericordia Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen.

SECVNDA TRANSLATIO SACRARVM RELIQVIARVM.

Quas Mediolano Illuſtriſſimus Card. Archiep. attulit, videlicet ſanctorum Simpliciani, Ioannis Boni, Menæ, Galdini, Euſebij, & Ambroſij Archiepiſcoporum Mediolani, & Confeſſorum, Arderici Epiſcopi & Confeſſoris, atque Naboris, & Felicis Martyrum.

Celebrata ab eodem Illuſtriſſ. Archiep. die 29. Iunii. an. 1582.

COLLECTOR. *ILLVSTRISSIMVS Cardinalis Archiepiſcopus noſter à ſanctæ record. Cardinali Carolo Borrhomæo Archiepiſcopo Mediolani inuitatus, vt præſens adeſſet ſolemni Tranſlationi, quam idem Illuſtriſſimus Cardinalis Borrhomæus celebrauit ſancti Simpliciani, aliarumque ſacrarum reliquiarum; cupiens pio huic officio, ipſique Cardinali, quem in primis colebat, ſatisfacere, Mediolanum ſe contulit: vbi eodem tempore & Synodo diœceſanæ interfuit: & ipſius Archiepiſcopi Mediolanenſis rogatu ſermones, aliaſque functiones Epiſcopales habuit, tam in metropolitana, quàm in alijs eccleſiis.*

Tranſlatione verò celebrata, & Synodo peracta idem religioſiſſimus Cardinalis Borrhomæus iudicans, magno exemplo fore, ſi vnà etiam deuotam peregrinationem conficerent ad ſacram Syndonem, in qua ſacratiſſimũ Chriſti corpus depoſitũ à Cruce inuolutum fuit, quæque Auguſtæ Taurinorum, à Sereniſſimo & pijſſimo Principe Sabaudiæ Duce aſſeruatur; ab eodem vtrique per literas, & certos nuncios inuitati, hoc etiam pietatis munus explerunt: & Taurini ſermones habuerunt; aliaque epiſcopalis miniſterij monimenta præbuerunt.

Cum autem Bononiam reuertendum eſſet, antequam Archiepiſcopus noſter diſcederet Mediolano, ex antiquo patrum more, petijt ſacras aliquot reliquias ab Archiepiſcopo Mediolani, vt eas ſecum ad ſuam eccleſiam deferret, eamque, precioſiſſima dum abfuit acquiſita merce ditaret, atque exornaret; ab eo igitur libentiſſime nonnullis ſacris reliquijs donatus Bononiam rediens, vt honorificentiſſime exciperentur, & ſolemni proceſſionis ritu in eccleſia metropolitana collocarentur, perfecit.

Miſit itaque primùm certos nuncios Bononiam, qui Magiſtratus, Senatum, & pariter Clerum de ſui aduentus die præmonerent: eoſdemque ad hunc ſacrum triumphum ſanctis, quorum reliquias afferebat, decernendum inuitarent. nec non confratrijs laycorum omnibus & regularium Ordinibus, vt ad illum proſequendum parati eſſent, cum luminibus, ſacris indumentis, alijſque eccleſiaſticis ornamentis, indicerent.

Omnia ex voto parata ſunt, via insigniter decorata, tapetibus ſtragulisque ſericis ſtrata, frondibus floribusque conſperſa. Altaria nonnullis in locis, auro, argentoque, & gemmis collucentia erecta. Vmbellæ ſerico, auroque contexta a nobiliſſimis quibusque viris delatæ: lumina fuerunt innumera; muſici concentus plurimi ſuis locis diſtincti, gloriam, qua ſancti illi in cælis perfruuntur, referebant.

Illuſtriſſimus itaque Archiepiſcopus in Vigilia ſancti Petri prope Bononiam peruenit ad

mille

Digitized by Google

mille paſſus, conſtititque in Eccleſia ſancti Michaelis Archangeli de Arcoueggio, cuius Rector eſt R. D. Ludouicus Nutius I. V. D. qui Illuſtriſſimo Archiepiſcopo triginta anni ſunt & amplius, quibus diligentiſſime, & fideliſſime à ſecretis inſeruit: & tam eccleſiam illam, quàm ædes Canonicales, mirificè auxit & ornauit.

Vt autem commodior eſſet populo ipſarum reliquiarum cultus, & oratio præmittendæ, delatæ fuerunt in aliam eccleſiam, quæ dicitur ſancti Benedicti ordinis minimorum, & ingredientibus ciuitatem ſtatim ferè ſe offert. ibi plurimis luminibus circundatæ in altari maiore per totam noctem adorandæ expoſitæ ſunt fidelibus, qui frequentiſſimi confluxerunt. Summo mane diei, qui feſtus fuit ſancti Petri, perrexit Illuſtriſſimus Archiepiſcopus ad eandem eccleſiam ſancti Benedicti, vbi adfuere Reuerendiſſimus Gubernator, Magiſtratus, Senatus, Doctores, nobiles viri, ſcholares plurimi; quos, cum Bononia ſit publicum Gymnaſium, & ex longinquis locis ſtudiorum cauſa conueniant exteræ nationes, vt ædificentur in Domino, in huiuſmodi ſolemnibus actionibus Illuſtriſſimus Archiepiſcopus aduocare ſolitus fuit.

Proceſſio à Metropolitana eccleſia, per viam quæ dicitur Galeriæ directa eſt, ad eandem eccleſiam ſancti Benedicti, vbi Illuſtriſſimus Archiepiſcopus vnà cum iiſdem Reuerendiſſimo Gubernatore, Magiſtratu, aliiſque illam religioſè excepit. quæ poſtquam eò vſque peruenit, ſinguli ante ſacras reliquias genuflectentes, eodem itinere ad Metropolitanam eccleſiam deuote, & miro ordine, ſub ſuis quique vexillis perrexerunt. Tabernacula verò reliquiarum ferebantur à Canonicis, ſub paratis Vmbellis, Illuſtriſſimo Archiepiſcopo ceteriſque proſequentibus. Ipſe autem in eccleſia Metropolitana Pontificalem Miſſam celebrauit, inter cuius ſolemnia ſermonem habuit, quem hic ponere libuit, tum quia ad hanc Tranſlationem pertinet, tum quia in eo, tanquam à patre filiis, itineris, reditusquè occaſio, & cauſa ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo, ſuo Clero, populoque Bononienſi pluribus enarratur, & huius Tranſlationis quodammodo compendium in eodem ſermone habetur.

SERMO ILLVSTRISSIMI Cardinalis Archiepiſc. Pro ſacris Reliquiis relatis ex Vrbe Mediolani habitus in eccleſia Metropolitana in die feſto s. Petri, cuius titulo eadem eccleſia eſt inſignita.

QVANTA olim inter Bonon. Epiſcopos, & Mediolanēſes Antiſtites pietatis, & morum coniunctio fuerit, quàm religioſa inter eos familiaritas, ac mutua paſtoralium officiorum communicatio interceſſerit, facile iis patere poteſt, qui ſanctorum patrum monumenta, & Eccleſiaſticæ antiquitatis memoriam ſecum meditentur.

Legimus glorioſum illum, & memorabilem Mediolanenſis eccleſię paſtorē Ambroſium, quo tempore impium ſæuientis tyranni furorem declinabat, Bononiam ſe recepiſſe, tuncque pretioſiſſimum illum ciuibus noſtris theſaurum aperuiſſe, quo ſacræ reliquiæ beatorum martyrum *Vitalis*, & *Agricolæ* deliteſcebant, dum eas ex Iudæorum ſolo, tanquam ex ſpinis roſas eruit: quas poſt multa ſecula, cum in obſcuriore loco iacerent, nos frequentiſſimo clero populoque huius ciuitatis, ſolemni ritu tranſtulimus, ſuperioribus annis, quemadmodum ipſi memores eſtis, atque in huius Metropolitanæ Baſilicæ Confeſſione collocauimus.

Legimus itidem Epiſcopos noſtros Bonon. non ſolum ad Mediolanēſes Synodos olim perrexiſſe: ſed eidem etiam ſancto Ambroſio familiares, intimoſque extitiſſe, ac ſuam illi operam frequēter præſtitiſſe. Nam de ſancto Euſebio Bonon. Epiſcopo ſunt qui exiſtiment, cum ille eximiam s. Ambroſii in adminiſtranda eccleſia prudentiam, ac ſollicitudinem attente obſeruaſſet, tùm multa illum ex ſacris eius inſtitutis in hanc ciuitatem tranſtuliſſe, ac illius exemplo eccleſias, & monaſteria in martyrum Mediolanenſium honorem extruxiſſe, atque cum eo etiam Aquileienſi Concilio interfuiſſe.

Sanctum etiam Felicem, qui Mediolanenſis

lanenſis

lanenſis origine fuit, & eidem S. Ambroſio morienti miniſtrauit, Bononienſem hanc eccleſiam rexiſſe, ſatis compertum eſt.

Sed non ipſos tantùm Epiſcopos Bononiẽſes, ſed & vniuerſos ciues noſtros ſanctum hoc beneuolentiæ fœdus complexum fuit; nam & puellæ ipſæ, ac virgines noſtræ, relicto patriæ ſolo Mediolanum properare non verebantur, vt magni illius Archiepiſcopi manibus velarentur, ac diuino cultui conſecrarentur. Sic enim eundem legimus ſcribẽtem, [a] *Quid de Bononienſibus Virginibus loquar, quæ mundanis ſe delitijs abdicantes, ſacrarium virginitatis incolunt: & relicto parentum hoſpitio, tendunt in tabernaculis indefeſſæ milites caſtitatis?*

a s. Ambr. li. 1. ad Virgin.

Hæc & alia huiuſmodi, quæ recenſere longum eſſet, quicunque mente, & cogitatione percurrat, non improbabit opinor conſilij noſtri rationem, qui maiorum noſtrorum veſtigia conſectantes, curauimus ex quo primum tempore ad hoc munus Epiſcopale vocati fuimus, inſtitutam hanc à patribus noſtris cum Mediolanenſi eccleſia beneuolentiam & officiorum coniunctionem, quantum in nobis fuit retinere, ſanctèque tueri.

Hinc factum eſt, vt cum nuper in ciuitatem illam humaniter accerſiti eſſemus, vt ex veteri ſanctæ eccleſiæ ritu, vnà cum alijs Epiſcopis translationem aliquot ſanctorum martyrum, & confeſſorum ſolemni pompa concelebraremus: nos occaſionem huiuſmodi minime prętermittendam arbitrati, dedimus operam, vt dimiſſa Rauennatenſi ſynodo, cui nos quoque ſaluis Eccleſiæ noſtræ priuilegijs, & immunitatibus interfuimus, Mediolanum quamprimum excurreremus: cui conatui, ſtudioque noſtro, adeò diuina adfuit clementia, vt longè etiam vota, optataque noſtra exceſſerit; nam poſt priorem illam magnificentiſſimè celebratam translationem, alteram etiam paucos poſt dies fuimus proſequuti; inde innumera propè aliorum martyrum, & ſanctorum corpora, quibus ciuitas illa olim maxime floruit, & beata fuit, tanquam fulgentiſſima ſydera longè pretioſiora gemmis, & illis auri, & argenti thecis, quibus ea condita erant, & contecta, nos oculis noſtris luſtrauimus, ac piè ſumus venerati.

Verùm audite quæſo, dilectiſſimi, rem miram; nam dum ſacros cineres, & oſſa ſanctorum, qui vita functi erant, ſtudioſiùs indagaremus: interim nouum reliquiarum genus intra intimos viuentis hominis ſenſus conditum, nobis ante oculos verſari animaduertimus. Rem penè incredibilem narro, ſed omnium oculis expoſitam; in ipſiuſmet Archiepiſcopi Mediolanenſis, qui Cardinalis ſanctæ Praxedis dicitur perſona, tanquã in elaborato tabernaculo ſacrum quiddam, & diuinum latens, ac ſummam religionem ſpirans agnoſcere nobis videbamur. In eo priſcorum morum exemplar, in eo ſanctitatis, & innocentiæ ſimulacrum, in eo vniuerſæ virtutis domicilium, in eo vera Epiſcopalis dignitatis forma mirificè elucebat: vnde vigilãtiæ, ſollicitudinis, rerum cęleſtium cupiditatis, humanarum deſpicientiæ, perpetui laboris, inſolitæ, & admirandæ abſtinentiæ, & inuictæ in omni rerum varietate conſtantiæ, noua quotidie nobis exempla proferebat.

Carolus Card. Borrhomæus.

Experti id planè ſumus, quod Reginæ Sabæ olim accidiſſe ſacræ literæ memorant, quæ celebri Regis Salomonis gloria permota, cum in illius regiam ſe contuliſſet, multò maiora, & inſigniora virtutum illius, & ſapientiæ ornamenta deprehendit, quàm quæ auribus antea acceperat.

3. Reg. 10.

Sic ea eſt ſolidæ, & veræ virtutis vis: vt quò propiùs illi acceſſeris, quò fixis oculis eam attentiùs inſpexeris, quò arctiùs manibus tuis illam contrectaueris: eam ſplendeſcere magis, & tanquam flammam altiùs ſurgere animaduertas.

Sed nos præclariſſimi, & ſanctiſſimi Præſulis merita ſole multò clariora, nolumus tenui oratione obſcurare, ſed ſilentio potiùs reuereri.

Nos quidem peregrinorum more, qui nouas in alienis regionibus inuẽtas merces, aut ignotas arborum, & ſtirpium formas auidè ſolent in patriam ſuam referre;

ferre; optauimus vobis pariter dilectiſſimi ex peregrinatione noſtra non merces breui interituras, nõ venales copias ad oculos tantùm, aut corpus oblectandum, non opes auro, & argento comparandas; ſed ſupellectilem multò precioſiorem, inſtrumenta longè nobis vtiliora, & in omne tempus aptiora ex ſancta Mediolanenſi eccleſia reportare.

Afferimus vaſa inſignia innocentiæ, & caſtitatis, arculam cœleſtibus margaritis refertam: Afferimus feretrum non lugubre, ſed glorioſum: non mortuorum oſſibus, ſed viuentium in cælis ſplendore coruſcans: afferimus candelabrum lucens in domo Domini, vt qui ingrediuntur, lumen videant.

Solent Imperatores, militariumque exercituum duces, potiti victoria ouantes magno cum triumpho ciuitates ingredi, captiuos ſecũ ducentes, ad oſtentandam alijs bellicæ virtutis ſuæ gloriam, quæ contumaces fregerit, rebelles ſubegerit, ac repugnãtes in poteſtatem redegerit. Nos verò heroum quidem magnorum ſpolia exultantes nobiſcum deferimus: non quæ à nobis victa, ſed quibus victi ſumus: non quibus imperemus, ſed quibus nos ſubijciamus: non quæ mancipiorum more conculcemus, ſed quibus honorem, & cultum præbeamus: non quæ ad mores noſtros accommodemus, ſed quorum exempla imitemur: non quos irrideamus, ſed quorum patrocinio nos, liberos, dilectum nobis Clerum, Magiſtratus, Senatores, Doctores, omneſque omnium ciuium ordines commendemus.

Quæ autem hæc ſint, & quorũ ſanctorũ nomine, ac titulo inſignita, quę ipſius Archiepiſcopi auctoritate nobis liberaliter tradita, & aſſignata fuerunt, ex illius diplomate mox cognoſcetis.

Tenor literarum Card. Archiep. Mediolan.

Carolus S.R.E. presb. Card. tituli. s. Praxedis Arciep. Mediolanenſis.

O*Mni ſtudio inſtituta amplectimur, quæ fidelium pietatem excitãt, quæque ob eam cauſam ſanctiſſimi Patres noſtri adhibuerunt, & illa quidem præſertim, quæ in noſtra hac eccleſia olim vſitata fuiſſe accepimus. Id enim aliquando in more poſitum fuit Epiſcopis, qui translationis celebritati præſentes adfuiſſent, aliquid ſacrarum reliquiarum, quæ translata eſſent pia liberalitate concedi.*

Nos igitur hoc, quod oblata occaſione ad vſum reuocare ſtudemus, maiorum noſtrorũ exemplo adducti, ac præterea Illuſtr. Reuerendiſſimique in Chriſto Patris & D.D. Card. Palaoti Epiſc. Bonon. qui pro eo, quo tenetur amplificãdæ Eccleſiaſtica diſciplina deſiderio, ad ſolemnem S. Simpliciani, aliorumq. ſanctorum translationem, quam proxime cõcelebrauimus, literis noſtris inuitatus, ampliſſima auctoritate ſua, & virtutum maximarum quæ in eo elucent, ſplendore illam colluſtrauit, ſingulari pietate commoti; & ea quoque recordatione, memoriaque excitati, quod eccleſia Bononia, cui ille præeſt, mutuis præcipuè charitatis officijs cum hac noſtra Mediolanenſi, & olim tempore potiſſimùm ſancti Patris noſtri Ambroſij, & iam nunc maxime coniuncta eſt, in eam deliberationem venimus: vt eidem religioſiſſimo Cardinali, Paſtorique vigilantiſſimo Bononiam ad Epiſcopalem ſtationem ſuam redeunti, aliquas ſacras reliquias ſanctorum, qui in hac noſtra Mediolanenſi eccleſia præcipue coluntur, nos pie impartiremur. Itaque ſancti Simpliciani Archiepiſcopi, & confeſſoris digitum vnum de eccleſia eiuſdem: ſanctorum etiam Archiep. & confeſſorum, Ioannis Boni, Monæ, & Galdini reliquias ſacras de Baſilica Metropolitana: S. item Arderici Epiſcopi & confeſſ. reliquiarum de eccleſia s. Nazarij: Et præterea beatorum martyrum Naboris, & Felicis reliquias de eccleſia s. Franciſci, & reliquiam quoque de ſacris cineribus s. Euſebij Archiep. & confeſſ. ex eccleſia s. Laurentij: ac reliquia item de Dalmatica S. patris, & patroni noſtri Ambroſii, ex Baſilica Ambroſiana ipſi Illuſtriſſimo Cardinali Palaoto Epiſcopo Bononienſi pia largitate donamus, tradimus, impartimur, & concedimus. In cuius rei fidem, ac teſtimonium has literas manu noſtra, ſolemnique ſigillo Archiepiſcopali ſancti Ambroſij munitas, atque obſignatas fieri iuſſimus, earumque monimentum, atque exemplum in Can-

cellaria Archiepiſc. aſſeruari mandauimus. Dat. Mediolani Idibus Iunij 1582.

Car. Card. tit. S. Praxedis Archiep. Mediol.

AVdiſtis Dilectiſſimi, quàm præclaris, immortalibuſq. opibus ciuitatem noſtram cœleſtis gratia locupletarit; ſunt enim ſacræ reliquiæ, vt noſtis, ornamenta, theſauri, & præſidia ciuitatum. Celebre quippe eſt illud, quod in eccleſiaſtica hiſtoria memoratur Leoni Imperatori accidiſſe, qui cum ab Antiochenis poſtulaſſet corpus s. Simeonis ſtylitæ: fuit illi ab eis reſpõſum, vrbs noſtra mœnibus caret, ideo nos ſanctiſſimũ Simeonis corpus huc traduximus, vt nobis muri, & munimenti loco ſit.

Hinc maiores noſtros, ſanctos illos patres magno id ſtudio, & labore contendiſſe legimus, vt in aliena loca profecti, partem reliquiarũ, quas ibi inueniſſent ſecum referent: ſic ſanctam Helenam ex orientis regione reuertentem: ſanctum Petronium patrem, & protectorem noſtrum ex Hieroſolymorum locis redeuntem: s. Ambroſium ex hac ipſa ciuitate diſcedentem: ſic s. Martinum: s. Vldaricum Epiſcopum Auguſtanum, & alios quamplures feciſſe: ſic in translatione s. Zenobij Florentini, & s. Germani Epiſcopi Altiſiodorenſis, & aliorum multorum ſeruatũ fuiſſe in eccleſiaſticis hiſtoriis legimus. Quibus transferẽdis tanta olim ſolemnitas à religioſa antiquitate adhibita fuit: vt quod in triumphis agi moris fuit, nõnunquam muri ciuitatum perfracti, & mœnia aliqua ex parte fuerint patefacta: vt per ea ſacræ reliquiæ intra vrbes ſingulari populorum applauſu & lætitia inferrentur.

Quapropter magno nos quoque gaudio perfuſos hodie fuiſſe ſẽſimus, quòd celebritatem hanc frequenti ciuium noſtrorũ, ac dilectiſſimorum filiorũ concurſu, pijs omniũ ſtudijs, ac non leui religionis ſignificatione exornari cõſpeximus.

Sed in eo potiſſimum diuinæ prouidentiæ gratias nobis agendas eſſe cognoſcimus, quæ ſanctam hanc, venerandamq. actionem in eum potiſſimum incidere diem voluerit, qui beato Petro eccleſiæ noſtræ patrono ſacer, & ſanctus eſt. Nã cum ille Apoſtolorũ princeps, caput eccleſiæ, dominici gregis Paſtor, ac omnium ciuitatis, & diœceſis noſtræ eccleſiarum præcipuus Dux habeatur; quid iuſtius erat, quàm clariſſimo huic Chriſtianæ militiæ Præfecto, *cui tradita ſunt claues Regni cælorum*, illuſtres hos athletas ſociare; qui diuinis virtutibus inſtructi, *vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adeptique ſunt repromiſſiones?* Qui olim fuerunt Chriſti Domini membra, Dei viuentis templa, ſanctique ſpiritus vaſa & inſtrumenta. Quorum præconia memoranda, græcorum, latinorumque monumentis fuerunt æternitati pridem conſignata.

Auget verò communem hanc lætitiã noua huius loci, in quo conſidemus dignitas, nouus hic chori recens extructi decor et amplitudo: qui aduenientes nouos hos Regios hoſpites, ac cæleſtes veluti nuncios extraordinario honoris cultu propè lætabundus, ac geſtiens excipere, ac reuereri videtur.

Quapropter agnoſcamus Dilectiſſimi, magna Dei beneficia, ac nobiſcũ ſtatuamus, grauioris nos culpæ pondere poſthac opprimendos, niſi tàm ſingulare munus, inſolitæ pietatis officio, benefactorumque magnitudine compẽſemus.

Cur enim exiſtimatis perpetuo Catholico conſenſu inſtitutum, illis baſilicas, & altaria conſecrari, vota nuncupari, dies feſtos, ſolemneſque indici, & peregrinationes ad eos viſendos magnis laboribus, & itineribus ſuſcipi? non ſolùm ſanè, vt eos cum Chriſto regnantes, & ſempiterno æuo fruentes colamus, & veneremur: verùm vt eorum exempla ante oculos perpetuò habeamus, ac mores noſtros, ad eorum imitationem effingere ſtudeamus.

Cum verò illi in omni virtutũ genere fuerint præſtantiſſimi, non ea nunc vobis, quæ paulò duriora humanis ſenſibus videri ſolent, ſequenda proponimus: cum alij perempti, alij exuſti, alii præcipitati, alii feris, & leonibus obiecti, alii membratim conciſi, alii

alij inauditis ſupplicijs fuerint laniati; quamuis enim illi hæc omnia facilè cõtempſerint, ne tantillum, ac ne momen to quidem à Dei obedientia deſciſcerent; ad hæc tamen vos, Dilectiſſimi, in præſenti non adigimus, qui in catholicæ eccleſiæ ſinu educati, longe ab his tormentorum periculis abeſtis; ſed ſolã vitæ emendationem, diuinorum præceptorum cuſtodiam, fidelemq. animi puritatem, quod ſpiritualis martyrij genus eſt, paterno cordis affectu expoſcimus: quod vobis Deus concedere dignetur, vt vnà cum his glorioſiſsimis ducibus, in cælo æternos triumphos habere mereamur. Amen.

TERTIA TRANSLATIO
SACRORVM CORPORVM.

Sacrorũ Zamæ qui primus, & Fauſtiniani qui ſecundus Epiſc. Bonon. fuit.

Celebrata ab Illuſtriſſ. Card. Archiep. die 4. Maii. an. 1586. excerpta à libello qui de eadem Tranſlatione tunc temporis editus fuit, atque approbatus.

INTER cetera ſacra Reliquiarum monumenta, quibus præclarè inſignita eſt Bononienſis ciuitas, multis ab hinc ſeculis, glorioſa coluntur corpora ſanctorum Zamæ, & Fauſtiniani: quorũ ille primus, hic ſecundus Epiſcopus Bonon. fuit, quorumq. in Martyrologio Romano fit commemoratio: atque in hac ciuitate quotannis dies eorũ feſtus, ex antiqua traditione, duplici officio celebrari ſolitus eſt, nempe s. Zamæ die 24. Ianuarii, s. Fauſtiniani die 26. Februarii.

Quia verò ſcitu dignum eſt, quo tempore hi ſancti Paſtores floruerint: ante omnia hic adiiciemus, quæ de ipſis breuiter attingit Carolus Sigonius in hiſtoria de Epiſcopis Bononienſibus.

Ex libro Caroli Sigonij de Epiſcopis Bononienſibus.

IMperante Gallieno anno Chriſti ducenteſimo ſeptuageſimo, Zama à S. Dionyſio Pontifice ordinatus, Bononiam primus omnium venit: ac benigne à Chriſtianis, qui tum erant exceptus, ſede in ſuburbio poſita ad eum, vt fertur, locum, vbi poſtea ades s. Felicis condita fuit; diſciplinam, fidemque Chriſti inter gentiles quoquo modo potuit propagauit. Mortuus autem creditur ante annum trecenteſimum cum Confeſſor vocetur: quia ſi ad CCCI. ſpiritum produxiſſet, ſine dubio in perſecutione Diocliani inter primos excruciatus, ſacro Martyris nomine inſignitus fuiſſet. Humatus certe in eodem loco eſt vbi conſedit. Dies eius ab eccleſia IX. Kal. Februarij celebratur.

Anno deinde CCCXII. Conſtantinus imperator Maxentio Tyranno deleto, Italiam, ac Romam in poteſtatẽ adduxit, ac Chriſtianus effectus lucem tandem pacis optatiſſimæ attulit. Itaque vt ſumma erat pietate ornatus, non ſacras ſolum Deo ædificari Baſilicas iuſſit, multasq. ipſe in locis extruxit, ſed magno etiam in honore ipſos Baſilicarum antiſtites habuit. Quare vt reliquæ ciuitates, ſic Bononia quoque ſæua perſecutionis tempeſtate defunctæ, Epiſcopum ſibi aſciuit. Hic s. Fauſtinianus fuit, qui reliquias Chriſtianorũ ſuperiore eccleſia naufragio diſſipatas indicatur undique collegiſſe, ac Conſtantini inſtituto ædificandam Baſilicam præparaſſe. Fieri etiam poteſt, vt idem ſynodo Romana inter centum ſexdecim Epiſcopos interfuerit, quos S. Iulius Pontifex ad confirmandum Nicænum Concilium contra Arrium anno CCCXXXVII aduocauit. Situs eſt autem in eodem monumento, quo s. Zama, quod adhuc ad s. Felicẽ cum hoc titulo viſitur. Hic requieſcunt corpora Zamæ primi Epiſcopi & Fauſtiniani ſecundi ciuitatis Bononiæ. *Huius memoria agitur III. Kal. Februarij.*

Iacebant hæc ſacra corpora in marmoreo quodam vetuſtiſſimo vaſe, in cœmeterio eccleſiæ s. Felicis, vt ſupradictũ eſt, qui locus olim ſuburbium erat, vbi & Epiſcopalis eccleſia, & Epiſcopalis reſidentia habebatur, nunc verò in corpore ciuitatis includitur, eſtq. Monaſterium Sanctimonialium ordinis s. Claræ.

Quamuis autem Illuſtriſſ. Card. Archiepiſcopus, multis ab hinc annis ea ad eccleſiam Metropolitanam transferre, atque in altari maiori recondere optauerit; tamen cum adhuc Cappella maior, quam ipſe à fundamentis mire exædificauit, eo ornatu careret, qui poſtea ad finem ductus; ædificij amplitudine, ac magnificentia, columnarum, quæ altiſſimum fornicem ſuſtinent, ſtructura, illuſtribus picturis, & ſtatuis, auro, atque omni alio præclaro opere, oculis omnium, & admirationem, & oblectationem affert non exiguam; ad hoc vſque tempus hæc ſolemnitas producta eſt: vt etiam Epiſcoporũ frequentia, qui ad Concilium prouinciale primum Bononienſe celebrandum conuenere, digniùs ageretur.

Atque vt dignitati atque ornamento in hac actione fructus etiam ſpiritualis accederet, obtinuit Illuſtriſſ. Archiepiſcopus plenariam Indulgentiam, quę ad maiorem fidelium intelligentiam, ſummario Breuis vulgari adiuncto impreſſa, & per vrbem affixa fuit.

Indulgentia plenaria in die Tranſlationis ſanctorum Zamæ, & Fauſtiniani Epiſcoporum ciuitatis Bononiæ.

SIXTVS PAPA QVINTVS Dilecto filio noſtro Gabrieli tituli ſancti Martini in montibus Presbytero Card. Palæoto nuncupato, eccleſiæ Bonon. Præſuli.

Dilecte fili noſter ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Exponi nobis feciſti, quod cum in ciuitate Bononienſi extra eccleſiam ſanctorum Naboris, & Felicis in loco minus decenti, & aperto reperiantur corpora ſanctorum Zamæ primi, & Fauſtiniani ſecundi Epiſcoporum Bononiæ, cuperes illa ad locum altaris maioris eccleſiæ tuæ Metropolitanæ Bononiæ, vbi honorificentiùs cuſtodiri poſſint, transferre. Quare nos pium hoc circumſpectionis tuæ deſiderium volentes fauore proſequi gratioſo, tuis ſupplicationibus inclinati, tibi dictorum ſanctorum corpora inde vbi nunc reperiuntur, ad ipſam eccleſiam Metropolitanam ad locum altaris maioris collocanda transferendi, auctoritate apoſtolica tenore præſentium licentiam, & facultatem tribuimus. Atque vt fidelium deuotio erga ipſos ſanctos Epiſcopos, & Confeſſores magis augeatur, & translatio hæc frequentiori populo fiat, omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento refectis, qui ſolemni proceſſioni, quæ hac de cauſa die quarta May proximè futuri habebitur, religioſè interfuerint, ſeu eccleſiam metropolitanam ipſomet die Translationis deuotè viſitauerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, ac hæreſum extirpatione, ſanctæque Matris eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino pro ea vice dumtaxat concedimus, & elargimur, Contrarijs non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub anulo Piſcatoris die xxiij. Aprilis 1586. Pontificatus noſtri anno primo.

Io. Baptiſta Canobius.

Proceſſio incipiens ab ipſo loco, vbi ſunt ſacra corpora progredietur via Portæ s. Felicis, & perficietur in Metropolitana eccleſia vbi recondentur.

Quare hortamur omnes, vt nocte, quæ diem Dominicum præcedet, ex antiquo huiuſmodi ſolemnitatum inſtituto, luminaria in honorem horum ſanctorum accenſa in feneſtris exponant.

Mandamusque omnibus eccleſiarum rectoribus tam regularibus, quàm ſecularibus, Ple-

banis

banis, aliſque, quorum eſt, eccleſiis ciuitatis huius praeeſſe. Item omnibus, & ſingulis ſanctimonialiū ſuperioribus, vt Sabbatho proxime futuro Veſperi poſt ſignum ſalutationis Angelicæ, cum eccleſia Cathedralis campanæ pulſabuntur: & ipſi eccleſiarum ſuarum campanas vno eodemq. tempore ſolemniter diutiùs pulſari faciant, idemque exequantur toto eo tempore, quo ſacra proceſſio habebitur.

Vt vnuſquiſque inſtructior, quæ ſibi peragenda ſunt, ſcire poſſit: monemus, vt legat Paſtorales literas Illuſtriſſ. Archiep. de hac Tranſlatione, vulgariter verſas & promulgatas. Dat. &c.

N. Vic. de mandato &c.

Prætereа ne quid huius triumphi dignitati deeſſe poſſet, ſed omnia ordine, conſilio, atque auctoritate, quæ par erat fierent: munera apparatus, aliarumque rerum ad ipſum pertinentium, Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Illuſtr. & Reu. Capitulo eccleſiæ Metropolitanæ diſtribuit: quod ſingulari quodam, ardentique ſtudio erga ſanctos iſtos Præſules afficiebatur; ita vt alij chori: alij nauium, & corporis totius eccleſiæ: alij ſacriſtiæ; alij viæ ornatui præeſſent. atque plene particulari inſtructione in ſcriptis ab Illuſtriſſ. Archiepiſcopo, ſinguli eorum de ſuo munere admoniti ſunt: coram quo etiam in Congregationē admiſſi, vnà omnes de hac ſolemnitate quàm honorificentiſſimè, & magnificentiſſime habenda, ſæpius agebant.

Duobus verò ante menſibus quàm tranſlatio celebraretur, vt Epiſcopi quo ad eius fieri poſſet, frequētes Bononiam aduentarent, ad eam ſua præſentia honeſtandam: Illuſtriſſimus Archiepiſcopus exemplum etiam à ſe ipſo ſumens, qui Mediolanum ſe contulit, vt Tranſlationi, quam Carolus Borrhomæus ſanctiſſimus Cardinalis ipſe etiam Mediolani Archiep. habuit intereſſet, annuente ſummo Pontifice, inuitauit omnes Epiſcopos ciues Bononienſes his, quæ ſequuntur, literis.

Ad Epiſcopos Bononienſes literæ Communes.

Reuerendiſſime D. Sacra corpora ſanctorū Zamæ, & Fauſtiniani primi, & ſecundi Epiſcoporum huius eccleſiæ Bononienſis, quorum memoria in martyrologium Romanum relata eſt, & apud nos duplici officio quotannis celebratur, hactenus humiliori loco prout ſuperiora ferebant tempora, & minus ornato, quàm decet recondita, ad noſtram Metropolitanam baſilicam transferre, & in maiori altare collocare Deo adiuuante ſtatuimus die 4. proximi menſis Maij. Cum verò Tranſlationes huiuſmodi ſolemni apparatu, & frequentia Epiſcoporum, ac magno concurſu fidelium celebrari ſoleant; id quod & ab Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lectione accepimus, & noſtris quoque temporibus ab Epiſcopis grauiſſimis, & religioſiſſimis obſeruatum eſſe ſcimus; nos vt muneri noſtro ſatisfaciamus, & cæleſtium horum patronorum meritis, pro viribus aliqua ex parte reſpondeamus, Amplitudinem veſtram Reuerendiſſimam ad hunc ſpiritualem triumphum ſua præſentia exornandum, his noſtris literis inuitare volumus. Nam cum beatiſſimi hi noſtri Antiſtites fidei fundamenta in hac Vrbe primi iecerint, & ſalutaribus illam inſtitutis primi amplificarint: iure ſuo exigere videntur, vt tum ab vniuerſis ciuibus Bononienſibus debitus illis hic Chriſtianæ pietatis honor tribuatur: tum verò à nobis Epiſcopis, qui eos in hac paſtorali adminiſtratione veluti fortiſſimos, & ſapientiſſimos duces agnoſcimus, potiſſimum debetur. Quare huiuſmodi officium, vt patriæ ipſi perhonorificum, & pietate Dominationis veſtræ Reuerendiſſimæ digniſſimum, nobiſque gratiſſimum, ab ea vehementer expoſcimus.

Deus illi gratiam ſuam copioſe largiatur.

Dat. Bonon. &c.

Sequuntur nomina Reuerendiſſimorum Epiſcoporum, qui fuerunt inuitati ad Tranſlationem ſanctorum Zamæ & Fauſtiniani.

Nomina Reuerendiſſimorum Epiſcoporũ, ad quos literæ miſſæ ſunt.

R.mus D. Marcus Antonius de Marſilijs Archiepiſcopus Salernitanus.
D. Ludouicus Bẽtiuolus Epiſcopus Tiferni.
D. Chriſtophorus Boncompagnus Archiepiſcopus Rauennæ.
D. Alexander Muſottus Epiſcopus Imolæ
D. Ioannes Franciſcus Canobius Epiſcopus Foroliuien.
D. Celſus Paſius Epiſcopus Caſtri.
D. Iacobus Maſinus Epiſcopus Signij.
D. Nicolaus Horatius Epiſc. Catanzari.
D. Georgius Mangiolus Epiſcopus Auerſæ.
D. Alexander Coſpus Epiſc. Biſſel.
D. Vincẽtius Torfaninus Epiſc. Arimini.
D. Iulius Cæſar Segnius Epiſcopus Reatin.
D. Aloyſius Mareſcottus Epiſc. Strongoli.
D. Sigiſmundus Zanettinus Ep. Firman.
D. Io: Antonius de Graſsis Ep. Fauentiæ.
D. Vincentius Caſalius Epiſc. Maſſæ, & Populoniæ.
D. Angelus Perutius Epiſc. Sarſinæ.

Ex his omnibus venerunt.

Reuer. DD. Epiſcopi Sarſinæ, Tiferni, Imolæ, Foroliuien. Caſtri, Auerſæ, Fauentiæ, Maſſæ.

Præter hos etiam interfuit.

Reuerend. D. Iacobus Diedus Ep. Cremæ.

Reliqui ob itinerum difficultatẽ, & longitudinem, tum alijs grauibus impedimentis detenti, humaniſſimis literis, & pio in ſanctiſſimos præſules affectu plenis, ſe venire non poſſe reſponderunt.

Sequuntur literæ Paſtorales de eadẽ Translatione, quas Illuſtriſſimus Archiepiſcopus vulgari etiam ſermone redditas, & à concionatoribus promulgari, & per Vrbem affigi voluit, appropinquante ipſius Translationis die: vt grex ſuus quid eſſet hæc ſolemnitas, ab ipſo Paſtore intelligeret, atque ad eam celebrandam magis inflammaretur.

LITERAE PASTORALES

Gabriel Palæotus S. R. E. Card. Archiep. I. Bonon.

Vniuerſis ciuitatis, & diœceſis noſtræ fidelibus.

Salutẽ in Domino ſempiternam.

GLorioſa corpora sanctorum inhabitantis ſpiritus ſancti domicilia, quæ tanquam diuinę potẽtiæ, ſapientię, & bonitatis certiſſima pignora, ęternaq. monumẽta colimus, à naſcentis eccleſiæ initijs, apud Chriſti fideles ſummo in honore habita fuiſſe: nõ ſolum inſignia populorum illos à priſcis vſque tẽporibus venerantium exempla, in eccleſiaſticis hiſtorijs docent, ac templa in ipſorũ honore vbiq. diffuſa, & per omnes ferè terrarum orbis partes magnificẽtiſſimè extructa declarãt; ſed etiam in primis illa, quæ mirabiliter Deus in ijs operatur, & cęleſtes gratiarum copię, quas intercedentibus eorum meritis humano generi elargitur, quotidiè ſatis, ſuperque teſtantur.

Hinc antiquiſſimis eccleſię Catholicę decretis ad eorum ſepulchra Miſſarum ſacra instituta, dies eorum feſti, vigiliæ, officia, & ieiunia, vt celebrentur mandata sũt: hinc munera, hinc vota, hinc eleemoſynæ liberaliſſime collatæ, hinc longiſſimæ peregrinationes ſuſceptæ; hinc etiam factum eſt, vt eædem ſanctæ Reliquiæ, quæ ob ſummam eccleſiæ perturbationem in tenebris diu iacuerant, Deo reuelante in ſacris ædibus coli ſint cæptæ, plurimæ à noſtræ fidei hoſtium manibus vindicatæ, ad Chriſtianas regiones traductæ: & quæ in minus ornatis, ac ſplẽdidis locis erant, ad templa ampliſſima ipſis dedicata tranſlatæ fuerint.

Hæc nos ſequuti exempla dilectiſſimi, ſanctorum Zamæ, qui primus, & Fauſtiniani, qui ſecundus Epiſc. Bononiæ fuit (quorum memoria in martyrologium Romanũ relata eſt, & apud nos duplici

officio

officio quotannis celebratur) glorioſas reliquias die quarta proximi menſis Maij, ſolemni, quantum nobis licebit pompa, & publica ſupplicatione ex æde s. Felicis ad Metropolitanam noſtrã Baſilicam transferre, honeſtioreque ſepulcbro, quod ſub altari maiori locabitur, exornare ſtatuimus; neque enim ſacra ſanctaque hæc corpora in ſepulchro humiliore, ac minus ornato, quod temporis conditio hactenus ita tulit, in poſterum permanere æquum eſſe exiſtimauimus; quin potius in ipſam Metropolitanam eccleſiam, quæ ſedes Epiſcoporum eſt, beatiſſimos Epiſcopos anteſignanos noſtros traducendos eſſe duximus. idque eo prætertim tempore, quo Concilium prouinciale Bononienſe primum celebraturi ſumus: vt ampliore Epiſcoporum frequentia, & conuentu, primorum etiam ſanctorum Epiſcoporum Bononienſiũ tranſlatio decoretur.

Et quoniam promptiores ſumus, ſi ea, quæ fiunt, omnino deberi à nobis intelligimus, & maiori illos honore, & cultu proſequimur, à quibus maiora beneficia accepimus: vos omnes monitos eſſe voluimus, dilectiſsimi, tam multis nominibus vrbem Bononiam à Zama, & Fauſtiniano ſanctiſſimis Epiſcopis obligatam teneri: vt ſi à quibus Chriſtianũ nomen, & dignitatem, & rerum ſpiritualium initia, & progreſſiones habuimus, ijs omnia deberi putamus, his profectò ſecundum Deum nos omnia debeamus.

Cum enim Bononia, vt ceteræ Italiæ ciuitates catholicæ religionis lumine carens, in teterrima errorum caligine iaceret, s. Apollinaris B. Petri Apoſtolorum Principis diſcipulus ab eodem Epiſcopus Rauennæ deſtinatus in Aemilia primus Chriſtum prædicauit: à quo fidei ſemina quamuis ſummo pietatis ſtudio ſata ſparſaq. fuerint; tamen, vt fit in agro quem cultura fertilem, frugiferumq. non fecit, ſpinis perſecutionum ſuffocata, duritieque infidelitatis conculcata, vel inter paucos radices egerunt, vel dimanantia inter multos tyrannorum crudelitate compreſſa ſunt. Atque ita licet huius ſanctiſſimi diſcipuli pietas, ac ſtudium, vtilitatis plurimum attulerit, nullus tamen ad nos inde fructus perueniſſet, niſi alicui eximiæ pietatis, & ſanctitatis viro fuiſſet hæc præcipua cura demandata: vt hanc ciuitatem tunc veri inſciam, & ſalutis cognitione deſtitutã, in vera Chriſti fide ſalutaribus ſuis monitis, ardentique prædicatione inſtrueret.

Atque hic primus fuit S. Zama qui anno Domini 270. à ſancto Dyonitio ſummo Pontifice Epiſcopus ordinatus huc acceſſit. Cuius quanta fuerit ſollicitudo, quanta charitas, ac in verbo Dei prædicando zelus, & diligẽtia, fructus, qui conſecutus eſt probe teſtatur. ab eo enim fidei, & Religionis flamma excitata eſt: ab eo quaſi è Paradiſo omnium virtutum flumina profluxerunt: ſanctitatiſque eius hæredes ſucceſſerunt, Fauſtinianus ipſe, Baſilius, Felix, Petronius, Paternianus, Tertullianus, Iucundus, Theodorus, & alij, qui eccleſiam hanc tot ſpiritualibus donis ornarunt, tot tẽplis auxerunt, tot Chriſto filios, tot ſanctorum agmina, vrbiſque huius tutiſſima pręſidia, Agęum, Hermetem, Caium, Vitalem, Agricolam, Proculum, Bononium, Guarinum & Pariſiũ pepererunt.

Verùm in hoc ſanctiſſimo Epiſcopo, inter alias virtutes ſummam patiẽtiam non poſſumus ſummopere non admirari: quippe qui ordinatus Epiſcopus non tamen intra ciuitatem receptus, miſſus, non admiſſus, in ſuburbio vbi poſtea ſancti Felicis ædes condita fuit, ſedem ponere maluit, quàm vacuus diſcedere, vbi etiam Euangelium, & Chriſti fidem prædicauit; eiuſque pugna non ſolum fuit foris contra ſeculi poteſtates, ſed cõtra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Qua in re quantum profecerit, vel ipſa ſub Dioclitiano Imperatore, & Maxentio tyranno poſt ipſius obitum perſecutio, multitudine conſtantiſſimorum martyrum nobilitata declarauit.

Vbi verò Conſtantino imperante eccleſiæ pax tandem affulſit, in eius locum s. Fauſtinianus epiſcopus anno tercenteſimo duodecimo ſucceſſit, à quo inter maxima beneficia duo accepimus ſingularia;

gularia; vnum eſt, quòd ille tanquam bonus Paſtor, diſperſum poſt s. Zamæ tranſitum, ſuperiore eccleſiæ naufragio, ac longa perſecutione, Chriſtianorum gregem vndique collegit, & ad ouile reduxit, ac in fide confirmauit, & cuſtodiuit; alterum eſt, quòd primus ex conſtitutione religioſi Imper. Conſtantini Baſilicam ædificandam præparauit: & orationis locum primo tempore, quo eſt in vrbem admiſſus, Deo primus dedicauit. Atque hi duo beatiſſimi Epiſcopi ſicuti fide, gloria, & ſucceſſione: ita etiam ſepulchro coniuncti fuerunt, quemadmodum ipſa monumenta hodie etiam publica religioſorum, & Senatorum, & aliorum nobilium fide recognita teſtificantur.

LAVDEMVS igitur dilectiſſimi viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua: & per eorum veſtigia fluxis ſeculi huius calcatis opibus, ad cœleſtem gloriam Deo iuuante aſſequendam nos totis viribus comparemus: quando illos item homines diuinæ tamen gratiæ rore perfuſos, tam multa, tamque aſpera pertuliſſe, ac viciſſe videamus, vt è contumelia præmium, è tribulatione tranquillitatẽ, ex ipſa morte vitam elicerent. Quòd ſi hæc præclara illorum exempla verbis tantùm commemorata, ſiuè egregij pictoris manu expreſſa, nos ad imitationem facile poſſẽt incitare; quò ampliori nos ſtudio inflammari oportet, cùm ipſa eadem corpora, in quibus Deus glorificatus eſt, oculis præſentia intueamur? Exiſtimate dilectiſſimi in his ſãctiſſimis Epiſcopis, Chriſtianæ, & perfectæ vitæ compendium, & exemplar optime expreſſum eſſe; illorum fidem, modeſtiam, continentiam, rerum humanarum deſpicientiam, pietate ſumma erga Deum charitate flagrantem, in cunctorum ſalute retinenda diligentiã, in ſuo munere tuendo ſedulitatem, ſic contemplamini: vt pro certo habeatis, illos in primis cupere virtutum iſtarum effigiem in animis veſtris inſculptam agnoſcere: hoc enim eſt illorum vitam multis, præclariſque monumentis ad omnem memoriam commendare: hoc illorum laboribus noſtra cauſa ſuſceptis aliqua ex parte reſpondere, vt quò illi peruenerunt, iiſdem ipſi virtutum gradibus in cœlum aſcendamus.

In id verò huius præſertim ſolemnitatis tempore in primis incumbite dilectiſſimi, vt ad præſcriptum literarũ ſanctiſſimi D. Noſtri, de plenaria Indulgentia Tranſlationem hanc celebrantibus conceſſa, omnes, & ſinguli ſacra Confeſſione, & Euchariſtia ante expiati, ad ſupplicationem accedatis; & deuotas preces pro ſummo Pontifice, pro Chriſtianis Principibus, pro hæreſum extirpatione, pro ſanctę matris Eccleſię exaltatione, pro Ciuitatis huius, & Prouinciæ ſalute humiliter effundatis. Quarum precum nonnullas, vt commodiores vobis ſint, in libellum congeſſimus; itemque omnia pietatis, & deuotionis officia præſtetis, quibus glorioſiſſimorũ Epiſcoporum pro vobis interceſſionem, apud Deum promereri valeatis.

Vt autem commigrantibus excelſis his ducibus noſtris in Metropolitanam Baſilicam honorificentior comitatus, cultuſque celebrior adiungatur: non ſolum Prouinciæ noſtræ Reuerendiſſimos Epiſcopos adeſſe, ſed etiam Reuerendiſſimos Epiſcopos Bononienſes ciues ex ſuis eccleſiis conuocandos curauimus: quos quidem pro eorum pietate, ſi ſine gregis ſui detrimento licebit, hùc libenter acceſſuros confidimus.

Quòd ſi illi à ſuis ſedibus non ſine itinerum laboribus, atque incommodis hùc proficiſci contendent, vt debitum huic celebrationi munus impendant; maximè profectò decet, parentum ſanctiſſimorum hãc ſolemnem memoriam quanta maxima fieri poterit frequentia, & deuotione ab ijs recoli, qui Bononiæ commorantur.

Quapropter Deo fauente conſtituimus nos ipſi, cum omnibus eccleſiaſticis gradibus, qui in hac Ciuitate ſunt, triumphum hunc glorioſiſſimorum Eccleſiæ noſtræ Principum ſolemni apparatu comitari; & iccirco monemus Prælatos, Canonicos, Capitula, Parochos,

Clerumq.

Clerumque noſtrum vniuerſum, vt præſtituta die interſint, & lumina accenſa præſeferāt, ſuoq. omnes, & ſinguli loco, ordine, & habitu, (qui facer ſit) incendant; atque eccleſiaſtico, & pio concentu animis in cælum ſublatis, religioſe Corporum religioſiſſimorum traductioni, operam ſuam ædificationis, & reuerentiæ plenam exhibeant.

Quod idem religionis officium ab omnibus pariter regularium Ordinibus & familijs in Domino requirimus.

Confraternitatibus quoque ſpiritualibus mandamus, vt luminibus item accenſis, & pſallentes, omnemque pietatē præſeferentes, Tranſlationis huius ſolemnibus cæremonijs ſub ſuis vexillis interſint.

Sanctimoniales autem, quæ ſui holocauſtum intra Monaſteriorū clauſtra altiſſimo dedicarunt, cum huic celebritati intereſſe nequeāt, ſtudioſe monemus, vt interiore mentis feruore, deuotiſque illam precibus proſequantur.

At verò Illuſtriſſ. Senatum, Magiſtratus, Collegia, omneſque Ciuitatis ordines ſeculares paterno affectu inuitamus; omneſque, & ſingulos eorum, vt accenſa lumina præferentes, & in ſpiritu humilitatis orantes, ſacram hanc Tranſlationis celebritatem ſua preſentia exornare velint, vehementer in Domino hortamur, & rogamus.

A matronis item, ſeu matribus familiàs, deuotoque omni Ciuitatis fœmineo ſexu expoſcimus, vt earum ſalutis maxime cupidos Sanctiſſimos iſtos Epiſcopos accenſis pariter luminibus, & piis precibus venerentur, & deuote ſubſequantur.

Ceterùm vniuerſos etiam diœceſis noſtræ populos ad ipſam hanc ſolemnitatem rite celebrādam, beatiſſimorumque antiſtitum ſacra Corpora viſitanda, & omni cultu, & honore prò viribus afficienda pariter hortamur, vt eo præſertim tempore ſuam erga hos Paſtores ſuos pietatem, & gratum animum ex omni parte teſtentur.

Hæc vobis dilectiſſimi ex officio noſtro paterne dicenda, & in memoriam reuocanda eſſe exiſtimauimus, ne ſacræ huic tranſlationi, ne nouæ Sanctorum ſolemnitati, recentique ſepulchro, vbi condenda ſunt, deeſſe videamur. Quòd ſi illuſtrem, ſi ſplendidam, ſi plenam dignitatis, ſi pietatis officiis ornatam, ſi Zamæ, & Fauſtiniano, qui primi Pontificali auctoritate, & virtute, Euangelii ſigna noſtræ vrbis mœnibus intulerunt, noſtram hanc pietatis, & beneuolentiæ ſignificationem acceptam eſſe volumus. quæſo hæc omnia, quæ vobis ante oculos ponere voluimus, diligenter, & deuote perpendentes: curate vt huius celebritatis ſanctitati, ea animi puritate, & corporis obſequio reſpondeatis: vt ad magnificum Tranſlationis apparatum, virtutum etiam peramplum cultum afferatis.

Proponimus vobis, dilectiſſimi, candelabra iſta lucentia in domo Domini, vt ab eis illuminemini. Proponimus vaſa inſignia cæleſtium donorum, & omniū virtutum receptacula vbi omnibus diebus vitæ veſtræ habitetis. Proponimùs non lugubre feretrum, ſed glorioſa Sanctorum trophæa, non mortuorum oſſibus, ſed viuentium gloria coruſcantia: vt illa toto corde amplectamini, illa omni deuotionis affectu proſequamini: ſacris illis corporibus diuinū adhuc amorem ſpirantibus, neceſſitates veſtras patefaciatis, ab ijs auxilia humiliter efflagitetis; non enim illi qui olim in terris poſiti de vobis adeo ſolliciti fuerunt, nunc in cæleſti patria æterna felicitate perfruentes, Deo veſtras preces offerre prætermittent. Ipſe verò ſanctitatis omnis auctor ſaluabit vos propter ſeruos ſuos, gratia, & benignitate Domi Noſtri Ieſu Chriſti. Valete in Domino. Bononiæ die prima Aprilis 1586.

EArundem literarum exempla miſſa ſunt ad vnumquemque Parochum Ciuitatis huic chirographo coniuncta.

Reueren. &c. Intelliges his literis quanta ſolemnitate cupiat Illuſtriſſimus D. Archiepiſcopus noſter ſacra corpora ſanctorum Zama, & Fauſtiniani transferre: multaque alia, quæ ad ipſam Tranſlationem rite conficiendam

ciendam faciunt facile percipies. Quare eas non ſolum Populo denunciare ſtatim curato; ſed etiam inter miſſarum ſolemnia explicare, paternum Illuſtriſſimi Archiepiſcopi deſiderium declarare, eundemque populum ad horum Sanctiſſimorum Præſulum celebrẽ hunc triumphum luminibus, alijſque ornamentis cohoneſtandum, Indulgentiamq. plenariam conſequendam hortari, atque inflammare, non prætermittito.

Tu verò ipſo translationis die, planeta decora indutus, cum face accenſa ad eam accedito, & cum eadẽ toto proceſſionis itinere procedito, libellumque precum ad id editum habeto, pſalmis illis, atque hymnis canendis deuoto corde vacato: ita enim iubet Illuſtriſſimus D. Cardinalis Archiepiſcopus noſter. Dat. in Archiep. palat. &c.

N. & N. Canonici deputati.

Similiter eadem exempla miſſa ſunt ad omnes, & ſingulos Archipresbyteros & Plebanos diœceſis, totidem ſcilicet quot parochiæ ſunt quibus præſunt, quibus ea diſtribuere debebant; aliæque literæ pariter ijs iunctæ ſunt in eundem fere ſenſum, qui in ſuperioribus habetur, vt ipſi plebani, & Parochi, alijque diœceſis ſacerdotes ſuperpelliceis mundis induti, & lumina in manibus habentes, ad Ciuitatem ſtato tempore conuenirent, & huic ſolemnitati vt par erat, ipſi quoque omnino intereſſent.

Quia verò ipſo Translationis die proceſſiones ſanctiſſimi Sacramẽti in vnaquaq. parochia fieri ſolẽt, ideo moniti etiam ſunt, vt eas in ſequentem Dominicam differrent, & Populum de hoc certiorem facerẽt: aſſignaretq. vnuſquiſq. eorum eccleſiam, ad quam accederent eodem die, qui ad vrbem non venirent Miſſæ ſacrum audituri.

Aliis etiam literis præter ſupradictas admoniti ſunt Parochi ſuburbiorum, vt vnà cum populo, à prandio tamen, ne nimia frequentia celebritatis ordo perturbaretur, ad viſitandas, & venerãdas ſacras reliquias, proceſſionis more ſub ſuis quique vexillis deuote pergerent.

Eadem quoque exempla miſſa ſunt Monaſterijs monialium: vt quam ſolẽnitatem corpore proſequi non poſſent, corde, & feruentibus precibus inter ſacra clauſtra proſequerentur.

Quia verò magnus eſt Monaſteriorũ ſiue Conuentuum, Societatum ſpiritualium, aliorumque locorum piorum Bononiæ numerus, cum 25. ſint Monaſteria ſiue conuentus fratrum, & Monachorum: 32. ſodalitates: loca verò pia veluti Orphanorum, & ſimilium 14. Ideo ne à multitudine oriretur confuſio, atque vt ij, qui proceſſionem comitaturi erant, ſacris veſtibus, alijſque ornamentis Eccleſiaſticis omnes exculti procedere poſſent, ex ordinibus octo tantùm inuitati ſunt, qui fuerunt.

Carmelitarum. eccleſia S. Martini.
Seruitarum. eccleſia S. Mariæ ſeruorum.
Heremitarum S. Auguſtini. Eccleſia S. Iacobi.
Minorum Conuentualiũ. eccleſia S. Franciſci.
Prædicatorum. eccleſia S. Dominici.
Montis Oliueti. Eccleſia S. Michaelis in boſco.
Canonici Regulares. eccleſia S. Saluatoris.
S. Benedicti. eccleſia S. Proculi.
Canonici regulares Lateranenſes. eccleſia S. Ioannis in monte.
Canonici regulares S. Georgij in Alega. Eccleſia S. Gregorij.

Singuli autem Superiores horum ordinum, qui inuitati fuerant, inſtructione quadam admoniti ſunt particulari, vt Monachi, fratres, & canonici, planetis, dalmaticis, & pluuialibus, alijſque quæ habere poſſent precioſiſſima, induti aduenirent, candelabra argentea, thuribula, nauiculas ferrent, faceſque accenſas in manibus geſtarent, muſicæque varijs choris triumphum hunc Sanctiſſimum aſſociarent.

Eodem etiam modo inuitatæ fuerunt Societates ſpirituales laycorum, ijſdem literis, & inſtructionibus admonitæ; & præter eas interfuerũt etiã omnes ſcholæ Doctrinæ Chriſtianæ, quæ infinitum propè numerũ paruulorum, paruularũque canentiũ deuote, & candelas accen-

ſas

ſas, in manibus habentium ampleƈta- batur.

Quoad verò ſocietates ſpirituales, inuitatæ ſunt Societates, quæ vocantur Vitę, burgi Sanƈti Petri, Magdalenæ iunƈto loco quodam pio orphanorum, Angelorum. S. Mariæ Guerinorum appellata, S. Iob. S. Franciſci. S. Dominici S. Bartholomæi cũ orphanis, & Mortis.

Præter hæc omnia libellus precum huic Tranſlationi accommodatarum fuit editus, de quo ſchedulis per ciuitatem affixis cunƈti moniti ſunt: vt ex hac parte etiam tantæ celebritati omni denotione, & dignitate reſponderetur; qui quidem libellus hic infra adijcietur.

Poſtremò appropinquante ipſo Trāſlationis die, hoc inſuper ediƈto promulgato memoria ipſius renouata eſt, vt paratior ad illam omnis clerus accederet.

Ediƈtum vt Clerici omnes, alijq. regulares & ſeculares, qui de ea moniti ſunt, conueniant ad proceſſionem Tranſlationis ss. Epiſc. Zamæ, & Fauſtiniani.

CVM ſacra corpora ſanctorum Zamæ, & Fauſtiniani Bononiæ Epiſcoporum hoc primi prouincialis Concilij Bononienſis tempore, die quarta proximi menſis Maij ad noſtram Metropolitanam Baſilicam ſolemniter transferenda ſint, quemadmodum ex publicis Paſtoralibus literis de hac re promulgatis, omnes cognoſcere potuerunt; Mandamus omnibus, & ſingulis, canonicis, & capitulis curatis, alijſq. ſacerdotibus, diaconis, ſubdiaconis, & clericis quibuſcunque noſtræ huius ciuitatis, ſeu diœceſis, commorantibus Bononiæ, vt praſtituta die, ſuo ordine, & loco ſub ſuis crucibus, vel vexillis in habitu ſacro ſolemnis huius Translationis proceſſionem committentur: videlicet canonici, & capitula plu nialibus: Manſionarij, & capellani planetis, vel dalmaticis, ſeu tunicellis: Sacerdotes alij planetis: Diaconi, Subdiaconi, & clerici dalmaticis, ſeu tunicellis, vel mundis ſuperpelliceis induti, & accenſa lumina in manibus ferentes prout in aliis noſtris edictis admonuimus.

Ii verò, qui ſecus fecerint, & noſtro huic edicto non paruerint, pœnas cenſuraſque noſtro arbitrio declarandas incurrent.

Dat. Bonon. in noſtro Archiep. pal. &c.

Hæc quæ haƈtenus narrata ſunt, ad apparatum Tranſlationis pertinent: quę ſequuntur ad ornatum, qui ex præmiſſa diligentia ortus eſt, ſpeƈtare vidētur. Sed quid ego hic eccleſiæ metropolitanæ Bononienſis in ipſa etiam prima Concilij prouincialis celebratione ſingularia ornamenta ad hanc ſolemnitatem peritiſſimorum hominum ingeniis exquiſita deſcribam? Aut enim leƈtorem magnificentiſſimarum rerū commemoratione, quarum ipſe frui minime potuit moleſtia afficerem: aut ipſarum dignitati tenui mea deſcriptione plurimum detraherem; illic enim quoquo te verteres, habebas quid admirareris, ſiue altiſſimam teſtudinem, tholumque, vbi capella maior eſt, ſiue altare ipſum, ſiue piƈturas aſpiceres. Quòd ſi ſtatuæ Epiſcoporum Bononienſium, qui in numerum Sanƈtorum relati ſunt, tibi ſeſe obiiciebant ſuis locis in ipſa Eccleſia ſupra fornices collocatæ, pulchroque ordine diſtinƈtæ: ſi parietes, columnæ auro, argentoque emicantes; quid non ſanƈtum, non magnificum, non ſempiterna memoria dignum admirabaris? Omitto etiam viarum ornatum pręclariſsimum: ſufficiat enim illud exiſtimare in hac ciuitate paratum eſſe à nobiliſsimis ciuibus, qui diuitijs pietatem ita coniunxerunt: vt ſi Bononiam appellare ſolent hoſpitalem homines, multò magis eam fuiſſe viderimus, cum ſuos Præſules ſanƈtiſsimos quodammodo excepit.

Nunc ad ipſam Translationis aƈtionem veniamus. Sciendum eſt itaquè, ex ſacrorum antiquorum rituum conſuetudine, has ſacras reliquias ter ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo recognitas fuiſſe. R. P. Magiſtro Ioanne Antonio Florano inquiſitore, pleriſque ex Magiſtratibus, Senatu, & Collegiis, alijſque à Ciuitate deputatis, ſupradiƈtæ ſocietatis officialibus, itemque R. D. Sebaſtiano Medices

dices Vicario Generali R. D. Alphonſo Palæoto Archidiacono Bononienſi, Reu. Canonico pœnitentiario, Canonico theologo, aliiſque Canonicis, & Metropolitanæ, & Collegiatæ inſignis S. Petronii, aliiſque doctoribus, mediciſque peritis præſertim verò Arancio & Sacco Anatomiſtis excellentiſsimis, & notariis ad id vocatis præſentibus.

Prima recognitio facta fuit hoc modo, acceſsit Illuſtriſsimus D. Archiepiſcopus à prandio, ad locum, vbi ſanctæ erant reliquiæ, vna cum iis omnibus, quos modò diximus interfuiſſe. Ingreſſus Oratorium vbi parata iam erant omnia à Magiſtro cæremoniarum, aliiſque miniſtris, breuiter habuit ſermonem de præſtantia horum ſanctorum, atque obligatione, qua tenetur Bononienſis ciuitas, ad eos omni cultu venerandos. Tum vnà cum miniſtris, aliſque, accenſis facibus acceſsit ad vas illud, in quo ſacræ reliquiæ aſſeruabantur, quo aperto, Doctor Arancius mandante Illuſtriſsimo Domino oſſa omnia publice legit, & ſuper altari enumerata, dum notarius ſcribebat illa compoſuit, quæ in duabus arculis ab Illuſtriſsimo Archiepiſcopo accommodata ſunt, quas ſera recte firmata, in vaſe illo vbi prius erant, idem Illuſtriſsimus Dominus repoſuit, quod calce lateribuſque etiam munitum eſt.

Secunda recognitio eodē modo facta fuit; Tertia itē ſed mane ſabbatho ipſā translationem præcedente, atq. ex prædictis arculis extractæ in tribus tabernaculis auro, ſericoque ornatiſsimis, quæ ad ea transferenda elaboratæ erāt, diſtributæ ſunt, ita vt capita in vno tabernaculo ſeparatim aſſeruarentur.

A prandio verò eodem die, vnà cum Epiſcopis aliſque ad prædictum Oratorium ſe contulit Illuſtriſsimus Archiepiſcopus, & tabernacula ab Oratorio ad eccleſiam S. Felicis ſolemniter trāſtulit, & ſuper altari collocata dictis pōtificalibus Veſperis, Populo per totam ſequentem noctem ſacta corpora adoranda reliquit.

Proceſsio deinde habita eſt die dominico: proſequente inter cæteros Illuſtriſſimo Card. Saluiato Bononiæ Legato, Magiſtratu, reliquiſque eo ordine, quem ſuperiùs deſcripſimus, celeberrimo ritu, frequētiſsimoq. populo, & mira omnium deuotione. Delata ſunt tabernacula, ſub tribus vmbellis auro contextis, quas ſacerdotes parati manibus geſtabant; ea verò Illuſtriſſimus Archiepiſcopus, aliiſque Epiſcopi, & Canonici viciſſim in quibuſdam feretris aptatis accommodata humeris ferebant. omnia concentibus plena erant; atque vt ad Metropolitanam eccleſiam peruentum eſt, tormentorum bellicorum fragor, tubarum clangor, organorum, vocumque concentus, omnium animos ad æternæ gloriȩ, qua hi ſancti fruuntur, cogitationem accendebant: demum ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo ſuper altari maiore repoſita ſunt.

Tum Miſſa ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo celebrata eſt Pontificali more ſolemniſſima, præſente Illuſtriſſimo Legato, Magiſtratu, aliiſque; & poſt Euangelium habitus ſermo in honorem ſacrorum corporum. Peracta Miſſa depoſitis indumentis Pontificalibus, poſtquam diſceſſit Illuſtriſſimus legatus vnà cū magiſtratu, Illuſtriſſimus Archiepiſcopus cum Epiſcopis, Prælatis, & Canonicis in Palatium ſe recepit, in cuius aula menſa inſtructa lautè erat: ibi duodecim pauperibus, quos, & nouis veſtibus donauerat accumbentibus humiliter inſeruiuit, iiſq. duodecim crumenas cum eleemosyna, poſtquàm comederunt diſtribuit, & diuiſit.

A prandio præſente item Illuſtriſſimo Legato, Magiſtratibus aliiſque, ſolemnes Veſperas celebrauit, & in ſacris reliquiis populo benedixit; tum duæ capſulæ cedrinæ ad id fabrè confectæ, & diligentiſſime elaboratæ allatæ ſunt; in quarum ſingulis capſula plumbea erat, atque accenſis luminibus à tabernaculis depromptæ ſunt reliquiæ, omnibus iis qui aliis recognitionibus interfuerunt præſentibus, atque ab Illuſtriſ. Archiepiſcopo in ipſis capſulis cedrinis compoſitæ, lamina argentea vnicuique capſu-

capſulæ interius affixa, in qua ita inſcul ptum erat.

Hic aſſeruatur corpus S. Zamæ Epiſcopi primi Bononiæ ex æde S. Felicis ſumma celebritate in hanc Metropolitanam eccleſiam tranſlatum, a Gabriele Paleoto Archiepiſcopo I. Bononiæ, in Concilio primo Prouinciali die iiij. Maij Anno Chriſti M.D.LXXXVI.

Inſuper membrana inuolucro plumbeo circumtecta in ſingulis capſulis repoſita eſt in qua ita ſcriptum erat.

Corpus S. Zamæ, qui anno Chriſti 270. fuit primus Bononiæ Epiſcopus, in hanc Metropolitanã eccleſiam tranſlatũ à Gabriele Card. Paleoto Archiep. I. Bono. maxima omnis ordinis, ætatis, ſexus, cum ciuitatis, tum diœceſis frequentia, & religione in Concilio primo Prouinciali die 4. Maii 1586.

Poſtremo opereulo plumbeo prius à fabro ferrario diligenter compreſſo, ita vt arcula plumbea neque aperiri, neq. extrahi poſsit, niſi totum opus diſsoluatur, clauſæ ſunt capſulæ cedrinæ, & clauis aptè firmatæ, & ab Illuſtriſsimo Archiepiſcopo ſub Altare maiori ſunt repoſitæ: ita vt per feneſtellam cãcellis auratis firmatam, lampade argentea intus accenſa, à quibuſcunque aſpici poſſint; & in vnaquaque capſula legatur exteriùs nomen maiuſculis literis exaratum Sancti, cuius reliquiæ in ea ſunt, hoc eſt.

Corpus S. Zamæ primi Epiſcopi Bononiæ.

Corpus S. Fauſtiniani ſecundi Epiſcopi Bononiæ.

Atque ita in hunc vſque diem religioſe aſſeruantur, & pie coluntur ſanctiſſima illa Corpora, quorum animæ in cæleſti patria, æterna beatitudine perfruuntur.

Sequitur libellus precum, qui ab Illuſtriſſ. Card Archiepiſcopo pro hac Tranſlatione editus fuit; in quo pſalmi, hymni, & orationes extenſæ erant ad libitum dicendæ. Sed hic, vt voluminis breuitati conſulatur, ea ſolum poſita ſunt, quæ propria ipſius ſolemnitatis ſunt: cætera verò attinguntur tantum.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Hymnus.

De SS. Zama, & Fauſtiniano.

Saluete ſancti Eccleſiæ
Bononienſis Præſules:
Saluete Patres inclyti,
Et ciuitatis lumina.
Tu Zama primus arduis
Chriſto gregem laboribus,
Hic comparaſti, & pabulo
Sacri educaſti dogmatis.
Mox latè in orbe ſæuiit
Extrema perſecutio,
Cùm grex tenellus obuius
Fuit luporum faucibus.
Sed pace terris reddita,
Fauſtinianus affuit,

Qui diſſipatos vndique
Agnos ouili retulit.
Exinde veri numinis
Cultum vigere Felſina
Vidit, cruciſque inſignia
Et ſacra templa ſurgere.
Nos ergo veſtra nomina,
Et hæc ſacrata pignora
Laude, ac honore debito
Piè colentes tollimus.
Dum ſe recens hæc Metropolis
Ornare tanto munere
Prægeſtiens, eis locum
Honeſtiorem dedicat.
Sic vos, Beati, pergite
Vrbem fauore proſequi,
Benignus hinc vt omnia
Pericla Chriſtus arceat.
Nos charitatis mutuæ,
Paciſque nexu colliget:
Det puritatem cordium,
Det ſanitatem corporum.
Qui mortis atræ vinculis
Virtute fractis propria,
Victor reſurgens imperat
Cum ſempiterna gloria. Amen.

PSALMI TRES
pro commemoratione diuinorum beneficiorum.

Pſalmus. 80.

E*Xultate Deo adiutori noſtro: iubilate Deo Iacob.*
Sumite pſalmum, & date tympanum: pſalterium iucundum cum cithara. &c.

Antiphona.

Cum iucunditate exibitis: & cum gaudio deducemini: nam montes, & colles exilient, expectãtes vos cum gaudio. Alleluia.

Pſalmus. 103.

B*Enedic anima mea domino: domine Deus meus, magnificatus es vehementer.*
Confeſſionem & decorem induiſti: amictus lumine ſicut veſtimento. &c.

Antiphona.

Ecce efferuntur cum triumpho ſacerdotes magni, per quos magnificata sũt opera Domini, & dederunt nobis eſcam in tempore. Alleluia.

Pſalmus. 144.

E*Xaltabo te Deus meus Rex: & benedicam nomini tuo in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.*
Per ſingulos dies benedicam tibi: & laudabo nomen tuum in ſeculum, & in ſeculum ſeculi. &c.

Antiphona.

Laudationem Domini loquatur os noſtrum, benedicat omnis caro nomini ſancto eius in ſeculum, & in ſeculum ſeculi. Alleluia.

℣. Decantauerunt Domine nomen ſanctum tuum. Alleluia.
℟. Et victricem manum tuam laudauerunt pariter. Allel.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

O*Mnipotens ſempiterne Deus, qui nobis famulis tuis innumera tuæ gratiæ dona largiri non deſinis: quæſumus clementiam tuam: vt qui ſanctorum Zamæ, & Fauſtiniani Confeſſorum tuorum, atque Pontificum vita exemplo & prædicatione, te verum Deum agnouimus: amborum meritis, per viã ſalutis gradientes, tibi dignè inſeruire mereamur. Per dominum noſtrum, &c.*

PSALMI TRES
ad implorandum diuinum auxilium.

Pſalmus. 131.

M*Emento domine Dauid: & omnis manſuetudinis eius.*
Sicut iurauit Domino: votum vouit Deo Iacob. &c.

Antiphona

Antiphona.

Surgite ſancti Dei de habitationibus veſtris, loca ſanctificate, & plebi benedicite, & nos homines peccatores in pace cuſtodite. Alleluia.

Pſalmus 19.

Exaudiat te dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob. Mittat tibi auxilium de ſancto: & de Sion tueatur te. &c.

Antiphona.

Domine tu ſcis neceſsitates noſtras, adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & exaudi nos in quacunque die inuocauerimus te, propter ſanctos tuos. Alleluia.

℣. Reddidit illis Dominus mercedem laborum ſuorum, Allel.
℟. Et deduxit illos in via mirabili, Alleluia.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Deus omnium refugium & virtus, populi tui ſupplicantis preces exaudi: vt qui in ſanctorum tuorum Zama, & Fauſtiniani ſolemnitate lætamur: perpetua in cælis cum illis beatitudine perfruamur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.

Pro Gratiarum actione.

Pſalmus. 147.

Lauda Hieruſalem dominum: lauda Deum tuum Sion. Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum: benedixit filiis tuis in te. &c.

Antiphona.

Honeſtauit illos Dominus in laboribus, & compleuit labores illorum, & tamen forte dedit illis claritatẽ æternam. Alleluia.

Canticum trium puerorum.

Danielis. 3.

Benedicite omnia opera domini domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula. Benedicite angeli Domini Domino: benedicite cæli Domino. &c.

Antiphona.

In omnibus magnificaſti eos Domine, & honoraſti, & non deſpexiſti: in omni tempore, & in omni loco aſsiſtens eis. Alleluia.

Pſalmus. 148.

Laudate dominum de cælis: laudate eum in excelſis. Laudate eum omnes Angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius.

Antiphona.

Ingredimini ſancti Dei: præparata eſt enim à Domino habitatio ſedis veſtræ: ſed & populus fidelium inſequitur iter veſtrum, vt oretis pro nobis maieſtatem Domini. Alleluia.

Hymnus ss. Ambroſii, & Auguſtini.

Te Deum laudamus: te dominum confitemur. &c. Te æternum Patrem omnis terra veneratur. &c.

℣. Amauit eos Dominus, & ornauit eos, Alleluia.
℟. Stolam gloriæ induit eos, Allel.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

Deus, qui in his ſacris ſanctorum Zamæ & Fauſtiniani reliquijs glorifica

 ris

ris, in nos famulos tuos gratiam tua benedictionis infunde: vt quorum tranſlationem celebramus, eorum precibus transferamur ad conſortia beatorum. Per dominum, &c.

LITANIAE.

K*Yrie eleiſon.*
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos. &c.

In his litaniis inuocabantur præſertim sancti Bonon. ciuitatis & Prouinciæ protectores, cum precibus & hymnis vt in Breuiario habentur.

QVARTA TRANSLATIO
PLVRIMARVM RELIQVIARVM.

Sanctorum & ſanctarum, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum.

Celebrata ab Illuſtriſs. Card. Archiep. die 8. *Septemb. an.* 1593. *ex libello tunc temporis de eadem Translatione edito, & approbato deprompta.*

PLurimæ ſanctorum reliquiæ, multorum annorum ſpatio, multoque labore, à Reuerendiſſimo D. Alphonſo Palæoto Bononiæ nunc Coadiutore collectæ fuerant, ex Vrbe Roma, & variis inſignibus Eccleſiis Italiæ, auctoritate Summorum pontificum, & Reuerendiſſimorum Epiſcoporum, qui illis eccleſiis præerant, à quibus etiam legitimum teſtimonium authenticumque earum obtentum eſt.

Hæ verò omnes, tanquam precioſiſſimus theſaurus, in Oratorio Archiepiſcopalis palatii ad id extructo, decenti ſatis, atque ornato loco diutiùs ſunt aſſeruatæ: vnde eas demum tranſtulit Illuſtriſſimus Cardinalis Archiepiſcopus, vt in digniore loco eas populo publicè venerandas exponeret.

Locum autem digniorem Bononiæ eligere non poterat, quàm ipſam Metropolitanam eccleſiam, aut ornatiorem, quàm ſacellum ipſum, quod idem Illuſtriſſimus Archiepiſcopus in eadem metropolitana Baſilica extruxit.

Dicatum eſt id beatiſſimæ virgini Mariæ, oſtro, minio, auroque præfulgens, picturiſque eximijs, in quibus ipſius Dominæ noſtræ ſanctiſſima vita, veteris teſtamenti myſteriis interiectis, albario opere tam in alta fornice, quàm in ipſis parietibus, celato, inauratoque congruentibus ſpacijs diſtincta, fidelium oculis contemplanda offertur. A latere ſiniſtro ſacelli huius, eſt cappella maior, hoc eſt tribunal, ex qua parte, organa aurata, & magna impenſa fabricata proſpectum habent. A latere dextro ampla feneſtra eſt, ex qua lumen hauritur. Pauimentum eſt ex marmore ophiti, porphyritico, baſalti, parioque teſſellati operis. Altare totum eſt ex marmore pario. In eo duæ columnæ, quarum baſes, & epiſtylia ſunt ænea corinthij operis, coronicem ornatu pulcherrimo ſuſtinent, ex eodem marmore, atque opere confectam.

Curatum verò fuit, vt cum hoc altare Virgini Dei matri dicandum eſſet, Icon illius, fœminæ potiùs, quàm aliorum pictorum manu, licet inſignes omnes eſſent, pingeretur. In eiuſmodi igitur Icone imago mira arte depicta cernitur Beatiſsimæ Virginis inter choros angelorum in nubibus ſedentis, & Bononiæ quæ ei ſubiecta pariter conſpicitur benedicentis. Icon autem ea arte fabricata eſt, vt in pariete commode condatur, cum reliquiarium, quod ſub ipſa aſſeruatur, eſt oſtendendum: illud vero totum auro nitens loculos reliquiarum aptè diuiſos, & chryſtallo

Lauinia Fõtana Proſperi Fontanæ Bononien. pictoris celebris filia.

ſtallo exornatos habet, aliamque deuotionis inſignis imaginem beatiſſimæ virginis in loculorum medio continet, & panno oloſerico rubro operitur: hac inſcriptione aureis literis prægrandibus adiecta, *Corpora Sanctorum in pace ſepulta ſunt*. Ad hæc pro cultu, & ornatu ſacelli huius, præter ipſam altaris precioſam ſupellectilē, dono etiā illi dedit Illuſtriſſimus Archiepiſcopus argenteas lampades, quæ ante ſacras reliquias aſſiduò elucerent. Totumque ſacellum, clathris ferreis, æneisque clauditur.

Porrò eccleſia tota aulæis, ſtragulíſque, auro & argento contextis ordine pendentibus, magnificentiſsimam ſpeciem intuentibus oſtendebat. Altare maius auro atque argento ditiſsimum, ſub illo ampliſsimo tribunali, quod ſtatuis picturiſque egregiè ornatum Illuſtriſsimus Cardinalis Archiepiſcopus à fundamentis erexit, ſumma maieſtate eminebat. Vmbellæ, faldiſtoria, aliaque huiuſmodi, quæ ad pontificalis actionis ſolemnitatem celeberrimam faciunt, diligentiſsimè parata, & conſpicuo ordine diſpoſita erant. Ianuæ, & inſigniora Baſilicæ loca, topiario opere, herbis, & picturis exornata, porticus & ipſæ aulæis inſtructæ, totaque pariter via, præcioſiſsimis quibusque ornamentis, quæ Bononienſes ciues ad pietatem propenſiſsimi, libentiſsime expoſuerunt.

Septem verò ante diebus promulgauit Illuſtriſsimus Archiepiſcopus Indulgentiam plenariam, pariterque huius ſolemniſsimæ proceſsionis edictum: atque ea ſunt, quæ ſequuntur.

CLEMENS PAPA VIII.

V*Niuerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum ſicut accepimus, venerabilis Frater noſter Gabriel Epiſcopus Sabinenſis ſancta Romana Eccleſia Cardinalis Palaotus nuncupatus, in Eccleſia metropolitana Bononienſi vnam Cappellam ſub inuocatione Aſſumptionis Beata Maria conſtrui, & ædificari curauerit: in qua nonnullas ſanctorum, ſeu ſanctarum reliquias, in vigilia vel feſto natiuitatis Beata Maria Virginis, aut alio per eum eligendo die collocare intendit. Nos igitur vt Chriſti fideles proceſſione prædicta eò lubentius interueniant, quò ex hoc cæleſtis gratia donis ſe vberius conſpexerint eſſe refectos: De omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui proceſſioni præfatæ in vigilia, vel feſto Natiuitatis beatæ Mariæ, ſeu alio per dictum Cardinalem in euentum alicuius impedimenti eligendo, & deputando die, deuotè interfuerint: vel eccleſiam, & cappellam prædictas à veſperis eiuſdem vigiliæ vſque ad occaſum ſolis dictæ feſtiuitatis Natiuitatis beatæ Mariæ, ſeu à primis veſperis vſque ad occaſum ſolis diei, vt præfertur, deputandi deuotè viſitauerint: & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, ac hæreſum extirpatione, ſanctæque matris eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus; Præſentibus pro vna vice duntaxat valituris. Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris. Die 9. Auguſti. M. D. XCIII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.*

M. Veſtrius Barbianus.

EDICTVM de proceſſione ſolemni Translationis plurimarum ſanctarum Reliquiarum, quæ celebrabitur die 8. Septemb. 1594.

C*Vm conſtituerit Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus D. Gabriel S. R. E. Card. Palæotus Archiepiſcopus Bononiæ, & Princeps, ſolemni ritu, die feſto Natiuitatis glorioſiſſimæ Virginis Dominæ noſtræ, ad ſacellum, quod ipſe in Baſilica metropolitana*

tana extruxit, plurimas ſanctorum reliquias transferre: decet maxime, vt quemadmodum clerus ordinis dignitate ceteris praecellit, ita etiam in huiuſmodi ſacris functionibus, frequentia, & deuotione, omnibus ſit exemplo; & in hac ſolemni translatione, eò maiorem praeſeferat pietatis ſignificationem, quò plura ſunt pericula his praeſertim temporibus calamitoſiſſimis, ad quæ arcenda ſanctorum apud Deum interceſſione indigemus. Quare de mandato eiuſdem Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi D. *Cardinalis Archiepiſcopi praecipimus vniuerſo clero vrbis huius Bononiæ, Capitulis, Parochis, ſacerdotibus, clericis quibuſcumque omnibus & ſingulis, vt eadem die Natiuitatis ad veſperas in Baſilicam eandem conueniant, ſuperpelliceis mūdis induti, faces cereas candidas accenſas manibus geſtantes, ſuis quique locis, prout à magiſtro caeremoniarum diſtribuentur, atque huic ſacræ Translationi intereſſe, & proceſſionem, muſicis concentibus ſuarum eccleſiarum aſſociati, proſequi non praetermittant, pœnis arbitrio Illuſtriſſimæ & Reuerendiſſimæ Amplit. ſuæ reſeruatis, quas huic edicto non parentes incurrent.*

Dat. Bon. in Archiep. palatio die 1, Septembr. 1593.

N. Vic. Generalis.

Inuitati prçterea ſunt ſimiliter plures Regularium ordines, & confratriæ ſpirituales laicorum: necnon à concionatoribus hæc ſolemnitas denunciata, atque inflammati populi ad eandem omni honore proſequendam.

Atque demum ex voto omnia Deo adiuuante ſucceſſerunt; 28. erant tabernacula maiora, chryſtallo, auro, atque argento exornata, in ipſo altari maiori parata, præter alia minora in argenteis vaſibus collocata.

Proceſſio miro ordine celebrata eſt, pulcherrimo apparatu, ſumma deuotione, innumeris facibus cereis accēſis, quas ſinguli inuitati manibus præferebant. Præter Confratrias ſpirituales laicorum, aderant Fratres, & Monachi ordinum minorum obſeruantiæ, ſeruorum, Eremitarum ſancti Auguſtini. Carmelitarum, Conuentualium ſancti Franciſci, ſancti Dominici. Montis oliueti. Congregationis ſancti Saluatoris. ſancti Benedicti. Lateranenſes. Hi ſinguli ordines ſuam vmbellam cum duobus tabernaculis reliquiarum deferebant. Poſt has vndecim vmbellas ſequebantur Capitula, & Clerus, quibus tres aliæ vmbellæ diſtributæ erant, & alia reliquiarum tabernacula parua, quæ in argenteis vaſibus deferebantur. quorum poſtremus erat Reuerendiſſimus D. Coadiutor, qui precioſiſſimum tabernaculum geſtabat, in quo de cruce Domini noſtri erat. Tum Illuſtriſſimus Cardinalis Archiepiſcopus, Illuſtriſſimus Cardinalis Pepulus, qui tunc temporis Bononiæ erat, Reuerendiſſimus D. Octauius Bandinus Vicelegatus, Vexillifer Iuſtitiæ, Magiſtratus, Senatus, aliique nobiles accenſis & ipſi facibus proceſſionem comitabantur. quæ, tandem ad Baſilicam Metropolitanam vnde diſceſſerat rediјt, maximo tubarum clangore, plurimis muſicorum concentuum choris ſuis locis diſtributis, reſonantibus organis, campanarum omnium pulſatione, atque adeo ipſorum tormentorum bellicorum plurimis ictibus, ita vt omnia præ lætitia geſtire viderentur. Atque hoc modo celebritati huic fine impoſito, poſt collocata tabernacula in reliquiario ad id, vt ſupradictum eſt parato, & ſolemnem benedictionem frequentiſsimo populo ab Illuſtriſsimo Archiepiſcopo impertitam, diſceſſum eſt, ad gloriam Reip. & ſanctorum illorum, quorum reliquias iam publice & ſumma cum deuotione tota Bononien. ciuitas veneratur & colit.

Libel-

Libellus precum ad libitum dicendarum, editus pro eiuſdem Tranſlationis ſolemnitate; in quo quidem omnia extenſa erant, quæ hoc loco, vt breuitati conſulatur tantummodo annuentur.

In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen.

Christe redemptor omnium,
Conſerua tuos famulos:
Beatæ ſemper Virginis
Placatus ſanctis precibus.
Beata quoque agmina &c.

Pſalmus dicendus cum reliquiæ exeunt ab eccleſia.

Antiph. *Cum iucunditate exibitis: & cum gaudio deducemini: nam montes & colles exilient, expectantes vos cum gaudio, alleluia.*

Pſalmus 8.

Domine Dominus noſter: quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra? &c.

In progreſſu Proceſſionis.

Antiph. *Ambulate ſancti Dei, ingredimini in ciuitatem Domini: ædificata eſt enim vobis eccleſia noua, vbi populus adorare debet Maieſtatem Domini.*

Pſalmus 33.

Benedicam Dominum in omni tempore: ſemper laus eius in ore meo. &c.

In regreſſu ad eccleſiam.

Antiph. *Ingredimini ſancti Dei, præparata eſt enim à Domino habitatio ſedis veſtra: ſed & populus fidelis cum gaudio inſequitur iter veſtrum, vt oretis pro nobis Maieſtatem Domini, alleluia.*

Pſalmus 149.

Cantate Domino canticum nouum: laus eius in eccleſia ſanctorum. &c.

Ad altare poſtquam in eo repoſitæ fuerint Reliquiæ.

℣. *Exultabunt Sancti in gloria.*
℟. *Lætabuntur in cubilibus ſuis.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiſcum.*
℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oratio. *Oremus.*

Deus qui ex omni cooptatione ſanctorum, æternum Maieſtati tuæ condis habitaculum: da ædificationi tuæ incrementa cæleſtia, & præſta: vt quorum hic reliquias pro tuo amore complectimur, eorum ſemper meritis adiuuemur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Sequebantur in eodem libello litaniæ in eadem Translatione ad libitum dicendę, in quibus inuocabātur Sancti, quorum reliquiarum Translatio hæc eſt celebrata.

INDEX
omnium reliquiarum, quarum translatio ſolemnis ſuperiùs eſt relata.

Chriſti Domini noſtri.

De ligno ſanctiſſimæ Crucis.
De Corona ſpinea. ſpina vna.
De clauo
De veſte purpurea
De veſte inconſutili
De vinculis ſeu funiculis, quibus ad columnam alligatus eſt
De ſpongia.
De ligno Lanceæ
De præſepio, & aliæ.

Virgi-

Virginis ſacratiſſimæ.

De vitta, ſeu benda.
De velo.
De veſte.
De cingulo.

S. Ioannis Baptiſtæ.

Dens vnus, & particula maxillæ.
De ſanguine.

Sequitur Index earundem reliquiarum alphabetico ordine ad maiorem facilitatem deſcriptus.

Achatij, qui fuit Dux vndecim millium martyrum, dens vnus.
Adriani martyris de capite.
Auguſtini Ep. & Doctoris. pars brachij.
Agricolæ martyris Bononienſis. de capite.
Aggæi martyris Bononienſis dens vnus, & de crure.
Agapiti martyris. de oſsibus.
Alexij confeſſoris. de pede.
Alberti Confeſſoris. pars capitis.
Alexandri Papæ & mart. de oſsibus.
Ambroſij Epiſc. & Doctoris. pars brachij.
Andreæ Apoſtoli. de ſcapulis.
Apollinaris. de capite.
Anaſtaſii martyris.
Antonij Abbatis.
Antonij de Padua confeſſoris.
} variæ reliquiæ
B. Annæ Matris Virginis de capite.
Anatoliæ martyris, de capite.
Agnetis Virginis, & martyris.
Agathæ Virginis, & martyris.
Anaſtaſiæ Virginis, & martyris.
Apolloniæ Virginis, & martyris.
} variæ reliquiæ

Bartholomæi Apoſt. pars pedis.
Barnabæ Apoſt. pars cruris.
Benedicti Abbatis. de crure.
Bernardini Confeſſ. de pede.
Blaſii Epiſcopi & mart.
Barbatiani Confeſſoris.
Bonifacij Epiſcopi.
Bonauenturæ Cardinalis
} variæ reliquię
Barbaræ Virginis & martyris. de oſſibus.

Caij martyris Bononienſis, dens vnus.
Chriſtophori martyris. de ſcapulis.
Cyriaci mart. de capite.
Clementis Papæ & mart. de capite.
Cipriani Epiſc. & mart.
Claudij mart.
Cornelij mart.
Creſcentij mart.
} variæ reliquiæ
Catherinæ Virginis & martyris de brachio.
Catherinæ ſororis S. Achatij mart. Velum.
Catherinæ Senenſis.
Ceciliæ Virg. & mart.
Claræ Virginis.
} variæ reliquiæ

Dionyſii Areopagitæ. pars maxillæ.
Dominici confeſſoris. de capite.
Dorotheæ Virg. & martyris, de crure.
Domitillæ Virginis. de oſsibus.

Euſebii martyr. de oſsibus.
Euſtachii mart. de capite.
Eufemiæ Virg. & mart. de oſſibus.
Eulaliæ Virg. & mart. pars cruris.

Fabiani Pap. & martyr. pars capitis.
Felicis Epiſcopi Bononiæ. caput integrũ.
Felicis & Fortunati mart. de oſſibus.
Filippi Apoſtoli pars cruris, & de brachio.
Floriani mart. pars capitis.
Franciſci Confeſſ. de ſanguine ſtigmat. & de veſtibus.

Georgii mart. dens vnus, & de oſſibus.
Gregorii Pap. & eccleſiæ Doct.
Gregorii Nazianzeni.
Geruaſii & Protaſii mart.
} variæ reliquiæ

Hermetis mart. Bonon. de crure.
Hier. presbyteri, & eccleſ. Doct.
Hippolyti martyris.
Helenæ Imperatricis.
} variæ reliquiæ

Iacobi maioris Apoſt. pars digiti.
Iacobi minoris Apoſt. de capite.
Ioannis Apoſt. & Euang. de veſtibus.
Ioannis Chryſoſtomi. de brachio.
Ioannis Damaſceni. dens vnus.
Ignatij Ep. & mart. pars brachij.
Ildefonſi Archiep. Toletan. pars brachij.

Inno-

Innocentium. de ſanguine, & oßibus
Iſidori mart. de oßibus.
Ioſeph ſponſi B. Virg.
Ioannis & Pauli mart. } variæ reliquiæ
Iacobi interciſi mart.

Laurentii mart. pars brachij
Lazari Epiſcopi Maßilien. de oſsibus
Ladislai Regis Vngariæ. de crure
Leonardi confeſſoris. de brachio
Ludouici Regis Francorum. dens vnus.
Lucæ Apoſt. & Euang. de oſſibus.
Luciæ Virg. & mart. } variæ reliquiæ
Liberatæ Virg.

Matthæi Apoſt. & Euang. de pede
Matthiæ Apoſt. de capite, & pars brachii
Marci Apoſt. & Euang. pars brachii
Martini Pap. & mart. pars brachii.
Martini Epiſcopi & Confeſſ. de manu.
Mauritii mart. dens vnus. de brachio, & de ſanguine
Mariæ Magdalenæ. digitus vnus.
Marthæ
Mariæ Salomæ
Mariæ Iacobi } variæ reliquiæ
Mariæ Aegyptiacæ
Margaritæ Virg. & mart.

Nazarij mart. de oßibus
Nicolai Ep. & confeſſ. de oßibus
Nicolai de Tolentino confeſſ. dens vnus.

Petri Apoſt. de oßibus, & ſanguine.
Pauli Apoſt. de brachio.
Pontiani Papæ & mart. pars humeri.
Petri Alexandrini mart. caput integrum
Pantaleonis mart. de capite, & de crure.
Pauli primi Eremitæ. de pede.

Petronij Ep. & confeſſ.
Proculi mart.
Policarpi mart.
Pancratij mart. } variæ reliquiæ
Petri mart.
Peregrini in alpibus
Petronillæ Virg. de crure
Pudentianæ Virg. de capite.

Remigij Epiſc. & confeſſ. pars pedis
Rochi confeſſ. de oßibus
Romani mart. de oßibus.

Simonis Apoſtoli. pars capitis
Stephani protomart. pars cruris.
Sebaſtiani mart. pars capitis.
Sixti Papæ & mart.
Silueſtri Papæ & conf.
Saturnini mart. } variæ reliquiæ
Stephani confeſſ.
Simphoroſæ mart. de crure.

Thomæ Apoſtoli. de capite
Thadæi Apoſt. de oßibus.
Thomæ Ep. Cantuarien. mart. de capite
Theodori mart. de oßibus.
Thomæ Aquinatis confeſſ. pars digiti

Vitalis mart. Bonon. digitus vnus
Viti, & Modeſti. de capite.
Vincentij mart.
Valentini mart. } variæ reliquiæ
Victoris mart.
Victoriæ Virg. & mart. digitus vnus
Vrſulæ Virg. & mart. de capite & ſanguine, vnà cum alijs reliquijs XI. mill. Virg. & mart.

Zephirini Papæ & mart. de crure.

Finis indicis reliquiarum ſanctarum huius poſtremæ ſolemnis Translationis.

DE SA-

DE SACRIS IMAGINIBVS.

IN EXECVTIONEM SACRI CONC. TRIDEN.

Conc. Trid. ſeſſ. 25.

COLLECTOR.

POST Tranſlationes reliquiarum, hic locus tribuendus videretur iis, quæ ab Illuſtriſſimo Cardinali Archiepiſcopo de ſacris imaginibus conſtituta ſunt in ſua eccleſia Bononienſi, quibus emendandis, & debitæ diſciplinæ reſtituendis, Concilium Tridentinum, vehementer Epiſcopos incumbere mandauit.

Cum autem campus hic late nimium pateret, atque hæc pictorũ, aut artificum licentia plus æquo ſe funderet, nec breuibus præceptis poſſet coerceri: ideo præter aſſiduam Viſitatorum, aliorumque miniſtrorum operam, & præter edicta de ipſis ſæpius promulgata, Illuſtriſſimus Archiepiſcopus neceſſarium eſſe exiſtimauit, adhibito peritorum multorum conſilio, vt omnia quæ ad ſacras imagines pertinent, in ſeparato volumine tractarentur. Itaque librum de ſacris imaginibus conſcripſit, primùm vulgari idiomate: deinde cum à doctis viris expeti videretur, in latinum ſermonem verti curauit, vt exteris etiam nationibus communis eſſet. Nos in præſenti capitum præcipuorum indicem inſerendum duximus: ut cum liber ipſe integer adijci nequiuerit, collectio noſtra hac Eccleſiaſticarum rerum parte non careret.

INDEX QVINQVE LIBRORVM DE SACRIS IMAGINIBVS.

Liber I. continet hæc capita.

Cap. 1 Qvidnam in præſenti tractatione quoad abuſus imaginum præcipuè agere ſit propoſitũ, & de ordine in hoc primo libro obſeruando, qui in tres partes diuiſus eſt.

2 Quid hoc imaginis nomine accipiamus.

3 De rebus, quæ in qualibet imagine concurrunt animaduertendæ.

4 De imaginum origine in vniuerſum.

5 An imaginum inſtitutio antiquior libris fuerit, & in quo inter ſe conueniant.

6 Imaginum fingendarum, vel pingendarum ars, an inter nobiles, vel ignobiles ſit numeranda.

7 Quòd ars faciendarum imaginum, ſi ex Chriſtiana diſciplina exerceatur, habenda eſt nobiliſſima.

8 Exempla aliquorum pictorum, & ſculptorum, & aliorum artificum imaginum, qui in ſanctorum, ac Beatorum numerum relati ſunt, aut qui optima, exemplarique vita præter ceteros habiti ſunt.

9 De pictura, & ſculptura, & alijs artibus, quæ in faciendis imaginibus verſantur.

10 Imagines ad duo prima capita referri, vt aut ſacræ ſint, aut profanę.

11 Quænã profanæ imagines dicantur.

12 Quibus ex cauſis imagines profanæ inductæ fuerint.

13 Quid ſint idola, ſimulacra, ſculptilia, & alia huiuſmodi nomina.

14 De idolorum & ſimulacrorũ origine

15 Vnde primum idola, & ſimulacra inuecta in mundum fuerint.

16 Quænam ex imaginibus, ſacræ vocentur.

17 De ſacrorum imaginum origine, & vetuſtate.

18 Quibus ex cauſis in chriſtianũ populũ imagines ſacræ inductæ fuerint.

19 De chriſtianarum imaginum fine vero, & proprio.

20 Quòd imagines chriſtianæ & ſummum Deum, & nos ipſos, & proximum noſtrum reſpiciant.

21 De chriſtiani pictoris, ad exemplum oratorum, officio, & fine.

22 De iucunditate, quæ è chriſtianis imaginibus percipitur.

23 Quòd chriſtianæ imagines ad benè viuendum, populo valde proſint.

24 Ratio-

24 Rationes aliæ, quibus vtilitas illa, quam populus à chriſtianis imaginibus ad benè viuendum haurit, probatur.
25 Quòd Imagines chriſtianæ affectionibus hominum commouendis, & excitandis ſeruiant.
26 Quàm varij, & ſingulares è pijs, & ſanctis imaginibus effectus excitentur.
27 Quantam vim dæmon adhibuerit, vt imagines ſacras è populo chriſtiano tolleret.
28 De auctoritatibus ſcripturæ ſanctæ, ſummorum Pontificum, & Conciliorum, quibus imaginum vſus probatur.
29 Exempla vetera à multis ſcriptoribus Græcis, & Latinis allata, quæ vſum imaginum probant.
30 Quæ ſit ratio verè, chriſtianèque imagines ſacras venerandi: & de cultu, qui illis debetur.
31 In quo chriſtiani, & gentiles differant in imaginibus adorandis.
32 An idem cultus imagini ſacræ debeatur, qui prototypo illius debetur: & an vnus ſit actus.
33 Hoc tempore in ſacris imaginibus adorandis, nullum inter chriſtianos periculum ſubeſſe idolatriæ committendæ.

INDEX
secundi libri
De ſacris imaginibus.

Cap. 1 CVm dæmon imaginum vſum tollere non poſſit, ſaltem abuſibus deprauatum reddere conatur.
2 De rebus quæ pingi, aut non pingi poſſunt, & de huius libri ordine.
3 De picturis ſacris, quæ in ijs peccant, quæ ad fidem pertinent; primum verò de picturis temerarijs.
4 De ſcandaloſis picturis.
5 De picturis erroneis.
6 De picturis ſuſpectis.
7 De picturis hæreticis.
8 De imaginibus ſuperſtitioſis.
9 De picturis apochriphis.
10 De pictura Iouis, Apollinis, Mercurij, Iunonis, Cereris, & aliorum falſorum Deorum.
11 De picturis Sanctorum, & Sanctarũ, aut aliarum rerum, quæ ad religionem pertinent.
12 Profanarum picturarum abuſus; & an illæ inter chriſtianos admittendæ ſint.
13 In eccleſijs non decere picturas profanas.
14 De imaginibus Imperatorum gentilium, aut tyrannorum, aut aliorum, qui chriſtianam fidem inſequuti ſunt.
15 Reſpondetur variis oppoſitionibus de imaginibus Imperatorum gentilium, & aliorum huiuſmodi retinendis.
16 Quænam imagines philoſophorum, oratorum, poetarum, ducum, aut aliorum gentilium admittendæ ſint.
17 De ſtatuis, quas chriſtiani populi Principibus ſuis ponunt, & dedicant.
18 De ſtatuis illis, quas chriſtiani Principes ſibi ponunt.
19 De imaginibus è naturali hominis ſpecie ſumptis, quæ retractus appellantur.
20 De imaginibus, ſiue retractibus aliorum,
21 De amantium imaginibus, & in ijs faciendis, quam rationem pictores inire debeant.
22 De imaginibus hæreticorum.
23 De imaginibus Sanctorum.
24 De profanis picturis, quæ varias res exprimunt, vt bella, prouincias, ædificia, animalia, arbores, plantas, & alia,
25 De abuſibus, qui picturis ſacris, & profanis communes ſunt: & primo de mendacibus, & falſis.
26 De picturis non veriſimilibus.
27 De picturis ineptis, & indecoris.
28 De picturis in proportione peccantibus,
29 De picturis imperfectis.

30 De

30 De picturis vanis, & otioſis,
31 De picturis ridiculis.
32 De picturis, quæ afferunt nouitatem, & ſunt inſolitæ.
33 De picturis obſcuris, quæ intelligi facilè non poſſunt.
34 De picturis indifferentibus, & incertis.
35 De picturis immanibus, & horrendis,
36 De picturis, monſtri & prodigij ſimilitudinem habentibus.
37 De picturis vocatis Crypticis: & an antiquitùs illarum vſus eſſet tantùm in locis ſubterraneis, an etiam in ædificiis eminentibus poſitæ.
38 Vnde originem habuerint picturæ Crypticæ ſecundum varias opiniones.
39 De origine picturarum Crypticarũ rationes aliæ: & cur hoc nomen acceperint.
40 Cur Crypticas picturas adeò veteres, & recentiores amplexi fuerint, & illæ nomen hoc conſeruarint.
41 Crypticas parum hodie cuiliber loco congruere, eccleſiis autem nullo modo.
42 Reſpondetur aliquibus obiectionibus, quæ adduci ſolent ad Crypticas defendendas.
43 De pingendis virtutibus, & vitiis, & quàm difficile ſit illarum imagines referre.
44 Quædam aduertenda ad repræſentandas virtutum, & vitiorum imagines.
45 De Symbolis depingendis.
46 De picturis, quæ vulgo *impreſe* dicuntur,
47 De inſignibus familiarum, quæ vulgo arma domum dicuntur.
48 Quòd inſignia familiarum in eccleſiis non conueniunt.
49 Quare cum in libris ſpiritualibus, auctorum nomina ſine reprehenſione apponantur: in locis, aut picturis ſacris, inſignia familiarum non conueniant.
50 De inſignibus familiarum, quæ in eccleſiis affiguntur, tam quoad auctoris propoſitum, quàm quoad aliorum opinionem, quam concipere poſſunt ii, qui illas ſpectant,
51 Animaduerſiones aliquot in qualibet pictura obſeruandæ, vt vniuerſè poſſit ſatisfacere.
52 Concluſio. quid præcipue neceſſarium iudicetur, vt res quæ pictura exprimuntur, ab omnibus commendentur,

I N D E X
Tertij libri
De ſacris imaginibus.

Cap. 1 DE picturis laſciuis, nec honeſtati congruentibus, quæ eſt præcipua materia præſentis libri.
2 De magna procliuitate naturæ noſtræ ad vitia carnis: & vnde ea oriatur,
3 In quibus conſiſtit obſcœnitas: & quibus regulis poſſit dignoſci.
4 Quàm vehementer odioſa ſit carnis turpitudo, naturæ, legi, & Deo.
5 De damnis, quæ conſequuntur laſciuiam, & fœditatem.
6 De variis cauſis, vnde deriuatur vitium luxuriæ: & ex quibus nutriatur.
7 Quòd ſenſus oculorum, vnum eſt ex præcipuis luxuriæ inſtrumentis.
8 Quantum animæ detrimentum quãdoque attulerit vnicus aſpectus incautus,
9 Quòd vniuerſa mũdi calamitas præcipuum habuit ortum ex aſpectu, & intuitu.
10 De valida impreſſione, quæ in nobis efficitur ex obiectis oculorum.
11 Quòd ſtatuæ, & imagines virorum, & fœminarum præ ceteris habent magnam vim ad mouendos ſenſus noſtros.
12 De cuſtodia oculorum aſſiduè retinenda, ne conſpiciant res laſciuas.
13 Auctoritates ſcriptorum gentilium reprehendentium obſcœnas imagines.

14 Teſti-

14 Teſtimonia ſanctorum Patrum, qui damnarunt fœdas picturas.

15 Auctoritates conciliorum, quæ eaſdem improbarunt.

16 De figuris, ſiue picturis nudis: & quanto ſtudio à caſtis oculis ſint auertendæ.

17 Rationes variæ, quare imagines nudæ Chriſtianos non deceant.

18 Teſtimonia, & exempla contra prauum vſum effingendi nudas imagines.

19 Quales ſancti: & qua circunſpectione, aliqua ex parte corporis, poſſint nudi exhiberi.

20 Non licere denudare aliquorum corpora, ſpecie ad viuum ea magis exprimendi.

21 Quòd ſub Sanctorũ imaginibus non liceat faciẽ aliquorum hominum exprimere: & multò minus, ſi eiuſmodi ſint, vt poſſint ad libidinem prouocare.

22 Excuſationes artificum, cur exprimãt imagines nudas, aut laſciuas, aut cum geſtibus parùm honeſtis.

23 Reſponſiones ad ſuperiores obiectiones.

24 Aliæ item reſponſiones, oſtendentes nulla ratione excuſari poſſe, qui exprimũt res fœdas, & obſcœnas.

25 Artificis induſtriam, & laudem æquè oſtendi poſſe in imaginibus veſte tectis, ac in nudis; imo ex aliquorum ſentẽtia, meliùs etiam, ac clariùs in illis, quàm in iſtis.

26 Narrantur ex auctoribus grauibus quidam effectus pernicioſiſſimi, ex conſpectu obſcęnarum imaginum orti.

27 Quare tolerentur meretrices, nec tamen permittendæ ſint inhoneſtæ imagines.

28 Quantum boni, & commodi mundo afferre poteſt pictor ſtudioſus honeſtatis, & deuotionis.

29 Quantum damni emergat à pictore vitioſo, & prodigo honeſtatis.

30 Concluſio rerum præcedentium coniuncta cum laude honeſtorum, & dedecore impudicorum pictorum.

I N D E X

secundi libri

De ſacris imaginibus.

Cap. 1 De picturis ſingulorum ſanctorum, ſecundum ordinem Litaniarum.

2 De pictura Dei Patris.

3 De Imagine Dei filij, qui eſt Chriſtus Saluator noſter: & de quibuſdam ſacris myſterijs ipſius.

Et primùm de Natiuitate Saluatoris:

De Circunciſione; & impoſitione nominis Ieſu: & quo pacto hoc nomen formandum, aut effingendum ſit.

De adoratione Magorum.

De præſentatione in templum, ſiue de Purificatione.

De fuga in Aegyptum.

De diſputatione in templo, quando inuentus fuit à parentibus.

De infantia, & reliqua ætate vſque ad 33. annos.

De figura faciei, & vultu Saluatoris.

De Nuptijs in Cana Galileæ.

De diuerſis miraculis Saluatoris.

De ingreſſu eius in Hieruſalem, & ſolemnitate Palmarum.

De Cæna Domini.

De Magdalena lachrymis rigante pedes Domini.

De lotione pedum Apoſtolorum.

De flagellis, & Corona ſpinea.

De affixione eius in cruce.

De Lattonibus, & Caluario.

De ſepulchro, & cuſtodia.

De vnctione exhibita à tribus Mariis.

De Sindone, qua inuolutum eſt Corpus Domini.

De Reſurrectione, & Apparitione Domini.

4 De modo pingendi ſpiritum ſanctum Deum.

5 De pingenda ſanctiſſima Trinitate.

6 De pictura glorioſæ Virginis Dei Matris.
De eiuſdem Conceptione, & Natiuitate.
De Annunciatione.
De Viſitatione.
De forma, habitu, & ſtatura Beatæ Virginis.
De ſpaſmo iuxta crucem.
De Morte, Aſſumptione, & Coronatione illius.
De varijs imaginibus, quæ dicuntur factæ fuiſſe à ſancto Luca.
De admirabili, & ſacratiſſima domo Beatæ Virginis Lauretanæ.
7 De picturis Angelorum, & habitu, & inſignibus eorum.
De Angelo Michaele.
De Angelo Gabriele.
De Angelo Raphaele.

8 De Imaginibus Patriarcharum, & Prophetarum.
De Adamo, & Eua.
De Abraham, Moyſe, & Dauid.
De S. Io. Baptiſta.

9 De pingendis imaginibus Apoſtolorum cum eorum habitu, & inſignibus.
De S. Petro.
De S. Paulo.
S. Andrea.
S. Iacobo.
S. Ioanne.
S. Thoma.
S. Iacobo minore.
S. Philippo.
S. Bartholomæo.
S. Matthæo.
S. Simone.
S. Thadæo.
S. Matthia.
10 De figuris Euangeliſtarum, & eorum habitu, & inſignibus.
De S. Matthæo.
S. Marco.
S. Luca.
S. Ioanne.
11 De modo pingendi ſanctos Innocentes.
12 De picturis Martyrum, & eorum inſignibus: & variis generibus Martyriorum.
S. Stephani.
S. Laurentii.
S. Vincentii.
SS. Fabiani, & Sebaſtiani.
SS. Ioannis, & Pauli.
SS. Coſmæ, & Damiani.
SS. Geruaſii, & Protaſii.
SS. Vitalis, & Agricolæ.
S. Proculi, vnius ex Protectoribus ciuitatis Bononiæ.
13 De picturis Confeſſorum, vnà cum habitu eorum, & inſignibus.
De Confeſſoribus Pontificibus.
S. Sylueſtro.
S. Gregorio.
S. Petronio Epiſcopo, & Protectore Bononiæ.
S. Ambroſio.
S. Auguſtino.
S. Hieronymo.
S. Martino.
S. Nicolao.
14 De imaginibus Confeſſorum non Pontificum.
S. Benedicti.
S. Antonij.
S. Bernardi.
S. Dominici, vnius de protectoribus Bononiæ.

15 De picturis ſacrarum Virginum, & aliarum ſanctarum fœminarum.
S. Mariæ Magdalenæ.
S. Agathæ.
S. Luciæ.
S. Agnetis.
S. Ceciliæ.
S. Catherinæ.
S. Anaſtaſiæ.
16 De repreſentanda imagine Paradiſi.
17 De Limbo, Purgatorio, & Inferno.
18 De imagine diaboli.
19 De exprimenda figura Iudicij extremi.

IN-

INDEX

Quinti libri

De ſacris imaginibus.

cap. 1 ADmonitiones in vſum Parochorum, pro depingendis ſuis eccleſijs, Oratorijs, & Cappellis.

2 Quòd picturis ſacris conueniunt ornamenta pretioſa, aurea, & cetera eius generis ob maiorem venerationem.

3 Exempla antiquorum, qui ornarunt eccleſias ſacris imaginibus, ſeu pictis, ſeu ſculptis, ſeu moſaico opere, ſeu alio pretioſo artificio.

4 De locis, in quibus conueniat, vel non conueniat, effingi imagines ſacras, & de fraude hæreticorum circa hanc rem.

5 De votis, quæ offerūtur in eccleſijs, & quid circa illa oporteret obſeruari.

6 De ceteris rebus, veluti Armis, Inſignibus militaribus, Nauibus, Crocodilis, cornibus Ceruorum, Onocrotalis, ouis Struthionum, Animalibus peregrinis, & aliis eiuſmodi, nunquid conueniat poni in eccleſiis.

7 De ſepulchris mortuorum, & modo depingendi illa.

8 De Oratoriis, ſacellis, Crucibus, & aliis picturis ſacris, quæ fiunt extra eccleſiam maiorem in viis, & aliis publicis locis, intra, vel extra ciuitatem.

9 De ædibus Canonicorum, & domibus curatorum.

10 De monaſteriis Religioſorum, clauſtris, refectoriis, locis capitulorū, & cellis ſingulorum.

11 De modo pingendi Hoſpitalia, confraternitatum loca, & alia pia, & de ipſorum inſignibus, & vexillis.

12 Quo pacto palatia Magiſtratuum, aulæ publicæ audientiæ, & loca Senatuum, ſiue Conciliorū eſſent adornanda.

13 De ratione depingendi academias publicas, bibliothecas, gymnaſia, & loca priuata ad vſum librorum.

14 Qua ratione picturis ornandi ſint arcus, trophæa, & huiuſmodi alia, ad excipiēdos Principes cum triūphis, & feſtiuitate, ſeu lætitia publica.

15 Animaduertenda nonnulla in effingendis plantis, arboribus, auibus, piſcibus, animalibus, & rebus ſimilibus.

16 Quomodo oporteret picturis decorare hoſpitia, intra ciuitatem, aut extra.

17 Domus priuatæ ſingulorum quomodo eſſent depingendæ, & ornādæ.

18 Quòd omnis capax domus, tam in ciuitate, quàm in villis deberet habere aliquod oratorium, aut cappellam ad vſum familiæ.

19 Quid obſeruandum ſit circa imagines antiquas, iniuria temporis deletas, aut obſcuratas.

20 De pœna infligenda iis, qui iniuril ſunt in imagines, & ad quem iudicem eius rei cognirio pertineat.

21 Animaduerſiones generales ad vſum artificum, vt poſſint facere imagines prudenter, ac Chriſtiano ſiue religioſo more.

22 An liceat in die feſto pingere aliquā imaginē ſacram in vſum eccleſiæ.

23 Cautiones quædam in futurum à pictoribus Chriſtianis adhibendæ, cupientibus rite, vt oportet, exercere artem ſuam.

24 De variis, & grauiſſimis erroribus, in quos labuntur mali pictores.

25 De modo ſacræ confeſſionis à pictoribus faciendæ: cum quibuſdam interrogationibus, vnde meliùs agnoſcere valeant errores ſuos, & purgare eorum conſciencias.

26 Quid curare debeant Magiſtratus, ſeu ſuperiores tam ſpirituales, quàm temporales, Præfecti ordinum, patres familiarum, magiſtri artium, & quilibet alius pro viribus, ad euellendos abuſus prauarum imaginum.

27 Qua diligentia vti debeant permulti artifices, qui exercent ſe in conficiendis figuris, cuiuſmodi ſunt impreſſores, vitrarii, aurifices, cælatores, figuli, & qui faciunt cotylas, ſpecula, ventilabra, ſeu vannos, aulæa ex corio, pannos textos acu: nec non plumarii, ſeu pbrygiones, textores, & alii artifices, vt abuſus ipſorum ablegentur.

28 Ordines in futurum retinendi in ciuitate, & diœceſi Bonon. quoad omne genus figurarum, tàm in eccleſiis, quàm etiam vbique in aliis locis.

29 Auctores qui ſcripſerunt de imaginibus, tum pictis tum ſculptis, iuxta variam eorum diſciplinam.

30 Concluſio totius operis cum nonnullis animaduerſionibus ad lectores.

Finis indicis librorum quinque de ſacris Imaginibus.

DE SANCTA ORATIONE.

COLLECTOR. *CVM orationis fructus latiſſime pateat, vt ſacræ literæ, pluresque Commentarij de ipſius laudibus conſcripti edocent, inter præcipua paſtoralis ſollicitudinis munera, illud ſane ponendum eſt, vt oratio in fidelium cœtu frequentetur.*

Cum autem ipſa nullum excludat tempus, aut locum, aut perſonam, aut actionem, aut modum, aut ordinem: vnde & varia nomina ſumit pro actuum varietate: & eſt ſacrificium, ſunt horæ Canonicæ, ſunt pſalmodiæ, ſunt ſupplicationes, ſunt peregrinationes: item eſt publica oratio, eſt priuata, eſt multorum ſimul, & ſingulorum: eſt vocalis, eſt mentalis: ſunt obſecrationes, orationes, poſtulationes & alia: item oratur genibus flexis, ſtando, vnde ſtationes: procedendo, vnde proceſſiones: gratias agendo, & celebrando diuinas laudes, vnde hymni, & cantica.

Idcirco cum per Dei gratiam nullum ſit orationis genus, quod in vrbe, & diœceſi Bononiæ ſuis temporibus locum non habeat, quodque non omnibus ſit notum & frequens; & ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo plurimis auxilijs auctum; exiſtimauimus ſuperuacaneum eſſe, in hoc collectionis opere, huiuſmodi res, quæ in vſu & notitia omnium ſunt, collocare: ſed tantummodò inſigniora quædam, & quæ fortaſſe magis particularia ſunt eccleſiæ Bononienſis, afferri oportere.

Ponemus igitur primò orationem publicam à Gregorio XIII. Illuſtriſſimi Cardinalis Archiepiſcopi opera, per Apoſtolicum Breue Bononiæ inſtitutam: quæ magno pietatis, & deuotionis affectu omnibus diebus feſtis continuatur: & diuerſæ eccleſiæ ad eam habendam, aliæ maribus, aliæ fœminis ſeparatim deputantur.

Deinde orationem, quæ dicitur, Veſpertina, *quæ pariter à Gregorio XIII. eiuſdem Illuſtriſſimi Cardinalis opera Bononiæ eſt inſtituta.*

Tum orationem quæ dicitur, pro defunctis.

Poſtremo orationẽ quæ dicitur in Septuageſima *vſque ad tempus Quadrageſimale, quã inſtituere ſolet quotannis Illuſtriſſimus Archiepiſcopus: vt eo præſertim bacchanalis inſaniæ tempore, diaboli furentis callidis artibus, huius ſanctæ exercitationis præſidio à fidelibus occurratur.*

Qui a verò peregrinationes etiam, inter orationis ſpecies connumerari poſſunt, quemadmodum & proceſſionis; poſt hæc omnia ſubiungemus plura, quæ ad Iubilæum pertinent, tam

Romæ

Romæ, quàm Bononiæ ſuſcipiendum, quæ paterno zelo Illuſtriſſimus Archiepiſcopus, vt cum ſpirituali fructu quam maximo ſuſciperetur, ſuis populis præſcripſit: nam licet hæc actio non ſit frequens, eam vnam ob cauſam, quia ſingularis eſt, & non vulgari apparatu indiget, vt rite perficiatur: hic illi locum tribuere voluimus.

INSTITVTIO ORATIONIS

Publicæ continuandæ.

Omnibus feſtis diebus in ciuitate Bononiæ.

ILluſtriſſimus & Reuerendiſſimus D. Cardinalis Palæotus Epiſcopus Bononiæ: vt debitæ Deo gratiæ reddantur, ob vrbem hanc à ſæuiſſimæ peſtilentiæ cōtagione ſeruatam, quæ ad hoc vſque tempus per totam ferè Italiam graſſata eſt, & incredibili ſtrage plures ipſius ciuitates deuaſtauit; vtque Chriſti fideles eò magis accendantur, ad preces Deo deuotè effundendas omnium bonorum largitori, beatæque Mariæ Virgini, ac beato Petronio, ſanctiſque omnibus, qui pro nobis intercedere dignati ſunt: tantumq. periculum hinc in poſterum etiam arcere dignentur, quò propinquius illud fuit: & inter ceteras vrbes, quæ Dei flagello ſunt percuſſæ: hęc vndiq. cōtagioſis populis cincta, nō ſolum incolumis, ſed etiam tranquilla diuina benignitate permanſit: præter varias ſupplicationes, orationes, aliaſque pias exercitationes habendas à religioſis, parochis, & à quocunque hominum gradu, tam hic Bononiæ, quàm in diœceſi, ab eodem Illuſtriſſimo D. Archiepiſcopo præſcriptas: hic præſertim inſtiruendam eſſe cenſuit; & curauit aliam orationem publicam, quæ diebus feſtis fiat, & continuetur ab ortu, vſque ad occaſum ſolis, in varijs eccleſijs, pro viris, & pro mulieribus ſeparatim diſtributis; quæ quidem eccleſiæ mutabuntur ſingulis feſtis diebus in ſingulis regionibus, ſeu quarterijs, quemadmodum admonebitur.

Quare idem Illuſtriſſ. Archiep. paternis viſceribus, totoque animi affectu hortatur enixè omnes fideles ciuitatis huius: vt ſanctum hunc orationis vſum introducant, amplecrantur, frequenterque deuote, & humiliter perſequantur: peccara hoc præſertim tempore fugientes: à luſibus, choreis, fabuloſis colloquiis, aliiſq. abuſibus tanquam à bonorum morum peſte abſtinētes, ne Dei ira, quā ſua miſericordia erga nos huc vſq. contexit, inter tot eccleſiæ militantis anguſtias, tanquam ſuper ingratiſſimos, omnibuſque malis digniſſimos cadat, niſi & oremus, & conuertamur.

Indulgentia quæ conceditur in omnibus eccleſiis, in quibus oratio publica habebitur.

GREGORIVS PAPA XIII.

VNiuerſis Chriſtifidelibus præſentes literas inſpecturis ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Deſiderantes cunctorum Chriſtifidelium animarum ſalutem, ea libenter concedimus, per quæ piis operibus ſalutem ipſam, & conſcientiæ pacem Deo propitio valeant promereri. Cum itaq. ſicut accepimus, dilectus filius noſter Gabriel tit. S. Martini in mōtibus presb. Card. Palæotus nuncupatus, eccleſiæ Bonon. ex diſpenſatione apoſtolica Præſul, hoc periculoſo contagioſi morbi tempore vnam orationem ſingulo quoque die feſto, in vna pro maſculis, & in altera eccleſiis Bonon. pro fœminis, recitandam introduci, & eccleſias prædictas ſecundū dies feſtos incidētes variari deſideret: & vt Chriſtifideles eo libentius deuotionis cauſa ad dictas eccleſias confluant, quò ſe exinde dono cæleſtis gratiæ vberius cōſpexerint eſſe refectos. De *omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorū Petri & Pauli apoſt. eius auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui dictas eccleſias, quas dictus Gabriel Card. & pro tempore exiſtens Ep. Bonon. duxerit eligendas, reſpectiue diebus ad id deputatis, ab ortu vſque ad occaſum ſolis dictarum feſtiuitatū deuote viſitauerint, & inibi pias ad Deum preces pro liberatione tā Bononiæ, quàm aliarū Chriſti-*

ſidelium ciuitatum à peſte huiuſmodi, & aliàs prout vnicuique ſuggeret deuotio ſuderint, pro qualibet vice, qua id ſecerint centum dies de eis iniunctis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs, miſericorditer in Domino relaxamus. Præſentibus, durante peſtis ſuſpitione dumtaxat valituris.

Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 30. Auguſti MDXXVI. Pontificatus noſtri anno Quinto.

Cæſar Glorierius.

Ratio quæ adhiberi debebit in hac Oratione facienda.

CONtrito, & humili corde vnicuique ad hanc Orationem accedendum eſt, atque ea deuotione, dum orat vrendum: vt non ſolum alij minime perturbētur, ſed etiam maxime ædificētur.

Oratio fiet cuiuſcunque arbitrio, ſiue vocalis, ſiue mentalis: & recitari poterũt inter cetera, ſeptem pſalmi pœnitentiales, Corona, ſeu Roſarium totum, ſiue aliqua pars, prout vnicuique videbitur.

Orabunt pro neceſſitatibus in Breui à S.D.N. expoſitis, eoq. temporis ſpatio breuiore, ſeu longiore, quo vnuſquiſque poterit.

Rector ſiue curator eccleſiæ, in qua oratio faciẽda erit, altare decẽter ornabit: in cuius medio ſanctiſſimum Sacramentum populo expoſitum erit, luminibus pluribus vndique accenſis.

Illud verò eidem eſt animaduertendũ, vt diſtribuat ſingulas horas diuerſis perſonis in ſua eccleſia: & Oratio continua ſit, neque deſit vnquam qui oret.

In eccleſijs verò quæ mulieribus aſſignatæ ſunt, Moniales etiam intra clauſtra hanc horarum diſtributionem obſeruabunt, ne eo die vllo temporis momento deſint orantes.

Vtentur libellis iã editis iuſſu Illuſtr. D. Card. Iubilæi tempore, veluti de Oratione 40. horarum, de myſterijs Roſarij, de Paſſione, de modo confitendi peccata, & ceteris huiuſmodi, qui cuiuſque deuotioni magis aptabuntur.

Ordo eccleſiarum in quibus oratio facienda erit, & dierum per totum menſem .N. à quo tempore dies & eccleſiæ aliæ præſcribentur.

Eccleſiæ pro maſculis.	*Dies Feſti.*	Eccleſiæ pro mulieribus.
S. Mariæ maioris.	S. Bartholomæi Apoſtoli.	*Moniales Corporis Chriſti.*
S. Martini maioris.	V. Dominica Auguſti.	*Moniales S. Felicis.*
S. Gregorij.	I. Dominica Septembr.	*Moniales S. Petri martyris.*
S. Proculi.	Natiuitatis B. Virginis.	*Moniales S. Vitalis.*
S. Mariæ ſeruorum.	II. Dominica Septembr.	*Moniales S. Magdalenæ.*
S. Iacobi.	III. Dominica Septemb.	*Moniales S. Mariæ nouæ.*
S. Franciſci.	IIII. Dominica Septemb.	*Moniales S. Laurentij.*
S. Dominici.	S. Michaelis Archangeli.	*Moniales S. Gulielmi.*
S. Ioannis in monte.	V. Dominica Septembr.	*Moniales S. Agnetis.*
S. Georgij.	S. Petronij.	*Moniales S. Leonardi.*
S. Mariæ gratiarum.	I. Dominica Octob.	*Moniales Sanctiſſimæ Trinit.*
S. Saluatoris.	II. Dominica Octob.	*Moniales S. Chriſtinæ.*
S. Stephani.	S. Lucæ.	*Moniales S. Io. Baptiſtæ.*
S. Barbatiani.	III. Dominica Octob.	*Moniales S. Catherinæ.*
S. Luciæ.	IIII. Dominica Octob.	*Moniales S. Matthiæ.*

Dat. Bonon. in Epiſcopali Palat. die 21. Auguſti. 1576.

N. Vicarius generalis de mand.

INSTI-

INSTITVTIO ORATIONIS Veſpertinæ in communi faciendæ.

Breue Sanctiſs. D. N. Gregorij xiij. Pont. Max.

GREGORIVS PP. XIII.

VNiuerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus Ciuitatis, & Diœceſis, & Comitatus Bonon. præſentes literas inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Sanctæ orationis inſtitutum, per quam ad Deum patrem miſericordiarum confugimus, atque eidem corda noſtra effundimus, cum omni tẽpore Chriſtianis omnibus ſit perquàm neceſſaria: tum verò in rebus aduerſis, & cum eos vndique mala perturbent, eò frequentius ab eiſdem oportet exerceri.

Nos itaque conſiderantes, Chriſtianam religionem his temporibus vehementer ſæuis hæreſum miniſtris agitari, & immaniſſimos Turcas Chriſtiani nominis hoſtes maiora in dies aduerſus nos damna moliri: aliaque innumera pericula Catholicis nationibus quotidie imminere; non ceſſamus pro tot periculis, & tempeſtatibus depellendis, Vnigenito Dei filio preces tanquam ſalutaria remedia offerre; atque idem cupimus ab omnibus fidelibus in toto Chriſtiano orbe, & Ciuitate noſtra Bonon. ex cuius gremio nos ſuperna bonitas, peregrinationis noſtræ curſum inchoare voluit, ſine intermiſſione fieri optantes; hanc quæ nobis Mater, Filiaque data eſt, ſpecialibus in Domino gratijs fulgere, & ceteras poſt almam Vrbem ciuitates, religione, moribus, & deuotionis zelo antecellere.

Quapropter hortamur in primis Patres familiàs eiuſdem Ciuitatis, & diœceſis, nobileſque viros, vt quò magis eos Pater cæleſtis honorum amplitudine, aut ſcientia exornauit; ſic primos ſe, atque aliorum duces in tam ſancto opere amplectendo, ad nominis eius gloriam præbeãt. Et quoniam quæ à pluribus ſimul collectis fit oratio, tanquàm manu militum facta, maiores apud Deum vires habere, ac veluti carbones in vnum collecti, ardentiorem ſolent flammam excitare. Nos Populum noſtrum Bononien. prædictis ſpecialibus indulgentiarum muneribus, ad communem huiuſmodi orationem frequentandam, eò largiùs inuitandum decreuimus.

Cupientes igitur vt ſingulis diebus dato certo campanarum ſigno, Patres familiàs, tã in prædicta ciuitate, quàm in Diœceſi, & Comitatu Bonon. vnà cum reliquis qui de familia ſunt, ſuæ quiſque domi ad orandum in locum vnum conueniant.

De omnipotentis Dei, cuius Vicarium in terris gerimus, miſericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, tam in Ciuitate, quàm in Diœceſi, ac in Comitatu Bonon. prædictis conſtitutis, humili & contrito corde ad Deũ conuerſis, qui datis campanæ ſignis, certo eo temporis ſpatio à dilecto filio noſtro Gabriele tituli ſancti Martini in montibus presbyteros Cardinali Palaoto eiuſdem Bonon. Eccleſiæ Epiſcopo deſcribendo, orationi vacauerint: necnon & prædicando, & alios cohortando eius orationis fautores, & ſollicitatores fuerint, quoties id fecerint dies centum: qui verò ſingulis diebus per totam hebdomadam ad præſcriptum illius temporis ſpatium, in ea orando exercitatione perſeuerauerint, ijs annum; præterea, qui per mẽſem, illis annos tres, & totidem quadragenas de iniunctis, vel aliàs quomodolibet debitis pænitentijs: qui autem ſalutaris huius inſtituti vſum retinuerint, vel legitimo impedimento id facere non potuerint, ſi contriti, & confeſſi die feſtiuitatis S. Petronij ſacrum Euchariſtiæ Sacramentum deuotè ſumpſerint, ijs plenariam omniũ, & ſingulorum peccatorum ſuorum indulgentiam, ac plenariam etiam in articulo mortis miſericorditer in Domino elargimur.

Quodque per annum continuum ſingulis diebus lunæ in communi orantes, pſalmũ De profundis, pro anima cuiuslibet fidelis, qui in Charitate deceſſerit: & tam veſperi, quàm die feſtiuitatis omnium Chriſti fidelium defunctorum, officium mortuorum, ſeu ſi legere ignorauerit, bis coronam beatæ Virginis recitauerit, vt ipſa anima de theſauro Eccleſiæ Indulgentiam conſequatur, atque à pœnis Purgatorij quantum diuinæ bonitati placuerit, per-

rit, per-

rit per modum ſuffragij liberetur, pariter concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Dat. Romae apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die iij. Martij 1576. Pontific. noſtri Anno quarto.

Caeſ. Glorierius.

Sequitur promulgatio breuis Apoſtolici, adiuncta ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo in modum literarum paſtoralium ad Clerum & populum ſuum Bonon.

INter cetera ſanctae Orationis genera, quae Chriſtus Dominus noſter Patris aeterni ſapientia, in Eccleſia ſua inſtituit: vt omni loco, & tempore neceſſitates & miſerias, quibus in hac lacrymarũ valle premimur, illi explicare: ab eoque qui factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis nos dilexit, auxilium implorare: & quodammodo è terris ad caelum, expeditum nuntium mittere poſſimus; nemini dubium eſt dilectiſſimi, eam praecipuè orationem eſſe, quae fit à pluribus in vnum aggregatis, & charitatis vinculo coniunctis: cum ipſe Dominus nobis dixerit, *Vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.*

Quamuis autem cuiuſcunque preces vbicunque Deo in ſpiritu humilitatis, & contritionis porrectae, ab ipſius ineffabili miſericordia exaudiantur: vt legimus in ſacris literis, de Iona in ventre Ceti, de Iob in ſterquilinio, de Daniele in lacu leonum, de tribus pueris in fornace ignis ardentis: praeter alios plurimos, qui in carceribus, in ſpeluncis, in deſertis locis, à diuina bonitate per orationem quicquid iuſtè petierunt, impetrare potuerunt.

Tamen quemadmodum ignis ex pluribus carbonibus ſimul collectis vehementior accenditur: nauiſque plurium inſtrumentorum, & remorum opera tutior, & celerior fertur; ita etiam plurium fidelium oratio, vinculo illo pacis vnioniſque validior, & efficacior reddita, ad diuinae maieſtatis thronum faciliùs peruenit: cum ſcriptum ſit, per ipsã tanquam manu militum facta, vim Deo inferri. *Et non pariter* (inquit S. Io. Chryſoſtomus) *exoras, cum ſolus Dominum obſecras, atque tuis cum fratribus: eſt in hoc plus aliquid, videlicet concordia, conſpiratio, copula amoris, & charitatis clamor felici ſocietate: ex qua orationes infirmiores, ſe ſimul complexae, validiores in caelum euehuntur.* Idem verò, & in humanis rebus contingere videmus, cum populi totius preces magis, quàm vnius hominis, Principem commouere, & ad miſericordiam inclinare experiamur.

Cum autẽ vbi maiora pericula ſunt, illic in primis remedia efficaciora exquirere debeamus, Chriſtianaque reſpublica his turbulentiſſimis temporibus vbique plurimum afflicta: & praeſentibus malis prematur: & futura, quę iam impendent, perhorreſcat: non ſolum ab haereticis vndique circundata, belliſque infidelium petita; ſed etiã aliarum prouinciarum, & Regnorum ſeditionibus iactata; & quod peius eſt peſte, & fame pluribus in locis ita laborans: vt vindicem Dei dexteram, iramque illius ob peccata noſtra, quorum non eſt numerus, in nos conuerſam eſſe videamus. Nunc praeſertim dilectiſſimi ad Orationis huius auxilium confugiendum eſt, nunc ea frequentiùs vtẽdum tanquam mediatrice, quae Deum placet: vt non ſecundum peccata noſtra faciat nobis, ſed ſecundum multitudinem miſerationũ ſuarum, furorem ſuum à nobis auertere dignetur. Atq. eò magis in eã omni deuotione nobis incumbendum eſt, quò maior occaſio ſeſe nobis offert, de aeterna gloria benemerẽdi. Nam vt ad eam vos accenderet ſanctiſs. Gregorius xiij. ſalutis veſtrae vigilantiſſimus cuſtos, indulgentiarum theſauros aperuit, & paterna charitate ijs elargitur, qui ſanctum hunc orationis communis inſtitutum amplectentur, & perſequentur.

Quia verò totius populi multitudo vnum in locum vbi oret, conuenire facile

cile non poteſt, placuit ſanctitati ſuæ, vt vna mente, vnoq. ſpiritu conueniant in ſingulis domibus eodem tēpore, & à patribus familiàs, ſiue Superioribus congregentur; qui exemplum præſtabunt: & in hac ſanctiſſima actione præſentes exemplo ſuo non ſolum inuitabunt, ſed etiam vt certatim omnes familiares ad eam accurrant, efficient.

Atque cum in primis cupiat ſummus Pontifex, vt hæc potiſsimùm noſtra Ciuitas, in qua ipſe ſuæ humanæ peregrinationis initium habuit, inter alias religione, morum ſanctitate, pietate, ceteriſque virtutibus ſplendeat; paternis viſceribus totum hunc populū vehementer hortatur, vt ſanctæ huius orationis priſtinam conſuetudinem in ſuam domum vnuſquiſque introducat, & præcipue à nobilibus, ditioribuſque ciuibus requirit: vt quò magis opibus, honoribus, & auctoritate abundant: eò ſe gratiores Deo bonorum omnium largitori præbeant: & orationem hanc omni ſtudio, & ſollicitudine à ſeruis, filiis, aliiſq. miniſtris, qui apud ſe ſunt, prætermitti nullatenus patiantur.

Nos igitur vt exequamur, quæ de ea ſummus Pontifex in ſuo apoſtolico diplomate præcipere dignatur, ipſum diploma, & quæ ſequuntur, edenda ſtatuimus: omnes fideles Ciuitatis, & Diœceſis noſtræ enixe in Domino orantes, vt tanta charitate omnia accipiant, eaque deuotione expleant: vt feruens initium, quod erit ipſo Dominicæ Annunciationis die, feruentiſsimo fine in Dei gratia cōcludant, & ad vitam æternam intercedente beatiſsima Dei Genitrice Virg. Maria, perduci mereātur.

ORDO SERVANDVS in ſingulis domibus ciuitatis, & diœc. Bononien.

Pro oratione Veſpertina in communi facienda.

IN primis mandamus, vt Superior cuiuſcunq. eccleſię tàm ſecularis, quàm regularis etiā parochialis, in qua ſignū ſalutationis Angelicæ veſperi pulſari ſolet, ſtatim atque ſignum Cathedralis audiet, ipſe etiam eādem ſalutationem Angelicam pulſari faciat: & poſt illud ſignum immediate, decē aut duodecim campanæ ictus adijciat, aliquo inter ipſos poſito interuallo, qui quidem ictus, orationis communis tempus nunciabunt.

His campanæ ictibus auditis, quilibet paterfamiliàs, in Oratorium ſi aderit, aut eo deficiente, in cubiculum ante imaginem ſacram ad id accommodatā cum tota familia conueniat: vbi genuflexi omnes orabunt, vt infra dicetur.

Si in aliqua domo patrifamiliàs expedire videbitur, vt maſculi à fœminis ſeparatim orent, id agere poterit, dummodo eadē hora tam à maſculis, quàm à fœminis oratio fiat, curabitque omnino ne vllum intereſſe prætermittat, tam ſi filij ſint, quàm famuli, aliique qui in ea domo commorantur; memor ſibi tamquam capiti omnium membrorum, & totius familiæ rationem reddendam eſſe.

Atque vt iis etiam fidelibus conſulatur, qui pro vario vocationis genere, variis etiam occupationibus, & negociis diſtenti ſunt, patresfamiliàs ſuo quique commodo poſt tempus etiam prædictū, ſignumque vt ſupra datum, orationem facere poterunt ante cœnam alia hora, familiaribus, domeſticiſque ad eandem campanula conuocatis.

SVMMARIVM INDVLGENTIARVM.

QVicunque ad ſignum ſalutationis Angelicæ, aut campanula vt ſupra, ante cœnam, huiuſmodi orationem in communi facient: quique aut prædicatione, aut hortatione eam promouebunt, quotieſcunque id agent, centum dies Indulgentiæ conſequentur.

Qui ſingulis diebus per totam hebdomadā ad præſcriptum illius temporis ſpatium, in ea orando exercitatione perſeuerauerint, annum Indulgentiæ conſequentur.

Qui per menſem integrum idem agent, Indulgentiam ſex annorum, & totidem quadragenarum ex pœnitentijs ſibi impoſitis, aut alio quouis modo debitis conſequentur.

Qui verò hanc orationem facere conſueuerunt, vel aliquo legitimo impedimento detenti, id facere non potuerint: ſi contriti, & confeſſi, die Feſtiuitatis S. Petronij Epiſcopi, & Protectoris noſtri ſacrum Eucharistia ſacramentum deuote ſumpſerint, plenariam omnium, & ſingulorum peccatorum ſuorum etiam in articulo mortis, Indulgentiam conſequentur.

Item, qui huius ſancti instituti vſum retinuerint, & qualibet ſecunda feria per integrum annum pſalmum De profundis, *dicent: & tam in vigilia ad Veſperas, quàm in ipſo die commemorationis fidelium defunctorum, officium mortuorum recitabunt, animam per modum ſuffragij à Purgatorij pœnis liberabunt: qui verò legere ignorabunt, ij coronam B. Virginis loco Officij mortuorum bis dicenda erit, vt hæc conſequantur.*

Quid agendum eſt ſtatuto orationis tempore, vt Indulgentias prædictas fideles conſequantur ad præſcriptum eiuſdem Breuis.

IN primis omnes, & ſinguli contrito corde Deum orabunt.

Oratio ad illud tẽpus durabit, quod à nobis præſtituetur: quod tamen hiſce initijs, vt faciliùs vnuſquiſque huic piiſſimo operi vacet, ſufficiet, dũ quinquies recitetur oratio Dominica, & ſalutatio Angelica.

Quamuis autem qui, vt dictum eſt quinquies orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam recitabunt, Indulgentiam conſequẽtur: tamen paternè omnes hortamur & monemus, vt alias etiam preces adhibeant, & longius temporis ſpatium in oratione conſumant, præſertim in vigilijs feſtorum dierum, & cum die ſequenti communicare debebunt, ad indulgentias conſequendas.

Hortamur etiam, & monemus patres familiàs: vt præter ea, quæ ex obligatione dicere tenentur, litanias adiungant, aut interdum coronam, pſal. *Miſerere mei Deus*, cum oratione pro peccatis, & oratione ſancti Spiritus admiſceant, aliaſque orationes, dummodo ſpatium illud temporis, quo quinquies *Pater noſter*, & *Aue Maria*, deuote recitari præſcribitur, non minuant.

Hortamur inſuper eoſdem omnes, & ſingulos, vt hanc orationem his, quæ ſequuntur, eccleſiæ ſanctæ neceſſitatibus omni deuotione, & ſpiritus feruore applicare contendant: atque ideo ſuperiores cuiuſcunque familiæ, orationis tempore ſingulis diebus in hũc modum eas promulgabunt.

Dominica. *Exoretur Deus pro exaltatione ſanctæ matris Eccleſiæ, & ſummi Pontificis incolumitate.*

Feria 2. *Pro fidelibus defunctis, & pro ijs qui ſunt in peccato mortali, vt ad Deum conuertantur.*

Feria 3. *Pro Archiepiſcopo, omnibuſque eccleſiaſticis ordinibus.*

Feria 4. *Pro Principibus Chriſtianis, eorumque vnione, & pace.*

Feria 5. *Pro extirpatione hæreſum, & infidelium conuerſione.*

Feria 6. *Pro afflictis, captiuis, pauperibus, & tribulatis.*

Sabbatho. *Pro proſperitate ſpirituali, & temporali totius populi ciuitatis, & diœceſis noſtræ, vt beatiſſima Virgo illam cuſtodire, & protegere dignetur.*

Atque vt ſupradicta omnia executioni mandentur, præcipimus omnibus, & ſingulis parochis, tam ciuitatis, quàm diœceſis noſtræ, vt non ſolùm proxima Dominica, ſed ſæpe alijs etiam temporibus in maiori populi frequentia ſanctum hoc inſtitutum orationis promulgent, curentq; vt in ſingulis domibus diligenter quotidie veſperi, illi vacetur.

Hortamur etiam omnes monaſteriorum ſuperiores, tam monachorũ, & fratrum, aliorumq; Regulatium, quàm ipſarum monialium, vt omni ſpiritu, deuotionis, feruentiq; pietatis ſtudio hoc vtile, & ſanctum inſtitutum amplectantur.

Dat. Bon. in Archiep. pal. &c.

N. Vic. gen.

ORA-

ORATIO PRO FIDELIBVS defunctis habenda quotidie prima hora noctis.

Gabriel Card. Archiep. Bonon.

QVàm horribiles pœnæ ſint, quibus fidelium animæ in purgatorio cruciantur, ſacræ ſcriptutæ teſtimonio, & ſanctorum Doctorum auctoritate comprobatur; qui nullum excogitari, & mente fingi ſenſibilem dolorem poſſe affirmant, qui illorum tormentorum minimo comparari poſſit: dicente S. Auguſtino (prout in Decreto idem etiam relatum eſt) hic ignis, etſi æternus non ſit, miro tamen modo grauis eſt: excedit enim omnem pœnam, quam vnquam paſſus eſt aliquis in hac vita: & alibi, ignis ille aſperior eſt, quàm quicquid in hoc ſeculo pœnarum videre, aut ſentire, aut cogitare quiſquam poteſt.

Quare cum nullis verbis, nullaque ſimilitudine huiuſmodi grauiſſima tormenta deſcribi potuerint, ſancti doctores illa circumſcribere, & adumbrare conati ſunt: vt à fidelibus, quantum fieri poſſit intelligantur: & quantum pictus ignis à vero differt, tantum etiam Purgatorii ignem à noſtro hoc terreſtri differre dixerunt, vt ignis noſter præ illo pictus eſſe exiſtimetur. Neque mirum cum idem ſit prorſus ignis ille, quo in æternũ damnatorum animæ in inferno torquentur: qui cum ab agente infinitæ potentiæ ſit conſtitutus tanquam diuinæ iuſtitiæ inſtrumentum; ſic ur in gratia & charitate diſcedentes, quibus aliquid pro peccatis ſatisfaciendum ſupereſt, torquendo ad tempus expurgat; ita ſine fine etiam impœnitentes, & in peccato lethali mortuos comburit, & miris cruciatibus in perpetuum affligit.

Hinc facile excitari poteſt vnuſquiſque veſtrum dilectiſſimi, ad cogitãdum quàm digna ſir Chriſtiano viro in hac vita degenti charitas illa, qua remedijs à pia matre Eccleſia inſtitutis, huiuſmodi intolerabilibus pœnis ſuos filios iuuare, & quaſi aquam eorum incendijs, qua recreentur, ſuper infundere docemur.

Nam ſi natura dictante facere non poſſumus quin commoueamur, cum quempiam licet exterum, & nobis ignotum, huius mortalis vitæ miſeriis grauiter oppreſſum eſſe, aut videmus, aut audimus; quique ſi poteſt, præcipitio proximum non contineat, & cadentem non erigat, omni vituperatione dignus eſſe cenſetur. Quanto magis Chriſtianus animus compati debebit, & per opera ſatiſfactoria ſuccurrere tam multis: neque iis quidem exteris aut ignotis; ſed per Ieſu Chriſti gratiam ſibi coniunctiſsimis, qui in illis Purgatorij flammis, atrociſſima tormenta, & ſupplicia perferũt, vt iis opem ferat, quæ præſto eſt, & ſuffragetur? Quid verò non amplius commoueat vos dilectiſſimi, cum neſciatis an eo in loco purgẽtur, qui vobis etiam ſanguinis vinculo copulati ſunt, parentes, filii, fratres, coniuges, amici, & benefactores? ad quos ſuffragijs, & ſpiritualibus auxiliis iuuandos, non ſolum Chriſtiana pietas, & vinculum ſanguinis nos excitat: ſed etiam facilis auxilij huiuſmodi præſtandi copia, à ſacratiſſimo Chriſti Domini noſtri ſanguine vim habens, in omnes fideles per eius Vicarios in terris diſtributa.

Quæ ſane Redemptoris noſtri miſericordia, eò magis etiam arguit eorum corda non dicam humana, ſed ferina potius, perfidia, ingratitudine, atque immanitate pleniſsima: qui bonorum temporalium hæredes ſunt relicti, aut qui teſtamentorum executores, debiti officii erga de ſe optime meritos, & ſibi præ fidentes defunctos tam facile obliuiſcũtur, & cum humanitatis officio, fidem etiam quæ eis debetur conculcant: cum ad animas illas tot, tantiſque cruciatibus expoſitas, à quibus opes, & honores acceperunt, nunquam mentis oculos flectant, aut miſereantur.

Inter cætera verò Matris eccleſiæ remedia, quibus, & fidelium defunctorum auxilio conſulatur, & Chriſtiana pietate digniſsimum hoc ſuffragii officium nullatenus relinquatur, cum præcipua ſit

ſit oratiò;ſtatuit ſanctiſsimus D.N. Gregorius xiij. Pontifex Max. vt Romæ prima hora noctis fiant preces pro defunctis, atque hanc ob cauſam Indulgentias centum dierum pro qualibet vice orantibus elargitur.

Quare æquũ ſanè fuit paſtoralis muneris noſtri officium; vt ſummi Pontificis pijſsimæ, & ſanctiſsimæ voluntati inhærentes: quemadmodum alias orationes pro viuis inſtituimus, ita etiam tanto illius, quem præcipuum ducem in hac paſtorali adminiſtratione ſequi debemus, exemplo incitati, has orationes pro defunctis in hac noſtra Ciuitate, & diœceſi decerneremus, cuius celebrandæ ratio hæc erit.

In ſex præcipuis Eccleſiis à nobis ad maiorem populi commoditatem electis, vt ſigna huius orationis ab omnibus audiantur: prima noctis hora, nouem ictibus campanę maioris ternas vices diſtinctis, ſignum dabitur. Eccleſiæ verò erunt. *Metropolitana Sancti Petri, S. Petronii, Sancti Dominici, S. Franciſci, S. Iacobi, & Sancti Stephani*: his ſignis auditis in ceteris eccleſiis, earũ rectores idem præſtare curabunt.

Cum hoc ſignum audietur vnuſquiſque genuflectat, & ad ea, quæ diximus animum adiiciat: cogitet, quanta ſint ſupplicia, quantoq; ſolatio afficiantur eo tempore animæ illæ, pro quibus orandum eſt: dicat verò preces hic in fine adiectas; quòd ſi quis legere ignoret, aut eas memoria non teneat, recitet ter orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam.

Sciant autem omnes: vt Indulgentiã adipiſcantur, opus non eſſe, vt vnum in locum vnà conueniãt; quemadmodum de oratione communi veſpertina præſcripſimus; ſed vbicunque fuerint, ibi audito campanæ ſigno, pro defunctis fidelibus orare debebunt.

Amplectimini igitur dilectiſsimi toto cordis affectu ſanctum hoc Chriſtianæ pietatis inſtitutum: porrigite ſatisfactionis auxilium, quod à vobis requirunt animæ illæ, Chriſti redemptæ ſanguine: & quæ in illo igne tanquam aurum purgatæ ad cælum euolantes, pro nobis etiam apud Deum intercedent. Placeat verò diuinæ bonitati, vt tantorum cruciatuum nos ipſi experres, ſempiterna gloria fruamur: aut ita permittentibus peccatis noſtris, dum in Purgatorio patimur, habeamus orantes Deum pro nobis: illudque ſuffragiũ, quod nunc alii oratione hac breui à nobis poſtulant, id etiam pro nobis alii efficere meminerint.

Hanc verò noſtram de oratione indictionem, in primis parochi ipſi promulgare, & commendare quotidie non ceſſent, tum ſermonibus publicis, tum ſacris confeſsionibus: Deuſque omnipotens noſtras preces exaudire dignetur, cui laus, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

Dat. Bononiæ in Archiep. palatio.

Preces adhibendæ in oratione nocturna pro defunctis.

Antiph. *Si iniquitates.*

Pſalmus.

De profundis clamaui ad te Domine, &c.

Kyrie eleiſon, &c.

Repetitur antiphona. *Si iniquitates.*

Oratio.

FIdelium Deus omnium conditor & redemptor, animabus famulorum, famularumq; tuarum remiſsionem cunctorum tribue peccatorum: vt indulgentiam, quam ſemper optauerunt, piis ſupplicationibus conſequantur. Qui viuis, & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO IN SEPTVAGESIMA *& alijs diebus, qui ſequuntur facienda, vſque ad tempus Quadrageſimale.*

SAncta eccleſia mater & magiſtra noſtra, in ingreſſu Septuageſimæ, dũ indumenta ſacra mutat, dũ læta cantica omittit, dum in diuinis officiis nil aliud niſi pęnitentiam, & memoriã præſertim trium nouiſſimorum nobis renouat,

uat, nempe Mortis, Inferni, & Iudicij. Oſtendit etiam & plane docet quomodo viuendum ſit fidelibus: nempe vt ſoluti teterrimi hoſtis noſtri laqueis, quos hoc præſertim tempore ſolet tendere: caute agentes, non luxui, non ludis, non choreis, aliiſque huiuſmodi diaboli artibus vacent: ſed iis omnibus reiectis, atque etiam ab ipſa cogitatione deletis: quò magis indigent remediis, vt ad meliorem vitam reuocentur, eò ardentius, ea quæ apparantur & facillima præbentur quærãt, & ad ſalutarem fructum accipere contendant.

Cum itaque ex antiquo ſanctorum Patrum inſtituto, decretiſque plurium Conciliorum ſtatutum ſit, vt huiuſmodi temporibus, quibus maxime propenſiones in peccata, & peccata ipſa abũdant, animarum Paſtores non ſolùm hortationibus eas à tantis periculis arcere ſtuderent, ſed etiam aliquo arctiore vinculo obſtringerent, vt è directo vitiis virtutes opponerent: ſicque ieiuniis, Orationibus, Litaniis, aliiſq. publicis, & priuatis deuotionis actibus, dæmonis artes eluderent, deque oppugnatore crudeliſſimo ſumma cum totius cæleſtis chori lætitia facillime triumpharent.

Ideo Illuſtriſſ. D. Card. Palæotus Paſtor & dux noſter, in hoc militantis peregrinationis itinere, hæc quæ ſequuntur arma, & exercitationes ſpirituales nobis Dominica Septuageſimæ vſq. ad Quadrageſimam, quibus tuti ad pœnitentiæ ſacrum illud tempus perueniamus, proponit induenda; hortaturque omnes ſummo paternæ obligationis affectu, vt fortes milites ſeſe exhibeant, induantq. armaturam fidei: & reliqua Deo iuuante peragãt, de quibus in hac pagina admonentur.

Concedit inſuper omnibus, & ſingulis, qui alicui harum exercitationũ operam dabunt, centum dies indulgentiæ in forma eccleſiæ conſueta; quæ omnia Parochi inter miſſarum ſolemnia promulgare, & populum ad ea exequenda vehemẽter hortari non prætermittent.

Ratio ſpiritualium exercitationũ a Septuageſima vſque ad Quadrageſimam, quibus vacare debebit clerus, populuſque Bonon.

Fiet oratio quadraginta horarum in Monaſteriis, & conuentibus omnibus etiam monialium: cui initium dabitur die ſabbathi proximo, qui præcedit Dominicam Septuageſimæ, veſperi hora 24. & diſtribuetur inter ipſa Monaſteria, prout monebũtur eorum ſuperiores.

Dominica ſequenti hora 13. incipiet oratio in Parochiis infraſcriptis, quæ de die tantùm fiet: & tot diebus, quot ſufficiant ad quadraginta horarum terminum explendum, durabit: cui orationi omnes intereſſe poterunt tam mares, quàm fœminæ diſtinctis locis: ea tamen deuotione, & modeſtia, quæ ſanctiſſimi Corporis Domini præſentiã deceat: noſtriſq. neceſſitatibus, & auxiliis quę expoſcimus, ſit cõſentanea, vt exaudiamur.

Orandum eſt pro exaltatione S. Matris Eccleſiæ, pro ſalute ſummi Pontificis, & pro totius ciuitatis, & diœceſis huius felicitate.

Eccleſiæ Parochiales Orationi xxxx. horarum deſtinatæ pro ſingulis Regionibus, ſeu Quarterijs ciuitatis.

Dominica Septuageſimæ.
Eccleſia SS. Geruaſii, & Prothaſii.
Eccleſia S. Martini Crucis Sanctorum.
Eccleſia S. Michaelis leproſum.
Eccleſia S. Cecilia.

Dominica Sexageſimæ.
Eccleſia S. Proſperi.
Eccleſia S. Barbatiani.
Eccleſia S. Agathæ.
Eccleſia S. Sigiſmundi.

Dominica Quinquageſimæ.
Eccleſia S. Chriſtinæ de Pradalata.
Eccleſia S. Matthæi de Peſcarijs.
Eccleſia S. Mariæ in uia maiori.
Eccleſia S. Agathæ.

Digitized by Google

In eccleſia S. Luciæ Patrum Ieſuitarum fiet inſuper oratio continua tribus poſtremis diebus, qui feriam quartam cinerum præcedunt, hoc eſt Dominica quinquageſimæ, & feria 2. & 3. quæ ſequuntur, quibus tribus diebus mane concionabitur.

Iiſdem diebus Dominicæ Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ in eccleſia Cathedrali, atque in alijs etiam præcipuis ciuitatis eccleſijs Verbũ Dei prædicabitur, à prandio verò poſt veſperas in eadem cathedrali ſermo habebitur, alijſque diebus omnibus in confeſſione eiuſdem carhedralis ſolita ſpiritualia colloquia exercebuntur.

Eccleſiæ, in quibus generalis Communio celebrabitur ab Illuſtriſſimo Domino.

Dominica Septuageſimæ.	*In eccleſia S. Georgij.*
Dominica Sexageſimæ.	*In eccleſia collegiata S. Mariæ maioris.*
Die Iouis ante Quinquageſimam.	*In eccleſia S. Luciæ Patrum Ieſuitarum.*
Dominica Quinquageſimæ.	*In eccleſia Parochiali S. Leonardi.*
Feria ſexta ſequenti.	*In eccleſia Monialium Angelorum.*

Dat. Bonon. in Archiepiſcopali Palat. N. Vic. Gener.

ORDO SERVATVS AB ILLVSTR. CARD. ARCH. in promulgatione, & ſuſceptione ſacri Iubilæi anno ſancto 1575.

LITERÆ PASTORALES de ſacro Iub. Romæ ſuſcipiendo.

Gabriel Palæotus S. R. E. Presb. Card. Ep. Bonon. & Princeps.

Clero Populoque ciuitatis, & diœceſis Bononienſis.

Salutem in Domino.

ADVENIENTE Dilectiſſimi, optatiſſimo illo magni Iubilæi anno, quo cæleſtes ſpiritualium gratiarum theſauri nobis aperiuntur, ſanctiſſimus Paſtor noſter Greg. XIII. tanquã ſupremum huius ſacri, ac myſtici corporis eccleſiaſtici caput, nihil antiquius habuit, quàm vt illum omnibus Chriſtifidelibus more eccleſiæ inueterato indiceret. Itaque præcipuo diplomate promulgato, non ſolum propoſita ampliſſima peccatorum remiſſione, omnes ad almam Vrbem inuiſendam, quam Petrus Princeps Apoſtolorum, & Paulus Doctor gẽtium, torque deinceps Chriſti martyres ſuo ſanguine cõſecrarunt, inuitauit; ſed etiã ipſis Epiſcopis, Præſulibusq. mandauit, vt ſuis quisq. populis diligenter ea tradenda curarer, quæ ad hanc copioſiſſimam adipiſcendam Indulg. pertinent.

Quare nos, qui in hac Bononienſi eccleſia locum Epiſcopi, quem diuina maieſtas nobis impertire dignata eſt, obtinemus; præter obedientiam, ac reuerentiã, quam eidem ſummo Pont. debemus. Romanum hoc iter gregi noſtro, exemplo ipſo præmonſtrare ſtatuimus. Verùm cum propter abſentiam noſtram ea præcepta coràm ſingulis tradere nequeamus, quæ voluntas, & officij noſtri ratio flagitaret: viſum nobis eſt faciendum, vt ſaltem præſertim hoc ſcripto, quàm commodiſſime poterimus, muneri noſtro, aliqua ex parte ſatisfaciamus; Rogantes eum, qui Pater eſt miſericordiarum: vt ſicuti Regni ſui diuitias omnibus nunc affluenter elargitur

ſic ſenſus, & corda veſtra excitare ad eas agnoſcendas, atque amplectendas, dignetur.

Omnipotens Deus, Dilectiſſimi filij, vt immenſam pietatis, & miſericordiæ ſuæ magnitudinem erga nos declararet: non ſolum vnigenitum filium ſuum ad ſubeundam crucem acerbiſſimam miſit, quò per illam à peccatis, & à morte perpetua liberati, deinceps in ſanctitate & iuſtitia viueremus; verùm ſalutare etiam nobis in illo benignitatis ſuæ præſidium reliquit: cuius virtute, ſi poſt ſanctum baptiſma in nouas culpas deinde gro laberemur, facile ſurgere, & in ſanctiſſimam gratiam eiuſdem redire poſſemus.

Etenim parum fuiſſet, ſi ſemel ſingulari ipſius clementia ſanati fuiſſemus: niſi poſtea, cum propter magnam fragilitatem, ac corruptionem noſtram, procliues ad morbum eſſemus, nouum nobis remedium reliquiſſet, quo priſtinæ integritati reſtitueremur; ille enim qui nos malos tollerat, non dubium eſt quin conuerſis clementer ignoſcat. quod ſignificare videntur illa ſapientis verba. *Conuertere ad Dominum, & relinque peccata: precare ante faciem domini, & minue offendicula.* quemadmodum etiam quod dicebat ſponſa *ego murus, & vbera mea quaſi turris, ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.* hanc autem pacem vera pœnitentia inuenit, quæ nos Deo reconciliat, & vitiorum omnium eſt profligatrix; ipſa enim reſpuit auaritiam, horret luxuriam, fugat furorem, firmat amorẽ, calcat ſuperbiam, continet linguam, componit mores, odit malitiam, excludit inuidiam; Primuſque gradus felicitatis eſt, non delinquere: ſecundus, delicta agnoſcere: illic currit innocentia, integra quæ ſeruet: hic ſuccedit medela, quæ ſanet.

S. Ambr. de fun. bon. — *Eccleſ. 17.* — *Can. 8.* — *S. Cipria. in ſerm.* — *Idem epiſt. 3.*

Ad hoc igitur inſtitutum eſt ab æterna illius prouidentia pœnitentiæ Sacramentum, vt qui cæleſtis regenerationis & diuinæ filiationis donum, quod in baptiſmate benigne nobis confertur, improbitate morum, & peccatorum turpitudine violaſſent: ſuo ſe iudicio condemnantes, facta in ſpiritu humilitatis, & animo contrito omnium peccatorum ſuorum legitimo Sacerdoti integra confeſſione, rurſus diuinæ reconciliationis, & miſerationis gratiam conſequi poſſent. Quoniam autem remiſſa per hoc pœnitentiæ Sacramentum culpa, ſæpe in nobis adhuc aliquid de pœna relinquitur, cui in hac vita fletibus, eleemoſynarum largitionibus, ieiuniorum, & vigiliarum aſperitate, crebris orationibus, atque alijs pœnitentiæ dignis fructibus ſatisfacere: aut ſi in his negligentes fuerimus, in Purgatorio illud expiare nos omnino oporteat: placuit diuinæ clementiæ, in eccleſia ſua ſancta immenſum cumulum, tanquam inexhauſtum, & indeficientem theſaurum magnorum Saluatoris noſtri meritorum (cui etiam glorioſiſſimæ ſemper Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum, tanquam viuorum membrorum corporis ſui merita accedunt) relinquere: vt quoties debita ſoluenda in nobis augeſcerent, præſto eſſet & pretium, & ratio ſoluendi.

Qua in re ſingularis Dei erga nos nos bonitas apparuit, qui agnoſcens excellentem illam pœnitentiæ magnitudinem, quam olim Chriſtifideles, cum diſciplinæ Eccleſiaſticæ feruor magis vigeret, pro exoluenda peccatorum ſuorum pœna patienter & religioſe ſubibant: prout ſacri Canones, qui pœnitentiales dicuntur, manifeſtè teſtantur: hodie ob deuotionis noſtræ teporem, contritioniſque languorem, ferè exoleuiſſe: ideoque pœnas poſt peccatorum remiſſionem debitas, nobis in purgatorio omnino luendas, ita diuina iuſtitia exigente, ſupereſſe; voluit immenſum hunc meritorum theſaurum in eccleſia ſua ſancta perpetuo extare: vt illius ſpiritualibus diuitijs quiſque veluti ſuffragijs quibuſdam ſe ab illis purgatorij pœnis poſſet redimere: quando nos tota animi deuotione, ac præſcriptis Chriſtianæ pietatis operibus,

ribus, dignos ad huiuſmodi gratiam percipiendam ſummi Pontificis auctoritate miſericorditer ohlatam, exhiberemus, quem theſauri huius diſpenſatorem, ſuumque in terris Vicarium cum pleniſſima, ſupremaque poteſtate reliquit.

Et quoniam hæ pœnarum relaxationes, quæ *Indulgentiæ* dicuntur, concedi à Pontificibus, modo maiores, modo minores, pro perſonarum, locorum, & caſuum diuerſitate ac grauitate ſolent: ob eam rem, vt plenius aliquo tempore Chriſtifidelibus conſuleretur: inſtitutum antiquitus eſt, vt poſt certam annorum conuerſionem omnibus indifferenter gratiarum porta aperiretur: vnde pleniſſima indulgentia ad ſingulos permanaret, qui ſe idoneos ad eam accipiendam præberent.

Hic ſacer, & gratioſus terminus, qui in vigeſimumquintum quemque annum nunc incurrit, licet alijs temporibus maiori ſpatio includeretur, Annus ſanctus, & Annus Iubilæi vocatus eſt: ſanctus quia à *D*eo largiter gratiæ, & fauores fluunt in eos, qui ſanctificari cupiūt; Iubilæi, ad ſimilitudinem eius, qui in veteri teſtamento eſt traditus, qui noſtri huius figuram exprimebat.

Etenim, vt in illo requies terræ dabatur, ſeruis libertas, agrorum cuique reſtitutio, ad propriamque familiam reditus: ſic in noſtro datur afflictis tranquillitas conſcientijs, liberantur animæ à pœnarum acerbitate, amiſſa redduntur bona, & ſuffragij modo, qui relegati in Purgatorium ſunt, in cœleſtem patriam reducuntur.

Itaque & Iubilæus pro iubilo accipitur, ac lætitia, cuius ſæpè ſcriptura meminit, gaudium enim maius percipere Chtiſtianus nequit, quàm videre ſe à peccatis & ſuppliciis liberatum, & in cæleſtem patriam reuocatum. Siquidem legitur etiam Angelicos ſpiritus iubilare, propter peccatoris conuerſionem.

Modus recipiendi huius ſanctiſſimi Iubilæi, & ſe dignum tantis gratiis exhibendi, quemadmodum diplomate Apoſtolico continetur, poſtulat: vt ſinguli ad Vrbem Romam, quæ Eccleſiarum omnium caput, mater, & magiſtra eſt, ſe conferant: ibique vera pœnitentia ducti, atque confeſſi, quindecim continuis, vel intermiſſis diebus, ſaltem ſemel in die, beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum Baſilicas, & ſancti Ioannis Lateranenſis, ac ſanctæ Mariæ Maioris in Vrbe eccleſias deuotè viſitent, ac pro ipſorum, totiuſque Chriſtiani populi ſalute pias, ad Deum preces fundant.

Quamobrem cum adeò laborent homines pro parandis diuitiis caducis, & temporariis, vt nulli incommodo parcant, maria traijciant, telis ſe obijciant, dies noctesquè vigilent, itinera longiſſima ſuſcipiant, pericula ipſis oculis videant, eaque nihilominus ſpontè ſubeant. Quanto magis debent omnes in tempore tam opporruno, vt ſe oneribus adeo grauibus leuent, & bonis tam magnis augeantur, ſancto accendi deſiderio, vt hæc dona cæleſtia conſequantur? Scriptum eſt apud Hieremiam, Miluum cognouiſſe tēpus ſuum, Turturem, Hirundinem, Ciconiam aduentus ſui tempus notaſse; & nos tempus miſericordiarum *D*omini non agnoſcemus? Multi nunc viuunt, qui ad alterum Iubilæum fortaſse ex hac vita deceſserunt.

Attendite filij, quid communi voce dicāt doctores ſacri: *Periculoſiſſima eſt in vltimum diem promiſſa ſecuritas: deinde ſtultiſſimum eſt, vt cauſa qua de neceſsitatibus agitur æternis, mutabilitatibus vitæ deficientis committatur extremis. Odibile eſt apud Deum, quando homo ſub fiducia pœnitentia in ſenectutem reſeruata, liberiùs peccat; credite difficile eſt, vt callida ſimulatio ordinanda conſummationis obtinere digna ſit facultatem: apud illum cordis interpretem, ars non admittitur ad ſalutem.*

Euſeb. emiſſ. in homil. de latr. beato.

Nolite itaque committere chatiſſimi, vt huius tam ingentis lucri uobis vltrò oblati iacturam veſtra negligentia feciſſe videamini: neuè apud fideles eam

notam

Digitized by Google

notam ſubeatis, tot alios ex remotiſſimis etiam terrarum partibus, ad ſacrum Iubilæum ſuſcipiendum Romam confluxiſſe: & vos qui prope in eiuſdem portis eſtis, ad hæc tanquam in foro otioſè agentes, nihil aſſurrexiſſe. Veniat vobis virginum ſtultarum parabola in mentem, quæ quia præſtò in tempore non fuerunt, clauſa eis porta ſalutis fuit.

Neque vos aliquis morbi aut inualetudinis timor teneat. Nam ſuſceptum iter, ſi quis iuſto impedimento conficere non potuerit, atque euocatus ex hoc ſeculo, ſiue in via, ſiue in vrbe ab humanis exceſſerit verè pœnitens & confeſſus: propter piam illam, promptamque voluntatem, ad participationem eorundem donorum à ſummo Pontifice Chriſti D. noſtri Vicario admittitur.

Ergo tam ſingulare beneficium à Deo agnoſcentes, quòd hoc ipſo tempore, quo porta Sancta reſeratur, vita incolumi perfrui vobis datur, id primùm quæſo in animum inducite, ſi indulgentiam cupitis: vt vos pariter, his qui vos iniuria affecerunt, indulgeatis; inde humanæ vitæ miſerias, ac æterna beatitudinis præmia animo reuoluentes, incipite iam repellendis vitiis, ac bonis operibus amplectendis, continenter ita vos exercere: vt manifeſte hinc cunctis innoteſcat, quantum in vobis glorioſus anni ſancti aduentus proficiat. Quem vobis tanquam Paſtor veſter nuncio, Deum obſecrans: vt vobis facultatem tribuat, non ſolùm ad Portam ſanctam Romæ; ſed etiam ad cœleſtem perueniendi: vbi regnat Ieſus Chriſtus cum Patre, & Spiritu ſancto in ſecula ſeculorum Amen.

Dat. Bonon. in Epiſcop. palat. die prima Septembris M.D.LXXIIII.

INSTRVCTIO

cum literis commendatitijs, pro ſacerdotibus curatis, ſiue alijs clericis non Sacerdotibus peregrinantibus ad Vrbem Sanctam.

Gabriel Card. Palæotus &c.

Tibi .N. ſanctam peregrinationem Romanam Iubilæi cauſa ſuſcipere cupienti, his noſtris literis facultatem damus, pio animi tui propoſito inhærentes: vt ab hac ciuitate Iubilæi conſequendi gratia, ſacra almæ vrbis loca viſitaturus, recedere valeas: *(vel ſic pro qualitate perſonarum) Vt relicto in primis alio ſacerdote à nobis probato, qui munus tuum, dum peregrinando aberis, integre præſtet, tu ob eam peregrinationem per duos menſes à die data præſentium connumerandos, abeſſe poſſis.* Te autem in Domino monemus, vt antequam diſcedas, peccata tua confeſſus, Miſſæ ſacrum, quod eſt pro iter agentibus facias, *(vel audias, ſi non eſt Sacerdos) (hic cadunt nomina comitum itineris.)* In itinere autem clericali habitu, quamuis contractiore (decenti tamen) vtaris: pileum turbinatum non induas: Tonſuram clericalem perpetuò habeas: Hebræosuè, ac mulieres, & voluptuarios homines comites, quoad per te fieri poterit, deuites: neque eodem curru cum eiſdem vtaris.

Ad cauponas ſi diuerſari contigerit, ne vnà cum eiſdem menſæ accumbas: In omni hoſpitio antequam diſcumbas, menſæ benedicas: Tum pranſus, ac cœnatus gratias agas, ceteraque de frugalitate, & temperantia clericali Synodorum decretis præſcripta obſerues. Nec oſtiatim (niſi voti cauſa) victum quæras.

Ad aliquem locum veſperi cum perueneris, priuſquàm ad hoſpitium diuertas,

tas, ad eccleſiam vbi potes religioſe adeas: ibique ſupplex litanias, vel alias religioſas preces recites. Ne itineris cauſa canonicarum horarum officium omittas. Idem de ſtatis eccleſiaſticis ieiunijs præſtare ſtudeas. Quotidie miſſæ ſacrum, vbi potes, facias: *(ſi non eſt Sacerdos) audias, interdum etiam Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumendo*; ſin minus, ne Dominicis, feſtiſque diebus id facere deſinas; quibus autem diebus ipſe ſacrum facere nō potes, eidem ſaltem intereſſe ne prætermittas: *(ſi non eſt Sacerdos verba hæc*, quibus autem diebus *&c. ſunt omittenda.)* Mane ſingulis diebus priuſquam viæ te cōmittas, præter diuinum officium debitum, preces etiam illas dicas, quæ itinerarium clericorum appellantur.

Abſtineas item iter faciendo à profanis cantionibus, & colloquijs eiuſmodi, quorum vſu pietatis ſtudium refrigeſcit; ſed pſalmis, hymnis, & canticis ſacris, animi & corporis laxitudinem ſubleues. In toto denique itinere, cum te vitæ moribus perpetuò præſtes: vt etiam laicis hominibus religioſè, pieque peregrinandi exemplum præbeas.

Cum autem ad ſanctam Vrbem perueneris, clericales veſtes talares, eaſq. decentes induas: ac de clericalis veſtitus & vitæ moderatione omnia ad conſtitutionum noſtrarum præſcriptum inuiolatè ſerues. Tum quamprimum potes, aut biduo ſaltem poſt, R. D. Annibalem de Graſſis ſanctiſſimi D.N. Referendarium Archipresbyterum eccleſiæ noſtræ conuenias, cui has noſtras dimiſſorias, teſtimonialeſue literas exhibeas, eique hoſpitij tui locum *(& comitum ſi fuerint.)* ſignifices. Tum præterea antequam ſanctorum locorum viſitationē in alma Vrbe conſequendi Iubilæi gratia aggrediaris, iterum confeſſario Sacerdoti probato confeſſus, miſſæ ſacrum facias *(& ſi non es Sacerdos) audias, & ſacrā Euchariſtiam ſumas* totus peregrinationi ſacræ, quam ſuſcepiſti, intentus: non rerum nouarum curioſitates, neque aliud à peregrinandi propoſito alienū conſcctcris: ſed religioſa animi præparatione ſanctorū Eccleſias, & loca ſacra viſites.

Cum ab alma vrbe diſceſſurus es, eūdem R. D. Annibalem adeas, à quo nobis literas afferas, nec alio longiùs vageris. A peregrinatione autem reuerſus, nos primum cum literis dimiſſorijs quas tibi dedimus, & cum illis etiam literis, quas ab eo acceperis, conuenias, vt ſanctæ peregrinationis tuæ teſtimonium des.

His præterea noſtris literis teſtatum ceteris fidelibus eſſe volumus, te prout nobis ſignificaſti, Iubilæi cauſa ſanctam hanc peregrinationem ſuſcepiſſe: nec (quod nos ſciamus) te apud forum noſtrum Epiſcopale vllo crimine accuſatum, delatum, inquiſitum, condemnatum, neque vllo excommunicationis, cenſuræue alterius eccleſiaſticæ vinculo irretitum eſſe.

Rogantes etiam in Domino tam Magiſtratus & locorū dominos, quàm alios quoſcunq. apud quos te in itinere inueniri contigerit, vt te chriſtiana beneuolentia complectantur, retributionem apud Deum pro collatis in te officijs habituri. In quarum rerum fidem &c.

Dat. Bonon. ex Epiſ. palat. die &c.

N. Vic. Gen.

LITERÆ COMMENDATITIÆ pro laicis peregrinantibus ad Vrbem Sanctam.

Gabriel Card. Palæotus Dei & Sedis Apoſtolicæ gratia Epiſc. Bonon. Dilecto in Chriſto N.

CVm tu Iubilæi cauſa ad Sanctam Vrbē, etiam de Parochi tui conſilio peregrinari velis, ac propterea ex veteri Canonum inſtituto noſtras teſtimoniales literas expetieris: Nos igitur ſanctum animi tui propoſitum pietatemq. commendantes, & tibi in domino benedicentes, has teſtimoniales noſtras literas damus; quarū facultate tibi liceat ubique, cuicunq. Confeſſario Sacerdoti probato

peccata

peccata tua cõfiteri. Illud verò te paternè admonemus, vt priuſquam te in viam des, de peccatis tuis confeſſus; ſacram Euchariſtiam ſumas: benedictionem etiã, quæ religioſis precationibus ex Eccleſiæ instituto peregrinis adhibetur, à Parocho tuo petas & accipias: peregrinando omnia fugias, quæ deuotionis ſtudium impedire poſſunt: illa ſolum amplectaris, quibus tua pietas excitetur: at potiſſimum inſtes orationi, ſanctis meditationibus, pijs colloquiis: eleemoſynaſq; ſi per facultates potes, in pauperes conferas: ab omni deniq; peccato, atque adeo peccandi occaſione abſtineas; religioſè Sanctorum Eccleſias, ſacraq; loca viſites, vt peccatorum tuorum pleniſsimã Indulgentiam cum vita emendatione conſequaris. Illud etiam memineris, vt à ſancta peregrinatione reuerſus, primò Parochum tuum conuenias, vt tibi ex Eccleſiæ instituto sãctis orationibus benedicat, & à Deo quæ tibi perpetuò ſalutaria futura ſunt, precetur.

Dat. Bonon. ex palat. Epiſcopali Die &c.

N. Vic. Gen.

ORDO SERVANDVS à Confraternitate Bononien. in peregrinatione Romam facienda hoc anno sancti Iubilæi.

1575.

AD laudem Omnipotentis Dei, Beatæq; Mariæ ſemper virginis, Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Sancti Petronij Epiſcopi & protectoris noſtri, hortamur omnes & ſingulos qui ad hanc Confraternitatem adſcripti erunt: vt omni deuotionis affectu ſeſe comparent, ad hoc ſanctum iter conficiendum: vt præcipue conſequantur Iubilæi ſacri indulgentias, & ſuorum peccatorum remiſſionẽ: & firmiter ſtatuant, ſe obſeruaturos quæcunq; hanc ob cauſam præcipientur. Et quamuis accidat, vt aliqua peregrinationis incommoda perpetiantur, ea libenter tolerent, vt magis apud Deum mereantur: cuius gratia auxiliante, ſe quæcunque euenient, pro ſalute animarum ſuarum acceptu-ros proponant: tam in itinere, quàm in hoſpitiis, & colloquiis omnibus exemplũ, & ædificationem præbentes: & cum omnibus agentes, in humilitate, charitate, & patientia Christi Domini noſtri.

Confratres deſcribentur in duobus libris, quorum vnus in Epiſcopali archiuio conſeruabitur, alter in camera actuum Bononiæ, ad perpetuam rei memoriam eorum, qui hanc ſanctam peregrinationem ſuſceperunt.

Quia verò in hac Confraternitate varij generis, atque instituti homines erũt, hoc eſt ſacerdotes, & laici, & confratres ipſi ſanctiſſimi Sacramenti noſtræ Eccleſiæ cathedralis; ideò vt omnia rectè diſtinguantur: Confratres prædicti ſanctiſsimi Sacramenti inter eundum cũ ſuo vexillo, reliquos omnes antecedent, ſacco induti, & paruula lacerna ex corio humeros tecti, haſtaſq; peregrinorum more manibus ferentes.

Poſt eos ſequentur laici, præcedente etiam ipſorũ vexillo, vbi ſit imago sancti Petronij depicta: ipſorum verò habitus erit veſtis lanea nigra vſque ad genua producta: ſuper humeros autem ferant lacernam ex corio, haſtamq; peregrinorum more, nigro velo circumtecto, galerumq; nigrum: in omnibus cauentes, ne ſericum quid admiſceant.

Poſt laicos ſequentur RR. Sacerdotes vnà cum Reuerendiſsimo Suffraganeo, quos crux præibit, & vexillum item vbi ſancti Petronij imago ſit depicta: eorumque habitus erit breuior veſtis, cum manicis pendentibus more peregrinantium, aut iter agentium clericorum, ſine vllo prorſus ſerico ornamẽto.

Huius ſocietatis caput erit Reuerendiſs. Suffraganeus Epiſcopus Cæſarienſis: poſt ipſum RR. Canonici, & deputati ab Illuſtri Regimine ſubſequẽtur, qui omnes ſibi conſtituent conſiliarios, eorumq; nomen & qualitatem perſonarũ eligent, prout ipſorum prudentiæ videbitur; qui quidem electi, omneſque alij ad ſocietatem adſcripti, ipſorum ſuperiorum mandatis obtemperare debebunt.

Et quamuis in hac ſocietate, diuerſo-

rum

rum ordinum perſonæ exiſtant, tam patritij, quàm ciues, aliiq. honeſti homines omnium Parochiarum, vt maiori vnione totum corpus ciuitatis noſtræ ſanctæ Sedi Apoſtolicæ repræſentetur, Tamen vt omnes diſſenſiones, & præcedentiæ difficultates effugiantur, mãdatur, ne quis in quocumque actu locum vnum, aut alium prætendere, aut ſibi arrogare poſſit; ſed ad temporum, & locorum ſibi aſsignatorum qualitatẽ, & ad conſiliariorum mandata ſeſe accommodare debeat; cum non idcirco intelligatur aliquod inde præiudicium euenire poſſe; quin immo declaratur, nullũ euenire, omneſque & ſingulos in eodem gradu permanere, & futuros, in quo ante ipſam exiſtebant.

Diſceſſus Bononia auxiliante Deo erit die poſt Natiuitatem glorioſæ Dei genitricis, aut paulò vlteriùs prorogabitur, prout temporis ratio requiret. Quamobrem ſtato die, qui indicetur, hortamur omnes & ſingulos, vt ad cathedralem Eccleſiam conueniant, ſacro miſſæ interſint, quæ ab Illuſtriſsimo Cardinali Epiſcopo celebrabitur, & ab eo ſanctiſsimum Chriſti corpus ſumãt: die verò ſequenti ad Eccleſiam iterùm conueniant ad ſanctam peregrinationem parati, vbi Illuſtriſsimus Cardinalis illis ſolemniter benedicet: & itinerario deuotè recitato, cum ſacro cantu, & ſymphonia in choros diuiſi diſcedent.

Iter erit Romam per ſacram Lauretanam ædem: & viginti miliaria quolibet die conficientur, plus aut minus, prout temporis ratio, aut qualitas loci, quo diuertendum erit, poſtulabit. Semper autem in ciuitatibus hoſpitabuntur, aut commodioribus oppidis.

Cum ad ſanctam Lauretanam domũ peruentum fuerit, ibi communicabunt.

Inde cum hoſpitiorum commoditas anteacta deſit; diuidetur ſocietatis corpus in tria, aut in quatuor membra: & cuilibet membro aliquis præficietur à Suffraganeo & conſiliariis, & ſic ſeparatim iter conficient. Romę tamen proximi, totum corpus expectabunt eo loco, qui à prædictis conſiliariis deſtinabitur, vt omnes vnà ſolemni ſupplicatione Vrbẽ ingrediantur, eo ordine qui ſupradictus eſt, & qui præter illum, à conſiliariis præſcribetur.

In ingreſſu ciuitatum, aut locorum præcipuorum, curent omnes vt proceſſionis ritu, & habitu vt ſupra diximus peregrinorum induti, ingrediantur.

Cum autem in ea ciuitate, ſeu loco hoſpitari debebũt, antequàm ad hoſpitium ſe conferant, proceſſionis ritu viſitent Eccleſiam Cathedralem, ſeu aliam principalem: vbi gratiæ agantur Deo, & muſice canatur aliquis pſalmus atque oratio, poſtmodum alta voce ab aliquo ſacerdote deputato ante altare recitetur oratio prout in Breuiario.

Vbi hoſpitabuntur quotidie veſperi vnà omnes ante cœnam Litanias dicent: & mane poſt Miſſam, cui interſint, itinerarium nullo modo prætermittent: Feſtis autem diebus præter hæc, aut in locis inſignioris deuotionis, habeatur ſermo cui interſint, & communicent.

Vbicunq. ſilentium ſeruent, modeſtiám, & chriſtianam diſciplinam in omnibus præ ſe ferant; antequàm ad mẽſam accedatur, benedictio fiat, item poſt menſam gratiarum actio.

Eo verò ordine quo vt ſupra diximus in ciuitatem ſeu oppidum ingreſſi ſunt, diſcedent; eundemque ſeruabunt, ſaltem quarta parte milliarij.

Reliquum itineris vnuſquiſque conficere poterit, prout illi commodius eſſe exiſtimabit, ſeu pedes, ſeu eques, & cum iis ſociis qui ſibi videbuntur, dummodo deuotè ſeſe gerant.

Sacerdotes quotidie, ſi fieri poſſit, in itinere celebrent ſacrum miſſæ ſacrificium: laici alii frequenter cõmunicent.

Omnes vnà peregrinationem hanc ſanctam, pſalmis, deuotis meditationibus, aliiſque ſanctis actionibus comitentur: vt remiſſionem peccatorum ſuorum, ad quam proficiſcuntur, acquirant.

Quia præter victus expenſas, quę cuilibet eodem modo conſtituentur, alias inſuper expenſas fieri neceſſe erit communiter habendas, veluti pro ſpiritualibus

libus nonnullis patribus deducendis, pro muſicis, pro cera, pro vecturis, aliiſque rebus ſimilibus. Iccircò confratrũ ſinguli ab hac die vſque ad totam diem vigiliæ Aſſumptionis Beatæ Virginis, in monte Pietaris pro ea parte, in qua taxati erunt, ſcuta duodecim aurι deponant. Has verò pecunias conſiliarij expendent in ijs rebus, aliiſq; eiuſmodi, quas ſupra commemorauimus, prout neceſsitas requiret.

Quòd ſi quis, vt commodiùs iter conficiat, equis & ſeruis vti voluerit: ſua impenſa ijs vtetur. Hortamur tamen omnes, ne plures vno famulos, aut equos deducant: & ſi aliquis pluribus indigeat, conſiliariorum erit, hanc facultatem illis præbere.

Concedetur item licentia à conſiliariis, iis qui, vt ſupra dictum eſt, eam pecuniæ partem contribuere nolũt: ſed ſuis expenſis omnino iter conficere cupiunt, id agere poſſint; & tamen in Confraternitatem adſcripti cenſeantur, dũmodo in ingreſſu, & egreſſu ciuitatum, ſeu locorum principalium per quartam partem milliarij, in communionibus, & ſtationibus Confraternitati ſeſe vniant habitu ipſius induti, & reliqua peragant, quæ Confraternitatis miniſtri pręſcribent. Atque vt magis appareat eos ex Confratribus eſſe, atque aliqua ex parte Confraternitatis neceſſitates ab illis qui ditiores ſunt iuuentur, cupimus vt eorumdem ſinguli aliquid in publicas expenſas erogent, neque id minus ſit nummo aureo.

Conſiliarij deputati vt ſupra, conſtituent eum foreriorum, diſpenſatorum, aliorumque officialium numerum, quos recto Confraternitatis regimini neceſſarios fore arbitrabũtur. Curentque vt huiuſmodi omnes officiales, expenſas quaſcunque in libros referant.

Si quis in itinere ægrotaret, quod diuina miſericordia auertere dignetur, iidem conſiliarii, vel in eodem loco iuxta conditionẽ, & indigentiam ipſius ęgrotantis curari facient: vel prouidebunt vt Bononiam reuerti poſſit.

Non ſolum cum peruenerint ad ſanctam Vrbem, ſed etiam ad pedum ſanctiſſimi D.N. oſcula, cum eccleſias inuiſent, cum communicabunt, cum ad hoſpitia ſeſe recipient, vnà omnes eſſe debebunt habitu præſcripto induti. Si quis autem ad domũ alicuius conſanguinei vel amici diuertere velit, à conſiliariis licentiam petat: qui eam concedant; ea conditiòne, vt in eodem habitu in omnibus publicis actionibus vnà cum aliis Confratribus reperiatur.

Omnes accepto Iubilæo eodem ordine per Hetruriam reuertẽtur. Cumquè Bononiam peruenerint, rectà ad cathedralem ſeſe conferant, vbi de incolumi reditu; aliiſque acceptis beneficiis, & indulgentiis publicè Deo gratias agẽt. Cum tamen, quod ad iter hoc attinet, aut temporis qualitas, aut alia ratio aliud ſuadere poſsit: id Reuerendiſſimo Suffraganeo, conſiliariis, aliiſque miniſtris deputatis, cum conſenſu totius Cõfraternitatis deliberandum relinquitur; atque in omnem euentum totius pecuniæ, quæ in commune erogata eſt ſumma ſupputabitur: quodque ſupererit extra expenſas iam habitas, omnibus, & ſingulis pro rata reſtituetur.

Quia verò in tot tamque diuerſorum hominum congregatione facile fieri poteſt, vt aliqui deſint, neque omnes penitùs vnà reperiantur in locis ſupra nominatis; iccircò conſiliarii poterunt eos habilitare, qui licentiam petent: & moderari harum legum obſeruationem pro perſonarum qualitate, & caſuum euentu, prout ipſorum prudentiæ videbitur, & magis in Domino expedire iudicabunt.

Dat. Bonon. in Palat. &c.

N. Vic. Gen.

HOC

Digitized by Google

COLLECTOR. *HOC igitur ordine, quem huc attulimus, proceſſit Romam Confraternitas Bononien. ac ſimiliter pleraq. Cõfratrum pars Bononiam, auxiliante Deo, reuerſa eſt, prædictis ſtatutis, & ordine, quoad eius fieri potuit, omnino ſeruatis.*

Placuit deinde ſequenti anno Summo Pontifici Gregorio XIII. idem Iubilæum Bononienſi Ciuitati concedere: quod Illuſtriſsimus D. Cardinalis, pro ſua paſtorali ſollicitudine hoc, qui ſequitur apparatu, ordine, & prouiſionibus, vt vtilius animis fidelium inſeruiret, promulgauit, & ab omnibus accipi ſtuduit.

BREVE IVBILÆI conceſſum à Sanctiſs. D.N. Gregorio xiij. Pont. Max.

Ciuitati Bononiæ, & eius diæceſi, & aduenis etiam, atque exteris Bononiam venientibus anno 1576.

GREGORIVS PP. XIII.

VNiuerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Saluator noſter Dominus Ieſus Chriſtus Dei filius, cuius (licet immeriti) vices in terris gerimus, ad hoc nobis ligandi, & ſoluendi poteſtatem tradere voluit, vt ſuper eius gregem excubantes, illius ſaluti paternè incumbamus. Hinc eſt, quod nos attendentes, quamplures perſonas Ciuitatis, & Diæceſis Bonon. ob diuerſa impedimenta, ſeu aliàs ad hanc almam Vrbem noſtram pro conſequenda indulgentia anni Iubilæi proximè præteriti non acceſsiſſe: ac propterea ipſarum perſonarum, & aliorum etiam fidelium animarum ſaluti proſpicere volentes, precibus etiam pro parte dilecti filij noſtri Gabrielis Cardinalis Palæoti nuncupati Eccleſiæ Bononienſis Præſulis nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati. De omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus Ciuitatis, & Diæceſis Bononienſis incolis & habitatoribus, ac eo pro tempore accedentibus, verè pœnitentibus & confeſsis, qui quatuor, videlicet, cathedralem Bononien. & tres alias eccleſias per ipſum Cardinalem, ſeu eius generalem Vicarium deputandas, per quindecim dies continuos, vel interpellatos: quos pro diæceſanis, pauperibus, infirmis, ſenibus, pregnantibus, virginibus, viduis, & aliis quouis alio legitimo impedimento detentis, ac Capitulis, Congregationibus tam ſecularium, quàm regularium, ſodalitatibus, vniuerſitatibus item collegiatim præfatas Eccleſias viſitantibus: atque aliis etiam ob alias cauſas prout dicto Cardinali, ſeu eius Vicario prædicto videbitur, ad minorem numerum arbitrio ſuo reduci: & alibi etiam in quibuſuis eiuſdem Diæceſis Terris, Oppidis, & locis alias quatuor, aut tres, vel duas, aut vnam Eccleſias viſitandas, prout animarum ſaluti nouerit expedire, dicto arbitrio deputari poſſe volumus, deuotè & reuerenter viſitando, & ibi quinquies Orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam pro peccatorum ſuorum remiſsione recitando, ac pro pace inter Chriſtianos Principes conſeruanda, & hæreſum extirpatione, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ exaltatione pie ad Deum orando, plenariam eiuſdem anni Iubilæi omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſsionem conſequantur, perinde ac ſi dicto Iubilæi anno quatuor Eccleſias Almæ Vrbis pro conſequendo Iubilæo huiuſmodi deputatas, ſtatutis ad id diebus perſonaliter viſitaſſent, & alia ad hoc requiſita adimpleuiſſent. Et ad effectum huiuſmodi, illis ut Confeſſores quos idem Cardinalis, ſeu prædictus eius Vicarius Iubilæi huiuſmodi cauſa in ſtatis Eccleſiis nominatim delegerit, ſibi eligere valeant presbyteros ſeculares, uel cuiuſuis ordinis regulares, qui confeſsionibus eorum diligenter auditis, eos & eorum quemlibet à quibuſuis peccatis, criminibus, exceſsibus, & delictis etiam quãtumcumque grauibus, & enormibus etiam Sedi apoſtolicæ reſeruatis, ac in literis, quæ in die Cœnæ Domini legi cõſueuerunt contentis,

ac cen-

ac cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, ad effectum ipſius Iubilæi conſequendi tantum, iniuncta eis pœnitentia ſalutari abſoluere poſſint; necnon vt illi qui Romam venerunt, & Iubilæũ ipſum quouis modo cõſecuti ſunt, denuo etiam illud iuxta tenorem præſentium conſequi valeant, auctoritate Apoſtolica harum ſerie concedimus, & indulgemus.

Præterea ipſi Cardinali ſeu eius Vicario, vt cuiuſuis ordinis monialibus, & Orphanorum, aliarumque mulierum in communi uiuentium cõgregationibus ad Iubilæum intra Monaſteria, domuſue ſuas conſequendum, conditiones, modum, & tempus præſcribere: & denique in præmiſſis omnibus & ſingulis arbitrio ſuo facere, ordinare, & prouidere: ac quæcumque ſibi uiſa remedia opportuna adhibere poſſit, prout animarum ſaluti expedire iudicauerit, facultatem tribuimus. Præſentibus vſque ad octauam ſolemnitatis Corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti proxime futuræ incluſiue duntaxat ualituris.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris Die 28. Ianuarij 1576. Pontificatus noſtri anno quarto.

Caſ. Glorierius.

Animaduertenda pro ſanctiſsimo Iubilæo Bononiæ accipiendo, quod incipiet a prima die Febr. & durabit ad diem octauæ Corporis Domini incluſiue. anno 1576.

CVm Illuſtriſſimus D. Card. Palæot. Epiſcopus Bonon.; ſuis paſtoralibus literis aliàs hortatus fuerit populum ſuę ciuitatis, & diœceſis ad peregrinationem Romanam ſacri Iubilæi conſequẽdi gratia: hoc autem tempore ſummus Pontifex Gregorius XIII. precibus etiã eiuſdem Illuſtriſſimi Cardinalis commotus, idem Iubilæũ Bononiæ, & eius diœceſi conceſſerit, & Breue de hac re Apoſtolicum ad eundem miſerit; ſuperuacaneum eſſe exiſtimauit ipſius Illuſtriſſima amplitudo nouis hortationibus populum ſuum impellere ad id accipiendum domi, ad quod aſſequendum tanta deuotione Romam vſque proceſſit.

Quapropter illud ſibi perſuadens, neminem fore de ſua ſalute tam parũ ſollicitum, quin theſaurum hũc ſpiritualem omnium ditiſſimum, & pretioſiſſimum diligenter acquirere ſtudeat: ea tantum admonere voluit hoc publico ſcripto, quæ neceſſaria eſſe duxit, vt vtiliùs & vberiore animarum fructu acquiratur.

Concedit igitur Sanctiſſimus D. N. omnibus & ſingulis vtriuſq. ſexus Chriſtifidelibus cuiuſcunque ſtatus & conditionis, ciuitatis & diœceſis Bonon. incolis, & habitatoribus, ac eò pro tempore accedentibus facultatem: vt ſibi eligere poſſint quemlibet confeſſarium, ſiue regularem, ſiue ſecularem ab Ordinario tamen approbatum.

Facultatem tribuit confeſſarijs, vt abſoluere poſſint in omnibus caſibus etiã enormibus, & ſedi Apoſtolicę reſeruatis, etiam in Bulla in cœna Domini contentis, iniuncta pœnitentia ſalutari: id tamen in foro tantùm conſcientiæ intelligitur.

Concedit item Sanctitas ſua plenariam Indulgentiam, & remiſſionem omnium peccatorum huiuſmodi verè pœnitentibus, & confeſſis, tanquã ſi perſonaliter viſitarent ipſo anno ſancto Iubilæi quatuor eccleſias vrbis Romæ.

Poteſtatem tribuit eidem Illuſtriſſ. D. Cardinali, vt poſſit habilitare pro qualitate perſonarum, temporum, & locorum: veluti ſi infirmi ſint, ſi ſenes, & alij qui verè impediantur: & etiam vt poſſit præſcribere aliquas eccleſias in diœceſi quibuſdam in caſibus viſitandas: vtque moniales eo modo, qui ab eodem Illuſtriſſ. D. Card. præſcribetur, Iubilæum conſequi poſſint.

Quamuis autem aliquis Romam profectus ſemel iam Iubilæum adeptus fuerit, iterum tamen Bononiæ illud conſequi poteſt, dummodo hæc quæ ſequuntur ſeruet.

Quæ

Quæ neceſſariò ſeruanda ſunt ad Iubilæum accipiendum.

ANte omnia præmittenda eſt contritio, & confeſſio peccatorum. Viſitandæ ſunt deuote, quindecim continuis diebus aut interpoſitis, quolibet die quatuor eccleſiæ deputatæ: hoc eſt eccleſia Cathedralis S. Petri, eccleſia Monialium Corporis Chriſti, eccleſia B. Virginis de Baracano nuncupata, & eccleſia S. Gregorij hoſpitalis mendicantium extra vrbem.

In vnaquaque harum eccleſiarũ preces adhibendæ ſunt, & recitandæ deuote quinquies, Pater noſter, & Aue Maria, ſeu aliæ orationes pro cuiuſque deuotione ad libitum; Deuſque omnipotens exorandus pro vnione Principum chriſtianorum, pro extirpatione hæreſum, & pro exaltatione ſanctæ matris eccleſiæ.

Quatuor illæ eccleſiæ ſupradictæ quolibet die omnes viſitari debent: ſeparatim tamen eodem die viſitari poſſunt, tũ mane, tum veſperi, aut alijs horis commodioribus, dummodo eodem die viſitentur.

Quæ de conſilio ſunt obſeruanda; vt vtilius & tutius vnuſquiſque Iubilæum conſequi poſſit.

QVamprimum omnes & ſinguli ſacrũ hoc munus adipiſcantur: incerta enim eſt, certiſſimæ mortis hora.

Studeat vnuſquiſque, vt hac occaſione generalem confeſſionem faciat omnium peccatorum ſuorum, aut ſaltem ab eo tempore, quo eam poſtremò fecit: cõfeſſariumque eligat, qui rectè animæ ſuæ plagis mederi ſciat.

Qua in re Patresfamiliàs exemplo reliquos omnes præire debebunt: atque vt meliùs de hac re edocti, ea vti poſſint: legant quæ pro confeſſarijs, hoc Iubilæi tempore ab Illuſtriſſimo D. Cardinali promulgata ſunt.

Quia verò vt ſcriptum eſt, oratio efficacior ſit eleemoſynis, & ieiunio; iccirco hortamur omnes: vt non ſolũ in quatuor deputatis eccleſiis, ſed etiã in aliis piis locis, eleemoſynas diſtribuant plùs ſolito liberales: ieiunentque quindecim illos iubilæi dies, aut ipſorum partem, quamuis inter quadrageſimam non cõprehendantur, cum quadrageſimale tempus per ſe ipſum etiam ſine Iubilæo ad ieiunium obliget.

Hortamur etiam omnes, vt ſi fieri poſſit, peregrinationem hanc ſanctam quatuor eccleſiarũ pedibus conficiãt, quamuis aliquo incommodo afficiantur, cum præmia ſine laboribus obtineri non poſſint: atque iccirco, niſi maxima neceſſitate aſtringantur, currus, equoſque dimittant.

Homines autem itemque mulieres hiſce diebus ſericas veſtes, variiſque coloribus, vt ſolent eſſe, diſtinctos habitus omnino relinquant: ſed honeſtis veſtibus, honeſtiſque coloribus, qui pœnitentium quodammodo ſint ſymbola vtantur: enſes, aut alia cuiuslibet generis arma ſimiliter deponant: luſus, choreaſque quamuis priuatas prorſus à domibus ſuis arceant, vt non ſolum intrinſecæ, ſed etiã extrinſecæ pœnitentiæ ſint aliis exemplo.

In peregrinatione ad quatuor eccleſias proponat ſibi vnuſquiſque, ſe totius itineris tempus in earum rerum vſu, atq. exercitatione velle conſumere, quæ animum ipſius ad cæleſtia magis extollere poſſint, quàm ad terreſtria deprimere; ideoque Chriſti Domini noſtri ſacratiſſimæ paſſionis myſteria meditetur: Coronam, Roſarium, ſeptem pſalmos pœnitẽtiales, litanias atque alia his ſimilia recitet: vana colloquia effugiat, oculos à vano intuitu cuſtodiat, ne mens à diuinarum rerũ contẽplatione diſtrahatur.

Omnes etiam & ſingulos in Domino exoratos volumus, vt omnia in eadem peregrinatione peccandi pericula totis viribus vitare ſtudeant; atque iccirco inprimis, dum eccleſias viſitant: ne diſcedentes, & accedentes obuii fiant, & confuſio ac tumultus euitetur, eum ordinem teneant: vt primùm eccleſiam Cathedralem S. Petri, deinde eccleſiam monia-

monialium Corporis Domini, tum eccleſiam beatiſſimæ Virginis de Baracano nuncupatam, poſtremò eccleſiam mendicantium extra vrbem viſitent; In eccleſijs vero ipſis eos, qui ad aliquod officium deſtinati erunt minime perturbent: ſed quæcunque mandabunt ad ſanctam hanc peregrinationem ſpectantia deuotè exequantur.

Cum diuerſi ordines tam Regularium quàm confraternitatum vtriuſque ſexus conuenient, vt quatuor ſupradictas eccleſias viſitent, omnes proceſſionem comitari debebunt, deuote, & eo ordine qui eis præſcribetur. Præter vero eos dies qui ad eas proceſſiones habendas præſcripti erunt, hortamur etiam omnes, vt ad eaſdem eccleſias frequenter accedant: quos dies in numerum quindecim dierum, ad quos tenentur ſi Iubilæum conſequi volunt adſcribere poſſunt: ijſque precibus vtantur, quæ ſuperius præſcriptę ſunt, hoc eſt quinquies Pater noſter & quinquies Aue Maria deuotè recitando.

Hoc præſertim ſacri Iubilæi tempore vnuſquiſque omni diligentia curet, vt proximum ædificet verbis & exemplo: ad eccleſias frequenter accedat: miſſæ ſacro quotidie interſit: prædicationes verbi Dei audiat: aliaſque ſpirituales exercitationes, quæ ſiue in cathedrali ſiue alibi haberi ſolent, aſſiduè exquirat & colat.

Qui vero alijs ditiores ſunt, vt Deo bonorum omnium largitori grati hac ex parte reddantur, qui illos multis commodis in hoc mundo affluere voluit: in charitate Chriſti pauperes, & præſertim diœceſanos recipere, iuuare, & docere debebunt.

Iuſſu Illuſtriſſ. D. Card. Palæoti Epiſcopi noſtri diuerſi libelli ſpirituales sũt impreſſi, quorum lectio valde fidelium animas iuuare, atque ad cæleſtia excitare poteſt, veluti de modo confitendi: Inſtructio pro Iubilæo conſequendo: de Stationibus: exercitationes pro diebus feſtis, & alijs: Remedia contra peccata: meditationes ante & poſt communionẽ: Inſtructio pro meditatione myſteriorũ Roſarij: Inſtructio pro meditatione myſteriorum paſſionis Domini: Modus obſeruandus in oratione quadraginta horarum, & his ſimilia: quæ vnuſquiſque pro viribus curet, vt in ſua familia ſint, & legantur. Libri vero non ſolũ laſciui, ſed etiam profani omnino relinquantur.

Qui quatuor prædictas eccleſias per quindecim dies viſitauerint, & Iubilæũ conſequuti fuerint, nequaquam prætermittere debent, vt frequẽter ſi fieri poſſit, eaſdem viſitent: quin potius Chriſtianæ pietatis eximium erit monimentum, ſi quotidie ab initio Iubilæi vſque ad finem, hanc ſacram peregrinationem exerceant: & in dies magis, magiſque ſpiritum deuotionis accendant.

Sciant quicunque vigore Breuis Apoſtolici ab Illuſtr. D. Card. aliquam habilitationem obtinebunt: ſi iuſtis & legitimis impedimentis non detinebũtur quominus ea omnia ad quæ alij tenẽtur exequantur, huiuſmodi habilitationem nequaquam validam eſſe; quin potius, ſi impedimenta aut cauſæ ceſſarent durante Iubilæi tempore, ad quindecim ſupradictorum dierum vt ſupra dictum eſt peregrinationem teneri. Dat. &c.

N. Vicar. Gener.

Animaduertenda à RR. Confeſſarijs deputatis hoc anno Iubilæi anno 1576.

CAueant omnes tam curati, quàm ſuperiores Regulares, ne in eccleſijs ſuis quempiam ad confeſſiones audiendas admittant, niſi prius in Archiep. Curia à deputatis in examine approbatus fuerit.

Approbati meminerint, vt non abutãtur facultatibus in Breui Apoſtolico ſibi conceſsis: ſed in caſibus grauioribus, & difficilioribus antequam ad abſolutionem veniant, cum Theologis agant; qui hanc ob cauſam in Cathedrali eccleſia, & in quolibet monaſterio deſtinati ſunt.

Sciant, per Breue non tribui ſibi fa-

atque in ipſis deputabũt altaria viſitanda. Declaratur tamen hanc habilitatẽ concedi ea conditione, vt proceſſionem generalem ad ciuitatem faciant ijdem Curati omnes, & ſinguli cum ſuis populis, tribus, vel duabus vicibus, vel ſemel prout vnuſquiſque eorum, vt ſupra dictũ eſt à ciuitate longiùs abeſt.

Modus proceſſionis habendæ erit, vt omnes & ſinguli ante confeſsi, & pœnitentes, vnà diſcedant à parochia ſub vexillo ſocietatis, quod præferet clericus cotta, aut alius ſacco indutus. Poſt vexillum immediate, pueri puellæque itineri idonei bini proſequentur, coronaſque in manibus, habebunt demptis omnibus, quæ deuotioni & pœnitentiæ repugnant; poſt hos ſequantur homines bini, quorum iuniores antecedant ſeniores; inter quos Parochus poſtremo loco cotta & ſtola indutus erit, omneſque ſimiliter coronas in manibus habeant, & litanias & pſalmos recitent.

Poſt Parochum ſuccedent mulieres deuotè coronas dicentes, quæ ab omni vanitate ſe alienas eſſe habitu, & modeſtia oſtendãt; poſt mulieres, quę binæ vt reliqui etiam homines procedent, quatuor ſeniores ex Confratribus proceſſionem concludent.

In ingreſſu ciuitatis cuilibet proceſſioni obuiam ibunt confratres deputati ab Illuſtr. Card. Epiſc. ſaccis induti, quorum erit eam ad eccleſias deducere.

Qui ægritudinis aut ſenectutis cauſa aut aliis impedimentis legitimè detenti ad ciuitatem nullo modo venire poterunt, id ſignificent per literas, aut per nuntios Illuſtr. D. Card. Epiſcopo, qui cognita cauſa aliquo modo ipſos etiam habilitabit, & Plebanos aut Curatos monebit, quid eo caſu agere debeant.

Quòd ſi interim acciderent mortis pericula, hoc caſu habilitat idẽ Illuſtr. D. vt Curatus huiuſmodi infirmis iniungat, vt in lecto ad crucifixum, aut aliam ſacram imaginẽ conuerſi, quinquies recitent Pater noſter & Aue Maria quolibet die vſque ad quindecim dies, quibus in eo ſtatu iis eſſe continget: Deumque orẽt vt ſupra dictũ eſt. Siqui tamen grauiter ægrotẽt, vt neque id agere poſſint, Curati conſcientiæ & prudentiæ relinquitur, vt ipſis imponat eam orationem habendam, & pœnitentiam faciendam, quam haberi, aut fieri poſſe exiſtimabit, atque hoc modo Iubilæum conſequentur. Verùm admoneantur à Parocho, quod quando fuerint ſanitati reſtituti, debebunt pro eodem Iubilæo plenius conſequendo, ad ciuitatem vt ſupra dictum eſt, accedere.

Ea ad quæ Parochi populos hortari debebunt.

DEclarare curabunt, tum in confeſſionibus, tum in cõcionibus, quàm pretioſus ſit Iubilæi theſaurus, vt magis ad illum recipiendum omnes inflammentur; atque vt id faciliùs ipſis ſuccedat, perlegent aliquas ſummas caſuum conſcientiæ in verbo (*Indulgentia*)

Legent diligenter animaduerſiones de Iubilæo impreſſas pro populo ciuitatis, & etiàm alias impreſſas pro confeſſariis, iiſque vtantur, vt rectiùs omnia populi percipere poſſint.

Hortabuntur omnes vt diligẽtiſsimè conſcientias examinent, & peccata omnia reminiſcantur, vtque generalẽ confeſſionem faciant: moneantq. poſſe eligi quemlibet, prout libitum fuerit, confeſſarium, dummodo ſit approbatus.

Hortabũtur item vt quamprimum ſalutare hoc munus accipiãt, cum mortis hora ſit incerta, plurimaq. accidere poſſint, quibus aduerſarius noſter animas fidelium tanto bono priuare contendit.

Hortabuntur etiam vt deuotioni plus ſolito vacent, præſertim durante Iubilæi tempore: atque iccirco, conuiuia, luſus, choreas, aliaſque inſanias animæ noxias omnino vitare ſtudeant.

Moneant, eos qui in peccato mortali ſunt, neque firmiter animo propoſuerint ſe illud cum Dei gratia omnino relicturos, veluti odia, inimicitias, concubinas & reliqua huiuſmodi, Iubilæum conſequi non poſſe.

Animaduertent, an in ſuis parochiis ſint inimicitiæ, ſiue nouæ, ſiue antiquæ, eaſque

eaſque omni ſtudio ſedare, & componere ſtudeant: id quod ſi ipſi facere non poterunt, Illuſtriſſ. D. Cardinalem Epiſcopum de omnibus cettiorem faciant.

Hortabuntur vt diebus feſtis tam mane, quàm veſperi ſactis officiis interſint, & doctrinam Chriſtianam frequētent; Atque aliquod nouum deuotionis genus introducent, exempli gratia, vt litaniæ ſingulis diebus feſtis ſimul ab omnibus dicantur: vt pauperes & infirmi inuiſantur: vt aliqua ſpiritualia colloquia habeantur, & his ſimilia.

Hortabuntur demum omnes vtriuſque ſexus Chriſtifideles, vt toto hoc Iubilæi tempote, quoties Bononiam veniunt, viſitent ſaltem ſemel vnam ex quatuor eccleſijs, & in ea quinquies Pater noſter, & Aue Maria deuote recitēt,

Dat. Bonon.

Preces dicendæ in ſingulis eccleſiis deputatis, ſeu deputandis pro conſequendo Sancto Iubilæo.

IN primis cantabitur Miſſa in eccleſia ad id deputata, cū ſolemnitate maiori qua fieri poterit; finita Miſſa Sacerdos qui eam celebrauit cotta & ſtola ſaltē (ſi non adeſt pluuiale) indutus, ante medium altaris, & omnes alii adſtantes genuflexi, incipiet cantare Hymnum.

Veni creator Spiritus
Mentes tuorum viſita &c.

Finito hymno Sacerdos adhuc ſtans ad altare verſus, dicet infraſcriptas preces, & orationes, choro reſpondente, videlicet.

℣. *Venite exultemus Domino*
℟. *Iubilemus Deo ſalutari noſtro*
℣. *Pro pace totius mundi, & proſperitate Sanctæ matris eccleſiæ.*
℟. *Et omnium vnione principum Dominum rogemus.*
℣. *Fiat Domine pax in virtute tua*
℟. *Et abundantia in turribus tuis*
℣. *Eſto nobis Domine turris fortitudinis.*
℟. *A facie inimici.*
℣. *Gratia Sanctiſſimi, boni, & viuificantis Spiritus.*
℟. *Sit nobiſcum nunc, & in æternum*
℣. *Veni Domine & noli tardare*
℟. *Relaxa facinora plebi tuæ*
℣. *Domine exaudi orationem meam*
℟. *Et clamor meus ad te veniat*
℣. Dominus *vobiſcum*
℟. *Et cum ſpiritu tuo*

Oremus.

ACtiones noſtras quæſumus Domine *aſpirando præueni, & adiuuando proſequere: vt cuncta noſtra oratio, & operatio, à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.*

Deus qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere.

Omnipotens ſempiterne Deus *in cuius manu ſunt omnium poteſtates, & omnium iura regnorum; reſpice in auxilium Chriſtianorum: vt gentes Turcarum & Hæreticorum, quæ in ſua feritate confidunt, dextera tua potentia conterantur.*

Deus cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum; purifica per infuſionem ſancti Spiritus cogitationes cordis noſtri: vt te perfecte diligere, & digne laudare mereamur. Per Dominum *noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in unitate eiuſdem Spiritus ſancti* Deus *per omnia ſecula ſeculorum.* ℟. *Amen.*

℣. Dominus *nobiſcum*
℟. *Et cum ſpiritu tuo*
℣. *Benedicamus* Domino
℟. Deo *gratias*
℣. *Exaudiat nos Omnipotens, & miſericors* Dominus: *& fidelium animæ per miſericordiam* Dei *requieſcant in pace.* ℟. *Amen.*

His finitis fiet proceſsio ad primam eccleſiam ex tribus alijs deputatis, cantando litanias, Pſalmos, & alia prout in inſtructione Illuſtriſsimi Domini Cardinalis Epiſcopi.

Cum omnes peruenerint ad dictam eccleſiam, & ibi erunt genuflexi; Sacerdos iterum ſtans verſus altare dicit preces, vt ſupra, videlicet.

℣. *Venite*

Digitized by Google

Hortentur item eos qui lites habent, aut controuerſias, quæ Chriſtianæ paci ſunt cōtraria, vt in Chriſto Domino noſtro omnia componant; alios verò, vt in hoc pacis & concordiæ opus incumbant, accendere non prætermittant.

Cæterum quanta maxima poterunt charitate, patientia, & diligentia tantum munus exerceant, vt animarum ſalus ab eis tutiùs expectetur.

Dat. Bononiæ in &c. N. Vic. Gen.

RATIO OBSERVANDA *a Monialibus intra clauſtra Monaſteriorum, ad Sanctum Iubilæum conſequendum.*

Quæ Breuis Apoſtolici obligatione aſtricta agere debent.

ANtequam ad Sanctum Iubilæum accipiendum accedant, vere pœnitentes ſint, & ſacra cōfeſſione muniteę.

Præter altare maius, interius in ſuis Eccleſijs, erigent tria altaria in eadem interiore parte Eccleſiarum locis aptioribus ad quę proceſſionem habebunt; eamque habebunt per quindecim dies continuos, aut interpoſitos, mane poſt diuini officij celebrationem.

Ante quodlibet altare recitabunt quinquies Pater noſter & Aue Maria, & Deum exorabūt pro vnione Principum Chriſtianorum, pro extirpatione hæreſum, & pro exaltatione ſanctæ matris Eccleſiæ.

Nouitiæ, conuerſæ, & puellæ ſeculares quæ in Monaſterijs aluntur, eundem ordinem ſeruabunt.

Quę autem ita ægrotabunt, vt è cubiculis exire non poſſint, quolibet die, quaternis vicibus recitabūt quinquies Pater noſter & Aue Maria, genibus flexis ſi poterunt, ſin minus ſedentes. Quę in lecto graui morbo oppreſſæ tenētur, ad aliquam imaginem ſacram toties recitent Pater noſter, & Aue Maria, quoties ab ipſarū ægritudine permittetur, iuxta confeſſarij conſilium, ad quod etiam ſeſe accomodent, ſi nec orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam recitare poterunt.

Ianuarum cuſtodes, Infirmarum curationi deputatę, quæque alijs in Monaſterio officijs funguntur, niſi proceſſionibus intereſſe poterunt, eadem altaria viſitabunt per quindecim dies, iis dierum horis, quibus poterunt, vt ſupra.

Quæ de conſilio ſunt obſeruanda, vt maiori fructu ſpirituali, moniales Iubilæum conſequi poſſint.

COnfeſsionē generalem facere ſtudeant, pro qua concedetur illis cōfeſſarius extraordinarius ad vniuſcuiuſque beneplacitum pro vna vice tantum, vt ex omni parte conſcientiæ ſuæ ſatisfacere poſsint.

Præter quatuor altariū viſitationem, ad quæ proceſſionaliter cum hymnis, pſalmis, & litanijs accedent, ſingulæ earum per quindecim alios dies eadem altaria viſitabunt, preceſq. ſimiliter Deo inter eundum effundent.

Durante toto hoc Iubilæi tempore decimo quinto quoque die ſaltem communicabunt.

Orationem item quadraginta horarum ſaltem ſemel habebunt: quam in dies diuident, ſi noctu eam perſequi non poterunt.

Quindecim dies Iubilæo accipiendo deputatos, quæ poterunt ieiunare ieiunent, aut ſaltem à quibuſdam cibis abſtineant, vt aliqua voluntaria pœnitentia adiuncta in conſpectu Dei magis ipſarum orationes placere poſſint.

Durante Iubilæo, nulla ad crates, aut ad colloquia accedat, niſi expreſsā licentiam à Superioribus obtinuerit: Superiores verò eam non concedent, niſi vrgentibus cauſis aſtringantur, & breui temporis ſpatio cum cratibus clauſis colloquendi poteſtatem facient.

Hoc etiam ſacro tempore ſolito plus à vanis inter ſe colloquiis, à riſu, aliiſque rebus huiuſmodi pœnitentiæ

℣. *Venite exultemus Domino* &c.

Finitis precibus, & orationibus, ſequitur proceſſio ad aliam eccleſiam cantando vt ſupra: & in ea etiam dicuntur preces, & orationes vt ſupra.

Et idem modus ſeruatur etiã in alijs.

Cum verò fuerint reuerſi proceſſionaliter ad principalem eccleſiam, cantabitur hymnus.

Te Deum laudamus:

Te Dominum confitemur &c.

Quo finito Sacerdos dicit.

℣. *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuã*

℟. *Et ſalutare tuum da nobis*

℣. *Domine exaudi orationem meam*

℟. *Et clamor meus ad te veniat*

℣. *Dominus vobiſcum*

℟. *Et cum ſpiritu tuo*

Oremus.

D*Eus omnium fidelium paſtor & Rector, famulum tuum Gregorium quem Paſtorem eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti, propitius reſpice; da ei quæſumus verbo, & exemplo, quibus præeſt proficere: vt ad vitam vnà cum grege ſibi credito perueniat ſempiternã.*

Omnipotens ſempiterne Deus, cuius ſpiritu totum corpus eccleſiæ ſanctificatur & regitur: exaudi nos pro vniuerſis ordinibus ſupplicantes: vt gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter ſeruiatur.

Eccleſiæ tuæ quæſumus Domine preces placatus admitte: vt deſtructis aduerſitatibus, & erroribus vniuerſis, ſecura tibi ſeruiat libertate, Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum &c.

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

℣. *Benedicamus* Domino.

℟. *Deo gratias.*

℣. *Benedicat nos omnipotens* Deus, *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.* ℟. *Amen.*

Hoc itaque apparatu, ordine, hiſque prouiſionibus Iubilæum Bononiæ promulgatum, & celebratũ eſt, atque vt finis huius ſpiritualis gratiæ principio reſpõderet, ſtatuit Illuſtr. Card. vt proceſſio ſolemnis poſtremo Iubilæi die haberetur: in qua Illuſtriſsima S.D. & Magiſtratus, populuſque ſummo pietatis & religionis exemplo interfuerunt.

Indictio poſtrema proceſſionis S. Iubilæi, & noua habilitatio ad ipſum conſequendum.

NOtũ ſit omnibus & ſingulis vtriuſque ſexus tam ciuibus, quàm alienigenis, ſiue Bononiæ, ſiue in diœceſi Bonon. commorantibus, Iubilæi tempore iam tranſacto in gratiarum actionem, & in pium erga Deum omnium bonorum largitorem deuotæ fidelium voluntatis monumentum ipſo die octauæ Corporis Domini, qui poſtremus Iubilæi dies eſt per breue Apoſtolicum conſtitutus, generalem & ſolemnem proceſſionem habendam eſſe ab Illuſtriſſimo D. Card. Epiſcopo, toto clero, magiſtratibus, ordinibus, tam regularibus quàm ſecularibus, ad quatuor deputatas eccleſias, videlicet incipiendo ab eccleſia Cathedrali S. Petri, & alijs tribus viſitatis eccleſijs ad eandem Cathedralem reuertendo, & ordinatim proſequendo, vbi omnibus ab Illuſtriſſimo Cardinali Epiſcopo benedicetur.

Quiquidem Illuſtriſſimus D. Epiſcopus vigore facultatis ſibi conceſſę à ſanctiſſimo D.N. concedit Iubilęum ijs omnibus, qui pœnitentes & confeſſi proceſſionem hanc generalem comitabuntur ad quatuor ſupradictas eccleſias.

Et eodem die eo tempore quod commodius ſibi eſſe videant, recitent vicies *Pater noſter*, & *Aue Maria*, in vna aut pluribus eccleſijs, quas ſibi eligere poſsint: Deum orantes pro remiſsione ſuorum peccatorum, pro exaltatione ſanctæ matris eccleſiæ, pro extirpatione hæreſum, pro pace & concordia Principum Chriſtianorum, vt in Breui Apoſtolico iam promulgato habetur.

Quòd ſi quis aliquo legitimo impedimento detineatur, quominus proceſſionem proſequi poſsit: idem Illuſtriſſ. D. Card. vigore ſupradictæ facultatis concedit ijs ſimiliter Iubilæum, dummodo vere pœnitentes, & confeſsi ſint, eoque die quatuor eccleſias deputatas viſitẽt, & in earum ſingulis quinquies *Pater*, &

Aue

Aue Maria recitent orantes vt ſupra.

Si qui verò ob ægritudinis, aut ſenectutis, aut aliam iuſti impedimenti cauſam, prædictas eccleſias viſitare non poſſint; Idem Illuſtr. D. dat facultatem pœnitentiarijs eccleſiæ cathedralis, & ipſis Parochis, ſub quorum cura huiuſmodi fideles erunt: vt recte cognito impedimento, pro eorum qualitate, ipſos habilitare poſsint, vt propinquiores eccleſias viſitent, prout ipſis magis expedire videbitur; qui verò domo ob ægritudinem exire non poſſunt, vt Iubilæum domi conſequi poſsint, ante ſacram imaginem genuflexi: & eandem facultatem concedit ſuperioribus monaſteriorum pro fratribus & monialibus quæ ad proceſſionem ſimiliter accedere non poterunt.

Cæterum exoret vnuſquiſque Deum in toto corde ſuo, vt theſaurum hunc ſacri Iubilæi cuſtodire dignetur, ceſſent peccata, perfectioris vitæ ſtudium creſcat, religio, pietas, & reliquæ virtutes ferueant ardentiùs, vt omnes ſimul in cæleſti gloria coronari mereamur, Dat. Bononiæ &c.

N. Vic. Gen.

COLLECTOR. *HVIVS publicæ ſolemnis proceſſionis ordo, itemque aliarum quæ toto Iubilæi tempore confectæ ſunt, ad laudem* Dei *& perpetuam rei memoriam: iuſſu Illuſtriſſimi* D. Card. *Archiep. in atrio Cathedralis eccleſiæ ſancti Petri depictus eſt in ipſa Bononienſis ciuitatis Typographia: vbi via, eccleſiæ, confraternitates, & reliqua ſigillatim exprimuntur. huic verò picturæ ſequens inſcriptio adiuncta eſt.*

ANNO SALVTIS MDLXXVI.

IVbilæo à Gregorio XIII. Pont. Max. ciue Bonon. per Gabrielem Card. Palæotum Epiſcopum, & ciuem Bononienſem indicto, Ciuitas Bononiæ repente in ſtudium religionis pietatiſque conuerſa, obſecratione per vrbem ab omnibus ſacris, & profanis ordinibus ipſo præſcribente, ac præſente cum Magiſtratibus Epiſcopo habita: ſubinde viritim, vicatim, collegiatim, & pagatim inſtructa, ſub proprijs vexillis ſupplicatum hoc ordine per quinque menſes ad quatuor templa ab ipſo Epiſcopo conſtituta, memorabili in poſterum Chriſtianæ ſanctitatis exemplo proceſſit.

FINIS QVARTÆ PARTIS.

ARCHIEPISCOPALE BONONIENSE SIVE DE BONONIENSIS ECCLESIAE ADMINISTRATIONE.

GABRIELIS CARDINALIS PALAEOTI PARS QVINTA.

Quæ ad Congregationes, Sodalitates, & loca pia pertinet.

COLLECTOR. *CVM hæc quinta pars multiplicem, ac variarum rerum congeriem complecti videretur, vt lectori facilior eſſet harum rerum omnium quæ afferentur, vel omittentur cognitio; Congregationes quamplures, quæ haberi ſolent ab Illuſtriſſ. Archiepiſcopo, quibuſque opportune vtitur ad rectum ſuæ eccleſiæ regimen retinendum, tum etiam alias ſodalitates, ſiue loca pia, ad tria præcipua genera redigi poſſe exiſtimauimus.*

Primum eſt earum quæ pertinent ad res ſpirituales, ſiue ad inſtruendum intellectum, atque informandos vitæ mores. quales ſunt

Congregatio doctrinæ Chriſtianæ
Congregatio caſuum conſcientiæ
Congregatio perſeuerantiæ
Congregatio oratorij in eccleſia Metropolitana
Congregatio pro diſciplina monialium
Congregatio ſocietatis nominis Dei, & aliæ his ſimiles.

Secundum eſt earum, quibus præter morum diſciplinam, eleemoſynæ procurantur: & illis, ac ſubſidijs alijs corporalibus egentes adiuuantur. quales ſunt

Congregatio pro infirmis & verecundis
Congregatio pro viſitatione carceratorum
Congregatio Oeconomiæ Archiepiſcopalis
Congregatio pro eleemoſynis colligendis

Digitized by Google

Congregatio pro rebus hoſpitalium
Congregatio pro bonis temporalibus monialium
Congregatio pro conuertitis, & alijs locis pijs
Congregatio montis pietatis, atque aliæ huiuſmodi

Tertium eſt earum quæ mixtæ ſunt, & in quibus vtrumque peragitur, videlicet.

Congregatio Archipreſbyterorum Diœceſis Bonon.
Congregatio Sodalitatum ſanctiſſimi Sacramenti
Congregatio Viſit. eccleſ. & piorum locorum
Congregatio ordinaria pro varijs negocijs Archiepiſc.
Congregatio regiminis clericorum ſeminarij
Congregatio regiminis conuictorum ſeminarij
Congregatio regiminis catechumenorum
Congregatio pro regimine & victu pauperum mendicantium
Congregatio pro regimine hoſpitalis infantium expoſitorum
Congregatio charitatis, ad iuuandos eos, qui in carceribus detinentur
Congregationes extraordinariæ pro aliqua publica calamitate, ſeu periculi tempore. *Et reliqua huius generis.*

Præter has Congregationes, ſunt etiam ſodalitates, ſeu Confraternitates laicorum, de quibus in hoc libro paucis tantum, & obiter quodammodo ſuis locis agitur, quia plurimæ ſunt, ſuasque habent regulas ab Illuſtriſsimo Archiepiſcopo reformatas; atque à deputatis ab eodem Archiepiſcopo viſitantur. quæque bona poßident temporalia, ſingulis annis illorum rationem reddunt, parentque in omnibus eidem Archiepiſcopo.

Ceteræ verò Congregationes ſuperiùs enarratæ, quamuis habeant & ipſæ ſuas conſtitutiones, non tamen omnes in hac Collectione ponuntur, aut in hac ipſa parte; longius enim, quàm par eſt, & extra rem noſtram progrederemur: ſed tantummodo quædam afferuntur, quæ magis neceſſaria viſa ſunt eccleſ. Bonon. adminiſtrationi, neque omnes tum in hac parte, tum in toto collectionis opere collocantur eodem ordine, quo ſunt enumeratæ; non enim ſemper locus opportunus fuit: ſed de earum ſingulis vbi opus est, congrua fit mentio.

INDEX

INDEX RERVM PRAECIPVARVM QVAE IN HAC QVINTA PARTE CONTINENTVR.

De Clericis Seminarij Bononienſis.
De Conuictoribus eiuſdem.
De Clericis inſeruientibus eccleſiæ Metropolitanæ.
De Congregatione Perſeuerantiæ.
De Congregatione Oratorij in eadem eccleſia Metropolitana.
De Congreg. pro cæremonijs ſacris obſeru.
De Hoſpitalibus, & Regulis aliquot pro ipſorum adminiſtratione.
De Congregatione infirmariorum.
De Prouiſionibus circa eleemoſynas colligendas, & diſtribuendas.
De Congr. pro regimine domus Catechu.
De Congregationibus extraordinarijs, & illa præſertim quæ inſtituta eſt ab Illuſtr. Archiep. dum inſtaret peſtis periculum.

DE SEMINARIO BONONIENSI.

COLLECTOR.

ILLVSTRISS. D. Card. Archiep. cum Bonon. eccleſia adminiſtrationem ſuſcepit, ſatagens vt Tridentini Concilij decreta in praxim pro viribus adducerentur, Seminariũ in primis clericorum Bononiæ erigendum, & inſtituendum curauit. quod & ſi ob multas, variasq. temporum difficultates proprys reddítibus, ad plurimos clericos vndequaque colligendos, atque in eo alendos, ditare non potuit: tamen numero ſatis amplum eſt, & quæcumque ad ipſius diſciplinam tradendam, ipſumque ſuſtentandum faciunt Amplitudo ſua Illuſtrißima nullatenus prætermiſit, beneficia plura vniuit, ædes aſſignauit, & auxit, & ſuis ſumptibus nonnullos clericos etiam in ipſo alere conſueuit.

Supra pag. 355.

Nunc vt ea hic collocentur, quæ ad hoc Seminarium ciuitatis Bononienſis faciunt, præter ea quæ ſuperius tradita ſunt de Seminarijs in Conc. Prouinciali I. Bonon. quæ ad vniuerſam Prouinciam generatim pertinent: ſelegimus tantummodo quoddam quaſi compendium regularum, quæ in ipſo obſeruari ſolent, quas congregatio ab eodem Illuſtriſs. Archiep. conſtituta pro recto Seminarij regimine, in quam conueniunt frequenter nonnulli deputati Canonici, Doctores, Religioſi, aliique graues, & periti viri, confecit.

Hæc vero, & alia huiuſmodi quamuis aliquibus fortaſſe minutiora videri poſsint, tamen cum ex ijs ratio recta Seminarij adminiſtrationis adumbrata ſaltem appareat; facere noluimus, quin in hac collectione ea etiam poneremus. nam veluti materiale ædificium pluribus inſtrumentis etiam exiguis indiget, ne corruat; ita etiam collectionis noſtræ opus hoc, vt ex omni parte Archiepiſcopalis adminiſtrationis adminiculis firmatum, iuuante Deo creſcat, requirebat vt hæc, & his ſimilia etiam inter cætera adijcerentur.

Sequuntur capita quædam ex regulis deſumpta, quas congregatio pro regimine ſeminarij Bonon. ab Illuſtriſſ. Archiep. inſtituta confecit.

Prima pars agit de ipſis clericis.
Secunda de præfectis, & miniſtris.

Pars prima.

De conditionibus quæ requiruntur in ijs, qui in Seminarium Bonon. admittentur, Cap. I.

QVI in Seminarium Bonon. admittentur, eos aut Bononiæ, aut in diœceſi natos, & legitimo matrimonio procreatos eſſe conſtare debebit: duodecim vero ſaltem annos nati ſint; recte & legere & ſcribere norint; pariterque verborum ſyntaxim, tum actiuorum, tũ paſſiuorum probe teneant, Quod ſi decimum octauum annum agant, ita demum recipiantur, ſi grammaticæ totius regulas didicerint, & recte intelligant.

Eo autem aſpectu ſint, atque eo animo ſeminariũ ingrediantur, vt toto vitæ ſuæ tempore Deo mancipati, in eccleſiaſtica vocatione ſe perſeueraturos eſſe profiteantur. Bona inſuper eos eſſe oportebit corporis valetudine, & iis ingenii viribus, vt ſtudiorum laborem perferre & in iis tantum proficere poſſint, vt eccleſiaſtica munera pro dignitate ſuo tempore obire valeant.

Aditum quoque in ſeminarium externæ diœceſis adoleſcentibus patere volumus, ea quidem lege, ſi & ſuperius commemoratæ conditiones iis inſint, & ſuis ipſi ſumptibus alantur. Inprimis autem quicunque Clericis Seminarii adſcribi cupiet, ad congregationẽ de eo haberi ſolitam ab Illuſtr. Archiep. accedat neceſſe eſt, cui nomen, cognomen, ætatem, parentes, parochiamque, quam incolit ſcripto patefaciat, & cauſas ſuſcepti vitæ inſtituti aperiat: in ea congregatione omnia diligenter examinabuntur: & præterea inquiretur an ſacrã confeſſionem & Euchariſtiæ ſacramentum frequentarit: quantum in literis profecerit, quem habuerit præceptorem, quam bene & legere, & ſcribere norit: quibus aliiſque huiuſmodi rebus recte cognitis, id deliberabitur, quod in Domino magis expedire Illuſtr. Archiep. exiſtimabit.

De recenter admiſsis in Seminariũ, Cap. II.

ADmiſſi vt ſupradictum eſt in Seminarium, veſtibus vtentur clericalibus; atque etiam quamprimum

promoue-

promouebuntur ad primam Tonſuram: veſtes ſint violaceæ tam ſuperior, quàm interior, talares, laneæ: nequaquã verò ſericæ. habebũt domeſticam veſtem ſiue nigram, ſiue fulginei coloris, ſimplicem absq; globulis, aut ſericis vllis ornamẽtis: calcei ſint nigri nullatenus ad elegantiam inciſi: femoralia non turgida, neque interulæ ad collum aut ad manus vllo ornamento elaboratæ.

Ingreſſi Seminarium, detinebũtur in cubiculo ad id deputato, nonnullis diebus ab aliis disiuncti: vt interim de inſtitùta viuendi ratione, quam inire volũt, diligentius cogitare: ac certius ſtatuere poſſint, quid ipſis in poſterũ ſit agendũ.

Illis diebus docebũtur rationem examinandæ cõſcientiæ, & ſimul orandi. demum vbi deuotè peccata generali confeſſione diluerint, ſacrũ Euchariſtiæ ſacramentum ſuſcipient: quo facto tunc clerici ſeminarii cenſebuntur, & aliorum clericorum diſciplinæ in eo cubicũlo, quod Rectori videbitur adiũgentur.

De Oratione, Confeßione, Communione. Cap. III.

QVotidie matutinis horis omnes vnà congregati quartam horæ partem orationi dicabunt in ſacello: veſperi itidem litanias dicent, & octauã horæ partem examinandæ conſcientiæ impendent. Inde vbi Rector orarit in ea verba, *Viſita quæſumus Domine*, & quæ ſequuntur, omnes dominicam orationem, ſalutationem angelicam, & fidei ſymbolum ſummiſſa voce recitabunt, & alta voce pſalmum *De profundis*, pro iis qui beneficia in Seminarium contulerint, tum viuis, tum vita functis, tãdemq. orationem Rector pronunciabit, quæ incipit *Fidelium Deus omniũ conditor* &c. Præter quotidianam autem iam dictam orationem omnes feſtis diebus ſimul officiũ B. Virg. canent in ſacello, qua hora viſum Rectori fuerit. Quotannis quoque in feſto omnium ſanctorum poſt ſolis occaſum, officiũ pro defunctis recitabunt itidem in ſacello. Quotidieq. mane rei diuinæ intererũt, qua decet modeſtia & religione. Omnes ſingulo quoq. mẽſe peccata ſua confitebũtur confeſſori, qui ipſis erit deſtinatus, alii præterea nulli absq. Rectoris expreſſa venia: & primo cuiuſuis mẽſis dominico die Euchariſtiæ ſacramento reficientur, aut ſæpius etiã, prout illis eorum pietas dictare videbitur, & Pater ſpiritualis cenſebit, cui hoc iudicandum relinquitur.

De diſciplina morum. Cap. IIII.

INcedentes per vias, eam adhibeant modeſtiam quæ religioſos viros maxime decet: ſileant, nullumq. impatientiæ aut arrogantiæ ſignum præſeferant.

Dum cibus ſumitur, eorum aliquis ad id deputatus à Rectore leget ad mẽſam vnicum ſacræ ſcripturæ caput; & alios deinceps libros, qui Rectori probabuntur; Verumtamen dum ſcriptura ſacra legitur, reuerentiæ ergò; is qui leget aperto capite ſtabit erectus: quo abſoluto ſedere, & caput tegere licebit.

Refectionem corporalem præcedat benedictio menſæ, ſequatur verò gratiarum actio; reſpondeantq: ſinguli, vt fieri ſolet, eam recitãti, ſiue rector fuerit, ſiue quiuis alius ſacerdos; quamobrem omnes illam addiſcent ad verbum è breuiario Romano. Adhæc omnes miniſtrabũt ad menſam, cum fuerit ipſis imperatum.

Nemini liceat coquinã, ſiue triclinium ingredi, neque familiaritatem vllã cum miniſtris, aut famulis contrahere: neq; cum ipſis, aut cum aliis, qui in aliis habitant cubiculis cõgredi, aut longiora colloquia inſtituere: neque extra tempus comedere, aut bibere abſque Rectoris expreſſa permiſſione: ſint procul ab eorũ colloquiis detractiones, maledicta, probra, obſcœna verba, ſcommata; præcipuè verò interdicimus omnibus, ne contra ſuperiorum ſuorum, ſiue præceptorũ famã, aut exiſtimationem quidquam dicant, grauiſſimas alioqui pœnas commināres, tum eius culpæ reis, tum iis etiam, qui eos non accuſarint. Studeant iis quibus ipſi re aliqua ſeſe nouerint eſſe inferiores, eum honorem habere, quem vniuſcuiuſque conditio, ac dignitas requirit: idq. abſque fuco, aut fallacia, vt eccleſiaſticis cõuenire videtur, ſe ſe fraterno amore inuicẽ diligentes.

Sternet vnuſquiſque proprium ſibi lectum, & eam cubiculi partem in qua verſatur,

Digitized by Google

ſatur, ac degit purgabit: proprias item veſtes ſordere non patietur.

Habeant omnes coronā in ſummo capitis vertice clericalem, ſiue tonſuram, quæ 15 quoque die renouetur, & vnicuique ordini ſiue minor ſit, ſiue maior conueniat.

De diſciplina ſtudiorum. Cap. V.

TOtis viribus in ſtudia ſibi præſcripta incūbent: neq. à ſtatuto ordine præmeditandi, audiendi, & reddendi lectiones ne tranſuerſum quidem vnguem deflectent, abſque ſcholarum præfecti, ſiue eorum, qui ijs educandis præſunt, expreſſa facultate. In primis autem omnes teneantur addiſcere catechiſmū definitis ad eā rem diebus, & horis.

Statis etiam horis canendi rationem addiſcant, neque extra illud tēporis ſpatium canere poſsint, niſi à Rectore id ſibi fuerit conceſſum.

Exemplar verò ſtatis horis à magiſtro ſcribendi accipiant, in eoque imitando maximam adhibeant diligentiam.

Edocti mediocriter pueri rationē latine loquendi, cōtinuo tam domi, quàm foris latine loquantur; cum exteris verò illo vtantur idiomate, quo ipſi voluerint: cæterum Rectoris in manu ſit, relaxandi animi cauſa, ipſis concedere, vt his latini ſermonis legibus ſoluantur.

De obedientia erga Superiores. Cap. VI.

REctori dicto audientes erunt, ipſiq. ſummum honorem, qui præpoſito debetur habebunt; quo cum loquentes aperto capite erecti manebūt: quicquid autem ille præceperit, mox liberi animo nihil contra reſpondentes exequantur.

Pareant omnes pręceptoribus ſuis ac præfectis: & in ſuo cuiq. munere eā exhibeant reuerentiam atque obedientiam præſtent, quæ ab ijs Rectori ipſi debetur.

Nemini liceat habere apud ſe pecunias, verùm cui mādauerit Rector apud illum deponātur, quę poſtea in res ijs neceſſarias erogabuntur, quod tamē non niſi conſulto Rectore faciendum erit.

Nemini fas ſit mittere, accipere, aperire literas, ſiue ſchedulas, priuſquam illas Rectori oſtenderit, qui prout æquū videbitur, illas ſiue ipſe retinere, ſiue ipſis concedere poterit.

Omnes mane de lecto vna, & eadem hora ſurgent, cubitum itidem ibūt, quæ quidem ipſis præſcribetur; lectiones verò audient, ſacro intererunt, in cubiculū ibunt, ſeſe ad relaxandum animum conferent ijs horis, quibus ſibi per ſignum cāpanæ fuerit indicatum: tandem quicquid aut ſonitu cāpanæ, aut quouis alio dato ſigno ſibi fuerit mādatum, libenter aggredientur: ſurgentesq. vel cubitum euntes, in ipſa animi relaxatione, in eccleſia, in triclinio, domi, inter vias publicas ſummam modeſtiam adhibebūt, ac pariter in cubiculo, præſertim cum ſtudiis operam nauant.

Nemini inſuper aut proprium locum mutare, aut cubiculum egredi Rectore aut Præfecto inconſulto liceat.

Nemo absq. permiſſu Illuſtr. Archiep. ſiue congregationis foras cubitum ibit, idq. raro cōcedatur: neque verò egredi domo liceat ad ſua negotia ſiue ad epulum niſi poteſtate à Rectore ſibi facta; neque ſibi capiet ſocium quem volet, ſed quem illi Rector adiunget.

Non liceat ipſis quidpiam cuipiā dare, aut ab aliquo petere, niſi Rectore prius commonefacto.

Exteros domum adeuntes nemo audeat alloqui, nedum ipſis cubicula, & reliquas domus partes oſtendere abſq. Rectoris permiſſu.

Extra domū cum nemine pariter congrediantur abſque Rectoris conſenſu: ſed tātum, quicunq; is ſit, conſalutatum eum, ſeu præſalutatū admonebit ſi velit colloqui ſecum, vt præfectos Seminarii adeat prius.

Si quid ipſis deerit quod vel ad ſtudia, vel veſtitū, vel habitationem, aut ad valetudinē neceſſario pertinere viſum fuerit: id ad Rectorē referent, cuius erunt partes, corū neceſſitatibus proſpicere.

Diœceſani ipſius ſeminarii alumni certum quendam habeant hominem in vrbe, qui nomine parentum ſuorum ipſis neceſſaria ſubminiſtret: idque eam ob cauſam, ne tempus fruſtra terant iuuenes per vrbem huc illuc commeantes.

De re-

De Recreationis tempore. *Cap.* 7.

BIn̨ę ſingulis diebus recreationis horæ ipſis indulgebuntur; altera quidem ſtatim à prandio, altera poſtcœnā; verum hyeme quæ poſt prandium dabitur erit breuior, æſtate verò longior, horæ ſcilicet vnius, & dimidiæ.

Præter ſupradictam recreationem, ſingulis hebdomadis, feria quinta, dummodo nullus ſit infra hebdomadam feſtus dies; omnes vnà cum Rectore poterunt ire extra vrbem deambulatum, dummodo vnicam horam mane, alteram verò à prandio ſtudijs inſumant.

Tempore recreationis omnes ſimul commorabuntur, vel ſeparatim, prout Rectori placuerit: ſermonesque de rebus ad clerici munus attinentibus habebunt, ſeque in ſtudio canendi exercebunt: licebit inſuper ludo aliquo ſe oblectare, honeſto tamen ac decenti, qualem Rector ipſe iudicabit.

De Menſa. *Cap.* 8.

ACcumbent omnes primæ menſæ; qui per occupationes nō poſſent, facultatem à Rectore petant. Ordo accubitus is erit. Rectoris eſto ſupremus locus, ſequens ſacerdotum, deinceps diaconi ac ſubdiaconi: tum demum clerici maiores natu diſcumbent; ſilentiūque ſeruent, atque ad menſam, vt dictum eſt, ſemper legatur.

In ſecunda menſa ordo accubitus is erit, vt ſcilicet primo loco ſedeāt ij, qui primæ menſæ inſeruierunt: poſt hos miniſtri ac famuli, nullo gradus ordine ſeruato, ſilentioque eodem quod primæ menſæ indiximus: hique ex altero tantum menſæ latere diſcumbent vniuerſi. ſcient clericos quidē à medio triclinio ad ſummum vnà collocandos eſſe; a medio verò ad imum famulos: Rectorisque partes erunt præcipere, vt interea clericorum aliquis ex ijs, qui in primā menſa cibum ſumpſerunt, librum aliquē pium legat vernaculo idiomate conſcriptum.

Conuictores ipſi ſeparatim manebūt vnà cū Pręfecto à Rectore ſibi aſſignato.

PARS SECVNDA

De ijs, quæ ad præpoſitos, & miniſtros Seminarij ſpectant.

De Congregatione eorum, qui præpoſiti ſunt adminiſtrationi Seminarij. *Cap.* 1.

EOrum partes erunt curare, vt Rector, œconomus, cæterique miniſtri traditas ſibi regulas ac leges diligentiſſime ſeruent.

In eorundem manu erit admittere, ac dimittere clericos, conuictores, rectorem, œconomum, præceptorem canendi, aliosque Seminarij miniſtros, prout intereſſe videbitur: primarios autem miniſtros, non niſi re prius ad Illuſtriſſimum Archiepiſcopum delata.

In approbandis clericis ab infraſcriptis legibus ne diſcedant.

Studeant ſemper, vt Seminarium bene inſtructum ſit optimis, tum literarū, tum canendi præceptoribus: in quibus nulla earum partium, quę ad proprium munus obeundum requiruntur, deſideretur; curentque vt adoleſcentibus addiſcenda proponantur, quæ fuerint ipſorum captui accommodata: ac priuatim videant nihil vt eos fugiat, quod ad ipſorum procurationem ſpectet.

In eo maxima cura adhibeatur, vt cō feſſarius peritus, atque in primis pius non deſit; cui omnes Seminarii alumni peccata ſua confiteantur.

Singulis hebdomadis conueniant omnes vnà, vt de rebus tam ſpiritualibus, quàm temporalibus ad collegium ſpectantibus deliberent; & quæ maioris erunt ponderis perſcribenda curent: rationesque præterea ſubducent cum œconomo, cellario, & alijs miniſtris.

Semel ſaltem in menſe omnes ſeparatim Rectorem interrogent; iti dē œconomum, aliosque miniſtros, ac etiam adoleſcentes ipſos, vt ſtatum Seminarij cognoſcant: hoc autem fiat eo tempore, quo ſtudiis nullum poſſint afferre impedimentum.

Con-

Conquerentibus Seminarij alumnis de Rectore, ſiue præceptoribus; ita reſpondeant, atque cum ipſis tractent, vt nihil de Rectoris, aut præceptorum auctoritate imminuatur; verum peccantes ſumma charitate monebunt, idque in primis curæ ijs ſit. omnia enim in eo ſunt, vt ſubditi ſibi Præpoſitos ament, timeant, & vereantur.

Quod ad temporalia pertinet: ante omnia curent, vt tẽpore opportuno debitæ penſiones exigantur; tempeſtiueque præcipua cibaria, & quidem non minutatim: ſed ampliore ſumma ac portione coemantur, ac decenter frugaliterque diſtribuantur.

Maximam in eo diligentiam adhibeant, vt is qui nomina exigit, aut rationarius eſt, diligenter exigẽdi nimus curet: atque omnia diſtincte, ſeruatoque temporum ordine perſcribat, ne ſcripturarum farrago fiat.

Singulo quoque menſe impenſarum eius menſis ratio ſubducatur: & illorum numerus notetur, qui domeſticis impenſis aluntur; idque omne in certo quodã libro perſcribatur, vt abſque vllo negotio, & impenſarum modus, & viuendi ratio inſpici poſſint.

De Rectore. Cap. 2.

Rector Illuſtriſſimum Archiepiſcopum, & Congregationem eorum qui vniuerſo Seminario præfecti ſunt, agnoſcet ſuperiores; ipſe autem reliquis Seminarij miniſtris imperabit, quod ad vitæ diſciplinam, & ea quæ ad ſpiritualem fructum attinent, prout inferius declarabitur.

Præcipua erit ipſius curatio, vt omnes domeſtici ſuis legibus pareant, vigeatque Chriſtiana & Eccleſiaſtica diſciplina: atque in literis & moribus, inſuper in omni virtute pro viribus proficiant; iusque ei erit, famulis ea iniungere, quę vſui ac profectui Seminario, Clericis, ſibi etiam ipſi eſſe iudicabit.

Priuatimque in eo laborabit, vt omnes in timore domini permaneant, frequenter ad Deum preces fundant, peccata confiteantur ſua, ſacroſancto Euchariſtiæ cibo reficiantur, vt legibus cauetur: bis tamen ſeu ter in anno facultatem ipſis cõcedet, vt confeſſionem ſacram peragant apud eum confeſſarium qui ipſis viſus fuerit, quo meliùs conſcientias ſuas expurgent.

Erit illi nihilo ſecius curæ omnium valetudo corporis, neque in ſumendo cibo, potuvè peccari quidquam, aut ſobrietatis fines tranſiliri patietur.

Prætere a vidẽdum illi, ne oeconomus vltra medicorum præceptum aliquid infirmis, aut conualeſcentibus dandum curet; atque interdum illi præcipiet, vt ſi fieri poterit abſq; vllo Seminarij detrimento, cibum adoleſcentibus comparet, quo ipſi libentius veſcuntur: neque permittet vt apponantur corrupta, aut putrida eſculenta, aut poculẽta, aut aliquid alicui interdictum, aut priuatim quod non alijs commune fiat.

Partes ipſius erunt etiam horas ſumendi cibi, pro conditione anni temporum ſtatuere, quæ ab horis ordinarijs ciuitatis non diſcrepent. Tempora etiam relaxandi animi, dormiẽdi, vigilandi, & cætera huiuſmodi pro ſuo arbitratu diſtinguet.

Lectiones aut ipſe repetet, aut alium qui repetat, huic oneri idoneum reperiet: idque muneris exequatur iuxta Præfecti ſtudiorum præceptum.

Summam adhibeat prudentiam in conſociandis Seminarij alumnis, & conuictoribus, eorumque contuberniis diſponendis; ſic enim collocandi erunt, vt diſcoli maturioribus adiungantur; qui ſcilicet minus ſapiunt, aut in literarum ſtudiis minus profecerunt, ſapiẽtioribus, ac prouectioribus aſſocientur. eorum etiam coniunctiones, quos vnà verſari minus decere, aut expedire viſum fuerit, dirimet, ne quid inde mali ſuboriatur.

Curabit inſuper vt cubiculis puerorum nihil ex rebus quotidiano vſui neceſſariis deſideretur, aqua ſcilicet ad manus abluendas, oleum ad lumina, quò diſcipulis terendi fruſtra temporis omnis occaſio auferatur, iuſtisque aliis

de

de cauſis, quas conſultò prætermittimus. videbit etiã vt in cubiculis, in quibus ipſi viſum fuerit, noctu perpetuo lumen ardeat. Præfectique igniarium habebunt ad accendendum ſtatim ignem, ſi ita tulerit occaſio.

Vnicuique cubiculo aſſiſtat Præfectus, isque è maturioribus, atque ei muneri aptioribus deligatur, qui ſemper poſtremus cubitum ibit, primus cubitu ſurget.

Videat ne pueri familiariter vtantur famulis domeſticis, abſque vrgente neceſſitate, familiaritas enim multis de cauſis nocere ſolet.

Priuſquam cubitum eat obſerati iubeat fores domus, tam anteriores, quã poſteriores, & earum claues noctu apud ſe habeat, atque ipſemet viſum eat, vel alium ſibi fidelem mittat, qui videat nũ fores clauſæ fuerint: horis autem opportunis claues reſtituet, quò poſſint tempeſtiue neceſſaria parari.

Euntibus extra domum aliis, non permittat manere domi puerum aliquem; quod ſi neceſſitas poſtulet; videat qui tunc domi remaneant: præcipue autem in ædibus probus aliquis, ac ſpectatæ vir fidei relinquatur.

Magnopere autem Præfectorum, ac præceptorum, tum humaniorum literarum, tum canendi auctoritatem ſeruare curabit: quòd ſi res ita poſtulet, vt puniendi nonnumquam ſint Præfecti, id non niſi circumſpectè fiat, neque ob latentem aliquam culpam; neque verò propter aliquod palam admiſſum erratum publice irroganda erit pœna, ſi ea res de eorum exiſtimatione nonnihil detraheret, & eos in contemptum adduceret.

Famulos denique, ſiue quoſuis alios ab officio ſuo diſcedentes, apud eos, qui Congregationi præpoſiti ſunt, accuſet.

De Præceptore Cantus, Cap. 3.

PErfungatur hoc onere ea charitate ac diligentia, qua poteſt maxima. in id præcipue incumbens, vt & dictis, & factis recte viuendi exemplum diſcipulis ſuis præbeat, modeſtia vtens, & grauitate, garrulitatem cauens: cum diſcipulis vero ſuis, neque publice, neque priuatim, niſi de rebus ad munus ſuum ſpectantibus, colloquatur.

Statis tantummodo horis, ac diebus, atque in loco ad id deſtinato, diſcipulos inſtituet.

Maxime elaboret in docendo ipſos, præſertim autem rationem cantus, qui dicitur firmus, quo ipſis facilis reddatur cantus eccleſiaſticus; eos exercens in antiphonis, ac miſſis, quæ in dies occurrent. nẽpe tempore aduentus, in miſſis quæ dicuntur in Aduentu, ſic de Natali D.N. Ieſu Chriſti, Circunciſione, ac de ſingulis aliis feſtis diebus.

Canentur autem nonniſi Eccleſiaſticæ cantilenæ, ac piæ & honeſtæ: amatoriæ vero faceſſant omnino, ac ne honeſtæ quidem, niſi a Rectore fuerint prius cognitæ, ac permiſſæ, admittantur.

Ad canendum aptos, & eos quibus concinna & ſonora vox eſt, docebit pſalmorum, antiphonarumque initia præire, quod vulgo intonare dicitur, verſiculos canere, atq. etiam poſtrema illa verba ſcilicet *Benedicamus Domino, &c.* quos cum domi optime inſtruxerit, eos demum in Eccleſia canere iubeat.

Cum autem cognouerit aliquem in addiſcendo eſſe negligentem atque ab officio diſcedere, Rectorem moueat, quò, vt æquum eſt, peccantem corrigere poſſit,

De Præfectis. Cap. 4.

REctori obedientiam ac reuerentiam præſtent, quę ſuperioribus ac præpoſitis debetur.

Sciant autem ſuum hoc eſſe propriũ munus, vt iuuenes ſuæ crediti fidei, in pietate ac religione, bonis moribus ac litteris pro viribus adiuuentur, & vnuſquiſque peculiares, easque nón perfunctorie: ſed diligenter, atque ex animo, pro iis, qui ſibi commendati fuerint, ad Deum preces fundat. neque verò cum iis agendum erit ſeuerius, aut verbis vtendum aſperioribus, ſed leniter, placideque

cideque procedendum, & mitiori oratione vtendum, atque adeo ea morum grauitate, ac prudentia, vt diſcipuli eos reuereantur, ſimul ac timeant; quos ſi corrigere oportebit, ita corrigant, vt ipſis innoteſcat illud nonniſi pacis amore, ac vitii deteſtatione fieri. ac vt liberius cum iis agere poſſint, maioremque in eos auctoritatem habere, eorum miniſterio non vtentur, v. g. in ſcriptis exarandis, aut alia re quapiam huius generis obeunda, neque ſe aliquo ab iis munere corrumpi ſinent.

Neque verò familiariter admodum cum ipſis agere debebunt, quin recte ingenium vniuſcuiuſque expendentes, alios quidem blande appellando, alios monendo, alios minis terrendo prout opportunius eſſe, ac magis expedire viſum fuerit, ita ſe gerant. Ipſis interdum leges ſeruandas in memoriam redigẽt, & in ea re ipſos exercebũt: quod ſi quis legum limites exceſſerit, Rectorem moneant, qui in eos, pro eo ac commeriti erunt, animaduertet.

Si qui erunt idonei Præfecti, lectiones repetent illis diebus, & horis, quæ a Præfecto generali ſtudiorum fuerint pręſcriptę: cuius quidem ſtudiorum præfecti proprium munus ſit, legentes in menſa, ſi quando in legendu peccent, corrigere.

Videant ſæpius, an Clerici dum in cubiculis commorantur, ſtudiis vacent, & tempus haud inutiliter collocent, ne illud in vanis colloquiis ſiue diſtractionibus fruſtra terant. videant etiam qui latine loquantur, ipſoſque dum errant corrigere debebunt.

Curent vt catenam, ſignum ſcilicet illius qui poſtremum eſt vernacula lingua, ſiue male locutus, adhibeant.

Solliciti ſint inſuper de ipſorum diligentia, videntes num quę docentur a præceptore animaduertant, ac notent, & quotidie mane, priuſquam in gymnaſium eant, lectiones memoriæ mandatas ab ipſis, ſcilicet modo ab vno, modo ab altero repetant. Examinent circa regulas quas didicerunt, inferioris claſſis diſcipulos, cognoſcantque à præceptore de ſtatu illorum, quo ipſis aliquo pacto prodeſſe poſſint: & Præceptores ipſis viciſſim admoneant, ſi eorum opera diſcipulos aliqua in re indigere viderint, quos ſi in claſſe eſſe viderint minime eorum ſtudiis accommodata, aut libris neceſſarijs carere, Rectori ſignificent, qui ipſis prout opus erit, proſpiciet.

Præceptorum exiſtimationum ac dignitatem apud adoleſcentes ſuos foueant, commendantes exercitia, quæ in ludo litterario habentur, ſtudeantq; ſedulo, vt diſcipuli, quæ ſibi præſcripta ſunt, exequantur, neque iis nouũ quid, & alienum ab eo quod pręceptor decreuit faciendum imponent.

Videant pariter ne diſcipuli dũn ſtudendi tempus eſt, inter ſe colloquantur, ſed vnus quiſque in proprio loco reſideat, ſuamque rem curet; neque aliis ſit impedimento, nec tempus fruſtra terat. Doceant inſuper eos ſtudendi rationem, ac modum, dubia, ac difficultates notandi, & certum tempus ijs ad reſpõdendum proponendis condicant, ne nimium, pręcipua ſtudia interpellantur: quòd ſi viderint aliquem à cubiculo abeſſe ſtatim eum accerſant, cauſamque abſentiæ ab eo cõgnoſcant.

Eorum etiam partes erunt, vt ſcilicet pueros ſurgere, & cubitum ire hora præſcripta iubeant. honeſtati verò ac puritati conſuli ab omnibus curent: neque eos temere, atque ſine licentia è cubiculo diſcedere permittant: neque plures eodem tempore ad latrinas ire ſinant, neque eas ingredi aliquem niſi altero egreſſo permittant. veſpertinis autem curent horis vt cum lumine ſemper incedant, ſeque intra lecti conopæum induant, ac exuant.

Tempore recreationis diligẽter ſuis caueant ac proſpiciant, neque vllum eo tempore illinc diſcedere patiantur, ſique viderint alicuius familiaritatẽ alicui detrimento eſſe, Rectorem moneãt: quod idem obſeruandum illis erit, eo tempore, quo domo exeunt: eos autem cum exteris habere colloquia non patiantur, qui ipſis non ſint maxime noti,

quos

quos ipſi blando atque honeſto ſermone detinere minime videantur. caueāt inſuper ne intet verſandū, Rectoris præcepta ac leges infringant, neque ipſos magnopere diſtrahi à ſtudiis patiantur; niſi quantopere animi relaxatio requirit: interim tamen ab honeſtate ne latum quidem vnguem diſcedant.

Rectorem ipſum identidem moneant de iis omnibus, quæ ipſum ſcire interſit. notent etiam ſuorum peccata, & offenſiones, atque etiam opportuna iis emendandis remedia, vt Rectorem de iis commonefaciant, cum vocati fuerint ad reddendam de ſuis rationem; de iis autem quæ maximi ponderis eſſe videbuntur, Rectorem moneant vltro, priuſquam vocentur; itemque ſi quem eſſe norint ingenio parum ad ſtudia literarum idoneo, aut pingui minerua, aut eum in literis non ſatis proficere, animaduertant.

Si quid extra proprium cubiculum vi derint ſibi haud quamquam probatum, Rectorem commonefaciant, quo abſente fraterne peccantes monebunt.

Morbo oppreſſos ſtatim Rectori pate faciant: itidem ſi ſtragulam veſtem, ſiue quidpiam aliud deſiderari cōpererint.

Videant ne pecunias, aut quidpiam eſculenti priuatim habeant, nevè libris minime probatis, aut parum honeſtis vtantur. habeantque in proprio cubiculo ſindicum à Rectore probatum, cui confidere poſſint, qui ipſis clam referat, ſi quid peccetur, ſiue in cubiculo, ſiue extra cum vnà omnes incedunt, ſiue cum aliquis eorum aliquo cum adiūcto ſibi comite proficiſcitur: atque errata quidem non admodum grauia ipſi emendent: quæ verò maioris eſſe ponderis videbuntur, de iis Rectorem conſulant.

Hæc ſunt quæ Præfectus ſiue cenſor notare debet.

Tarde Surrexit.

Intellige ſi non fuerit ſaltem veſte contectus ante finem Pſalmi Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam &c.

Tarde iuit cubitum.

Intellige ſi non extinxit lumen ſtatim poſt admonitionem Præfecti.

Tarde ſe diſpoſuit ad orandum.

Intellige ſi non fuerit ad orationem paratus cum officio Beatæ Virginis Mariæ, niſi alius modus orandi ei fuerit à Rectore præſcriptus.

Non orauit.

Intellige ſi indeuotus, hoc eſt, ſi non genibus flexis, vel ſomnolentus fuerit, vel in aliqua alia re ſe occuparit.

In Eccleſia indeuotus manſit.

Intellige ſi locutus fuit, vel indecentmanſit, vel ſocijs non ſe adiunxit, aut alibi frequentius circumſpexit, vel riſit aut immodeſtus fuit.

In concione non attentus manſit.

Intellige pro vt in Eccleſia, adde tamen ſi dormiuit.

Non recitauit lectionem.

Intellige pro vt in regulis.

Locutus eſt Italice.

Intellige quòd toties debet notari, quoties fuerit Italicè locutus.

Fuit immodeſtus.

Intellige in claſſe, via, cœnaculo, concione, repetitione, vel alio quouis loco.

Non exhibuit reuerentiam perſonis, quibus debetur.

Intellige Magiſtratibus, Prælatis, Superioribus, Præceptoribus, ac Præfectis cubiculorum.

E menſa propria diſceſſit.

Intellige tempore ſtudii, & ſine licentia, & neceſſitate.

Egreſſus eſt cubiculum.

Intellige ſine licentia, & diu extra moratus eſt.

Indebite iuit ad loca communia.

Intellige ſi ſine ſigno, ſi tempore orationis, & ſine lumine de ſero.

Non interfuit repetitioni.

Intellige ſi tarde, vel non paratus, vel omnino non iuit.

Vnum tantum habuit ſocium.

Intellige ſi tempore recreationis, vel alio quouis tempore duo ſoli diu ſine licentia fuerint locuti.

Non benedixit Menſam.

Intellige ſi benedictioni, vel gratiarum actioni cum aliis non reſpondit.

Non eſt

Non eſt confeſſus.

Intellige ſi non tempore debito, vel quando alij in cubiculo ſunt confeſſi.

De Oeconomo. Cap. 5.

DAbit operam oeconomus vt ei cũ Rectore conueniat, & rem familiarem vnanimes curent, ac vniuerſam Seminarii ſuppellectilem: nec minus cordi illi ſit ædium mundities, ſimul etiam linearum veſtium nitor, ne quæ empta ſunt corrumpantur, doliaq; optime conſeruentur: famulorum quoque miniſteriis præerit. hoc eſt diſpẽſatoris, architriclinii, coqui & ſimilium. Ianitor tamen Rectori præcipue erit ſubiectus; verùm quoniam hodierna die idẽ œconomus perſonam, ſuſtinet diſpenſatoris, ac cellarii, ideo diligenter hæc munera exequetur.

Codicem ſibi conficiet, in quo ſigillatim pecuniam omnem, tum acceptam, tum expenſam perſcribet.

Pecuniam porro omnem, quam ipſe, ſeu ab iis qui beneficia poſſident, dimidiatarum nomine decimarum, quæ collegio debentur, ſeu à Seminarij alumnis ob cibaria ipſis præſtita, aut quouis alio nomine acceperit, notabit ſingulis diebus in codice ad hanc rem parato, præſentibus ijs, qui pecuniam annumerarint, quibus apocham petentibus, ſine mora ſatisfaciet.

Quæ verò in cibaria quotidie fuerint erogata, perſcribet in altera codicis illius parte, diſtincteque & ordine collocabit: expreſſis pretio pondere, numero & menſura. In faciendo autem ſumptu, det in primis operã, vt optima quæque quàm minimo poterit mercetur.

Qui porro extra ordinem ſumptus fient, ij ſeorſum, atque in eodem libro omnes perſcribantur: qui ſi librarum octo exceſſerint numerum, ita fiant, ſi prius id ipſi commiſſum, atque à Præfectis ſcripto fuerit mandatum.

Codex autẽ is, quoties Præfecti addeliberandum conuenerint; ijs oſtendetur: vt eum inſpicere, & quibus opus fuerit, proſpicere poſſint.

Singulo exacto menſe, præter ea, quę iam dicta ſunt, acceptæ pecuniæ ſummam, tum eius quæ à clero, tum eius quæ à Seminarii alumnis, aut ab alijs enumerata erit: itemque ſummam aliã quam in cibaria erogarit, ad hæc totius pecuniæ numerum, quæ apud ipſum ſit per ſcriptum exhibebit. Præfectorumque vnus aliquis nota aliqua dictã ſe ſe omnia perlegiſſe declaret, ne eadem ſæpius recenſeantur. præterea curet, vt rationarius ſingulis menſibus rationes ex commentarijs in codicem maiorem deſcribat.

In coemendis autem cibis, quantum poteſt obſonia illa deuitet, quæ cum ægrę concoquantur, ſtudioſis noxia eſſe ſolent. quòd ſi interdum id generis edulia comparet, vt familia cibi mutatione recreetur, id raro nec niſi Rectore annuente ſibi faciendum ſciet. Ipſe autem non moroſus, non difficilis: ſed lenis ſit, ac beneuolus, & obſequens, quatenus tamẽ Seminario expediat. curet, vt prãdium, ac cœna ſuis horis parata ſint, ijs nempe quæ à Rectore conſtituentur. ſtatim appoſitæ menſę ſignum, campanæ pulſu dandum curet.

Antequam verò ijs omnibus, quæ ad victum pertinent, domus vniuerſa inſtruatur, admonendos curet ſeminarii præfectos, ſiue procuratores.

Et vt quotidie, quæcumq; ipſe coemerit, ea in Seminarium importari, non aliò comportari conſtet; & carnes & piſces Rectori ipſi appendet, reliquumq; obſonium ipſius oculis ſubijciet. denique in certo codice ſeorſum omnia ſcribet, quæ quotidiana Rectoris ſubſcriptione rata efficientur.

Neque conuictoribus, neque clericis familiariter vtatur, breuiaque cum ijs colloquia vſurpet. Nec aliquid eſcæ alicui extra menſam priuatim, aut in priuato cubiculo dari patiatur inſcio Rectore, ne in menſa quidem, præterquã ea, quæ conualeſcentibus publice apponuntur, quæ aut à Rectore, aut à medico conceduntur. Neque ijs qui pęnas ſibi irrogatas luũt, exhibere quicquam auſit à Rectore interdictum.

De la-

De Ianitore. *Cap. 6.*

NVllum clericũ niſi Rectore aſſentiente, nullum item miniſtrum, niſi poteſtate à Rectore, aut ab œconomo ſibi facta, exire: nullumque exterum ingredi patiatur, iis exceptis, quibus cum ipſo œconomo, clericorum, aut conuictorum cauſa agẽdum aliquid ſit. Non literas, non ſchedas tradat, mittat, mitti ſinat, ni prius ad Rectorem perlatas, quas ipſe clam iis ad quos, aut à quibus miſſæ erunt, ad eum perferet. cui etiam, quisquis domeſticorum ab externis perſonis quæretur, ſignare debebit, & ipſius exequi mandatum.

Perſonas tam Eccleſiaſticas, quàm temporales alicuius exiſtimationis, aut medicum intromittat prius; deinde Rectori ſtatim ſignificet: aut eo abſente, illi qui ceteris auctoritate præſtat.

Fores perpetuo obſeratas ſeruet, neque claues in iis vnquam relinquat, ſed ipſe apud ſe habeat. Ac veſperi ſtatis horis eas abſque mora obſeret, & claues ad Rectorem perferat.

Et impluuii & veſtibuli & porticus aream, quàm nitidiſſimam tueatur.

Nihil ab exteris ſeruãdum accipiat. (exteros voco qui in Seminario nõ degũt) inſcio Rectore; ſuumque eſſe munus meminerit, ſurgendi, & accumbendi tempus campanæ pulſu ſignificare.

De Architriclino. Cap 7.

CVret vt triclinium, & quæcunque ad ipſum pertinent, quàm mundiſſima ſint.

Et vt concluſa aſſeruentur quæcumque ipſi attributa & aſſignata fuerint; ſemelque minimum in hebdomade, & mappam, & mappas mutabit; clericorumque ſuppellectilem, à ſupellectile famulorum ſepoſitam habebit.

Omnium etiam quæ acceperit, œconomo rationem reddet.

De Famulis. *Cap.* 8.

AD miniſterium Seminarii non niſi probæ, & religioſæ perſonæ admittendæ erunt, & quæ à Seminario non abnoctent. teneanturque ad minus ſexies in anno peccata confiteri, & ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere hoc eſt, die Natali Saluatoris noſtri, initio Quadrageſimæ, ſollemni Paſcharis, & Pentecoſtes die, in feſto aſſumptionis beatæ Virginis, atque in feſto omnium ſanctorum.

Numquam domo egrediantur, aut Rectore, aut œconomo inconſulto.

Cum Seminarii alumnis neque familiariter verſentur, neque ſermones habeant, niſi quantum ipſis à Rectore permiſſum erit: neque item iis tradant aliquid, aut eorum cubicula ſine Rectoris venia ingrediantur.

Quęque ipſis imperata fuerint, alacri animo, ſumma charitate, ac diligentia exequantur.

Locus etiam aliquis famulis omnibus communis, à clericorum, & conuictorum locis ſeparatus, omnino in ædibus conſtituatur.

De lectoribus. *Cap. 9.*

LEctor leget primum libri titulum cum auctoris nomine, & argumento, & diſtinctè pronunciabit.

Et qui ſucceſſerit, ab eo qui pręceſſit locum, in quo legere ille deſiit, atq; vnde hic incæpturus ſit, edoceatur.

Libri autem legendi à Rectore proponentur.

Vnuſquiſque alta voce non admodum concitate legat.

Quotidieq; (vt ſuperius dictum fuit) aliquod ſacræ ſcripturæ caput, ſtantes, & aperto capite legent.

DE COLLEGIO CONVICTORVM SEMINARII BONONIENSIS.

COLLEGTOR.

QVONIAM totus ille labor, qui Clericis Seminarij erudiendis impenditur, ad eccleſiarum potius, quàm familiarum, & Eccleſiaſtici potius, quàm ſecularis ſtatus vtilitatem dirigitur, Illuſtriſsimus D. Card. Archiep. gratiſsimum Deo opus, vtiliſsimumque Ciuitati Bonon. facturum ſe eſſe exiſtimauit: ſi pariter locum aliquem ſtatueret; in quo adoleſcentes, & pueri ſeculares laici educarentur: qui & literis, & religione imbuti, eodem ſpiritu domos, & familias ſuas moderari poſſent. Sed quoniam nonniſi difficilè noua domicilia ſiue Collegia inſtitui ſolent, ideo Seminarium, Collegiumquè conuictorum Romæ imitatus, eodem omnes loco, eademque viuendi norma continendos duxit; ita tamen vt diuerſimode, prout ſtatus, & ratio cuiuſque requiret, gubernentur. Ob id ergo cum maximo ſumptu ædes ipſas Seminarij amplificandas curauerit, operique ipſi viros quatuor nobiles in eccleſiaſtico gradu conſtitutos præfecerit, peculiarem ſibi & totius operis generatim promouendi, & etiam vniuſcuiuſque conuictoris ſpeciatim protegendi curam, & ſolicitudinem reſeruauit. Verum vt omnes ij, qui filios ſuos in hoc Collegium adſcribi volent, eius victus, & diſciplinæ rationem plenius agnoſcant, Congregatio quam ſupra memorauimus, iuſſu eiuſdem Illuſtriſsimi Cardinalis Archiepiſcopi ſequentes regulas edidit.

Formula, & modus viuendi Conuictorum Seminarii.

SVPREMA hos iuuenes gubernandi auctoritas, poſt Illuſtriſſimum ac Reuerendiſſ. D. Archiepiſc. penes viros quatuor nobiles in Eccleſiaſtico gradu cõſtitutos reſidet: qui iuxta Tridentini Concilii decreta ab eius Illuſtriſſima Dominatione ad Seminarij adminiſtrationem electi fuerunt, ac ob id octauo quoque die in eundem locum conueniunt. Proximũ verò, ſeu mauis immediatum officium ad perſonam itidem Eccleſiaſticam ſpectat, ab eodẽ Illuſtriſſ. Archiepiſcopo deputatam: quæ continuò eidem loco aſſiſtit nomine, & officio Rectoris inſignita, ipſi que reliqua pars familiæ, de qua paulò inferius, omninò paret, atque ſubijcitur.

Conuictores ſeorſum à clericis habitabunt in plures claſſes, ſeu cubicula diſtributi: nempe ſeni, octoni, aut deni pro quolibet cubiculo, vel eo plures, quò loci capacitas patietur, iuuenes cum iuuenibus, pueri cum pueris: ſinguliq; proprium lectum, conopæum, tabulam, ſeu pluteolum, capſam, ſcamnum, & alia huiuſmodi ad quotidianum vſum habebunt.

Singulis cubiculis perſona aliqua Eccleſiaſtica, ætate, moribuſque conſpicua ab ijſdem deputatis electa præſidebit: cuius partes erunt, ijs adoleſcentibus, qui ſibi crediti fuerint, & domi, & extra, in recreationibus, & ludis, ad menſam, ad ignem, & denique omnibus horis, & locis diligenter aſſiſtere, nec eos vnquam inconſulto rectore, (cui in omnibus ſibi parendum erit) deſerere: quo quidem tempore idem rector huiuſmodi prouinciam alteri demandabit.

Hi præfecti in hoc præcipuè laborabunt, vt iuuenes bonos mores addiſcant, collegij regulas ſeruent, tempus vtiliter tranſigant, & denique ea omnia, quæ præceptores iuſſerint, ſtudioſè conficiant; negligentes, ſi qui fuerint, ad rectorem deferent. Diligenter etiam curabunt, vt per famulum deputatum locorum, veſtium, perſonæque cuiuſque ornatui, & munditiæ conſulatur.

Qui in Conuictorum numerum adſcribi volent, bonum natiuitatis teſtimonium habeant, nec minores duodecimo, maioreſue decimo octauo ætatis anno exiſtant. ſtudendi deſi-

derium præſeferant: ac non ſolum legere, & ſcribere, ſed etiam prima grammaticæ rudimenta calleant. Poſtquàm Collegium ingreſſi fuerint, progredi poterunt in ſtudiis ſuis ſiue humaniorum literarum, ſiue logicæ, ſiue etiam philoſophiæ. Qui quidem humanioribus literis addicti erunt, gymnaſia Patrum ſocietatis Ieſu frequentabunt, vbi à tribus peritiſſimis viris in tribus à ſe inuicem diſtinctis ſcholis grammaticam, humaniores literas, atque rhetoricam docebuntur: logicam verò facultatem, & philoſophiam, cum ad id apti fuerint, ab iis doctoribus percipient, qui ſibi ab Illuſtriſſimo Domino Archiepiſcopo conſtituentur.

Antequàm admittantur, Illuſtriſſimum Archiepiſcopum, vel eo abſente eius Vicarium, aut vnum ex quatuor nobilibus ad loci adminiſtrationem electis adeant, à quo in publica congregatione proponentur; cumq. locus aliquis vacans reperietur, qui apti fuerint, & conditiones requiſitas habuerint, admittentur.

Singulis menſibus nummos quatuor aureos pro victu ſoluent, pro temporis cōditione ſiue plus, ſiue minus prout Illuſtriſſ. Archiepiſc. iudicabit; verùm vt rebus neceſſariis maturè prouideri poſſit, id tertio quoque menſe anticipata ſolutione præſtabunt. Adhæc mappas, nonnulla mantilia, aliaq. pauca huiuſmodi pro cōmuni conuictorū vſu afferent: quarū rerum inuentariū fiet, vt cū dimittentur, ſi eas, aut earum aliquas ſeminario donare nolint, ipſis reſtituātur.

Tam ſuppellex, quàm pecuniæ apud Rectorem ſeminarii deponentur, qui eas ſigno aliquo notandas curabit, vt poſtea recognoſci poſſint, ac eas ſe accepiſſe pro chirographum miſſum ad depoſitarium Seminarii reſtetur.

Seminarium præter domicilium, ac victum, qui deceat nobiles viros atque præter Præfectos, de quibus ſupra, magiſtrum cantandi, ſcribendi, pulſandi cymbalum, ſi qui diſcere volent; medicum, tonſorem, lotricemque prouidebit. ſeruos præterea deputabit, qui eorum cubicula verrant, lectulum ſternant, veſtes excutiant, menſæ miniſtrent, & denique extra domum, cum priuatim, & ſinguli incedent aſſequantur.

Quemadmodum viuendi modus omnibus erit idem, ita & veſtiendi norma quoad eius fieri poterit, eadem ſit oportet. Quamobrem veſtibus verſicoloribus, aut holoſericis domi nunquam vrentur: cùm verò ad ſcholas ſe conferent, tunicam ad talos vſque protētam adhibebunt; quæ quidem æſtiuo tempore ex cumatili erit, non tamen vndulato; hyberno autem, vel ex eodem additis pellibus nō valde pretioſis, vel alia ex lana confecta. Pilei tamen ex holoſerico permittuntur, nō tamen villoſo, aut aliàs acu variato; quemadmodum etiam collaria ſuperfluis ornamentis vacare debent.

Singulis rebus pulſu campanæ, aut alio, quod certū tempus indicabit, ſigno vtētur dormiendo, ſurgendo, orādo, ſtudēdo, eundo ad ſcholas, ad Miſſam, comedendo, ſcribendo, cantando, & denique omnibus rebus faciendis.

Ac ne corporis ſanitati aſſiduus ſtudendi labor officiat, honeſtæ recreationes illis concedentur. Quare ſingulis diebus à prandio, & cœna horam integram recreationis habebunt, quam vel colloquendo de rebus ad virtutem ſpectantibus, vel muſicæ concertibus, vel etiam ludendo iis ludis, qui ſibi permittentur, tranſigere poterunt. Inſuper vnaquaque hebdomada, in quam feſtus dies non incidet, dimidium diem à ſtudendo vacabunt, quod quidem tēpus vel extra domum deambulantes cōſument, vel domi honeſto aliquo ludo ſe exercentes traducent, prout viſum fuerit ſuperioribus, qui nunquam patientur, vt ludum aliquem non honeſtū adhibeant, vel pecuniis, aut alia quauis re pretioſa ludant.

Atque ob hanc, & multas alias cauſas nemo quantumuis leuem pecuniæ ſummam, etiam pro neceſſariis ſibi parandis, apud ſe retinebit; ſed qui ex ipſa ciuitate oriundi erunt, omnia neceſ-

ſaria à parentibus accipient, qui ob id in primis, ac vtipſis filijs occaſionem temporis contetendi in parandis neceſſarijs ſubtrahant, ſemel ad minus vnaquaque hebdomada, per famulum, aut alium quempiam inuiſendos curabunt. Qui verò aliunde ortum ducent, pecunias ſuas apud Rectorem deponent, qui eas fideliter apud ſe cuſtodiet, nec vnquam niſi vtiliter expendendas, ipſi reſtituet.

Quid autem obſeruare debeant, & quæ ſint partes illorum, qui in collegium adſcribi volent, etſi cum à prudentibus, & religioſis viris gubernãdi ſint, ſuperfluum videtur dicere quidpiam, ni ſi vt eorum iuſſis obtemperent; tamen ne muneris ſui prorſus ignari ad illud accedant, quæ pręcipua ſunt, inferius notabuntur.

REGVLAE
à Conuictoribus Seminarij obſeruandæ,
De mandato Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi Archiepiſcopi Bononiæ.

CVM huius Collegii finis nihil aliud ſit, quàm adoleſcentes & literis, & moribus, & pietate inſtituere, idcirco ad hunc finem omnes regulæ dirigentur. Pietatem enim deuotione, mores obedientia, doctrinam verò oratione, ſtudio, & diligentia comparabunt.

De deuotione.

SVMMO mane cum primùm ſurrexerint, ac ſe veſtibus ſuis induerint, quartam horæ partem orationi indulgebunt, quo quidem tempore Coronam, Roſarium, vel partem aliquam officii Beatæ Virginis, vel aliud quidpiam iuxta Confeſſarii iudicium recitabunt. Pari nomine veſperi, antequam cubitum eant, in exploranda conſcientia, aliiſque precibus, ex Patris ſpiritualis cõſilio faciendis, tantundem temporis impendent.

Singulis diebus hora, locoque præſcriptis rei diuinæ intererunt: Diebus verò feſtis conciones, & veſperas in iis Eccleſiis audient, ad quas mitti contigerit. Quibus item diebus ſtatuta hora doctrinæ Chriſtianæ memoriter ediſcendæ operam dabunt.

Ad menſam nunquam accedent, quin prius ab aliquo ſacerdote ipſis alternatim reſpondentibus menſa benedicta fuerit, quod etiam in agendis poſt menſam gratiis obſeruabitur. Dum verò accumbent, modeſtè, ſilenterque lectionem auſcultabunt. Legent autem qui ad id apti fuerint, quotieſcunque à ſuperioribus præcipientur.

Singulis menſibus ſemel ſaltem Sacramento confeſſionis ſe expiabunt, atque etiam ſæpius, prout impoſitum ſibi fuerit. Qui verò ætatem legitimam habebunt, præcipuis quibuſque feſtis ad minus, nempe in Natiuitate Domini, ptima Dominica quadrageſimæ, Paſchate Reſurrectionis, & Pentecoſtes, Aſſumptione Beatæ Virginis, & feſto omnium ſanctorum communicabunt.

A ſuis colloquijs omne detractionis, mendacii, blaſphemiæ, & iurandi, ac turpiloquii genus arcebunt, à rixandoque, & iniuriis inferendis ſummopere cauebunt. quod facilè continget, ſi reuerenter inuicem agent, nec vnquam ſe niſi proprio nomine, aut cognomine appellabunt.

Ob id etiam alter alterum nunquam impellet, aut aliàs quouis pacto vrgebit: alienis rebus non vtentur, nec aliorum literas, ſcriniaue aperient; nec quicquam commodabunt, commodatò accipient, aut donabunt inconſulto Rectore.

De obedientia.

QVicquid à Rectore, Præfectis, Præceptoribus, aut aliis ſuperioribus, tàm ab ipſiſmet iuſſum, quàm etiam campanæ ſigno præcipietur, promptiſſimè, libenterque exequantur; omnibus

nibus verò ſuperioribus eum honorem, atque obſequium deferant, ad quem te nentur: nec eos vnquam niſi aperto capite, reuerenterque alloquantur: quod etiam cum aliis viris grauitate præſtantibus obſeruabunt.

Nunquam abſque licentia domo exeant, aut ſoli incedant: ſed eum aut ſocium, aut ſeruum adhibeant, quem Rector aſſignabit: cui etiam occaſionem eundi, locumque adeundum ſignificabunt, nec aliò vnquam diuertent; cumque eorum aliquis ad peculiaria negotia, vel omnes ſimul ad deambulandum exibunt, ad horam prandendi, aut cænandi legitimam: veſpere verò antequam Angelicæ ſalutationis ſignum detur, redire meminerint.

Nullas mittant, aut accipiant literas, quin prius à Rectore facultatem petant: qui eas, ſi videbitur, legere poterit, vt iudicet, num ſint mittendæ nec ne. Excipiuntur tamen illæ, quas vel ipſi Parentibus, & Curatoribus, vel curatores, & parentes iiſdem mittent. Oriundi autem ex alienis ciuitatibus quintodecimo quoque die, vel ad minus ſingulis menſibus, ad ſuos ſcribere teneantur.

Cum quis ad eos inuiſendos accedet, non compareant niſi vocati, nec diutius, quàm decet, immorentur: inconſulto verò Rectore nullum introducant. Quòd ſi, dum in ſcholis erunt, vel in itinere à quopiam vocabuntur, breuiſſimè ſe expedient, eumque, vt ad Seminarium accedat, admonebunt.

Cum propter errores ſuos correctionem aliquam ſibi dari contigerit, eam patienter, ac libenti animo ferant: ſignumque aliquod cognoſcendi erroris, & emendationis quærendæ præſeferant.

De diligentia, & ſtudio.

STudebunt in ea ſchola, & audient eas lectiones, ad quas à Præfecto ſtudiorum, aut Rectore Ieſuitarum apti cenſebuntur, diligentiſſimèque ſtudendi ordinem ab his, ſeu proprio Magiſtro ſibi iniunctum, obſeruabunt. Singulis diebus lectiones memoriter dicent: epiſtolis, compoſitionibus, & alijs ſcholarum exercitijs faciẽdis, omnibus ſuis neruis, intendent; ſi quem locum minus intellexerint, priuatim, aut publicè à Præceptoribus doceri curabunt.

Qui humanioribus literis, aut Rhetoricæ operam dabunt, & multo magis qui grauioribus ſtudijs, nunquam nonniſi latinè loquentur: exceptis horis, diebuſque recreationi addictis, & diebus feſtis.

Per Collegium ſtudendi tempore nũquam vagentur, ſed in proprijs cubiculis ſeſe contineant; neque è cubiculo diſcedant, aut ad aliorum loca ſe conferant ſine licentia Præfecti. In cubiculum verò alienum, vel in loca officialiũ ingreſſuri, licentiam à Rectore, vel ſi caſio vrgebit, à Præfecto petent.

Libros illos ſolummodò comparabunt, qui ſtudijs ſuis conducere à Magiſtro, Præfecto, aut Rectore Ieſuitarum iudicabuntur, ad quorum voluntatem omnem ſtudendi rationem accommodabunt.

Audito ſcholarum ſigno, omnes repente compareant, vnàque ad illas ſe conferant: nec vllus vnquam domi remaneat, niſi petita venia à Rectore: vel à ſcholis domum redeat abſque licẽtia Præfecti ſtudiorum, aut Rectoris Ieſuitarum.

Singuli valetudinem ſuam diligenter curent, cumque minus benè habere ſenſerint, Rectorem ipſum monebũt, ad quem etiam in omnibus alijs moleſtijs auxilium petituri cõfugient. Si quẽ diutius (quod Deus auertat) aduerſa valetudine vexari contigerit: is, ſi domicilium in vrbe habuerit, ad ipſum curandus accedet; ſin minus ibidem debita diligentia, & obſequio nullo modo deſtituetur.

DE CLERICIS INSERVIENTIBVS METROPOLITANÆ ECCLESIÆ.

PRAETER Seminarii Clericos, qui diebus feſtis, & ſingulis etiam Dominicis Metropolitanæ eccleſiæ inſeruiunt, eſt & alia Clericorum plurimorum ſchola, quam ad quotidianum eiuſdem eccleſiæ Metropolitanæ ſeruitium Illuſtriſſimus D. Card. Archiepiſcopus inſtituit, eique locum in ipſis Archiepiſcopalibus ædibus dedit, qui ob paupertatem ſtudiis literarum vacare non poſſunt. Atqui in eam Congregationem adſciti multis commodis gaudent, iiſque præſertim, vt grammaticam, muſicam, caſus conſcientiæ, functiones, & diſciplinam eccleſiaſticam nullo eorum ſumptu ediſcere poſſint, in quam rem præceptores ab Illuſtriſſ. Archiepiſcopo deſtinati diligentiſſimè incumbunt, cum & ab ipſomet ſchola ſæpius, & à Canonicis deputatis, aliiſque miniſtris frequenter viſitetur. hæc verò quæ ſequitur tabella, in ipſa ſchola affixa legitur, vt faciliùs quotidie puerorum oculis, & auribus aſſueta, ipſi in eccleſiaſtica diſciplina proficere poſſint.

Quæ obſeruanda ſint à clericis, qui eccleſiæ Metropolitanæ Bonon. inſeruire debent.

CLericos, qui in Cathedralis eccleſiæ Bonon. ſacris officijs, alijſque miniſteriis quæ ipſis adſcribentur inſeruire debent, quo digniore loco ſuam operam impendunt, eò diligentioribus præceptis eos inſtrui debere cenſuimus: vt præterea, quæ ab idoneis præceptoribus ediſcent, qui ad ipſorum inſtitutionem ab Illuſtriſſimo D. Archiepiſcopo ſunt deſtinati, ad has breues regulas mores omnino conformare ſtudeant: ſciantque in negligentiores grauiter animaduertendum; diligentiorum verò paupertati, ab eodem Illuſtriſsimo Archiepiſcopo libenter conſulendum, atque eis, qui rectè ſe gerent, pro tempore ad beneficia eccleſiaſtica etiam promouendos.

De ratione admittendorum Clericorum.

QVicunque igitur inter clericos Metropolitanæ adſcribi volet, ſit ſaltem decem annos natus, corpore integro, habeat primam tonſuram, aut habilis & paratus ſit ad illam ſuſcipiendam ordinationum proximarum tempore; legere, & ſcribere non ignoret: doctrinam Chriſtianam ſaltem ad literam memoria teneat; ſui Parochi teſtimonium in ſcriptis habeat, de bonis moribus, aliudque poſtremi ſui præceptoris. & habitu clericali indutus ad RR. DD. Canonicos deputatos accedat, qui cognitis ſupradictis conditionibus atque illis approbatis illum admittent, & R. D. camerarius capituli chirographum ei tradet, quod is præceptoribus deputatis conſignabit, qui quidem ipſius nomē in tabellam ad id affixam in gymnaſio referent, iubebuntque, vt admiſſus genibus flexis ante ſacram imaginem alta voce *Pater noſter*, *Aue Maria*, *Credo*, *Decem præcepta*, ſtatim recitet.

De habitu.

OMnes clericali habitu vt ſupra dictum eſt induti ſint, veſte ſcilicet nigra talari: habebuntque ſinguli ſuperpelliceum mundum, & nulla ex parte fractum: coloratas veſtes, aut calceamēta non ferant, aut aliud quidpiam, quod clericali diſciplinæ non ſit conſentaneum:

neum: ſin minus, inter clericos non habebuntur.

De deuotione.

QVilibet eorum confiteatur peccata ſua ei confeſſario, qui ſibi aſſignatus erit, ſaltem prima quaque dominica menſis, & confeſſario permittente communicet, eaque præparatione vtatur, quæ ad augendam deuotionem magis apta ſibi videbitur.

Cum mane ſurgent, ante omnia preces Deo effundent, quas omnibus actionibus præmittent, Deo ſeſe commendantes, haſque potiſsimum preces nequaquàm omittent videlicet, *Pater noſter, Aue Maria, Credo in Deum, & Domine Deus omnipotens &c.* cũ aliis quæ in officio beatæ Virginis ſunt in exercitio quotidiano.

Cum ibunt cubitum precibus ad id appoſitis vtentur, & conſcientiæ examen facient, rogabuntque humiliter Deum, vt parcat peccatis ſuis.

Preces item ad id ſubiectas præmittent in ingreſſu Gymnaſii; cumque accedunt ad menſam, aut recedunt.

Præter dies feſtos ab eccleſia præceptos, iis diebus, qui ſibi conſtituentur in ipſa Metropolitana, miſſæ ſacris inſeruiét; omniaq. peragét ea deuotione quæ ab ipſius Metropolitanæ eccleſiæ miniſtris adhoc deputatis ſibi præſcribetur.

De modeſtia.

CVm ad eccleſiam, aut cum à gymnaſio Grammaticæ ad ſcholam Muſicæ ſe conferent; bini incedant ſilentes, à cachinnis, atque omni penitus vanitatis, & puerilitatis ſpecie alieni.

In ſcholis ibi conſideant, vbi locus ipſis conſtituetur; ſuisq. quilibet ſtudiis diligenter, & ſine ſtrepitu vacet.

Caueant ne iurent, ne obſcœnum aliquod verbum proferãt, ne iniuriam aliquam proximo faciant, quamuis leuem, ne in via ludant, aut in aliquem locum, ad ludos conueniant, quos vbique omnino fugeré curent.

De obedientia.

PRæter eam obedientiam, quam ſuis ſuperioribus debent, atque in primis Parentibus, & Præceptoribus, parebunt etiam eccleſiæ inſeruientes, Sacriſtæ, Magiſtro Cæremoniarũ. Magiſtro Chori, & Tabulario, eaque omnia præſtabunt, quæ ſibi ab his iubebuntur, veluti de Thuribulis, Candelabris, Paſtorali, Vaſe aquæ benedictæ libris, & aliis huiuſmodi ferendis, quemadmodum ſacræ Cæremoniæ requirent, & ipſi edocebuntur.

De ſtudijs.

AD ſcholam deputatis horis accedent non ſolum Grammaticæ, ſed etiam Muſicæ, & ſcribendi, ad quas pro cuiuſque captu admittentur.

Qui latinè loqui ſcient, nonniſi latinè in ſcholis loquantur: omnes autem lectiones rectè memorię mandent. Repetitionibus, aliiſque ſtudiorum exercitationibus diligenter incumbant.

Die Sabbathi omnes conueniant, ad eas diſputationes, quæ de doctrina Chriſtiana inſtitutæ ſunt.

A librorum prohibitorum lectione, & ab iis qui profani ſint, aut aliquo modo, à ſtudiis literarum alieni, tam latino, quàm vulgari ſermone compoſiti, & domi, & in ipſis gymnaſiis omnino caueant, quos nec habere ſe poſſe ſciãt & ſi habeant præceptoribus oſtendant.

Concluſio.

PRæceptorũ munus erit, vt hæc omnia, aliaque etiam, quæ in dies pro horum clericorum recto regimine decernentur rectè obſeruentur: atque in id præcipue totis viribus innitantur, vt cum decimo quinto quoque die clericorum viſitatio habebitur a RR. Canonicis deputatis præter viſitationem ipſius Illuſtriſſimi Archiepiſcopi, qui ſæpius etiam omnes clericos ad ſe conuenire iubebit, quid fructus colligatur ex hac meſſe intelligi poſsit, & ſemen prauum eiiciatur: bonum vero ad Dei gloriam diligenter excolatur,

Dat. Bonon. &c.

N. Vicar. Gener.

DE

DE CONGREGATIONE PERSEVERANTIAE. BONON.

AB ILLVSTR. D. CARD. PRIMVM INSTITVTA.

DE huius Congregationis vtiliſsimæ initiis, & progreſsibus, nihil nos ipſi, vt in reliquis fecimus, præmittemus; nam ſcriptum hoc quod ſequitur, à doctiſsimo, & celebri viro Carolo Sigonio editum, & reliqua quæ de eadem Congregatione, eiuſque regulis ſubnectuntur, ſatis omnia videntur poſſe declarare.

COLLECTOR.

CAROLVS SIGONIVS

ad Gymnaſij Bononienſis vtilitatē, vt ſtudioſa iuuentus cum eruditione Chriſtianam pietatem coniungat.

SOCIETAS perſeuerantiæ, quam in hac vrbe iampridem inſtitutam, nuper Gregorius XIII. pont. max. non ſolùm probauit, ſed etiam vtilibus multis ad ſalutem priuilegijs honeſtauit: præcipuum ipſius vrbis Archiepiſcopi, eiuſdemque S.R.E. Cardinalis presbyteri, Gabrielis Palæoti conſilium, auctoritatemque ſequuta: cum alia nonnulla ad veterem retinendam Chriſtianę religionis diſciplinam excogitauit: tùm in primis ad commoda, & ſalutem adoleſcentum eorum, qui ſcientiæ cupiditate ducti, in hanc vrbem quotidiè confluunt, ſeſe totam explicuit: atque ei rei operam, Induſtriamque ſuam omnem dicauit. Etenim, cum ſtudioſam eiuſmodi iuuentutem, certum eorum, qui aliquando ampliſsimas ciuitates, prouincias, regna, eccleſiaſq. recturi ſint, ſeminarium eſſe, compertum habeat: profectò ſi ſincerum literarum, atque humanitatis cultum, eximiumq; Dei metum, quem conſtat humanæ omnis eſſe ſapientiæ fundamentum, in hoc potiſſimum ordine conſeruari, ipſa ſe non ſolùm humani generis commodo, ſed etiam omnipotentis Dei gloriæ ſeruituram exiſtimauit. Quamobrem præclari huius quaſi ædificij, quod animo, & cogitatione molitur, hæc in præſens, prout potuit, fundamenta conſtituit.

PRIMVM ſummo animorū conſenſu, patronum, ac tutorem in omnibus rebus ipſum ſibi ciuitatis Illuſtriſſ. Archiep. deſtinauit, atque in eius ſe fidem, & perpetuam clientelam dicauit.

Deinde, quoniam ſine accurata multorum opera, maturoque conſilio, nihil ſibi neque agendum, neque ſuſcipiendum putauit: harum curarum adiutores conſiliorumque participes, nonnullos ex ipſo ſtudioſorum ordine ſibi aſciſcendos exiſtimauit; Singulas propterea eorum obteſtans nationes, vt quos maximè ætate, moribus, vſuque rerum apud ſe excellere iudicabunt, eos potiſſimùm in Societatem offerre huius tam præclari muneris velint. Atque hos quidem, ex ſingulis Regnis, ac Prouincijs, eo numero ſumptos, quem idoneum eſſe Epiſcopus duxerit, crebrò inter ſe conuenire, & de rebus ad Scholaſticorum cōmoda pertinentibus agere, & quæ opportuna viſa fuerint, ad Societatem referre

ferre voluit. Quin etiam alios ex inſignioribus huius ciuitatis ordinibus adhibendos putauit, probitate, prudentia, auctoritateque præſtantes, quorum opera, quoties Archiepiſcopus neceſſariam eſſe cenſuerit, vſuram ſe pollicetur.

VT autem palam fiat, quibus potiſſimùm in rebus Societas ipſa, horum conſultorum ope, induſtriam ſuam ponere, ad cultum diuinum augendum, aliaque commoda Scholaſticorum tuēda conſtituat:& vt omnes, ad hoc negotium amplectendum, & fouendum, eò alacriori animo excitentur, profitetur Societas, ſe laboraturam, vt hæc, quæ infra ſcripta ſunt, conſenſu, voluntate, conſilio, auxilioque Archiepiſcopi Boroniæ exequatur.

Primùm ad propitiandam Dei gratiam, quotannis res diuina in Baſilica ſancti Petri, die conſtituenda ab Archiepiſcopo, ita celebrabitur, vt gymnaſiarchæ, profeſſores, conſiliarij ac vniuerſus ſtudioſorum ordo eò inuitentur. Et ſi qui ſanctiſsimum corpus Domini ſumere voluerint, manu eiuſdem Archiepiſcopi miniſtrabitur.

Eadem die inter ipſa miſſarū ſolemnia, latina concio habebitur, quam eius temporis conditio viſa fuerit flagitare.

Sacræ quotannis conciones aliquot publicè ad inflammandos ſtudioſorum animos ad Dei timorem, & amorem ab iis ſacerdotibus habebuntur, qui maximam inter cæteros opinionem ſanctitatis, eruditionis, atque eloquentiæ ferent.

Omnibus volentibus Sacerdotum copia ſuppeditabitur, qui rectis vitam ipſorum præceptis & conſiliis inſtituant, atque opportunis etiam ſacramentis animas expient.

Dabitur opera, vt quotidiè manè, prius quàm docere profeſſores incipiāt res diuina, prout iam inſtitutum eſt, in ipſo gymnaſii ſacrario celebretur: vt docendi, diſcendique initia feliciter ab ipſo verbo Dei eloquendo, atque audiendo inſtituantur.

Si ſtudiorum cauſa in vrbem venientes, honeſta, & idonea diuerſoria poſtulauerint: hoſpites integræ probatæque famæ, ac vitæ homines parabuntur, quo rum cōtubernio patres rectè filios committere ſuos poterunt. Si ſodales, famuloſuè plenos pudoris, officiique popoſcerint, eadem fide procurabuntur.

Si quis Italicæ linguæ, aut aliarum etiam honeſtarum artium rudimentis, interdum intra priuatos parietes potiùs quàm publicè, imbui exoptauerit, ea ſumma voluntate tradentur.

Si lites inter ſe, rixaſuè cōtraxerint, continuò omnis ad eas ſine tumultu, ſtrepituque ſedandas, componendaſuè opera conferetur.

Si morbo tentati, aut infirma valetudine affecti, parum in ſe præſidii eſſe putarint, cum idonei medici, ceteraque ad valetudinem recuperandam neceſſaria conquirentur: tum in primis Sacerdotes, qui eos diuinorum præceptorum, ſacramentorumque admoneant, præbebuntur.

Si operam apud nobiles in ciuitate nauare, ſiuè in erudiendis liberis, ſiuè in alio honeſti officij genere ſtuduerint: dabitur opera, vt eorum ſiue voluntatis, ſiue neceſſitatis ratio habeatur.

Si doctoratus, vt aiunt, inſignia conſecuti, ſummi Pontificis, aut Principum aliquorum gratiam expetiuerint, meritum eis virtutis, & doctrinæ apud illos teſtimonium tribuetur.

Demùm vt profeſſoribus quietè, ac ſedatè ſine vlla intempeſtiuæ, aut moleſtæ interpellationis ſuſpicione, ſuo fungi munere liceat: quanta poterit diligentia maxima adhibebitur: eademque ratione, vt in omni parte modeſtia, honeſtas, pietaſque eluceat, atque vt Gymnaſium ipſum veræ ſapiētiæ, quæ cum moderatione, & pudore coniuncta eſt, exemplum referat, procurabitur.

Hæc,

Hæc, & vtiliora alia, quæ in dies ſe ſe offerent, ad vitæ mores, & literarum ſtudia ſubleuanda, Societas, Perſeuerantiæ Dei auxilio, & prudenti delectorum à ſe conſilio nixa, ſtudioſè ſuſcipere, & conſtanter exequi laborabit.

DVO porrò Congregationum genera inſtituentur, vnum priuatarum, alterum publicarum. Priuatæ ſingulis menſibus, interdum etiam, ſi res feret, hebdomadibus, in Epiſcopio habebuntur, interuentu officialium, quos Societas ipſa præfecerit, & aliorum de conſiliariorum numero, quos Archiepiſcopus aduocarit, modò vniuerſis, modò nonnullis conuenientibus. Interdum etiam aliæ extra hunc ordinem perſonæ adhibebuntur, prout rem expoſcere Archiepiſcop. iudicauerit, rerumq; tractãdarum ratio flagitarit. Publicæ minùs ſæpè in anno, ſiuè in Epiſcopio, ſiuè in gymnaſio ipſo, ſiuè alibi pro loci commoditate, & confluentium frequentia, conuocabuntur: ad easque omnibus ſcholaſticis, aliisque perſonis, aditus patebit. In iis exercitationes honeſtæ ſuſcipientur, Sermones vniuerſales habebuntur, qui prius in priuatis diſcuſſi erunt, Quæſtiones fructuoſæ diſputabũtur, Inſtituta ad Societatem pertinentia publicabuntur, Ratio reddetur eorum conſiliorum, quæ ad communem vtilitatem in animo voluuntur, aliaq; huiuſcemodi tranſigentur.

Quòd ſi qui acriore fortaſſe, aut ſciẽtiæ, aut religionis amore incenſi in hãc ſe aſcribi Societatem voluerint, comiter, ac benignè recipientur.

Hi verò ad ſuperiora commoda etiã in communionem Indulgentiarum, ac Pontificiorum omnium priuilegiorum, quæ diximus, vocabuntur; Neque inuiti, oneris quidquam ſuſcipere, quo aliquod voluntatis ſuæ detrimentum accipiant, compellentur.

Quin etiam liberalem multorum ſacerdotum copiam nanciſcũtur, qui animos eorum nõ ſolùm religione imbuãt, ſed etiam expient. Quo fiet, vt non ſolùm ſingulis menſibus in eadẽ æde, eademque die conuocati, ſacroſanctam ſumere Eucharistiam poſſint, ſed etiam quotieſcunque aut publicam diſputationem obierint, aut inſignia doctoratus acceperint.

Non deerunt porrò, qui hiſtorias Eccleſiaſticas, aut philoſophiæ Chriſtianæ arcana priuatim aperiant, aliaue, quibus ad pietatis ſtudium eorum mentes accendantur, oſtendant.

Demùm declamationes, diſputationes, exercitationesque, aut retinendorum animorum, aut excolendorum ingeniorum gratia, variis de rebus inter eos ſuſcipientur; ex quibus nonnullas etiam Archiepiſcopi iudicio comprobatas, nomine Societatis, in publicum proferre, ius erit.

Ipſi verò magnum in ea re ſtudium collocabunt, atq; adeò etiam vehemẽter elaborabunt, Primùm ne adoleſcentes huc à parentibus, aut propinquis, virtutis, aut doctrinæ parandæ gratia miſſi, prauis familiarium, amicorumuè conſilijs, aut exemplis à recta via, & ratione deflectant: Deindè, vt ipſi ſic vitam ſuam inſtituant, vt honeſto exemplo ſuo ceteros ad vitam, quam Chriſtianum ſtudioſum decet, ineundam, atque agendam adducant. Quod facilè aſſequentur, ſi, vbi mentem veræ ſapientiæ pabulo ſaturauerint, ſenſus diſciplina ſeueriore, quàm quæ ceteros vulgò tenet, aſtrinxerint, & ſibi leges quaſdam innocentiæ, continentiæ, & pietatis, indicere non abnuerint.

AD extremum, ſi cui quid aliud in mentem venerit, quod ad communem vtilitatem, ipſa aut temporum, aut perſonarum, aut negotiorum ratio poſtulauerit, in has tabulas referetur, &, quoad fieri poterit, ad exitum perducetur.

STATV-

STATVTORVM Congregationis Perſeuerantiæ.

Procœmium

IN publicis liberalium artium, & ſcientiarum Academijs, quaſi quibuſdam totius orbis terrarum ſeminarijs, quo ſtudioſus nobiliſsimorum Iuuenum coetus confluere conſueuit, aluntur omnium Populorum, Prouinciarum, Regnorum ac denique vniuerſi Orbis rectores, atque moderatores; hi enim ad ſummos magiſtratus, & ad eccleſiaſticas dignitates euehuntur, ij ſoli Regibus, & Imperatoribus conſiliorum auctores, & animorum ſunt custodes: nihil propterea vel ab Illuſtriſſimis Principibus, vel à Sereniſſimis Regibus, quibus Chriſtianorum populorum cura à Deo demandata eſt, vel à ſummis doctiſsimorum virorum ingenijs, quorum mentes ad publicam, non ad priuatam tantum, vtilitatem, ſingularum ſcientiarum lumine Deus Opt. Max. illuſtrauit expeti, nihil vel ad priuatam gloriam magnificentius, vel ad communem omnium gentium vtilitatem præſtantius excogitari poſſe videtur, quam ſi ſupremi Dei adiuuante gratia, ratio aliqua ineatur, qua ſtudioſa iuuentus ad coniungendam cum liberalibus diſciplinis Chriſtianam pietatem facillime, ac ſuauiſsime alliciatur. Cuiuis enim accuratius intuenti plane conſtat, ſtudioſa iuuentute bonis, ac Chriſtianis moribus imbuta, & ad Chriſtianam pietatem bene informata, omnes omnium populorum magiſtratus ex ea prope diem, optimos quoſque ſeligendo, ad reſtaurandam autem pietatem, horum penuria, & aliorum inſcitia, ac deprauatis moribus pluribus in locis miſere iam collabentem, ac propè euerſam plurimum profuturos, ſubditorum ſalutem vnicè adiuturos, Dei gloriam vbique Terrarum, ac gentium ſuo exemplo, & auctoritate longè lateque diſſeminaturos: Ea res ſuperioribus annis monuit doctiſsimam ſimul ac celeberrimam Bononienſem Academiam, vt auctore Illuſtr. ac Reuerendiſsimo Gabriele Paleoto Bononiæ Archiepiſcopo, ac Principe vigilantiſſimo S. R. E. Cardinali nobiliſsimis, ac prudentiſsimis vtriuſque vniuerſitatis Prioribus, ac diuerſarum Prouinciarum conſiliarijs & Excellentiſsimis ſingularum artium, ac ſcientiæ profeſſoribus Illuſtr. Senatorum ordine, & præcipuis dignitatum Eccleſiaſticarum viris ſummo animorum conſenſu rem totam excipientibus, & adiuuantibus Congregationem Perſeuerantiæ ſibi inſtrueret, quam Beatiſsimæ Virginis patrocinio, & Patrum Societatis Ieſu fidei commendatam paucis poſt diebus Gregorius XIII. Pont. Max. non ſolum probauit, verum etiam ampliſsimis gratijs munificentiſsime exornauit: Vbi ſummo ſtudio opera, ac labore in eam curam inuigilaretur, vt non minus vitæ probitatem, Chriſtianiq. nominis dignitatem, quam liberalium artium diſciplinas vel ſcientias ſtudioſiſsime vniuerſus nobilium Scholaſticorum coetus ſibi comparandas proponeret, & vt quæcunque à Rectoribus conſiliarijs, & aliis Illuſtribus vtriusque vniuerſitatis moderatoribus, ad ſtudentium vtilitatem vel dignitatem pertinentia, ſancita fuiſſent: ipſi, qui nomina congregationi dediſſent, primi exequerentur, curarent omni ſtudio, ac diligentia, ne adoleſcentes huc à parentibus, aut à propinquis virtutis ac doctrinæ comparandæ gratia miſſi, prauis familiarium, & ſodalium conſiliis, aut exemplis moti à recta viuendi ratione deflecterent, & ſtudiorum ſuorum obliti, prauis ſeſe moribus dederent. Hoc vt Congregatio ipſa facilius conſequi poſſet, & alia ad Dei gloriam, & ſtudioſæ iuuentutis vtilitatem ſpectantia, certum ſibi ſtatutorum corpus præterea, quæ quaſi rudimenta quadam olim condiderat, ſibi conſtituendum eſſe iudicauit, ſpem maximam nacta horum vtilitatem ſummam fore: cum præſertim ſui inſtituti iam vberrimos fructus videat non Bononiæ tantum, ſed etiam in celeberrimis Patauina, ac Ticinenſi Academiis: vbi quaſi Colonia quadam huius Congregationis, Ampliſſimæ aliæ Sodalitates, à ſtudioſis nobilibus, qui hinc diſceſſerant vtrobiq. inſtitutæ ſunt; Tanta Illuſtriſsimorum Principum, & Ampliſsimorum Antiſtitum gratulatione, ciuium omnium admiratione, & Illuſtrium Scholaſticorum conſenſu, ac frequentia ut uix, niſi ab eo, qui id oculis perſpexerit credi queat; Quæ & huic perpetua amicitia, ac charitatis uinculo fœderatæ & coniunctæ ſunt. Quare in publico omnium perſeuerantium conuentu

Anno

Digitized by Google

Anno Domini M.D.LXXXII. ad huiuſmodi ſtatuta condenda & ſtabilienda delecti ſunt nobilis in primis ad Reuerendus Dominus Alexander Zobolus Regienſis Vicarius abſentis Præfecti conſtitutus, & vtriuſque Iuris ſtudioſus, Dominus Hector Benninus, Bononienſis, ciuilis, & Pontificij Iuris ſtudioſus, & D. Eliſeus Calcaneus Placentinus Philoſophiæ, ac Medicinæ ſtudioſus, conſiliarij, D. Galeatius Palæotus Bononienſis Politicorum ſtudiorum, ac Philoſophiæ auditor. D. M. Antonius Bolognettus Iuris vtriuſq. ſcholaris, & RR. D. Ioannes Baptiſta ab Horto, Doctor Theologus Bonon. D Nicolaus Fizibertus, & Illuſtriſſ. D. Gulielmus Brunus, Angli, Iuris vtriuſque ſtudioſi: Præter hos, etiã alios elegerunt, quibus tamen ob repentinum diſceſſum ipſo ſtatim initio deficientibus ſequentes in eorum locum ſuffecti ſunt, & electi RR. D. Antonius Bacchinus Parmenſis, ſacræ Theologiæ Doctor, & cõgregationis præfectus, & D. Berlingerius Gipſius Bononienſis, eiuſdem congregationis conſiliarius I.V. Scholaris, & D. Eliſæus Calcaneus conſiliarius vt ſupra confirmatus, Illuſtris & Reuer. D. Franzinus Gozadinus Bononienſis Prior S. Bartholomæi I.V. ſtudioſus, D. Manfredus Fliſcus Rauaſcherius Genuenſis, I.V. ſtudioſus D. Valerius Gipſius, & D. Achilles Buſtrigarius I.V.D. Bononienſes. His omnibus, ſelectiſſimis doctrina, Prudentia, ac pietate viris, omnem, quam potuerunt facultatem, ad ſtatuta condenda, & ſtabilienda dederunt; & datam confirmarunt, & ſemel atque iterum vniuerſa omnium Perſeuerantium, gratulatione corroborarunt. Illi ſæpius conſultatione habita, requè Deo precibus commẽdata, & pro conſtituendo ipſius cõgregationis corpore, & pro eiuſdem varijs officiorum muneribus, adminiſtratione, Tum demum pro ijs, quæ vel ad ipſam in genere, vel ad priuatos quoſque perſeuerantes ſpectare videbantur, hæc, quæ ſequuntur & ſancienda iudicarũt, & ſeruanda ſanciuerunt.

Societatis Perſeuerantiæ Statuta, tres in partes diſtributa, quorum prima eſt De conſtituendo ipſius ſodalitatis corpore. Secunda de varijs eiuſdem officiorum generibus, ac muneribus; Tertia verò complectitur ea, quæ generatim ad ſocietatem ſpectant, & quæ priuatim ad quoſcunque perſeuerantes pertinent.

Primæ partis.

Cap. 1. De qualitate, & ætate illorũ, qui in congregationem ſunt cooptandi.

2. Qua ratione, & modo quiſque admittendus ſit.

3. De ratione in deliberationibus, & congregationibus ſeruanda.

4. De ratione cooptandi in congregationem publicos ſcientiarum profeſſores, Doctores, alioſque, Præſules, vel Principes viros.

Secundæ partis.

Cap. 1. De numero eorum, qui congregationi fauere, præeſſe, vel inſeruire debent.

2. De Patrono diligendo.

3. De nouo Archiepiſcopo in hac vrbe Patrono adeundo.

4. De electione xvj. conſeruatorum.

5. De electione, & munere Patris ſpiritalis.

6. De præfecti, & conſiliariorum munere, auctoritate, & electione.

7. De munere, auctoritate, & electione duodecim.

8. De munere, & electione lectorum.

9. De prouiſoris munere, & electione.

10. De munere, & electione eorũ, qui ſunt à ſecretis.

11. De monitore, ſiue de Bidello.

Tertiæ

Tertia partis.

Cap. 1. DE ijs, quæ à ſodalitate generatim in publici Bononienſis gymnaſii vtilitatem fieri debent.
2. De iis, quæ priuatim, & publice in congregatione à quolibet Perſeuerantium fieri debent.
3. De variis exercitationibus ſpiritualibus in congregatione faciendis.
4. De feſtis diebus, à congregatione ſolemniter celebrandis.
5. De exercitationibus literariis in congregatione faciendis.
6. De ratione inſtituendi, & retinendi literarias exercitationes in ſodalitate.
7. De ratione viuendi Perſeuerantiũ, dum à congregatione abſunt, & qui cum ipſa participare poſſint.
8. Quæ ſuffragia pro defunctis Perſeuerantibus fieri debeant.
9. Quæ ſuffragia pro Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſ. Patrono, & Archiep. facienda.
10. De variis quibuſdam conſtitutionibus ſeruandis in congregationibus priuatis duodecim, & publicis generalibus conſuetis.

De qualitate & ætate illorum, qui in congregatione cooptandi ſunt.
Cap. 1.

CVM Perſeuerantiæ congregatio eò precipue inſtituta fuerit, vt ingenuis, ac nobilibus adoleſcentibus qui varijs, diuerſiſque literarum ſtudijs in hac celeberrima Bononienſi Academia operam nauant, adiumenta afferat, in hoc ipſo vitæ genere, quibus ad propoſitum ſibi ſtudiorum finem facilius perueniant: Ideo qui in ipſam cooptabuntur, ſiue publici Gymnaſij auditores, vel Doctores ſint, vel ſaltem communium literarum, & politioris humanitatis ſtudioſi: Aliorum verò aliquos licebit admittere, qui probitate, & religione erunt inſignes, quorum opera, vbi oportuerit, Congregatio vti poſſit. Eruntque omnes cooptandi ætate ad minus annorum quatuordecim.

Qua ratione, & modo quiſque admittendus ſit. Cap. 2.

CVM aliquis huic ſodalitati nomen dare optauerit, vbi hoc ſuũ deſiderium alicui ex Congregatione expoſuerit, is ei à præfecto facultatem obtineat, vt ſemel ac iterum Congregationis exercitationibus intereſſe poſſit, ſtatis horis, & diebus dominicis: ſi verò deinde in propoſito perſeuerauerit; tunc ab eodem, qui ei primam facultatem obtinuerat, præfecto, vel Patri ſpirituali offeratur, vt ab eodem plenius edoceatur, quæ, & qualis ſit hæc Congregatio: cur inſtituta, & quibus legibus, ac ſtatutis regatur: eidemque præfecto, vel Patri nomen ſuũ, cognomen, ac patriam dabit in ſcriptis vt ſequenti die Dominico ipſo referente, omnibus à præfecto proponatur admittendus, vt infra dicetur; Admiſſus verò proximo die Dominico ab eodem promotore ſuo, vel prouiſore, ijs qui præſunt offeratur: vt oretenus à præfecto ipſe atque omnes intelligant, ſumma cum lætitia in ſodalitatẽ fuiſſe cooptatum, quem ſperant eidem decori & ornamento futurum; ipſe verò quicquid in domino libuerit, poterit reſpondere.

De ratione in deliberationibus & negotijs Congregationis ſeruanda.
Cap. 3.

QVAECVNQVE deliberanda occurrerint in publico, vel priuato perſeuerantium conuentu à præfecto coram proponantur, vel ipſo abſente, ab antiquiore in Congregatione ipſius collega, & omnia ab eo, qui eſt à ſecretis, pro vt oportuerit, deſcribantur; poſtmudum ab eodem, pro vt ſcripſerit, legãtur, vt omnes intelligant, qua de re deliberandum ſit. Tum monitor, ideſt bidellus, fabas ſingulis præbeat vnam

nigram pro parte negatiua, alteram albam pro affirmatiua, quibus vnusquiſque ſuffragium ferant, fabas in vrnam ſecreto ponentes, quam monitor circumferet, & demum ad præſides Congregationis deferet: quorum munus erit videre, quænam pars pro maiori ſuffragiorum numero præualuerit, declarantes albas obtinere, nigras verò fabas negare. Quidquid autem deliberatum fuerit, publice referatur, & ab eo, qui eſt à ſecretis diligẽter adnotetur. Atque hac eadem ratione quilibet cooptabitur in congregationem pro maiori parte calculorum in priuato tantum conuentu Patris ſpiritualis, præfecti, duorum conſiliariorum, cum ijs, qui ſunt ex duodenario numero ad hoc inſtituto, vt ſuo loco dicetur.

De ratione cooptandi in Congregationem publicos ſcientiarum Profeſſores, Doctores, aliosque Præſules, vel Principes viros

Cap. 4.

CVM ſit admodum perſpicuum, quantum ſtudioſi omnes ſuis præceptoribus debeant, quantaque reuerentia, ac honore colendi ſint, qui publice quaſcunque ſcientias profitentur: necnon clariſſime dignoſcatur, quantis honoribus ab huiuſcemodi præſtantiſſimis viris ad publicam totius huius florentiſsimæ Academię vtilitatem hęc Congregatio cumulari poſsit: ſtatuitur, vt quilibet eorũ, vel alius quiuis Prçſul, vel ſimiles ijs Principes viris, qui cooptari in ſodalitatem poſtulauerint, is publice à prçfecto Congregationis proponatur, & ſine vllis calculis admittatur. Ita tamen vt prius cooptandus certior factus ſit à præfecto de Congregationis inſtitutione, ac decretis; cum autem quis receptus fuerit, nunc cõgregationi nõ interſit; ſed præfectus de ijs quę geſta erunt per ſe, vel per alios prius illum admonebit, & vt proximo die Dominico Congregationi interſit hortabitur. Prçterea quia conſtat huiuſmodi viros per ſæpe, ita variis negotiis & occupationum generibus detineri, vt nõ ſit eis, vt exoptarent, liberum conſuetis exercitationibus quę ſingulis diebus Dominicis habentur intereſſe: ne impoſterum eorum abſentiam, cum contigerit, reliqui grauius ferant, & admirentur; publico teſtimonio ob grauiſsimas (vt dictum eſt) rationes, quas præſertim ſtudioſorum gratia ſubeunt, excuſentur. Cum exploratum apud quemque eſſe debeat, illos qui ſe duces aliorum futuros profeſsi ſunt in hac Congregatione, nunquam eidem pro ſua virili defuturos, & tantum columen ac adiumentum ex altera parte collaturos literariis exercitationibus præſertim publicis promouendis, & iis omnibus quibus Congregatio eorum opera ſubleuari poſſe cenſuerit; quantum damni & mœroris eorum abſentia eidem attulis ſe videretur. Ad extremum ne illis vlla interueniendi neceſsitas imponatur, cum plus ab iiſdem mera liberalitate Congregationi in commune omnium bonum donandum ſit, quàm quod expeti vel requiri poſsit, ipſis vel ſolo nutu, iure tamen renuentibus, nullo officii onere grauentur.

Statutorum pars ſecunda.

De numero eorum qui Congregationi fauere, præeſſe, vel inſeruire debent.

Cap. 1.

QVIA quanto maioribus adminiculis aliquod opus fulcitur, tanto facilius quiſque in aliquam ſollicitudinis partem vocatus accedit: idcirco congregatio hæc optimo conſilio habere decreuit vnum ex Illuſtriſsimis & Reuerendiſsimis S.R.E. Cardinalibus Romæ commorantibus, cui tanquam firmiſsimo fundamento nitatur; vt ſuperioribus annis in primo ſui ortu, ſummo omnium conſenſu Illuſtriſsimo ac Reuerendiſsimo Cardinali Alciato non minus iucundæ, quàm acerbæ recordationis, ſubnixa fuit, cuius ampliſsimo

patro-

patrocinio perinde ſe dicauerat, ac modo Illuſtriſsimi ac Reuerendiſsimi Cardinalis Caraffæ integerrimæ fidei mira omnium gratulatione, ſe ipſam commendauit; qui pro ſingulari ſua in ſtudioſos, pioſque omnes humanitate, ac beneuolentia, huius congregationis nomen, ac exiſtimationem in ſuam clientelam non modo libenter ſtudioſeque ſuſcepit, verum etiam ſingularibus officiis ſuam liberalem erga vniuerſum perſeuerantium cœtũ, & priuatos quoſcunque voluntatem, plena grati animi ſignificatione declarauit. Inſuper Reuerendiſsimis Bononiæ Archiepiſcopis ita ſemper commendabitur, vt hoc tempore Illuſtriſsimo ac Reuerendiſsimo D. Cardinali Palæoto eſt commendata; quem tanquam patronum, ac parentem amantiſsimum colit ac veneratur. Tanto enim in ipſam charitatis ardore ſuccenſus eſt, vt nec inter grauiſsima ſuæ ſolicitudinis negotia, ipſius obliuiſcatur; quinimo præſentia, conſilio, opera eandem fouet, auget, & amplificat. Sexdecim etiam conſeruatoribus ex omni nobilium ordine delectis viris, veluti huius ſpiritualis ædificii colũnis fulcietur. Patri quoque ſpirituali, vni ex ſocietate Ieſu perpetuo commendabitur: & iis quaſi externis patrociniis conſeruabitur, & promouebitur. Præter hos autem aliis tanquam internis variis officiorum generibus conſtituetur, & adminiſtrabitur; atque primo loco deligetur ab omnibus vnus, qui vt caput, & princeps, congregationi præſit, qui præfectus nuncupabitur; cui duo conſiliarii adiungentur deligendus præterea erit numerus duodenarius ex cooptatis congregationi: duo item lectores, qui eo quòd legendi munere fungantur, lectoris nomen ſortientur. His omnibus tres accedent, alter qui in minoribus congregationi prouideat, & prouiſor vocabitur: duo qui ſint à ſecretis, & ſecretarii dicentur. Habeat denique congregatio monitorem, ſeu bidellum probatæ vitæ virum, ac eius amantiſſimum.

De patrono deligendo. Cap. 2.

CVm Patronus erit eligendus, ſic ſapientiſſimo rerum omnium adminiſtratore Deo diſponẽte, præfectus duos maturè ſeligendos curabit ab omnibus, qui in frequenti congreg. aderunt, ſuffragijs oretenus præſtitis ſibi, & Patri ſpirituali, & per eũ, qui eſt à ſecretis adnotatis: Tum etiam alios duos eodem prorſus modo in priuato conuentu præſidentium & duodecim eorundem ſuffragijs, ex eorũ numero: necnon alios quatuor ex num. 16. conſeruatorum ex eorundem priuata congreg. vt dictum eſt, deligẽdos curabit. Quibus omnibus vnà cum patre ſpirituali, prefecto, & conſiliarijs in eiuſdẽ congr. loco, fuſis ex more ad Deum precibus, ex Illuſtr. & RR. Cardinalibus Romæ cõmorantibus eligent vnũ, quem maluerint, & in domino iudicauerint congreg. fore amantiſſ. patronum, & ſtudiorum vera Chriſtiana nobilitate Illuſtrium virorũ, veluti Mœcenatem ampliſſ. Quòd ſi in hac electione aliqua ſuborta fuerit cõtrouerſia, totius huiuſce rei deliberatio Archiep. congregationis in hac vrbe patrono deferatur: quidquid autem deliberatum fuerit, in ſequenti die Dominico, in publico omnium perſeuerantiũ cœtu pronunciabitur. Peractaq; hac electione, ſupplices ad eum qui electus fuerit, literæ mittantur: quibus de perſeuerantium inſtituto certior factus, vt congregationẽ in ſuam clientelam, & ampliſsimum patrocinium ſuſcipere velit, exorabitur.

De nouo Archiepiſcopo in hac vrbe Patrono adeundo. Cap. 3.

NOuo huius Metropolitanę eccleſię electo Archiep. præfectus, & conſiliarij duos ex frequenti omnium perſeuerantium conuentu eligent. Item vnũ ex numero duodecim, ſexq. conſeruatoribus ex eorum præſcriptis ordinibus cõuocatis, hoc eſt canonicis ex vtraque S. Petri, & S. Petronij Baſilica: tribus doctoribus, ex ſingulis Theologorum, Medicorum, ac Iuriſconſultorum collegiis,

& illo, qui eſt ex Illuſtr. ſenatorum ordi ne omnes vnà Reuerendiſs. huius vrbis Archiep. adeant; vt eum de huius congreg. inſtituto admoneant, eamq; eius integerrimæ fidei, ac ampliſſimo patrocinio, tanquam amantiſſimo patri iam dicatam commendent, ipſius auctoritate, conſilio, ac opera non modo confirmãdam, ſed etiam in publicam huius florẽtiſſimi Bononienſis gymnaſij vtilitatem augendam, & illuſtrandam.

De electione 16 conſeruatorum, Cap. 4.

SExdecim conſeruatores, cum futuri ſint inſtar ſexdecim columnarum in hoc ſpirituali ædificio, expedit eos in hoc officii munere aliquandiu permanere. Ad triennium itaque protrahitur, & cum ii non parum honoris & adiumenti ad congregationis dignitatem vel confirmandam, vel amplificandam ſint allaturi iure ſancitur, vt ſint omnes magnæ auctoritatis, & egregiæ nobilitatis viri: necnon omnes Bononienſes, vel ſaltem qui per decennium in hac ciuitate ſint commorati, & nunc commorentur: vt melius rerum ſtatum cognoſcẽtes, opportunius rebus congregationis, vbi opus fuerit, opem ferre, & eidem fauere poſſint: Nec minoris ætatis eſſe debeant viginti quinque annorum. Sigillatim etiam ſtatuimus, vt vnus eligatur qui ſit Eccleſiæ cathedralis canonicus, vel alia ibidem dignitate inſignitus: Alius ex inſigni Sancti Petronii Eccleſia canonicus, vel alia ſimili dignitate ornatus: Tum tres ſinguli, ex ſingulis tribus Doctorum collegiis Bononienſibus, theologorum, iuriſconſultorum, ac medicorum: poſtremo vnus ex Illuſtriſſimo Senatu; cæteri omnes & literis & nobilitate præſtantes, qui ſint prompto, & alacri animo congregationis patrocinium ſuſcepturi. Horũ electio hoc ordine fiet. Præfectus, vt ſuperiori capite dictum eſt, quatuor tempeſtiue eligendos curabit, duos è publico perſeuerantium cætu per ſecreta ſuffragia, duos item ex priuata congregatione præſidentiũ, & duodecim. Qui omnes vnà cum patre ſpirituali, præfecto, & conſiliariis ſtatuto die & hora coram vrbis huius Archiepiſcopo congregationis patrono habeant ius eligẽdi hos ſexdecim conſeruatores: & ipſo approbante, electi habeantur ſeruatis omnibus ſuperius dictis. Hos autem omnes, celebri omnium perſeuerantium indictu conuentu, eo apparatu, & honeſtate qua decet, congregationi intereſſe curabit præfectus: vt omnes intelligãt, illi quidem quorum patrociniũ ſuſceperint: ii verò quos ſuæ dignitatis & exiſtimationis conſeruatores, & amplificatores habeant: Ad quos in rebus grauioribus publicis, vel priuatis confugient, vt eorum ope, & conſilio adiuuentur, & rebus ſic exigentibus, præfectoque eos conſulendos cenſente, conuocentur. Cum autem horum aliquem anni ſpatio abeſſe contigerit vel ad dominum migrare: tunc præfectus, & cõſiliarij tantum, coram Reuerendiſsimo Bonon. antiſtite in demortui vel abſentis locum, alium eligent ac ſubſtituent.

De electione, & munere Patris ſpiritualis. Cap. 5.

HABEAT ſemper congregatio Patrem ſpiritualem ex ſocietate Ieſu, cuius conſiliis dirigatur. De eius electione nihil occurrit ſtatuendũ, ſiquidem ipſius officii munus nullo tẽporis ſpatio præſcribitur: ſi quando tamen illum diſcedere contigerit; præfectus Rectorem collegii Societatis Ieſu adibit, vt alium in eius locum conſtituat: qui commode poſſit, tum publicis, cum priuatis congregationibus intereſſe, perſeuerantium confeſsiones audire, cooptandos inſtitui rationes edocere, exercitationes ſpirituales, & literarias promouere, publicis adhortationibus, & familiaribus colloquiis omnes iuuare, & recreare, iure denique ſuffragii in qualibet congregatione gaudeat.

De

De Præfecti, & conſiliariorum munere, auctoritate, & electione.

Cap. 6.

CVM Præfectus, velut huius corporis caput deligatur, vt eius auctoritate,& prudentia res omnes tranſigantur . Ideo hanc prouinciam ita demandatã ſibi perſuadeat : vt ſua auctoritate & conſilio congregationem ſeruet, tegat, & amplificet ; omnia proſpiciens, quæ & obeſſe poſſent, vt vitet : & quæ prodeſſe ; vt ſequatur . Omnibus ergo diebus Dominicis vt Perſeuerantes ex more conueniant curabit ad exercitationes ſpirituales: ac ſtatutis tẽporibus ad literarias, quæ ex ipſius præſcripto, conſulto Patre ſpirituali, & Cõſiliarijs ad omnium conſolationem, & deliberationem fient ; Ita vt per horam omnes ſimul ſuauiter detineantur,& in omni virtutum genere inſtituantur. Tempeſtiue Perſeuerantes admonebit de die communionis: & cohortatione contendet, vt omnes ſingulis ſaltem menſibus, ſacram Euchariſtiam religioſe ſumant: publicas exercitationes ſpirituales,vel literarias ordinabit: in quibus,ſi quid coram proponendum erit, ipſe proponet. Infirmos quoſcunque tam congregationis,quàm alios ſcholaſticos per ſe ipſum, ſiue per alios, prout iudicauerit, inuiſendos : & ne quid illis deſit, præſertim è ſpiritualibus,pro facultate curabit ; & vt adſint aliqui morituris. Pro quorum ſalute tam corporis, quam animæ preces faciendas decernet publicè, & priuatim. Reuocabit denique in memoriam perſeuerantibus : vt Deo preces fundant pro Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo D. Card.Archiep.Conſeruatoribus,alijſque ſcholaſticorum ſodalitatibus huic aggregatis:vt eas Deus ſeruet, & amplificet ad ſui ipſius gloriam ſempiternam,& ad Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem. Cura autem horum omnium & ad conſiliarios ſpectat, quorum munus eſt,non modo verbis, ſed re ipſa omni ſtudio ac diligentia, præfecto & congregationi conſulere, & eorum antiquior in congregatione vices abſentis præfecti ſuſtinebit:ijſque ſolum Patre ſpirituali,& præfecto certus in cõcione,locus tribuatur, niſi quiſquã alius publico munere, vel magiſtratu fungeretur ?

Quoad electionem præfecti : eadem quæ conſiliariorum erit, & fiet omnium perſeuerantium ſuffragijs in ſcriptis,ſecreto expreſſis eorundem nominibus,& cognominibus,quos eligere in præfectũ & conſiliarios voluerint, idque coram patre ſpirituali, præfecto, & alio hac de cauſa ex duodenorum priuata congregatione ab ijſdem ad plura ſuffragia oretenus præſtita electo, & eo qui eſt à ſecretis ; qui omnes ſchedulis ſeorſim acceptis,eas in pixide diligẽter ſeruari curabunt.Poſt ſuſcepta ordine ſuffragia præfecti tres, qui electioni præſunt, videant quem in præfectum, & quos in conſiliarios delegerint, pluribus ſuffragantibus calculis: & tam ij, quàm ille, ab eo qui eſt à ſecretis,de mandato eorum qui præfuerunt, promulgentur;ſtatimque Deo debitæ grates piè perſoluantur. Quòd ſi acciderit plures æqualia habere ſuffragia, tunc ſorti committatur deliberatio: & ſuper quem,vel quos ſors ceciderit, præfecturam, vel conſiliariorum officij munus obtinuiſſe cenſentor : Qui omnes, intra menſem, horum ſtatutorum ſeriem legiſſe teneãtur. Eorum magiſtratus erit ſemeſtris electio vna,fiet prima Dominica Decẽbris,altera prima item Dominica Iunij. Primi,ſuo officio fungi incipient, primo die Dominico Ianuarij : ſecundi verò die viſitationi B. Virginis ſacro : prius tamen Illuſtriſſimum Archiepiſcopum adeant cum præfecto & conſiliariis veteribus benedictionem ab ipſo ſuſcepturi,& rogaturi conſiliũ aliquod pro congregatione recte adminiſtranda . Die vero quo ſuſcepti muneris officio fungi incipient,prius ſacram Euchariſtiam ſumant omnes, ſe ipſos & congregationem Deo commendantes. Poſtmodum omnibus cõgregatis præteriti ſemeſtris præfectus, & conſiliarii ſedebunt conſueto more, & præmiſſis precibus ſi

qui minus, quàm debuiſſent, in omnium commodum inuigilauerint, excuſatione diluent, & ſibi condonari petēt; Tuncque alii per ſecretarium vocati, ſeſſuri accedent, & quæcunque ad congregationem pertinentia ſuæ fidei commiſſa intelligent; atque in hac prima functione pro ea qua pollent prudentia & auctoritate, quæ ſibi videbuntur dicenda, breuiter pronuncient. Eo ipſo die creabuntur, & eligentur omnes alii magiſtratus; ex ſtatutorum præſcripto legentur quoque, quæ ad quorumcunque officiorum munera pertinere his ſtatutis decernuntur; nec non ſtatutorum prima pars, & tertia, vſque ad caput ſeptimum: vt omnes intelligant, quæ ſeruanda ſint, & Deo adiuuante, ſeruentur: ad quæ omnia quantum poterit, cohortabitur præfectus. Cum autem horum electio poſſit ſodalitati ſummum adiumentum afferre, illud quàm diligentiſsime ſtudeant, vt magno conſilio fiat. Quare quindecim dierum ſpatio ante deliberanda omnibus proponatur, vt boni publici ratione de qua agitur, habeatur: iiſque omnibus præfectus, in priuatis duodeno rum conſultationibus, & eorum qui iam præfectura functi ſunt, prouidere conabirur: & ſimul mature ſtatuet, vt omnia quæ eorum magiſtratui, vel adiumento vel ornamento futura etiam putauerit, præparentur. Quòd ſi caſu aliquo, præfectum longo tempore, hoc eſt duorum, vel trium menſium ſpatio, abeſſe contigerit: omnino ſubrogetur alius à Patre ſpirituali, conſiliariis, & à numero duodenorū, in eorum priuata congregatione eadem: qua ſupra, ratione in ſuffragiis ferendis per ſecretarium ſuſcipiendis, & ſcribendis ſi oretenus, dentur præſente Patre ſpirituali, & antiquiore Conſiliario. & quilibet pluribus ſuffragantibus calculis eligi poterit, quem iſti conſultò cenſuerint ſubrogandum, in locum abſentis præfecti, ſiue ſit ex eorum, ſiue ex communi perſeuerantium cætu: dummodo hoc, per antiquiorem conſiliarium, propoſitum, ac promulgatum prius fuerit conſulendum in publica congregatione. Cui autem, pro maiori parte ſuffragia fauebunt, præfectus ſubrogatus habeatur. Quòd ſi fuerit vnus, ex numero duodenario, liceat ſibi in ſuum locum, quem maluerit, ſubſtituere. Idem prorſus ſeruetur in conſiliariorum abſentia, ne congregationis dignitas, vel vtilitas, aliqua ex parte minuatur.

De munere, auctoritate, & electione Duodecim Cap. 7.

DELIGANTVR duodecim perſeruantes: qui præfectum, & conſiliarios in adminiſtranda congregatione, promouendis ſpiritualibus, ac literariis exercitationibus, opera, conſilio ac diligentia adiuuent: Quare conueniant, iis de cauſis, ſaltem ſingulis menſibus, & ſæpius vbi res grauis poſtulauerit, & præfectus eos aliquando conuocandos cenſuerit.

Tum etiam, cum aliquis cooptandus fuerit, id fiet ipſorum ſuffragiis pro maiori parte ſuffragantibus. Qua in re diligenter animaduertāt, ne quē admittant qui prius ea omnia non obierit, quæ ſuperius hac de re ſtatuta ſunt. In illud etiam ſummopere imcumbent, vt alios exemplo, & cohortatione ad congregationem alliciant, & adducant, quorum authoritate, & virtute facilius, ſibi propoſitum finem conſequi poſsint. Prætetea, ſi quid rixæ (quod Deus auertat) inter ſcholaſticos ortum fuerit, ſciant ſe non modo verbis, & opera conſulere debere, vt omnes ad priſtinam animorum conſenſionem reuocentur: verum etiam ſi res poſtulauerit, præfectum admoneant, vt ipſe tum ſua, tum aliorum in primis Conſeruatorum opera, & authoritate, pro viribus (vt expedire videbitur) qui rixati ſunt reconcilientur, ac tumultus armorum, facta pace, funditus e medio tollantur.

Hi autem duodecim hac rōne eligentur. Pater ſpiritalis, pręfectus & vterque conſiliarius, ſinguli vnum, quem maluerint & aptum nouerint, & eligent coram in publica congregatione hunc in mo-

modũ electi à præfecto pronũciabuntur. Cæteri octo ex pixide, in qua omnium nomina, diſtinctis ſchedulis deſcripta ſeruantur, ſortè extrahantur, & ſeruentur donec omnium perſeuerantium nomina ſint extracta. Illud tamen cauetur ne in pixide aſſeruentur niſi eorum nomina, qui aliquo modo publicis ſcientiarum ſtudiis incumbunt, vel ſaltem politioribus literis ſint exornati, ac congregationem frequentent. Hoc idem dictum intelligatur de iis, qui oretenus eliguntur. Cura autem hos ſecernendi ſi qui fuerint ab aliis, ad hos duodecim ſpectet, vna cum præfecto, patre ſpirituali, ac conſiliariis: qui ſemper præeſſe, & intereſſe debẽt quibuſcunque priuatis ipſorum congregationibus: Imò ſemper à præfecto, vel illo abſente, ab antiquiore conſiliario cõuocari debent: vt illa omnia, pro officii munere decernãtur & fiant, quæ ad illos, præſentibus ſtatutis, pertinere declaramus. Per tres autẽ menſes hoc officio fungantur: Horum denique electio, primo Dominico die, cuiuſlibet trimeſtris fiat.

De munere lectorum. Cap. 8.

LEctorum munus erit, in cõgregatione libros, tàm latina, quàm vernacula lingua conſcriptos legere, atque alia, quæ legenda occurrerint pro vt præfectus præſcripſerit. congregationem ſemper quoad fieri poterit, frequentabunt, ne illorũ opera deſideretur, & vt omnia vberiori fructu, & maiori ædificatione, quæ ad ipſos ſpectant, peragantur. Duo tantum ſint à præfecto, & conſiliariis maturè eligendi: horum munus trimeſtre eſto, niſi præfectus, & conſiliarii aliud cenſuerint.

De prouiſoris munere, & electione. Cap. 9.

HAbeat quoque congregatio aliquem è ſociis prouiſorem, cui cũ opus fuerit, collega addatur: quibus curę ſint res omnes congregationis, pręſertim eorum, qui nuper nomina dederunt, quique in dies in perſeuerantiæ cõgregationẽ cooptabuntur, vt omnibus cognitis, curent congregationẽ ad Dei gloriam, & ad publicam omnium vtilitatem frequentari: ægrotos inuiſant, ſi qui ſunt, & præfectum de illorum ſtatu certiorem faciant. Ipſorum partes etiã erunt, vbi congregatio extraordinaria, ſiue publica, ſiue priuata cogenda eſt ex præfecti præſcripto, eam omnibus perſeuerantibus, per bidellum ſchedulis indicere. Iidẽ cunctis publicis actionibus præſint, vt quæcunque pro dignitate facienda occurrerint, diligentiſſime diſponant. Idem præſtare contendãt in ſingulis, ac priuatis negotiis, pro vt præfectus, & conſiliarii demandauerint. Munus horum ſemeſtre eſto niſi à præfecto prorogetur: à quo, & à conſiliariis, eorum electio facienda ſtatuitur.

De munere, & electione eorum, qui ſunt à ſecretis. Cap. 10.

HAbeat etiam congreg. aliquem ex cooptatis, qui ſit à ſecretis: cuius pręcipuũ munus ſit, literas, vbi oportuerit, nomine ſodalitatis conſcribere; quorum omniũ exemplar, in libro huius rei gratia compoſito, conſeruabit; hoc ipſum de literis ad congr. datis præſtabit; Quare literarum liber apud ipſum eſto, & ſodalitatis ſigillũ. ſcriptas à ſe literas ad præfectum deferat ſubſcribẽdas. Habebit etiam ſub ſecretarium, qui in altero libro, quem Matriculam vulgò vocãt, nomina, cognomina, patriamq. omniũ perſeuerantium, appoſito cooptationis die, ſolenni more deſcribet: eadem ratione ſuffragia & quęcunque ſcribenda fuerint, in publico, vel priuato ſodalitio, vel ſibi mandatũ fuerit, literis conſignabit; idcireo, quibuſcunque congreg. aderit, ſcripta, & quaſcunque lucubrationes, ab ijs, qui præſunt conſignatas, recitatas, aut exaratas deſcribet in libro de lucubrationum congreg. perſeuerantiæ quadripartito: in quarũ 1. & 2. deſcribantur quæcũq. poemata & quod vis aliud ſolutę orationis, latinæ ſcriptionis gñs: in cęteris autem duabus partibus quæcũque Italico

Italico ſermone, ſiue poeticè, ſiue oratoriè deſcribi occurrerint. Omniaq; accuratè cuſtodiet, & ſine eorundem facultate nullum exemplar cuiquam tradet. Prætec hunc autem lucubrationum librum, habebit etiã apud ſe tres libros, vnum, in quo breuiter exarabit quæ indies in ſodalitate fient, hunc diurnalem aliqui appellant. Alterum, qui de ſuffragijs congregationum generaliũ, & particularium inſcribatur, quo illa eadem ſuffragia, ſcripta ſiue conſulta, ſcitaque continentur. Tertium quem album, vel matriculam dicimus: in quo, vt dictum eſt, omnium Perſeuerantiũ nomina adnotantur: Horum omnium rationes reddent ſaltem bis in anno his, qui præſunt & quoties eas ipſi exegerint. Vtriuſque electio erit penes priuatam congregationem duodecim, præfecti, conſiliarij, & Patris ſpiritalis, eorumque munus ad placitum eiuſdem congregationis eſto.

De Monitore ſiue Bidello. Cap. 11.

SIt etiã monitor ab ijs, qui præſunt, & duodecim deligendus, qui tandiu hoc munere fungatur; quandiu ijdẽ electores iudicauerint: quibus tamen hoc compertum eſſe debet, illum eò aptiorem futurum, quò diutius in officio erit. Huius autem munus eſto, Oratorium aptare, res ſoliditatis ſibi conſignatas ſeruare, ad congregationes priuatas, vel publicas, prout fuerit iuſſus, ſchedulis inuitare: ad Oratorij fores, congregationis tempore adſtare; & ne quis inconſultis præſidibus, extraneus ingrediatur curare: dabit denique operam, vt in omnibus perhonorificè, ac diligenter cõgregationi inſeruiat; à qua hoc illi tribuitur, vt bis in anno collectam in aliquod liberalitatis, & gratitudinis ſignũ recipere poſſit, in publico omnium perſeuerantium cætu. Præfecto tamen illã procurante, & indicente in ſequentem videlicet diẽ Dominicum poſt primam ſui muneris functionem: eoque vberiorem illam eſſe curabit, quò magis Bidellus diligentia, & probitate meruerit.

CONSTITVTIONVM
Pars Tertia.

De ijs, quæ à ſodalitate generatim ad publicam Bononienſis Gymnaſii vtilitatem fieri debent. Cap. 1.

CVm hæc Perſeuerãtiæ ſodalitas, ad Dei gloriam, vt huic florentiſſimæ Bononienſi Academiæ inſeruiat, fuerit inſtituta, debebũt omnes & ſinguli perſeuerantes pro viribus contendere, vt hoc vnũ quod ipſa tantopere expetit aſſequatur. Vt autem quæ in ſtudioſæ iuuentutis vtilitatem præſtare contendit prõptiori animo ab omnibus excipiantur, ſuarum curarum adiutores cõſiliorumque participes, ſibi in primis perilluſtres vtriuſque vniuerſitatis Rectores vel Vicarios, ac eorumdem cõſiliarios, præſertim ex ſingulis Regnis, ac Prouinciis quos maximè ætate, moribus, vſuq; rerum excellere iudicabit, ſibi omni officiorum genere aſciſcẽdos curabit: nec non Illuſtr. Senatus ſapiẽtiſſimos viros quibus quotannis publici Gymnaſii cõſeruandi, & amplificandi cura demandatur: & vt quæcunque ad ſcholaſticorum commoda, & ad eorũ exiſtimationem retinendam, vel augendam magis opportuna cenſuerint, & ſodalitatis huius opera vti maluerint, omni ſtudio ac prudentia exequantur. Horũ enim omnium præſtãtiſſimorum virorum perpetuis obſequiis, congregationem noſtrã obſtringi volumus, & in publicã huius florentiſſimæ Academiæ vtilitatem, eorum ſeruitutem addictam fore inuiolabiliter ſãcimus. Quare ſimul ac quis Rectoratus inſignibus fuerit cõdecoratus hunc adeant præfectus, & conſiliarij: vt eum, de huiuſmodi congregationis inſtituto admoneant. Hoc etiam idem faciendum curẽt ſaltem ſemel in anno, in publico omnium conſiliariorũ, vtriuſque vniuerſitatis cætu: tum & eiuſdem inſtituti ſenatores illos, qui Gymnaſio præſunt admonendos inuigilent. Horũ enim conſultorum ope, & auctoritate ac Illuſtriſſimi Card. Archiepiſ. in hac

vrbe

Digitized by Google

vrbe patroni cõſilio, ac voluntate proſitetur ſocietas, vt ab eius primis exordijs profeſſa eſt, vt hæc, quæ infra ſcripta ſunt: in publicam omniũ ſcholaſticorum vtilitatem exequãtur: in primis cum ſciat timorem Domini initium eſſe ſapientiæ: cõſtituit vt quotannis, priuſquam intermiſſa ſtudia reuocentur, omnium liberalium artium, ac ſcientiarũ publici profeſſores, eorum auditores, tota denique Academia, in primisque ſi aderint, perilluſtres vtriuſque vniuerſitatis Rectores, vel earundem Priores, ac vniuerſus conſiliariorum cœtus domi inuitẽtur, ad Exomologeſim faciendam, & ſacram ſinaxin in ſummo templo, quam Reuerẽdiſſimus Antiſtes, vel ſi abſit Vicarius, vel alius, pro vt deliberatum fuerit, miniſtrabit, religioſè ſumendam: qui quo honorificentius fieri poſſit ſtudioſiſſime inuitentur. Vbi iuxta præfecti, & conſiliariorum præſcriptum, ab aliquo perſeuerãtiæ alumno habebitur latina oratio, loco, rei, tempori, & perſonis accommodata, quam tamẽ antea à Patre ſpirituali perlegi, & approbari omnino exoptamus.

Vt profeſſoribus quietè, ac ſedatè, ſine vlla intempeſtiuæ, aut moleſtæ interpellationis ſuſpitione, ſuo fungi munere liceat: quanta poterit diligentia, vt audientium vtilitati, & dicẽtium dignitati conſulatur, adhibebitur: eadem ratione, vt in omni parte, modeſtia, honeſtas, pietasq; eluceat: atque vt gymnaſium ipſum veræ ſapientiæ, quæ cum moderatione, & pudore coniuncta eſt exemplum referat, procurabitur.

Si quid diſcordiæ, aut diſſenſionis, quod Deus pro ſua pietate auertat, inter ſtudioſos ſubortum fuerit, ſolicite operam ſuam interponet, & Conſeruatorum conſilio, & auctoritate, & etiã aliorũ, ſi opus fuerit, vtetur ad animos diffidentium moliendos, placandos, & reconciliandos.

Eos item ſtudioſos, quos propter patriæ longinquitatem, vel alia de cauſa aliquibus indigere nouerit cõgregatio: quantum poterit, ſubleuandos curabit, & tenuioris fortunæ iuuenes, in potentorum virorum familiaritatẽ adiungere, vt eorum ſtudijs, quàm fieri poſſit honeſtiſsimè ſeruiatur.

Si ſtudiorum cauſa in Vrbem venientes honeſta, & idonea diuerſoria poſtulauerint, hoſpites integræ probatæq; famæ ac vitæ pro virili parabuntur: quorum cõtubernio, patres rectè filios ſuos committere poterunt: ſi ſodales plenos honeſti pudoris, officiiq; popoſcerint, eadem fide procurabũtur: a quibus etiã externarum nationum ſtudioſi, & Italicã linguam addiſcere, & morum ſuauitate recreari poſſint.

Studioſos quoſcunque, aduerſa aliqua valetudine afflictos viſitabit, conſolabitur: & ne quid illis deſit præſertim in ijs, quæ vel ad priſtinam valetudinem recuperandam, vel ad æternam gloriã conſequendam pertinent, non impigre animaduertet.

Si quis perſeuerantium, ſiue Theoremata publicè tueri, ſiue Doctoratus inſignia petere ſtatuerit: & a præfecto, & vniuerſim ab omni ſocietate, & eiuſdẽ ad Deum precibus ſtipatus deſcendat, eique ſummus omnibus in rebus, quoad eius fieri poterit honos habeatur.

Illis verò qui emenſo ſtudiorum curriculo, & Doctoris laurea inſigniti, aliò commigrabunt, literis ſi petẽt commendatiis ad Præſules, vel alios Principes viros, amantiſſime ſodalitas dabit: quibus de vniuſcuiuſque meritis, virtute, & probitate fidem faciet: idem etiam pro quouis alio præſente congregatio præſtare curabit.

De ijs quæ priuatim, & publicè in congregatione a quolibet perſeuerantium facienda ſunt. Cap. 2.

HActenus commemorata in cõmunem totius Academiæ vtilitatem efficiet congregatio: præter hæc autem erunt omnes perſeuerantes in oratione, doctrina Apoſtolorum, ac fractione panis: ab ijs enim tota Chriſtiani hominis vita pendet: nec aliter poteſt, ſi quæ ad virtutem facta eſt progreſſio, diu conſeruari. In hoc igitur ſtrenuè incumbent omnes

omnes huius matris filii, & ad maiorem Dei gloriam, ad ſui, & ad vniuerſæ Reip. chriſtianæ vtilitatē, vt mane expergefacti, interdiu quoque, & nocte antequam ſe ſomno dedant, aliquo temporis interuallo orationi vacent; & ſe ipſos, exercitationes, ac ſtudia ſua Deo iam dicata commendent: ſic enim & maiores ac glorioſiores erunt incœptorum ſtudiorum progreſſus, & tandem in optato fine ſecurius conquieſcent: deinde verbum Dei ſæpius quoad fieri poterit audiant. Hiſce de cauſis, ſingulis diebus Dominicis omnes perſeuerantes ad oratorium conueniant. In quo vt ſapienter monuit Apoſtolus, attenditur orationi, lectioni, & exhortationi. Quibus exercitationibus præcipue tamen lectioni ſpiritualiū, ac ſacrorum librorum ſedulo operam nauent. Non enim vt inquit Chriſtus Dominus in ſolo pane viuit homo, ſed ex omni verbo quod procedit ab ore Dei: Tum ſacroſanctum Chriſti corpus, quod Pater ſpiritualis deuotè miniſtrabit, omnes ſimul ſaltem ſingulis menſibus religioſe ſumant, & quotieſcumque vel publicā diſputationem, vel doctoratus inſignia ſuſcepturi fuerint, præmiſſa diligenti confeſſionis probatione, quo dignius ad tam venerabile Sacramentum accedant, & fructuoſius frequentent. In eo quippe recolitur memoria paſſionis Chriſti, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Quapropter ſi hæc vna res, in qua ſita eſt vis tota, ac totius huiuſce noſtræ congregationis virtus, bene trāſigatur, cætera omnia ex ſodalitatis ſententia profecto ſuccedent. Hoc enim ſpectant & huc referuntur omnia ſtatuta, vt hac inita ratione pietas chriſtiana, nobilitate, & literis coniuncta in viris diuitiis, honoribus, ingenio, ac doctrina præſtantibus, per eoſdem ad ciuitates, prouincias regna, & vbique locorum longe lateque ad maiorem Dei Opt. Maximi gloriam diffundatur & propagetur. Quæ omnia vt fructuoſius, ac glorioſius conſequi poſſint, omnes perſeuerantes, quantum poſſumus in Domino hortamur, ac deprecamur, vt communem ſodalitatis noſtræ Patrem ſpiritualem: confeſſarium, peccatorumque ſuorum expiatorem, conſiliorum ſuorum participem, ac vitæ directorem habere velint: vel ſaltem quempiam alium ſapientem, ac in primis in ſpiritualibus optime exercitatum, mature pro rei grauitate delectum ſemper retineant, colant, ac venerentur; Ex hoc enim capite præcipue totius Chriſtiani hominis ſalus pendet. Quod admonens Spiritus ſanctus inquit, Fili non confundaris confiteri peccata tua, & non ſubijcias te omni homini pro peccato. & iterum, honora Deum ex tota anima tua, & honorifica ſacerdotes, & purga te cū brachijs, da illis partem ſicut mādatum eſt primitiarum & purgationis. Et de negligētia tua purga te cū paucis, & reliqua, quæ à doctoribus ſacris explicata leguntur.

De varijs exercitationibus ſpiritualibus in Congregatione faciendis.

Cap. 3.

QVAMVIS id præfecti, & conſiliatiorum arbitrio ſuperiùs relictū fuerit, Patre ſpirituali conſulto, quod ad ſpirituales exercitationes in cōgregatione habendas attinet: operæ tamen pretium viſum eſt, pauca hoc loco connotare: quibus ad alia iis ſimilia facilius dirigantur. Prælegentur itaque vt plurimum duo libri, alter latina, alter vernacula lingua (ſi maluerint) ſcripti, ambo graues ac pii, & ad chriſtianos mores appoſiti. Inter legendum ſi quid notatu dignum, vel ſubobſcurum præfecto, Patri ſpirituali, aut aliis, quibus hoc curæ eſt, occurret, illud fuſius, & clarius enucleari poterit. Pater ſpiritualis adhortationes loco, tempori, & perſonis accomodatas variis de rebus habebit. Nonnunquam è perſeuerantibus aliquis eiuſdem argumenti lectiones adhibere poterit: Aliquando problema in medium afferetur: vt omnes, vel ſaltem rogati, de illo ſententiam dicant. Dimidium horæ interdum orationi mentali, tempore præſertim commu-

munionis, argumento admeditandum per Patrem ſpirituale propoſito, omnes ſimul impendent. Hac ſiquidem exercitationum, ac ſimilium varietate, & delectabitur non parum congregatio, & recreabitur vehementer.

De feſtis diebus a Congregatione ſolemniter celebrandis. Cap. 4.

DIES feſtos tres, ſolemniter agent perſeuerantes: Annuntiationis Deiparæ Virginis, vt congregationis patronæ: Viſitationis eiuſdem, eo namque die felicibus auſpiciis fuit olim congregatio inſtituta; quare in vtroque perſeuerantes omnes ad ſacro ſanctam communionem accedent, quã ſpiritualis Pater, vel alius ad hoc inuitatus in æde S. Luciæ miniſtrabit. Tertius porrò dies erit ſanctiſsimis Apoſtolis Simoni, & Iudæ ſacer, quo vniuerſa Academia & ad ſumendum Chriſti Domini corpus in Baſilica diui Petri, illud Illuſtriſs. Card. Archiep. miniſtrante, & ad audiendam orationem inter miſsarum ſolemnia habendam inuitabitur. His tribus diebus horis pomeridianis conuenient omnes ad Oratorium eo quo maiori fieri poterit apparatu ornatum: atque accerſitis non modo conſeruatoribus, verum etiam vndique quamplurimis aliis nobilibus, ac ſapientibus viris, vt paratis grauiſſimis, ac eruditiſſimis non minus, quàm iucundiſſimis exercitationibus interſint. De quibus tamen matute prius ſit à præfecto, patre ſpirituali, conſiliarijs & duodecim conſultum, ac deliberatum.

De exercitationibus literarijs in Congregatione faciendis. Cap. 5.

QVONIAM ſcopus huius ſodalitatis eſt, Chriſtianam pietatem vnà cum doctrina, & ſcientia copulare; hinc fit, vt poſtquam exercitationibus ſpiritualibus fuerit ſatisfactum, literarias pariter tractationes, retinendorum & exercendorum ingeniorum gratia, præſertim ex arcanis Chriſtianæ philoſophiæ deductas complectatur. Rogatos itaque vult omnes ne grauentur, onus legendi, orandi, declarandi, commentandi coram ſubire; ſiue cum aliquid in hoc genere Præfectus alicui mandauerit (nulli tamen vnquam dicendi partes imponentur inuito) ſiue cum Spiritus ſanctus qui docet hominem ſcientiam, alicui inſpirauerit, vt lectionem, orationem, commentationem aliquam in congregatione latino vel italico ſermone habeat: quod facile conſequetur vbi præfectum, & Patrem ſpiritualem (quem cupit ſodalitas, omnia huiuſmodi prelegere) hac de re certiores fecerit. Rogantur etiam alii, vt huiuſmodi actiones publicas aliquo poemate latino, vel italico, ſeu aliqua oratione ſoluta exornare meminerint. Quæ ad congregationem delata in vrnam, quam monitor ibidem circumferet reponent: eorum autem qui prælunt, & Patris ſpiritualis erit aliquot ſeligere, tum in eadem, tum in publico conuentu legenda, tum aliquando in lucem edenda, ſi tamen præfectus, Pater ſpiritualis, maior pars duodecim, & ſexdecim conſeruatorum id ad gloriam Dei, ad ſodalitaris exiſtimationem, ad ſtudioſorum delectationem, ac vtilitatem faciendum cenſuerint. Hocque ſeruandum ſtatuimus in qualibet re typis mandanda ſub nomine congregationis.

De ratione inſtituendi, & retinendi literarias exercitationes in ſodalitate. Cap. 6.

QVIA literariæ exercitationes, varijs de rebus, & pluribus habitæ ad illuſtrandam, & amplificandam plurimum in Domino congregationem valiturę iudicantur: hac quippe ratione, & plures ingenio, & doctrina pollentes ad ſe alliciet: & multos qui magis fortiſſimis rationibus, quàm aliorum authoritate, vel exemplis quandoque ducunt lucrifaciet; præterquàm quòd non pauci cum ad ſui, tum ad aliorum vtili-

vtilitatem diſerte, & ornate variarerum argumenta tractantes, ſtudiorum, ac laborum ſuorum fructus colligent vberrimos: Conſtituitur, atque decernitur vt huiuſmodi exercitationes crebro fiant: quod vt ad exitum facilius perducatur, ſancimus, vt omnes perſeuerantes in tres diſtribuãtur claſſes. in prima cenſeantur ij, quos vel eloquentiæ, vel hiſtoriarum, vel poeſis ſtudium delectat. In altera illi, qui vel philoſophiæ naturali, vel metaphyſicæ aut medicinæ ſeſe addixerunt. In tertia denique ij, qui in iure ciuili, vel canonico verſantur: certa autem ſedes moralibus diſciplinis, aut ſacris literis ideo non aſſignatur; quia volumus eas principem locum tenere, & omnibus claſſibus, & exercitationibus communes eſſe, ſicque eorum amatores, ac ſtudioſi cui ordini maluerint adſcribi concedimus. Atque hunc in modum nullo ferme negotio quiſque quam nouit, vel profitetur facultatem, ſeu doctrinam exercebit; afferetque ex ea in medium quæcunque ſcit digniora, magiſque recondita, & magis abdita arbitrabitur. vel etiam, ſi illis placuerit, prçſertim in priuatis exercitationibus eorum ſtudiorum, quæ tunc temporis præ manibus habent. Proinde tamen aberit vt hac de cauſa, ſtudiorum ſuorum iacturam aliquam, vllus patiatur, vt ſint etiam ad eadem omnibus, vel ſua ſponte currentibus tales literariæ exercitationes, calcaria addituręFient autem vel ratiocinando, vel diſputando, vel ad modum lectionis, aut orationis latinæ, vel Italicæ pro cuiuſque dicentis voluntate: Succedent ſibi inuicem claſſes ita, vt ſingulis menſibus priuata, vel publica congregatione duplicem varietatem, rei & perſonæ exercitatio habeat. Etne aliqua hac in re, controuerſia oriri poſſit, quænam claſſis cæteris præcedere debeat in ſuis exercitationibus: Decernitur, vt illis inſtitutis, ſingulæ iſtæ tres claſſes, in diſtinctis ſchedulis deſcriptæ, in publico perſeuerantium conuentu ſorte ex vrna extrahantur, & quo ordine extractæ fuerint perpetuo ſibi inuicem ſuccedẽt ratio itém habenda, quoad fieri poterit, vt res, de quibus in dictis exercitationibus agetur, ſint loco, perſonis, & temporibus congruentes. Danda etiã opera erit, vt multis poematibus, varijs lucubrationibus, muſico concentu, loci apparatu, quam plurimorum conſpectu, huiuſmodi actiones exornentur, & cohoneſtentur. Qui muſicis præſit vnus eſto, qui nomina perſeuerantium, qui hac facultate delectãtur ſcripta habeat. Vt autem res omnis facilius ex ſententia ſuccedat, ante ſtudiorum inſtaurationem, tres è numero Doctorũ, vel ſaltem qui ſint doctrina & eruditione præſtantes deligãtur: qui per annum, ſingulis præſint claſſibus, & quaternas exercitationes, vnaquæque claſſis exhibebit, duodecim menſium ſpatio, ſumentes initium à proxima Chriſti natiuitate, vſque ad futurum eiuſdem Domini noſtri Natalem diem publice vel priuatim habendas pro dicentium, & præſidentium voluntate ac præſcripto. alii etiam tres ex perſeuerantium ſtudioſorum numero deligantur quibus curæ ſint ſingulæ claſſes, vt ingenuis, ac eruditiſſimis quibuſcunque viris abundent, aliorum trium Doctorum diligentiæ, ac ſolicitudini cooperantes, quibus vniuerſa hæc literariarũ exercitationũ cura, ac diſpoſitio demandatur. Ideoque promotores claſſium, ſeu ſuperintendentes dicuntor; quorum non modo ſtudio, ac conſilio, verum etiam exemplo & opera cæteros excitari vehementer exoptamus. In illud etiam incumbent vt recitatas orationes vel quæuis alia digniora vario ſcriptionis genere in congregatione promulgata, ſubſecretatio deſcribenda tradant, vel ei exempla ab eo ſeruãda præbeant prout a dicentibus, ſua auctoritate potuerint obtinere. Quicquid tamen faciendum cenſuerint, conſultis, patre ſpirituali, præfecto, conſiliariis, & annuentibus, exequtioni mandetur. Horum omnium electio de quibus in hoc capite diſſeritur, ſit penes congregationem priuatã, duodecim, patris ſpiritualis, præfecti &

& conſiliariorũ, & etiam vbi ita expedire videbitur, confirmatio ſcilicet trium doctorum, totidem ſtudioſorũ, & præfecti muſicæ. Quòd ſi aliquem abeſſe cótigerit, ſi opus fuerit, alius ſubrogetur ab iiſdem electoribus. Ad extremũ hoc vnum additur, quòd omnes eligẽdi ſint ex iis, qui nomina Perſeuerantiæ dederint, vel dare propoſuerint.

De Ratione uiuendi Perſeuerantium, dum à congregatione abſunt, et quando cum ipſa participare poſſint. Cap. 7.

CVm Perſeuerantiæ ſodalitas potiſſimum ex nobiliſſimis adoleſcẽtibus conſtet, qui vndique ſtudiorum gratia ad has doctiſſimas Bononiæ arenas quotannis confluunt: nõ poteſt, ſicut & ipſa gymnaſia, quaſi maritimos æſtus, acceſſus, receſſuſque ſociorũ non experiri: ita vt ſingulis fermè diebus, tum recentes admittat, tum antiquos, vel penitus, vel ad tempus dimittat. Quare cum ab omnibus maximè exoptet, vt ad eũ finem tãdem perueniant, ad quem ſingulos perducere ſibi propoſitũ initio fuit; perſpiciatque, huic rei nõ parum obſtare, vel quòd nonnulli in ſuorum ſtudiorum curſu à congregatione abſint, vel quòd alias Academias adeant, vt incœpta ſtudia proſequantur, vel quòd abſolutis ſtudiis, domum redeant: pro arctiſſimis beneuolentiæ, & charitatis vinculis nullo temporis ſpatio, nullo locorũ interuallo diſſoluendis, quibus omnes perſeuerantes tenet: decernit vt qui ſemel in cógregationem cooptati ſunt, in Perſeuerantium numero ſemper etiam dum abſunt habeãtur: participentq; de omnibus orationibus, meritis, ac bonis, quæ ſodalitas in dies facit, ac ſi præſentes ſtatis temporibus in ea intereſſent. Ita tamen, ſi quo tempore Bononiæ commorati ſunt, congregationem frequentauerint, eiuſque leges obſeruauerint, cæteroſque Perſeuerantes quaſi chariſſimos fratres dilexerint. Vel ſi cómunicationis huiuſmodi auidiores, veluti reſipiſcẽtes per literas, aut nuncios a ſodalitate hoc efflagitẽt, omnia enim tunc beneuole, ac amice concedenda erunt. Modo tamen ipſi viciſſim congregationis inſtituta, pro ipſorum facultate obſeruanda ſumpſerint, & quantum poterint eandẽ vitæ rationem alios docuerint, ſemperq; exiſtimationi, ac vtilitati congregationis noſtræ ad Deum precibus, & opera conſuluerint. Sæpe diſciplinã, qua in ea imbuti ſunt, memoria repetentes, plerumque enim paternatũ admonitionũ recordatio, parentibus defunctis, magis nos commouet, quàm vox ipſorũ, cũ eſſent ſuperſtites, ſoleret. Neque modica erit conſolatio, ac vtilitas, quam inde congregatio capiet. Præſertim cum iam ſibi quaſi glorioſam coronam capiti à Deo impoſitam cernat, ob egregia ſociorum abſentium facinora, a quibus iam aliæ huic ſimiles ſodalitates in florentiſſimis totius Italiæ Academiis Patauina, & Papienſi, quibuscum coniunctiſſima eſt, inſtitutæ fuerint, quas cum ſui ſimiles eſſe intelligat, quaſi ſe alteram, vtramque agnoſcit. Quare prudentiſſimorum religioſiſſimorumq; ſodalium exemplis inuitati, eorum virtutis expreſſa veſtigia ſequantur. Rogatoſq; vult omnes congregatio ne hinc aliò diſcedant, quin prius de profectione Præfectum admonuerint: vt bona totius congregationis gratia, & ſociorum venia, necnon omnium tum ad Deũ precibus, tum ad amicos, vel ad alios Principes viros, ſi opus fuerit, literis commendati, ſe viæ committant. In primis verò ſi ad eas, quas diximus Academias proficiſcantur, vt ad illarũ cõgregationes literis directi cõmodiùs in iam inſtitutæ vitæ propoſito perſeuerent. Rogatos denique vult omnes Perſeuerantia præſentes, & abſentes, & ad Dei Optimi Maximi gloriam & ad communẽ priuatamq; vtilitatem, vt mutuis literis, charitatis vinculum, quo ſemel obſtricti ſunt, quàm diligentiſſime conſeruent.

Quæ ſuffragia pro defunctis perſeuerantibus fieri debeant. Cap. 8.

CVm ad feliciorem vitam Deus aliquem è ſociis euocauerit, ſicut charitatis

ritatis officia ipſi ægrotāri ſunt imperti ta;ſic pietas,& recta ratio docet,curam longe maiorem de ipſius anima habendam eſſe. Præfectus itaque ſimul ac aliquem vita functum eſſe intellexerit,totam congregationē conuocabit, vt mortui corpus, bini ex ordine, ad ſepulturam comitentur: præfecto, conſiliariis, & duodecim præeuntibus, cereas faces propriis ſumptibus ferētibus, cæteriſq; ſequentibus animæ, quantum pietas, & religio cuique dictauerit, opem ferant, inter eundū.hoc autem de ijs defunctis, qui ad congregationem pertinent, habentq; in quibuslibet muneribus diſtribuendis vocē,vt aiunt,actiuā,& paſſiuā & de eiuſdem congregationis Conſeruatoribus intelligitur. Deinde primo quoque tempore omnes vnà pſalmum De profundis,verſiculos, ac preces pro defuncto recitabunt. Mature itē monet cōgregatio ſingulos ſacerdotes, in perſeuerantiam cooptati, vt ſingula faciant ſacra. Quilibet præterea Perſeuerantium integrū defunctorum officium vel alia id genus, piè citius quàm fieri poterit, recitabit. Quæ quidē ſuffragia non ſolum pro ſingulis, & quibuſcūque Perſeuerantibus, ſed pro conſeruatoribus ipſis cum obierint fiant.

Quæ ſuffragia pro Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Patrono,& Archiep. facienda. Cap. 9.

QVàmprimū Illuſtriſſ. & Reuerend. Patronus, vel Archiepiſc. vniuerſæ carnis viam fuerit ingreſſus, eadem prorſus,quę proximo capite dicta ſunt, fient:conſulto tamen facto,vt res poſtulare videbitur. Addanturq; xvi. conſeruatores, qui immediate poſt præfectū, & conſiliarios,cereas faces deferentes vnà cum omnium Perſeuerantium cętu Archiepiſcopi corpus ad ſepulturā comitentur, Quo facto,præfectus tempeſtiuè,Pater ſpiritualis, & conſiliarij cū aliis duodecim cōſtituent, curabuntq; vt in æde D.Luciæ ſacra parētur,& piè iuſta funeri ſoluantur, pro perſonæ dignitate. Cauēdum nihilominus erit ne in feretro,cereis candelis,& alijs id genus,nimii ſumptus fiant, ne cōgregatio expenſis præter modum factis,grauetur cum longe maior ratio habenda ſit, vt animæ ſpirituale ſubſidium afferatur, quàm funebris apparatus,& ne cuiquā oſtentationis ſuſpitio de congregatione præbeatur·curandum inſuper, vt inter miſſarum ſolemnia oratio latina funebris,in ipſius laudem habeatur, & vt optimus modus in epitaphijs, inſignibus,aliiſq;ſimilibus encomiis teneatur.

De varijs quibuſdam cōſtitutionibus ſeruandis in congregationibus priuatis Duodecim, & publicis generalibus conſuetis. Cap. X.

VT congregatio cōſeruetur, & augeatur, perneceſſarium eſt,vt ſæpe vnà conueniant qui variis officiorū muneribus in ea funguntur, non ſolū de rebus deliberaturi,ſed etiam qua ratione iam conſtituta ſeruentur tractaturi: quare ſingulis menſibus,ſiue ſæpius præfectus pater ſpiritualis, conſiliarij, & duodecim cōuenient:vt ſimul,cum de aliis, tū de ſpirituali perſeuerantium progreſſu tractent.Poterit præfectus,cū ita faciēdum iudicauerit,aliquos ex alijs perſeuerantibus ad eos conuentus celebrandos,præſertim in rebus grauioribus aduocare,vt quid ipſi ſentiant, intelligat. Rem,de qua eſt deliberandū,ipſe proponet, vel pater ſpiritualis, vel alius, ſi fuerit ad hoc cōſtitutus: præter hos nemo rem alicuius momenti in mediū afferat,quin prius cum patre ſpirituali, aut ijs qui præſunt,eam contulerit: res dubiæ atque difficiles,ſi moram patiuntur,in ſequentē congregationem differātur:in qua ſi viua voce nequeāt,occultis ſuffragiis decernantur,faciliora verbo, & voce conſtituantur: quæ verò in Duodecim congregatione ſancita fuerint, valida ſint: modo in ea ſaltē nouē in vniuerſum affuerint, numeratis patre ſpirituali, præfecto, conſiliarijs ac duodecim:horum autē præſentium,pluribus ſuffragiis res terminabitur, Quod in rebus grauioribus accipiendū eſt,& extraordinarijs:etenim in conſuetis, & ordinariis,vt in cooptatione ad cōgregationem

Digitized by Google

gationem & colloquijs, pro eiuſdem vtilitate, habendis, valida cenſeatur cõgreg. etſi non tot affuerint, dummodo omnibus, quorũ intereſt, ſchedulis, vt aſſolet, indicta fuerit. Præfectus interim, & dicta congreg. animaduertet, vt ea, quæ conſenſum omnium perſeuerantiũ deſiderant, poſtquã in congreg. priuata fuerint probata, publice omnibus promulgentur, vt omnes in ea conſentiant; quod ſi in re aliqua in varias diſtribuerẽtur ſententias, ſuffragijs in hunc modũ determinetur, vt quod duę partes, ex tribus, conſtituerint, firmum ſit.

Congregatio autem generalis in ijs, in quibus omnium perſeuerantium deſideratur conſenſus, veluti in Præfecti, & conſiliariorum electione, & ſimilium, in condendis nouis legibus, vel aliquibus mutandis, aut abradendis, & alijs id genus, quæ ad vniuerſam congreg. pertinẽt, legitima, & valida erit, quoties præter patrem ſpirituale͂, præfectum, vel cõſiliariũ eius vices gerentem affuerint, ſaltem quadraginta perſeuerãtes, in rebus autẽ definiendis præualebũt, vt dictum eſt duæ ex tribus partibus. Decernimus porrò vbi horum ſtatutorũ immutatio, abrogatio, innouatio, declaratio, vel obliteratio aliqua faciẽda videbitur; quatuor eligendos eſſe, frequenti omnium perſeuerantiũ conuẽtu, ſuffragijs, in ſcriptis, patri ſpirituali, & pręfecto præſtitis, & per eũ, qui eſt à ſecretis receptis. Quibus ipſo iure adiungentur & admittẽtur qui præfectura functi ſunt, ſi qui adetũt, & ii oẽs vnà cum patre ſpirituali, præfecto, & conſiliariis ſtatuendi ius habeãt, omnibus tantum in vnam ſententiã conuenientibus, vel duobus, ad ſummũ diſcrepãtibus. Præfecto tandem curæ erit, vt ea, quæ in priuato conuentu tractata ſunt, ne promulgentur, & ſecreta ſint, etiã quæ minoris ſunt momenti, ne in congreg. aut foris vlla offenſionis, ſuſpicionis, aũt malę ſatisfactionis præbeatur occaſio in cõgreg. omnibus tam priuatis, quàm publicis, cõſuetę preces recitẽtur.

DE CONGREGATIONE ORATORII
IN METROPOLITANA BASILICA BONON.
AB ILLVSTR. CARD. ARCHIEP. INSTITVTA.

COLLECTOR. *QVID Oratorij nomine hoc loco ſignificetur, ſtatuta ipſa huius Congregationis aperient, quæ hic ſubiungentur: quæque ipſius munera, & huiuſmodi ſpiritualium exercitationum finem, & rationem ſatis edocebunt. Præclarum verò hoc inſtitutũ Bononiæ præſertim, auctore Illuſtriſſimo D. Card. Archiepiſcopo magnas radices egit: ipſe enim non ſolum Oratorium frequenter adijt, ſermones habuit, colloquia ſpiritualia exercuit aſſiduè, donec grex ille huic pabulo aſſueſceret, ſed R. D. Alphonſi Palæoti Coadiutoris Bonon. opera, & exemplo etiam (is enim tunc temporis Archidiaconus erat Bononienſis eccleſiæ, cui opus hoc præcipuè pro tempore commendatum relinquebatur) iuuante Deo maximos progreſſus facit.*

Nos igitur vt noſtrum hunc Collectionis laborem proſequamur, quæ pertinent ad Oratorij huiuſmodi congregationem ſtatutis, quæ ſequuntur, comprehenſa collocabimus.

CONSTITVTIONES Congregationis Oratorij Archiep. Eccleſiæ Bonon.

Conſtitutiones prædictæ claritatis ergo in tria præcipua capita diſtribuentur. In primo de ratione ipſius corporis cõgregationis ſtabiliendi agetur: In altero de numero, & conditione eorum, qui ad aliquod munus aſſumentur, tractabitur; In tertio de peculiari cuiuſque officio differetur.

PARS PRIMA

De eorum, qui in congregationem adſciſcendi ſunt, conditione. Cap. 1.

QVoniam congregationis finis eò potiſſimum ſpectat, vt per illam Bononiẽſis iuuetur eccleſia: ideo in ipſam nemo vnquã admittatur, qui ex vrbe, vel ſaltem ex diœceſi Bononiæ non ſit oriundus.

Licebit tamen alios etiam admittere, dummodo conditiones requiſitas habeant, nempe clericalem habitum deferant, aut clericalem diſciplinam amplectendi voluntatem oſtendant, obedientiam promittant, vitæ teſtimonio commendentur, ac tandem ætatis annum ad minus decimum quartum attingant, atque id nonniſi facultate obtenta prius ab Illuſtr. Archiepiſcopo.

Ad officia tam ſecretiora, quàm publica admitti etiam poterunt de conſenſu Præpoſiti alij clerici minoris ætatis: qui ſi bonæ indolis ſpecimen dederint, vbi ad legitimam peruenient ætatem, in ipſum congregationis corpus cooptari poterunt.

De tempore probationis illorum, qui in congregationem recipiendi erunt. Cap. 2.

IN Congregationem nemo admittatur, qui prius bene cognitus, examinatus, & diligenti Præpoſitorum pro tempore experientia comprobatus non fuerit, qui Oratorium per ſex menſes continuos non frequentarit, & maximam ſui ipſius eo tempore ſatisfactionem præbuerit.

Ante verò quàm admittatur, à Patre ſpirituali, quem ſibi officiales aßignabunt, diligenter admoneatur de ratione orandi, examinandi propriam conſcientiàm, audiendi Mißam, recitandi diuinum officium, confitendi denique, ac communicandi; qui enim hæc omnia vel ignoraret, vel diſcere, & facere recuſaret, parum aptus eſt, vt in congregationem adſcribatur.

De modo admittendi illos, qui in dies in congregationem admitti poſtulauerint. Cap. 3.

QVi in Congregationem admitti volet, Præpoſitum, eiuſque ſocios adeat, à quibus ſingulis iuxta prædicta ſeparatim examinabitur, ac Patri alicui ſtatutorum congregationis, rerumque ſpiritualium non ignaro commendabitur, qui intra decem, vel ad ſummum quindecim dies ipſum de ſingulis diligenter admonebit. Quod vbi perfecerit, certiorem faciet ipſum Præpoſitum, qui eum inter nouitios adſcribendum curabit, ac frequenti congregatione nomen, cognomen, ordinem, patriamque illius enunciabit. Non ingredietur autem ipſe nouitius congregationem, quouſque viua voce vocatus introducatur, factà prius fide per dictum Præpoſitum de eius examine, morumque probitate. His peractis aſſumet illum Bidellus, & coram officialibus in Oratorio ſtatuet, admonens ipſũ Præpoſitum, vel ſi fortè abeſſe contigerit alterum ex eius ſocijs, qualiter ad probationem admiſſus fuerit. Eundem etiam nouitium hortabitur, ut in ſententia permaneat, & in uia uirtutũ progrediatur: ut cum ineundæ congregationis tempus inſtiterit, dignum ſe præbeat, cui omnes unanimi conſenſu ſuffragentur. Ad quæ ipſe admiſſus, quod opportunum ſibi uidebitur in Domino reſpondebit.

Quo pacto incorporandi ſint in congregationem nouitii. Cap. 4.

EXpleto probationis tempore, inſtructoq; ſatis plenè nouitio de Congregationis ritibus, & inſtitutis in hoc libello contentis, nec non debita ædificatione præmiſſa, referet ad Congregationem Præpoſitus, uel eo abſente alter ſociorum, talem nouitium pietatis, ac religionis maxima ſigna dediſſe, optimequè ſe geßiſſe. Quamobrem æquum eſſe, ut in Congregationem admittatur, prout ille ſuppliciter expoſcit, perpetuã illius præceptis, & conſtitutionibus obedientiam promittens.
Id vbi peractum, abſente ipſo nouitio, qui

propterea

propterea extra Oratorium ſe continebit, calculis diſcoloribus votorum inquiſitio fiet. Nouerint autem omnes, calculos albos affirmandi, nigros autem negandi vim, & ſignificationem præſeferre: tuncque affirmatiuam partem præualuiſſe cenſendam, cum albi, vel vno tantum nigros ſuperauerint.

Non eſt tamen prætereundum, quòd ſi quis matura ætate, gradu, doctrina, aliiſque præclaris virtutibus præditus in Congregationem admitti poſtulauerit, nulla vel probatione, vel ſcrutinio præcedente poterit ab officialibus admitti, & illico in publica congregationis frequentia nominari.

Inſuper qui in congregationem admiſſi fuerint, pro maiori firmitate, & robore verba inferius concepta propria manu exarare teneantur, in publica congregatione. Excipiuntur tamen extranei, aliæque perſonæ in aliquo gradu conſtitutæ, ſi officialibus, ac duodecim viris ita viſum fuerit.

A formula autem ſuffragiorum ſuperius præſcripta in his, & conſimilibus caſibus nunquam diſcedatur: ipſaque ſuffragia ab eo, qui à ſecretis congregationis erit, in ſuffragiorum librum fideliter referantur.

Formula verborum, quæ admiſſi in congregationem propria manu exarabunt ſuper matricula ad hunc finem parata. Cap. 5.

PRo maiori fratrum congregationis firmitate, quiſquis in congregationem cooptatus fuerit, poſt primum, vel ad ſummum tertium à peracta admiſſione diem ſuper matricula, quæ penes alterum congregationis ſecretarium propterea reſidebit, ſequentia verba deſcribet, prænotato anno, die, menſe, nomine, cognomine, patria, ætate, gradu, ordine, & parochia.

Ego N. in recognitionem beneficij à Chriſto Domino, venerabilique congregatione Oratorij Archiepiſcopalis eccleſiæ Bononiæ in me collati, perpetuam Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo Cardinali Palæoto Archiepiſcopo noſtro, eiuſque ſucceſſoribus obedientiam iuxta formam ſacrorum Canonum, officiumque ordinis mei promitto, & ſpondeo: Reuerentiam inſuper, obedientiamque Præpoſitis eiuſdem congregationis, ſtatutiſque, nec non aſſiduitatem, & frequentiam, modo legitimè impeditus non exiſtam, polliceor. Atque ita in huius meæ voluntatis, deliberationiſque teſtimonium, præſentes literas propria manu ſcripſi, & ſubſignaui, Deum ſuppliciter rogans, vt tantum mihi gratiæ impertiatur: vt quæ volens, libenſque ſpopondi, promptè, & alacriter exequi poſſim.

Sciant tamen omnes, & ſinguli, hanc obligationem, voti vim non habere, neque ad ſui obſeruationem mortali peccato propoſito, ſed ne veniali quidem, modo contemptus abſit, quemquam adigere.

PARS SECVNDA

De numero & conditione Officialium in genere. Cap. 1.

COngregationis officiales erunt infraſcripti. Præſes generalis, Præpoſitus cum duobus ſocijs, ſeu conſiliarijs, numerus duodenarius, duo Secretarij, ad extremum duo bidelli. Habebunt autem hi facultatem peculiares alios officiales eligendi, de quorum numero, electione, conditione, & officio, ſuo loco dicetur.

De officio, & electione Præſidis generalis. Cap. 2.

CVm Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſimus Cardinalis Archiepiſcopus noſter, totaque congregatio valde cupiat, eam à Reuerendis Patribus Collegij Societatis Ieſu ciuitatis Bononiæ, quantum eorum inſtituti ratio patitur, gubernari; ideò officiales dictæ congregationis omnes neruos intendent, vt à Reuerendo patre Rectore dicti collegij, Pater aliquis ex eius familia pietate, ac doctrina præ cæteris clarus ſibi decernatur, qui toti congregationi præſideat. Hic autem tamdiu in officio erit, quandiu per Illuſtriſſ. Archiepiſcopum & ſuperiores ſuos ſibi licuerit.

De electione duorum ex numero duodecim, pro electione Præpoſiti, & ſociorum facienda. Cap. 3.

QVoniam ſingulis annis Præpoſiti, ſociorumque electio facienda erit, idcircò ineunte Decembri congregationis indictio fiet, nihilque prætermittent officiales, quò frequens ac valde numeroſa ſit. Poſtmodum conuocatis omnibus in ſolitum Oratorij locum, ſolitaque oratione præmiſſa, conuocandæ congregationis cauſam Præpoſitus explicabit: nempe, electionem duorum ex numero duodecim, qui duo adhibito ſocio ipſo Præſide generali, ad Præpoſiti, & ſociorum electionem procedant. Modus eligendi hos duos, hic erit. Sedentibus ad loca ſua officialibus cum vtriuſque, vel ſaltem vnius ſecretarij aſsiſtentia, ſinguli congregationis fratres accedent, ſchedulamque in qua nomen & cognomen illorum, quos eligere volent, deſcriptum ſit, afferentes, illam in vrnam ad id paratam conijcient. primò quidem Præſes generalis, tum Præpoſitus, & socij, hos conſequentur ſacerdotes: tum Diaconi, & ſubdiaconi, ad extremum omnes etiam clerici in minoribus ordinibus conſtituti, vnuſquiſque pro ut vel ordinis, vel temporis ingreſſus ratio poſtulabit: decet enim, vt qui prior admiſſus fuit, priorẽ etiam in ferendis ſuffragiis locum obtineat. Verum ne quid vnquam tumultus, aut confuſionis excitetur, ideò vehementer elaborent Bidelli, vt omnibus pro ordinum gradu loca diſtribuantur: Quod tamen in hoc ſolum electionis caſu ſeruabitur, aliàs enim neque utilis neque neceſſarius hic ordo uidetur, ſed potius ad lites, & tumultus pariendos idoneus. Ante ergo, quàm ad electionem procedatur, Spiritus ſanctus de more inuocetur. Quo peracto maior ſecretarius, uel eo abſente minor alta uoce dicet, Accedant ſacerdotes ad electionẽ: & primùm ſacerdotes poſtmodum cæteri iuxta ordinẽ quiſque ſuũ conſequentur. Omnibus ſuffragiis delatis, Præſes generalis, ſi ibi fuerit, vel eius loco Præpoſitus accipiet vrnam, uotiſque omnibus extractis, ea ſecreto unà cum ſociis perleget, ac per alterum ſecretarium uniuſcuiſque nominati nomen, cognomenque albo in folio deſcribendum curabit, additis cuique, pro ſuffragiorum numero punctis uel lineis. Duo uero qui plura ſuffragia habere comperientur, ij pro noua officialium electione facienda electi fuiſſe intelligantur.

Perfecto igitur iuxta præſentem formulã ſcrutinio, deſcriptoque electorum nomine, annuentibus ipſis ſuperioribus unus ex Bidellis alta uoce electos denuntiabit, dicens, Reuerendus N. electus fuit &c. Poſtmodum præſes generalis, uel Præpoſitus, ſeu alius quiſpiam officialis electionem nouorum officialium toti congregationi indicet: omneſq. rogabit, ut præſtituta die, & hora eidem intereſſe uelint. ſacerdotes uerò præcipue monebit, ut toto eo tempore, quod intermediũ fuerit, in ſacris Miſſarum ſacrificiis, orationibus aliiſque pietatis operibus eandem electionem commendatam habeant. Ob id etiã ueteres officiales cum duobus electis bis ſaltem conuenient ſimul, ut de illa agere poſsint Quæ quidem electio poſt duos electos ultra octauum diem nullatenus differatur.

Curent autem officiales ut à ſecretariis in aliquo loco apto plures & calami, & atramẽtaria, & chartæ particulæ ad inſtar chirographi præparentur, quibus unuſquiſque nomen, & cognomen illius quem eligere uolet, ſecreto notet: hoc enim pacto & confuſio uitabitur, & expeditiùs uniuerſum negotium cõficietur.

De Præpoſiti, ac Conſiliariorum electione. Cap. 4.

QVEMADMODVM ſuperius dictum eſt, die horaque præſcripta, ad Præpoſiti, ſociorumque electionem deſcendetur, ijs plane ſeruatis, quæ in electione duorum ex numero duodecim ſeruata fuere. Præpoſiti tamen prius electio fiet, cuius abſoluto ſcrutinio, qui ſuffragiorum numero ditior erit, præpoſitus agnoſcetur, ab alteroq. ſecretario vt ſupra diximus declarabitur.

Exacta igitur præpoſiti electione, duorũ Conſiliariorum electio inchoabitur: in qua de more ſcriptis ab vnoquoque confratrum ſuper eodem chirographo nomine, cognomineque duorum, quos eliget, atque in vrnam coniectis, ſuffragiorum perquiſitio fiet: qua perfecta electi, vt moris eſt, promulgabuntur; ineunteque Ianuario per veteres offi-

Google

officiales die, horaque præfixis ad ſedendi loca deducentur. Erunt autem in officio vna cum præpoſito per integrum annum.

De electione Duodecim. Cap. 5.

V*T autem Congregatio melius gubernetur, conſeruetur, ac virorum numero, & conditione auctior efficiatur: habeatque, à quibus in neceſsitatibus ſuis foueatur: maxime verò vt fructum probitatis, ac religionis in dies maiorem Deo afferat: duodecim viros Eccleſiaſticos auctoritate, moribus, atque doctrina præſtantes ſibi eligere ſtatuit, quorum munus per tres annos durabit ab ipſo electionis die: cumque collegialiter ad congregationem acceſſerint, ſemoto in loco ſeſſuros eſſe declarat: in ſedendo autem nullus ordo ſeruabitur, ſic enim expedire viſum fuit in Domino.*

De electione Secretariorum. Cap. 6.

C*ONGREGATIONIS officiales, nimirum præſes generalis, præpoſitus, & duo conſiliarij, ex toto congregationis corpore duos eligent ſecretarios ijs conditionibus affectos, quas eorum officium requirit. Hi per annum integrum in officio erunt: quamquam, ſi volent officiales poterunt confirmari· vnus autem erit principalis, alter quaſi ſocius, & adminiſter prioris.*

De electione Bidellorum. Cap. 7.

H*ABEBIT item Congregatio duos Bidellos, qui à præpoſito, & ſocijs, vt ſupra, eligentur. Hi quoque integro anno munere ſuo fungentur, & amplius, ſi ſuperioribus viſum fuerit: quibus etiam tribuitur, vt alios officiales, prout occaſio deſiderare videbitur, ad placitū inſtituere poſsint.*

De officio Præſidis generalis. Cap. 8.

P*RAESES generalis tanquam communis totius Congregationis parens conſilio, operaque, præpoſitum, & ſocios ad officium ſuum diligenter præſtandum iuuabit. curabit etiam vt à præpoſito, & ſocijs, prout ſibi magis expedire videbitur, literaria ſpiritualeſque exercitationes tam publicis, quàm priuatis congregationibus facienda, rite diſtribuantur.*

De officiis Præpoſiti, & ſociorum. Cap. 9.

P*RAEPOSITVS durante officij ſui tempore, totius Congregationis curam geret; præcipue verò in id incumbet, vt eius ſtatuta obſeruentur, congregationeſque debito tempore, atque etiam ſæpius, ſi neceſſitas ita feret, conuocentur: frequentiſsimus autem omnium ipſe erit, ab eius enim ſedulitate cæterorum quoque diligentia pendet. Ad ipſum etiam ſpectabit, prout à Præſide generali ſtatuetur, vnicuique congregationis fratri literaria, ſpiritualiaque exercitia tam publice, quàm priuatim facienda diſtribuere. Quem porro ordinem altero quoque mēſe præſcriptum ab altero ſecretariorum in peculiari libro deſcribendum curabit, tranſumptumque illico in Oratorio affigendum, quo omnes veluti in ſpeculo, rerum ſibi agendarum ſeriem contemplentur. Maxime vero in eo vigilabit, vt ad cuiuſque domum, (ſi forte eo die ab oratorio abfuerit) ſchedula perferatur, qua de iniuncto ſibi munere, lecturus, alione ſpirituali exercitio publice, vel priuatim functurus moneatur. idque quantocyus, vt hoc pacto officium quiſque ſuum accuratius perficere poſsit. Cæterum ſecretarij prædictas ſchedulas facient, eaſque Bidellis ad certas perſonas à quibus diſtribuantur, perferendas tradent, fideſque diſtributionis accepta ab altero ſecretario in proprium librum referetur. Atque in hoc ab vtriſque tam ſecretarijs, quàm Bidellis maxima diligentia adhibeatur.*

De officio Conſiliatiorum. Cap. 10.

C*ONSILIARII Præpoſitum omnibus in rebus conſilio, operaque iuuabunt, nec non eo abſente eius vicem gerent: qui autem antiquior in congregatione fuerit, is alterum minus antiquum præeat. Curabunt ipſi præcipue vt fratres ad Congregationem frequentes accedant: ſi qui negligentiores fuerint, notabunt: Præpoſitoque, vt opportune in domino prouideat, ſignificabūt.*

De

De officio Duodecim. Cap. 11.

QVI de numero duodenario fuerint, totius Congregationis patrocinium, ac tutelam ſuſcipient: ijdem, vt conſeruetur, augeaturq. non tam multitudine & frequentia, quàm etiam conditione, & fructu Congregatio curabunt; in eoque præcipue inſiſtet, vt clerici recentiores conſanguinitatis, aut amicitia iure ſibi coniuncti, vel aliàs ſubditi rite inſtituantur. Ad Oratorium frequentiſſime accedent, & ſemel ad minus quolibet menſe cum reliquis officialibus conuenient, de bono Congregationis regimine tractaturi.

De officio Secreratiorum. Cap. 12.

SECRETARII. Congregationis libros apud ſe retinebunt, nempe Matriculam cum abecedario, in quo fratrum nomina, & cognomina deſcripta ſint; librum ſuffragiorum, quæ quotidie ferri contigerit; librum ordinationum, in quo exercitia quæque tam materno, quàm latino ſermone in vtroque Oratorio facienda notabuntur; librumque alium in quo quotidianos caſus, & quotidiana ſuffragia ſignabunt, eadem poſtea commodius in proprios libros relaturi. Epiſtolarum etiam tam earum, quæ mittentur ab alijs, quàm earum quæ mittentur ad alios, omniumque, & quarumcunque ſcripturarum quouis modo ad Congregationem ſpectantium memoriam diligenter conſeruabunt. In primis verò vt dictum eſt, vnoquoque bimeſtri ordinem exercitiorum tam publice, quàm priuatim faciendorum ſcriptis commendabunt, exemplumque illius ad maiorem omnium cõmoditatem in Oratorio ponent. Cum verò opus aliquod alicui præſtandum erit, miſſis per Bidellum ſchedulis illum monebunt, factaque monitionis fidem in librum inſerent, vt ſic euidenter appareat vnumquemque de officio ſuo certiorẽ factũ.

De officio Bidellorum. Cap. 13.

BIDELLI in eo præcipuè laborabunt, vt locum Oratorij ornent, ſordibus purgent: ſedilia, quotieſcunque conuocanda eſt Congregatio, parent: fratres, cum ſuperioribus placuerit, inuitent: & denique ſchedulas omnes tam ordinarias, quàm extraordinarias ferant, admonitis poſtea ſecretarijs. Quare vterque illorum libellum habeat, in quo ſingulorum fratrum nomen, cognomen, ac Parochia deſcripta ſint: vt eos vrgente occaſione expedite, & nullo negotio inuenire poſſint. Horum officium vno anno durabit; quamquam, ſi ſuperiores voluerint vlterius progredi poterunt.

De numero, & electione peculiarium officialium pro bono regimine Oratorii. Cap. 14.

PRAEPOSITVS, & ſocii, quandiu in officio erunt, Rectorem oratorij, lectores neceſſarios, ſermocinatores, & clericum, qui illis in oratorij neceſſitatibus inſeruiat, vnoquoque bimeſtri inſtituere facultatem habeant.

De Rectoris officio. Cap. 15.

VT autem Oratorium Archiepiſcopalis eccleſiæ ſuauius, faciliusque gubernetur, maioremque in dies fructum reddat, Præpoſitus adhibitis in conſilium ſocijs, & Præſide generali, altero quoque menſe ſacerdotem aliquem, aut ſaltem Diaconum ætate, religione, ac rerum ſpiritualium peritia conſpicuum ex corpore congregationis eliget, quem Oratorij Rectorem nominabit. Is toto illo bimeſtri Oratorium regat, vt ſtatuta obſeruentur, curet: atque vt lectores, uel qui ſermocinandi munus habent, officio ſuo diligenter fungantur, inuigilet: ſi quid in ijs deſiderari uidebitur, prudenter moneat. Quamobrem libellum apud ſe retineat, in quo nomina, & cognomina eorum, qui ad aliquod munus aſſumentur, notet. Is etiam congregationis initium Spiritus ſancti inuocatione præueniet, finem uero gratiarum actione concludet. Lectiones lectas pulchra aliqua conſideratione, breuiſſima tamen, illuſtrabit, uel per alium magis idoneum idipſum præſtabit. In primis autem aduertat, ut lectio, lectioniſque expoſitio ita protrahantur, ut ei, qui ſermonem facturus eſt, dimidia ſaltem hora relinquatur. Totum denique Oratorij exercitium ita diſtribuat, ut totum unius horæ ſpatio abſoluatur, ne qui quotidie accedunt, tædio afficiantur. Tandem,

Digitized by Google

dem (quæ eſt rerum humanarum varietas) eum ipſum, vel alium quempiam ab officio ſuo fungendo impediri contigerit, ipſe Præpoſitum mature commonefaciet, quo alios in eorum locum ſubſtituat, eorumque defectum per alios ſuppleat: vel ſi ipſe poterit, per ſe ipſum ſemel, bisuè ad ſummum prouideat.

De officio clerici ad Oratorii ſeruitium deputati. Cap. 16.

LICEAT *Præpoſito, & ſocijs Clericū vnum ſeligere, qui Oratorio, Rectoriq. ad libitum officialium deſeruiat. Hic Rectori præcipue obediet: in primis verò lectores, & alios, quibus ſermocinandi onus incumbet anticipato tempore præmonebit: ſi quis impeditus fuerit, Rectori nunciabit. Sedilia etiā in oratorio aptabit, claues librorum, qui in dies legentur retinebit, horologio aſsiſtet, cum lectionis initium dabitur, vertet, peracta hora tollet, annuens ei, qui ſermocinatur vt modum dicendi faciat. In hoc ſummopere vigilet.*

De officio Lectorum. Cap. 17.

LECTORES *legent eos libros qui à ſuperioribus ſibi præſcribentur: ad iuſſum Rectoris incipient, proſequentur, deſiſtentque: legent autem alta, atque intelligibili voce, verba diſtincte proferent: vbi pūcta viderint, conſiſtent. numquam ad legendum accedent, quin prius aperto capite ſanctiſsimæ Crucis ſigno ſe muniant, atque adeo in memoriam reuocent, Chriſti crucifixi doctrinam ſibi legendam.*

De officio eorum, qui ſermonibus in Oratorio faciendis operam dabunt. Cap. 18.

AD *ſermones in Oratorio faciendos nemo accedere audeat, qui ad id à ſuperioribus aptus non iudicetur, ab ipſisque iubeatur, niſi forte Reuerendiſsimo Domino Archidiacono aliud videretur. Porro ſermonum materia erunt res practicæ, vtiles & fructuoſæ, & quæ audientes ædificent, ſpiritualiter inſtruant, & ad ſeruiendum Deo, prout ipſa Congregatio cupit, impellant. Eorum qui ad hoc officium aſſumentur, partes erunt, primo quidem deuotis precibus, deinde uerò debito ſtudio, & diligentia ſe ipſos præparare; tum in id maxime incumbere, vt diſtincte, clare, perſpicue, verbis proprijs, & minime fucatis propoſitas materias tractent ad Dei gloriam, animarumque ſalutem.*

PARS TERTIA.

Quòd ſinguli congregationis fratres tam peculiaria ordinis ſui, quàm etiam communia omnibus clericis ſcire tenentur. Cap. 1.

SINGVLI *Congregationis fratres, quantum in ſe erit, ordinis & officij ſui partes agnoſcere ſtudeant, vt eum agnouerint, debita diligentia exequantur. In hoc vehementer laborent, ut probe calleant, quid Eccleſiaſticos viros deceat, quidue dedeceat, vt in bonis operibus aſſidue ſe exerceant. Præſertim uero in ijs, quæ ad mores, uitam, officiū, ueſtitū, tonſuramq. clericorū ſpectant. quæ quidem omnia ex ſacris canonibus, ex ſummis, uerb.* Clericus, *& uerb.* Beneficiū, *& uer.* Sacerdos, *necnō etiam in uer.* Ordo *& ex ipſis conſtitutionibus Illuſtriſs. Cardinalis Palæoti Archiepiſcopi noſtri petere licebit.*

De cura, & ſolicitudine circa res ſpirituales habenda. Cap. 2.

PRAETER *diuinum officium, ad quod quis ratione ordinis, uel beneficij tenetur, maxima etiam cura de rebus ad deuotionem, & ſpiritum pertinentibus habenda erit. Propterea nullus unquam pertranſeat dies, quin & matutino, & ueſpertino tempore illas orationes faciant, quas uel Patris ſpiritualis conſilium, uel ipſorummet deuotio ſibi impoſuerit. In exploranda autē conſcientia, priuſquam cubitum eant, omnem prorſus diligentiam adhibeant.*

De confeſſione, & communione. Cap. 3.

CONGREGATIONIS *fratres ſemel ſaltem in menſe peccatis ſuis confitendis*

tendis purgati ſanctiſsimam Euchariſtiam ſimul accipient. Confeſſarios autem eos adhibeant, qui à præpoſito pro tempore & socijs ſibi ſtatuentur, nec illos vnquam deſerent. qui enim in virtutibus, & via Chriſti progredi volent, hoc remedio ſibi conſulant: vt non ſolum peccata ſua, verum etiam quotidianos caſus ſuos cum illo communicent, atque adeo paternis eius conſilijs promptiſsime pareant: ſciant tamen omnes, ad id ſub mortalis, uel venialis peccati poena neminem teneri.

De cultu, obſequio, & reuerentia erga proprium Prælatum adhibenda. Cap. 4.

QVemadmodum omnes tam ciuitatis quàm diœceſis Bononiæ clerici Illuſtriſsimo Cardinali D. Archiepiſcopo omnē obſequij, & honoris cultum deferre tenentur: ita præcipue qui congregationi nomina dederunt, omni ſtudio conari debent, vt hoc officium deferendi honoris, obſequij, cultus, & reuerentiæ ſuo Prælato agnoſcant: atque adeo libentiſsime ſuſcipiant illa onera, quæ ab eodem non ſolum tanquam totius ordinis Eccleſiaſtici in ea ciuitate Principe, ſed etiam tāquam Patre amantiſsimo iſtius congregationis imponentur.

Quos libros congregationis fratres habere debeant. Cap. 5.

QVI de congregatione fuerint, ſequentes libros ſibi parabunt. Conſtituti in ſacris præter Breuiarium, Miſſale, & Conſtitutiones Illuſtriſsimi Cardinalis Archiepiſcopi, Biblia etiam ſacra, Catechiſmū Romanum, Concilium Tridentinum, expoſitorem aliquem ſuper ſcripturam, ſummam Armillam nuncupatam, Directorium Polāci è ſocietate Ieſu, Rationale diuinorum officiorum, & Sacerdotale Romanum ſibi prouideāt. Qui verò minoribus tantū ordinibus initiati fuerint, conſtitutiones ad minus præfati Illuſtriſsimi Cardinalis vulgari lingua conſcriptas, & Catechiſmum Romanum habeant: ſi qui doctrina, vel ætate prouectiores fuerint, pro captu, & intelligentia libros emant.

De duplici exercitationum, quibus congregatio præcipuè vacabit, differentia. Cap. 6.

COngregationis exercitia duo erunt, altera priuata: publica altera. Priuata quidem exercitia erunt de literis non modò ſacris, verum etiam profanis: ſed tamen ad ſacras conferentibus, eaque in eodem S. Luciæ Oratorio, in quod perſeuerantium congregatio conuenire ſolet, iuxta formam à præſide generali, vel aliàs à Præpoſito, & socijs pro temporum varietate præſcribēdam bis ad minus vnaquaque hebdomada fient. Publica vero exercitia in Oratorio Archiepiſcopalis eccleſiæ conficientur, cuius quidem Oratorij moderandi facultas tota penes congregationem perpetuo erit: ipſa vero nihil habebit antiquius, quàm vt frequentia, & conditione, potiſſimum verò deuotione, & fructu in dies augeatur. Sed quoniam longum eſſet hoc loco formulam in vtriſque exercitijs ſeruādam adamuſſim percenſere. ideo videantur, quæ in calce horum ſtatutorum, necnon in exordio libri, quem congregatio pro notandis iiſdem exercitijs tenere debet, ſcripta erunt: ibi enim perfecta illorum agendorum forma tradetur, additis etiam quibuſdam documentis, quorum obſeruatio præpoſitum, & alios omnes ab omni prorſus errorum nota præſeruabit.

De doctrina Chriſtiana, quam fratres congregationis clericos Archiepiſc. eccleſiæ, & alios pro arbitrio Illuſtr. D. Cardinalis docere tenentur. Cap. 7.

COngregationis partes erunt omnibus ſabbathis aliquo feſto non impeditis in Oratorij loco, & ea ipſa hora, qua quotidiana exercitia fieri ſolent, clericos Archiepiſcopalis eccleſiæ doctrinam Chriſtianam docere, implorato ad hoc tam præceptorum eiuſdem Archiepiſcopalis, quàm etiam clericorum doctiorum auxilio. Amplius fratrem vnum congregationis Præpoſitus deputabit, qui locum aliquem doctrinæ non modo clericis ipſius ſcholæ: sed etiam alijs, qui ibi fortè adeſſent,

ſent explicare valeat, tantoque diligentius huic ſcholæ informandæ ſtudeat idem præpoſitus, quanto eam veluti normam, & exemplum cæterarum eſſe oportet.

De ſtudio, & ſolicitudine, quam gerere debet Præpoſitus, vt qui apti fuerint, ſcholis doctrinæ Chriſtianæ Dominicis diebus interueniant. Cap. 8.

P*RAEPOSITVS in id maxime incumbet, vt qui apti fuerint, doctrinã Chriſtianam in hoc, vel illo loco, prout impoſitum ſibi fuerit, cum omni alacritate doceant, idque eo libentiùs præſtent, quo officium hoc Eccleſiaſticorum proprium eſt. Inprimis autem valde ſollicitus ſit: vt huic muneri addicat eos, qui ad vſum Archiep. Eccleſiæ initiati ſunt. Hi enim tanto frequentius ad Oratorium accedere, illique intereſſe debent, quanto maius ab illo beneficium perceperunt.*

Finis ſtatutorum Congregationis Oratorij Archiepiſcopalis Eccleſiæ Bononiæ.&c.

Formula exercitiorum Congregationis Oratorij prædicti.

E*TSI in ijs, quæ quotidie fient ſacrarum literarum exercitijs, Congregatio nihil aliud cupit, quàm vt Oratorij fratres earundem literarum ſtudio ſe totos dedant, ac per huiuſmodi exercitia, quantum cum Deo poterunt, proficiant: non ob id tamen difficultates omnes, quæ circa ſingulas lectiones excitari poſſent, acutè, ſubtiliter, doctèque inueſtigari mandat, cum præcipuum illius conſilium eò ſpectet, vt rudem potius hiſtoricam, literalem, aut ſpiritualẽ ſacrarum rerum notitiam alumnis ſuis præbeat, quàm vt arduas, difficileſque quæſtiones ſcholaſtico more tractandas illis edisſerat. Exiſtimat enim eadem Congregatio hũc ſimplicem docendi modum ijs, qui cum fide, & ſpiritu ſacras, quas aut legerunt, aut legant hiſtorias, ruminati fuerint, non mediocriter profuturum; ſibique perſuadet in hoc ſtudiorum genere voluntatem potius ad diuinarum rerum amorem exercendã, quàm intellectum ad earumdem cognitionem exacuendum, cum nihil omnino proſit ſcientia, ſi charitate poſtmodum deſtituatur. Quamobrem monendi ſunt confratres in tota Chriſtiana republica, nobiliorique parte illius, nempe Clero, doctrinam magis practicam, quàm ſpeculatiuam deſiderari, cum fere omnes multo plura ſciant, quàm operentur. Et hinc eſt vt profunda diuinarum rerum cognitio homines per ſe ipſa gratos Deo nõ efficiat, tametſi facultatem aliquam bene operandi tribuat: ſed bene amor illarum, & Chriſtianæ virtutes, ex quibus, ſi ad actionem deducantur, doctrina practica conſurgit, quæ omnibus ſanè fidelibus, ſed tamen Eccleſiaſticis maxime neceſſaria eſt. Atque hæc dicta ſint breuiter de fine exercitationum Congregationis. Reliquum eſt, vt pijs à Deo precibus contendamus, vt ſpiritus ſui igne corda noſtra ad amorem ſuum inflammet, accendatque. Amen*

Sequuntur communes quædam admonitiones, quarum obſeruatio toti Congregationi vtiliſsima erit.

1 D*ABIT operam vnuſquiſque frater, vt Congregationis conſilium, inſtitutumque perfecte intelligat, quo totis viribus illud amplectatur.*

2 *Impoſita onera, & officia nunquam recuſabit, frequentiſſimeque ad Congregationem accedet. Quodſi quando impediri contigerit, excuſationem facere, impedimentique cauſas afferre non grauabitur.*

1 *Qui Congregationi moderandæ præſident, maximã in eo curem adhibebunt, vt cuiuſque ingenium, indolem, naturalemque propenſionem plane dignoſcant: quo in ijs, ad quæ eundem aptiorem cognouerint, cum ſeſe occaſio obtulerit, exercere poſſint.*

Præ-

4 *Præſes generalis, ſeu præpoſitus adhibitis duobus Conſiliarijs iuxta ſtatutorũ formam, exercitia in vtroque Oratorio facienda decernet. Atque vt ſinguli ad ea opportune ſeſe accingant, præpoſitus vnumquemque mature monendum curabit.*

5 *Qui ad ſermones faciendos deligentur, breuitati, claritati, atque vtilitati ſtudeant, ineptas digreſſiones vitent, in explicandiſque rebus propoſitis, quod sanè ſpectat Congregatio, diligenter inſiſtant.*

6 *In ſtudendo hanc regulam ſeruent, vt eorum, quæ dicturi erunt, ſi non ſingula verba, at ſaltem præcipua capita ſcriptis commendent (hoc enim & memoria, & multis alijs inſeruiet) poſtmodum ſuperioribus, vt par eſt, examinanda proponant.*

7 *In omni Congregatione duplex fiet exercitiorum genus; alterum de rebus grauioribus in gratiam doctiorum: alterũ minora complectetur pro ijs, qui minus docti fuerint. Id autem omne pendeat à voluntate, & prudentia officialium pro tempore, quibus datur, vt ea omnia ſtatuant, quæ in Domino expedire iudicauerint, &c.*

Modus facilis, & vtilis ad ſacra Biblia alioſque ſacros libros breui & fructuoſe perlegendos.

1 P*RAESES generalis vna cum Præpoſito, & duobus Conſiliarijs exercitia in vtroque Oratorio facienda decernent, puncta, & materias, ſuper quibus verba fiant, præſcribendo, eaque vt ſuperius dictum eſt pro ſingulorum captu, & intelligentia diſtribuendo.*

2 *Qui exercitia ſibi impoſita ſuper aliquẽ ſcripturæ librum facturi erunt, ſequẽtem ordinem ſeruandum ſibi proponãt. Primo vt breuiſſimis, quibus fieri poterit, verbis, inſcriptionem libri, cauſamque inſcriptionis aperiant: poſtmodum Auctoris; materiamque totius operis eadem breuitate perſtringant. Vltimo ad particularia deſcendentes, quot ſint capita libri, & quid in ſingulis contineatur, conſimili ratione, determinent. methodum autem tradent præpoſiti ex Ariſt. 1. poſter. tex. 43. quæ in Moralibus analytica ſiue reſolutiua eſt.*

3 *Quoniam difficile nimis, ac laborioſum eſſet, vnico ſermone prædictis omnibus rebus ſatisfacere, ideo duabus, tribus, aut etiam quatuor congregationibus id fieri poterit, prout ratio libri expoſcere videbitur, & ſuperiores volent, qui in his exercitijs duo præcipuè ſpectabunt primum vt curioſas, & inutiles quæſtiones deuitent: alterum vt ea, quæ ad dogmata fidei, Chriſtianos mores, animarumque profectum pertinent, nunquam prætermittant.*

4 *In omni congregatione extet aliquis frater in ſacris literis non mediocriter verſatus, qui ad ſingula dictorum librorum capita commentari, & quæ notanda fuerint (breuiſſimè tamen) adnotare ſciat, & valeat. Idem autem ſuper eundem librum commentabitur, quouſque altero ſuccedente libro alter etiam, qui commentetur ſuccedat.*

5 *Vt ſinguli, qui ad hoc commentandi munus accedent, quaſi in ſpeculo exemplũ, quod imitentur, agnoſcant, ſuper primum Geneſis caput, formula quædam præſcribetur. Ea autem eſt huiuſmodi. Super primum caput Geneſis multa adnotari poſſunt. 1. Mundũ non eſſe æternũ, imo principiũ habuiſſe, contra errorem illorum Philoſophorum, qui eum principij expertem aſſerebant. Præterea damnari errorem Manichæorum, qui duo principia ſtatuebant, alterum bonum, alterum malum, dæmoni rerum inferiorum, Deo autem ſuperiorum creationem adſcribentes, atque adeo diuinam prouidentiam tollebant. Qui duo errores tam Philoſophorum, quàm Manichæorum damnantur per illa verba, In principio creauit Deus, cælum, & terram. Amplius in eodem capite notatur hoc præcipuum catholicæ fidei fundamentum, nempe eſſentiam,*

natu-

naturamque diuinam unam ſolam eſſe, reali tamen perſonarum diſtinctione diſtinctam, atque diſcretam. Etenim, vt inquit Athanaſius. Alia eſt perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti. Vnitas naturæ in Deo colligitur ex illo verbo Deus. *Pluralitas verò, & realis diſtinctio perſonarum ex illis verbis* Deus, *quod quidem ſignificat perſonam Patris,* In principio *quod ſignificat perſonam filij,* Spiritus domini ferebatur ſuper aquas, *quod ſignificat perſonam Spiritus ſancti. Pluralitas etiam diuinarum perſonarum conſpicitur in illis verbis,* Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinẽ noſtram. *Agnoſcitur etiam, hominem ad imaginem, & ſimilitudinem Dei conditum eſſe, Adam Chriſti, Euam eccleſiæ typum geſſiſſe, Et denique Deũ ſex dierum ſpatio vniuerſa creaſſe, nẽpe primo die lucem, ſecundo cælum, tertio mare, & aridam. &c.*

6 *Qui ſuper dicta capita notabunt, ſi quando caput aliquod vtilitate, fructu, & inſtructione magis refertum nacti fuerint, quàm vt vnica explicari poſſint, in ſecundam, tertiam, & quartam congregationem prorogare poterunt: reliqua poſtmodum, quæ minus referta erunt, breuiter percurrentes.*

7 *Qui interpretẽ aliquem ſuper ſcripturam uolent: præter alios Doctores, Gloſſam ordinariam Nicolai de Lyra, in primiſque Dionyſium Carthuſianum, qui à capite ad calcem totam ſcripturam diſertis, facilibus, piis, doctiſque commentariis illuſtrauit, ſibi comparare poterunt.*

DE CONGREGATIONE
PRO CAEREMONIIS SACRIS
OBSERVANDIS.

COLLECTOR. *CVM multorum miniſtrorum opera indigere ſe animaduertiſſet Illuſtriſſimus Dominus Cardinalis Archiepiſcopus, qui diligenter curarent, ut ſacræ cæremoniæ, quas à Sacroſancta eccleſiarum omnium matre Romana Eccleſia à primis uſque Fidei temporibus accepit Bononienſis Eccleſia, integræ penitus obſeruentur: & quæ de eiſdem in dies decernere ſolet congregatio Illuſtriſſimorum S.R.E. Cardinalium à ſummis Pontificibuſ inſtituta, pari modo executioni mandentur: idcirco deſtinauit A.S. Illuſtriſſima plures peritos Sacerdotes, quos & infra annum ſæpius in congregationẽ adhibet, qui Præfecti ſint cæremonijs ſacris obſeruandis, tam in ciuitate, quàm in diœceſi Bonon. hoc ordine, vt Magiſtro cæremoniarum eccleſiæ Metropolitanæ, totus clerus hac in re parere teneatur. In ciuitaté pro ſingulis regionibus, ſeu quarteriis, quatuor Parochi ſint Præfecti.*

In diœceſi uerò quilibet Archipresbyter, ſiue Plebanus & Vicarius foraneus, aut alius ab ipſo in Synodo deputatus hoc eodem Præfecti munere profungatur in ſuo Vicariatu, ſeu Plebanatu. Quod autem eiuſdem Illuſtriſſimi Archiepiſcopi iuſſu iidem curare debent, hoc loco reliquis adnectenda eſſe exiſtimauimus.

Inſtructio breuis pro ſacerdotibus qui præfecti ſunt obſeruationi ſacrarum cæremoniarũ in ciuitate, & dioeceſi Bononiæ.

VT præfecti cæremoniarum facilius ſuum quique munus exercere poſſint, ea præcipue quæ in his quatuor capitibus verſantur, aut ad ea pertinere poſſunt, omni ſtudio animaduertere conentur: nempe cæremonias circa perſonas, circa loca, circa tempus, & circa res ipſas.

Circa perſonas.

1. VT teſtimoniales literas ſinguli ſacerdotes habeant, qui in quarterio, ſeu plebanatu ei aſſignato ad Miſſas celebrandas accedunt: & non niſi legitimè approbati, ad tanti ſacrificij myſteria tractanda admittantur.
2. Inquirat de ſingulorum clericorũ ſiue ſacerdotũ functionibus, quæ ipſis aſſignatæ fuerunt, an ipſas, vt præcepit Illuſtriſſimus D. Cardin. Archiep. exerceant.
3. Curet vt omnes Clerici ſui plebanatus, ſiue quarterii in habitu, & cenſura incedant, iuxta eiuſdem Illuſtriſſ. Archiep. conſtitutiones.
4. Ne quis ad congregationes admittatur, quin habeat clericale biretũ, ſuperpelliceum, & alias veſtes clericali grauitati, tempori, & actioni illi idoneas.
5. Vt Miſſæ ſacro omnes interſint flexis genibus, excepto euangelij tempore, cum ſtandum eſt.
6. Vt mulieres in Eccleſia velato ſint capite.
7. Vt viri, vbi fieri poterit, in eccleſis à mulieribus ſint diſtincti, & ſeparati.

Circa loca.

1. VT eccleſiæ mundæ ſint; altaria neceſſariam ſupellectilem faciam habeant, iuxta viſitationis ordinationes.
2. Ne quid in eccleſijs, vel ſacriſtijs agatur, præter id, ad quod hæc ſacra loca ſunt inſtituta.
3. Ne in vllo oratorio Miſſa celebretur, vbi ad celebrandum facultas ab Illuſtriſſimo Cardinali Archiepiſcopo non ſit conceſſa.
4. Vt vbi altaria nõ ſunt conſecrata, petræ conſecratæ in ipſis altaribus ſint firmiter coagmentatæ.
5. Vt cæmeteria clauſa ſint, & in ipſis Crux alta defixa, neque eadẽ cæmeteria ad alium vſum, quàm ad fidelium defunctorum corpora ſepelienda conuertantur.
6. Ne quis in eccleſijs ſepeliatur, vbi non habeat ipſe ſepulturam quæ ſua ſit, aut ſaltẽ ſit ſodalitatis ſanctiſſimi ſacramenti, cuius tamen eo caſu ipſe ſit confrater.
7. Vt ſedilia omnia lignea pro mulieribus eiuſdem generis, & formæ ſint in Eccleſiis iuxta ordinationes viſitat. Archiepiſ.

Circa tempus.

1. NE diebus feſtis Miſſæ defunctorum celebrentur, quamuis defuncti ſint iiſdem etiam diebus ſepeliendi.
2. Ne diebus feſtis Miſſa ab eccleſiæ cuiuſuis Rectore omittatur in ſua Eccleſia, niſi alicuius eccleſię propinquæ, & quæ in eadem plebe ſit feſti alicuius diei occaſione, vbi illam celebrare contingat.
3. Vt in qualibet Eccleſia Archipreſbyterali, vbi id fieri poſſit, duæ ſaltem miſſæ celebrentur: neque tamen eodem tempore, ſed aliquo interuallo vna ſummo mane, altera tardiùs ad maiorẽ populi commoditatem celebretur.

Vt

4. Vt veſperę à prandio canantur horis ab eccleſia ſancta conſtitutis.
5. Vt orationes inſtiturę ab Illuſtriſſimo Cardinali Archiepiſcopo habeantur ijs horis, quæ præſcriptæ ſunt; quarum ſignum curati omnes exhibeant campanis ad præſcriptum conſtitutionum Archiepiſcopalium.

Circa res.

1. VT miſſæ celebrentur hora competenti, ad præſcriptum earũdem Archiep. conſtitutionũ.
2. Vt ſacra indumenta, ſeu paramenta ſint eius coloris, quem eccleſia ſancta pro tempore præcipit.
3. Vt calices, tobaleæ, amictus, corporalia, aliaque ad celebrationẽ miſſarum pertinentia, munda ſint, & decentia: item etiam miſſalia integra, ex corio aptè contecta, & ſignaculis diſtincta.
4. Vt quilibet parochus, & plebanus præter ſuperpelliceum mundum proprio vſui accommodatum, habeat etiam duo alia ſuperpellicea pro clericis, qui miſſis inſeruiunt.
5. Vt miſſarum cęremoniæ fiant iuxta præſcriptum miſſalis Romani.
6. Vt proceſſiones debita deuotione, atque ordine habeantur
7. Vt in canendis hymnis, & litanijs, & pſalmis, aut alijs eccleſiaſticis precibus, cantus ratio adhibeatur quæ à Rom. eccleſia præſcribitur.
8. Vt in adminiſtratione ſacramentorum baptiſmi, matrimonij, extremæ vnctionis, & ipſius ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, ea omnia ad vnguem præſtentur, quæ Illuſtr. Cardin. Archiepiſcopus de ſingulis ſacramentis ſanciuit.
9. Vt præter ſuperpellicea pro clericis, habeant etiã duas tunicas talares nigras laneas, quæ eorũ vſui eſſe poſſint, qui clerici non ſunt, & ſæpius miſſis inſeruire debent.
10. Vt in funeralibus mandata ab Illuſtr. D. Cardin. Archiepiſ. obſeruentur.
11. Vt in congregationibus fieri ſolitis conſtitutiones eiuſdem Archiepiſcopi non prætermittantur.

Et quoniam ad miſſas, aliaque diuina officia celebrãda, neceſſaria eſt clericorum miniſtrorum opera, vt hi etiã ſuis miniſterijs rite perfungantur, diligentiſſimè curabunt cæremoniarũ præfecti, eoſque etiam vbi opus eſt ſacras cæremonias docere non prætermittãt, præſertim quæ ad miſſæ miniſteriũ pertinent decẽter, aptè, & deuote exequẽdum: atque idcirco de his rebus tabellas cõficient; in quibus breuiter omnia adnotentur, quæque in conſpectu clericorum poſitæ, & in ſacriſtijs affixæ, omnem clericorum excuſationem auferre poſſint. Ceterum vt non ſolum ipſi pręfecti hoc onus libenter ſuſcipiant, & alacriter in Domino perferant, hortatur Illuſtriſsimus D. Cardin. Archiepiſ. ſed præcipit omnibus & ſingulis clericis, & ſacerdotibus, vt quicquid à præfectis huiuſmodi à ſe in cęremoniarum obſeruatione deputatis admonebitur, diligentiſsime præſtare ſtudeant: alioquin pœnas incurrent arbitrio Illuſtr. Amp. ſuæ reſeruatas: ipſis Eccleſijs, in quibus miniſtrare ſolent, applicandas.
Datum Bonon. N. Vic. Gener.

DE CONGREGATIONE PRO REBVS HOSPITALIVM.

Colle-ctor.

VRBS Bononia non ſolum plurimis priuilegÿs decorata, ſoli vbertate, incolarum ingenio, diuitÿs, adificÿs, propenſiſſimaque erga exteros quoſcumque voluntate inſignis, atque illuſtris ſemper extitit: ſed etiam hac humana commoda religiane, pietate, alÿſque omnibus Chriſtianis virtutibus à Deo quedammodo promeruiſſe exiſtimanaum eſt. Nam vt cetera omittamus, ſi hanc vnã hoſpitalium materiam primoribus etiã labris attingamus, admirabimur multitudinem, celebrabimus inſtitutiones, laudibus ad cælum vſque tollemus vtilitates quas ex ipſis non ſolum corpora, ſed etiam animæ fidelium percipiunt. Omnis enim generis ſunt illa, omnibuſque nationibus, ſtatibus, & propemodum caſibus accommodata; ita vt ſi peregrinetur quiſpiam, ſtatim atque diæceſim Bononienſem ingreditur, habeat quo diuertere poſsit; ſi pauper ſit, & mendicus: neque cibus, neque alia ad quietem per noctem vnam aut etiam plures deſint; ſi ægrotet, pro cuiuſque ægritudine adsint ampliſsima hoſpitalia fidelium pietate, & charitate ſuffulta; si infantes ſint expoſiti, præſto ſint pia loca ad id inſtituta; ſi puer, ſi puella ſit varia conditionis, & neceſsitatis, non unum, ſed plura loca reperiantur, in quibus adiuuetur. Verum hic nos cum nimium progrederemur, ſi hoc loco omnium huiuſmodi hoſpitalium, & piorum locorum mentionem facere vellemus; huc afferemus tantummodo nonnullas pracipuas prouiſiones, quibus pro ipſorũ adminiſtratiane Illuſtriſsimus Archiepiſcopus, tam ſodalitatibus qua ipſorum curam gerunt, quàm ipſis locis pÿs, & pauperibus conſulens, ſibi decernendas, & adhibendas eſſe exiſtimauit. Conueniunt enim ſæpe coram Illuſtriſsima Amp. S. deputati Congregationum, ſeu ſodalitatum eiuſmodi: in quibus hac qua ſubiungemus, & alia ſimilia ad earum regimen ſpectantia conſtituuntur.

EDICTVM de Hoſpitalibus.

Gabriel Palæotus S.R.E. Card. Archiepiſc. &c.

PASTORALIS officii ratio in primis exigit, vt ea loca quæ ad excipiendos, atque alendos pauperes, peregrinos, atque aduenas, piorum eleemoſynis inſtituta atque erecta ſunt, nullam prorſus iacturam faciant: earum rerum, quæ ad ipſorum inſtitutionem, atque erectionem pertinent: quin potius rectæ adminiſtrationis fulta ſubſidiis, iuuante Deo, in dies magis magiſque opibus augeantur: præter diſciplinam quam illis traditam, regulaſque, quas à nobis confirmatas, vel reformatas tum in cõgregationibus, tũ in viſitationibus ipſis præſcriptas obſeruari cupimus.

Cum igitur ex iis quæ ipſi vidimus, & ad nos retulere viſitatores noſtri, cæ-

terique

terique, quorum hac in re opera vtimur accepimus, plura hoſpitalia in noſtra Bononienſi diœceſi, vel ruinam minari, vel in vſus proprios primæ eorum inſtitutioni minus conuenientes: & quod deterius eſt, in proprios ab aliquibus adminiſtratoribus conuerti, vel ita derelinqui, vt omnibus propemodum auxilijs indigere videantur, quamuis aliàs pluribus edictis, & decretis à nobis promulgaris ſatis hac in re prouiſum eſſe exiſtimaremus; ea tamen omnia repetẽtes, & horum ſerie innouantes pro eo, quo fungimur Archiepiſcopali munere, vt quantum in Domino poſſumus animarum ſaluti, & pauperum commodo conſulamus, inhærentesque Conſtitutioni fel. record. Clementis Papæ V. & Concilio Tridentino ſuper adminiſtratione hoſpitalium in titulum, aut commendam committi, aut concedi ſolitorum.

Omnes & ſingulos qui Xenodochia, ſeu hoſpitalia, aut alia pia loca quomodolibet nuncupata ad peregrinorum, infirmorum, ſenum, pauperumue vſum, vel commodum præcipue inſtituta, in commendam, adminiſtrationem, aut quemcumque titulum, aut etiam eccleſijs ſuis vnitas, vel ſi eccleſiæ etiam parochiales eiſdem hoſpitalibus aut pijs locis forte vnitæ, aut in hoſpiralia erectæ, earumque patronis in adminiſtrarionem conceſſæ ſint, obtinent, ſeu adminiſtrant, in Domino hortamur, ac requirimus, & monemus, eiſque & eorum ſingulis diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus quacumque reclamatione poſtpoſita (vltra prædictam dicti Clementis cõſtitutionem, ac Concilij Tridentini decreta, & noſtras etiam ordinationes, quæ omnia harum ſerium innouamus, & innouara eſſe, ac in vſum recipi, & inuiolabiliter obſeruari volumus, & mandamus) infraſcripta quàm diligentiſſime omnino obſeruent, & obſeruari curent & faciant; videlicet.

Quòd inuentarium omnium bonorũ mobilium, & immobilium, iurium, libellorum, cenſuum, & prouentuum quorumcunque ad ipſa hoſpitalia, & pia loca quomodolibet ſpectantium omnino conficiant, aut renouent, ac dilecto nobis in Chriſto N. notario noſtro adhoc à nobis ſpecialiter deputato, infra triginta dies à die publicationis præſẽtium computandos præſentent, & dimittant: ipſiuſque inuentarii copiam autenticam apud dictum hoſpitale & eius adminiſtratores perpetuo conſeruandã referãt, & conſcribant: in quo etiam ſingulis annis ipſius hoſpitalis redditus & expenſas, dari, atque accepti: necnon annuæ adminiſtrationis totam, et integram rationem plene et fideliter deſcribant, onera quæcumque eiſdem hoſpitalibus, ſeu pijs locis ex fundatione, vel dotatione, ſiue conſuetudine impoſita, & incumbẽtia: ac hoſpitalitatem quam debent, diligenter adimpleant, & actu omnino exerceant.

Inſuper omnia, & quæcũque ipſorum hoſpitalium, ſeu piorum locorum bona, iura, res, & actiones, ac confinia diligenter tueantur, nec vllo modo alienare, aut obligare, vel hypothecare audeant, vel præſumãt; imò alienata, obligata, & quomodolibet hypothecata recuperare, ędificia, ac domos reparare, omni ſtudio atque conatu contendant.

Præterea omnibus, & ſingulis eorumdem hoſpitalium, ſeu piorum locorum rectoribus, ſeu adminiſtratoribus, aut alio quocumque nomine, vel titulo nuncupatis, præcipimus etiam & mandamus, vt infra eoſdem triginta dies, vt præfertur, computandos, titulum ſeu collationem, prouiſionem, aut commẽdam de eiſdem hoſpitalibus, vel pijs locis, eis & eorum cuilibet quomodolibet factam nobis oſtendere debeant.

Doceant etiam ſe rationem ſuæ adminiſtrationis quolibet anno adhoc vſque tempus reddidiſſe, fructuſq; & prouentus in vſus debitos erogaſſe, & quantam ex illis portionem in proprios vſus conuerterint: necnon etiam ſe iuramentum neceſſarium iuxta ipſius Concilij diſpoſitionem præſtitiſſe: aliàs infra dictos triginta dies omnino præſtent.

Tranſacto triennio eorum gubernationis, ſiue adminiſtrationis huiuſmodi

gubernationem, ſiue adminiſtrationem, vel commendam, niſi fuerint Apoſtolica auctoritate muniti, in manibus noſtris, ſeu noſtri Vicarij generalis libere renunciare, & dimittere omnino debeant.

Portò ſingulis annis completis, quacumque excuſatione penitus ſemota, ad miniſtrationis ſuæ integram, & perfectam rationem dilecto nobis in Chriſto D. Pyrrho Lignanio canonico metrop. Eccleſiæ à nobis ad hoc ſpecialiter deputato, fideliter reddere teneantur, & debeant.

Omnes autem adminiſtratores teneantur in pariete ipſorum hoſpitalium, in loco magis conſpicuo, qui viam reſpiciat, inſcribere literis maiuſculis, & quæ recte intelligantur, *Hoſpitale ad pauperes & viatores excipiendos*: vt pauperes pertranſeuntes noſcant, quò ſibi declinandum ſit, ad fidelium charitatem accipiendam.

Quæ verò ad aliorum hoſpitaliũ, aut piorum locorum, quæ non in titulum, aut commendam, ſed in perpetuam gubernationem nunquam vacaturam communitatibus, confraternitatibus, collegijs aut pijs locis conceſſa ſunt, adminiſtrationem pertinent: præcipimus, & mandamus, cõſtitutiones proprias cuiuſque loci à nobis approbatas ſeu quatenus opus ſit approbandas, ac in viſitationib⁹ factis, & faciendis editas, & edendas obſeruari, ac plene & fideliter exequi, & adimpleri. Quòdque communitates, confraternitates, & collegia huiuſmodi, quibus in perpetuum ipſorum hoſpitalium, & piorum locorum adminiſtratio conceſſa reperitur, illorum adminiſtrationem vni & eidem perſonæ vltra triennium committere minime poſſint, neque valeant; ſed tranſacto triennio huiuſmodi dictam adminiſtrationem alteri perſonæ demandare debeant, & teneantur.

Negligentes autem, & contumaces, ac in omnibus & quibuſcumque ſuperiùs ſtatutis, & diſpoſitis inobedientes, vltra pœnas à ſacris canonibus, & dicti Concilij decretis inflictas, fructuum, & etiam cenſuum prædictorum reſtitutionis, aliis etiam pecuniatijs pœnis arbitrio noſtro imponendis irremiſſibiliter plectentur, & condemnabuntur.

Volumus autem quòd præſentes literæ poſt dictos triginta dies, à die illarum publicationis, vt præfertur computandos, perinde omnes, quos illę concernunt, arctent, ac ſi perſonaliter illis intimatæ fuiſſent. Quòdque illarum exemplis manu notarij publici ſubſcriptis, eadem fides adhibeatur, quæ eiſdem prę ſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ: In quorum &c.

Dat. Bonon. in Palat. Archiep.

N. Vicar. gener.

COLLECTOR. *DICTI, quod ſupra poſuimus, obſeruatione, ſatis generatim proſpicitur recta hoſpitalium omnium adminiſtrationi: verum quia in diœcesi Bonon. plura ſunt hoſpitalia, quæ à Communitatibus, aut ab earũ Confraternitatibus gubernantur, quæ pauperibus, atque iter agentibus plurimum commodi afferre ſolent, & insigne pietatis, religioniſque maiorum noſtrorum præſeferunt monumentum; his etiam regulas aliquas paternè conſtituere voluit Illuſtriſſimus Archiepiſc. vt populi illi rudiores intelligant quid illis agendũ ſit in tanti operis exercitatione, vt ipſi magis Deo placere poſſint, & loca illa rectius adminiſtrari.*

REGV-

REGVLÆ

pró recta adminiſtratione hoſpitalium Diœceſis Bonon. quæ à Communitatibus locorum aut Confraternitatibus gubernãtur.

De numero, qualitate, & fine illorum, qui huiuſmodi hoſpitalia gubernãt. Cap. 1.

SEX tantum ex toto Confratrum numero impoſterum eligantur, qui ſingulorum hoſpitalium per diœceſim Bonon. erectorum, regimini præſint: ij verò ſint ad minus triginta annos nati, moribuſque bonis inter cæteros prædíti, à blaſphemiis, aliiſque enormibus vitiis prorſus alieni, quos teſtetur Parochus quater ſaltem anno quolibet communicare ſolitos, atque inter confratres ipſos ſanctiſſimi Sacramenti adſcriptos eſſe conſtet.

Nemo eligendus ad huiuſmodi adminiſtrationẽ proponatur, qui ſit inops admodum, & ære alieno, aut alia egeſtate grauatus: neque electi recipiantur abſque approbatione albis nigriſque fabis conficienda, ijque eligantur qui plura vota obtinuerint. Hi verò qui electi erunt, legere, & ſcribere non ignorẽt, vt rationem habere poſſint omnium, quæ ad hoſpitalis vtilitatem & rectum regimen facient.

Quicumque autem ad hanc adminiſtrationem electus erit, ſequenti feſto à die electionis communicet, Deumque humiliter exoret, vt gratiæ ſuæ rore ſuũ aliaque cæterorum officialium corda perfundat, & charitatis opus cum proximi auxilio, ſuarumque animarum ſalute exequi poſſint.

De ijs quæ agere debebunt adminiſtratores Hoſpitalium in genere. Cap. 2.

PRAECIPVA cura ipſorum ſit, vt hoc miniſterio, tamquam vehiculo in æternæ ſalutis portum tutiùs & faciliùs perducantur: cogitentque ad illud in primitiua Eccleſia non eligi ſolitos, niſi viros vitæ ſanctitate & integritate præſtantiſſimos. Quapropter in timore Domini, ab omni peccato mortali prorſus liberi viuere ſtudeant, aſsidue Chriſtianis exercitationibus vacent, veſperi & mane Deo actiones ſuas commendent, conſcientiam examinent, miſſæ interſint cum ab occupationibus vrgentibus non detinentur, confiteantur, & communicent qualibet prima Dominica menſis, aut ſaltem diebus feſtis celebrioribus: & demum ſine fraude & fallaciis, iuſte, ſollicite, & pie in hac adminiſtratione ſe gerant.

1 Congregabuntur ſaltem ſemel in menſe in loco hoſpitalis ad id deputato, ſæpiuſque etiam, prout occaſio poſtulabit, & à Maſſario conuocabuntur: in qua cõgregatione agent de rebus ad hoſpitalis rectum regimen pertinentibus, quæ ad quotidianos vſus aliquo conſilio, aut ope indigere viderint, in medium afferent, conſultabunt: & remedia, vbi opus erit, perquirent. Quibus quidem congregationibus nemo ipſorum vnquam adeſſe prætermittat.

2 Bona, quæ ad hoſpitale pertinent, cuiuſcunque generis ea ſint, tam mobilia, quàm immobilia, nullo pacto vendi, aut alienari, aut etiã accommodari poſsint neque iis ipſis confratribus, ſub poena ſolutionis dupli, cui tam agentes, quàm conſentientes ſubiacebunt, & de libro confraternitatis delebuntur.

3 Domos aut agros hoſpitalis non locent ad longius tempus, quàm trium annorum, neque locent ſine publico edicto, & tantummodo plus offerenti: huiuſmodi verò, alioſque cõtractus omnes debitis cautionibus, & iuris ſolemnitatibus, in vtilitatem hoſpitalis faciant, & cum auctoritate, & licentia deputati ad id ab Illuſtriſsimo Domino

Domino Archiepiſcopo, ſi opus fuerit, & præcedente conſenſu omnium, aut maioris partis adminiſtratorum.

4 Generales eleemoſynas non faciāt, niſi prius pauperum viſitatione peracta, & diligenter iis annotatis, qui aut morbi, aut ſenectutis cauſa, aut filiorum paruulorum numero oppreſsi, eleemoſyna magis indigebunt. Notam verò huiuſmodi pauperum ſubſcribet prius parochus, poſtea proponetur in cõgregatione cõfraternitatis, ibique diſcutietur: iiſque tantum eleemoſyna aſsignabitur, quorum paupertas euidens ſit: & magis pauperes iis, qui minus pauperes ſunt anteferantur. Eleemoſynam verò diſtribuent in ſingulis pauperum domibus iuxta notam ſupradictam, præſente ipſo parocho, & eleemoſynas ſic diſtributas in librum referent ad id deputatum, ibique annotabunt.

5 Caueant tamē ne eleemoſynas diſtribuant iis, qui eo tempore, aut ſaltem debitis temporibus confeſsi non fuerint, quibus maior populi pars confiteri ſolet; infirmis verò non diſtribuentur niſi eo ipſo tēpore infirmitatis confeſsi, & à ſociis Maſſarii ante viſitati fuerint.

6 In iis locis, in quibus tribui ſolet eleemoſyna, ſiue dos pro pauperibus puellis maritandis: inter multas, eaſq. vere pauperes diſtribuatur, ibique natas, aut ſaltem decem annorum incolas boni nominis, & honeſtis parentibus genitas: Eleemoſyna vero non diſtribuatur niſi nubant, aut in religionem ingrediantur, & nō niſi præuia diſcuſsione, & conſenſu totius confraternitatis, aut ipſius maioris partis, ipſiusq; parochi teſtimonio in ſcriptis. Eleemoſyna 25 libras non excedat, & ſingulis annis vni tantū puellæ tribuatur, niſi in ipſa hoſpitalis fundatione aliter diſpoſitū fuerit: vt facilius reliquis locis pauperibus, prout tenetur, confraternitas, ſubuenire poſsit.

7 Curent, vt omnia bona hoſpitalis rectè adminiſtrentur & conſeruentur, ne quid aliqua ex parte detrimenti patiantur, & præſertim domicilia, cubicula, parietes, tabulata, contignationes, pauimenta, aliaque huiuſmodi diligenter & expolitè cuſtodiantur: nec deſint lecta, ſtramenta, anaclinteria, lintea, ceruicalia, ſtragula, pro ea quantitate, & qualitate, quam ipſorum vires ferre poterunt.

In ſingulis cubiculis ſacræ imagines ad lecta, item aquæ benedictæ vaſcula ſint muro affixa, vt pauperes Dei Chriſtianè excipiantur.

De Maſſario eiuſque collegis.
Cap. 3.

VT omnia confraternitatis munera rectius, & quo decet ordine obeantur, conſtituatur quolibet anno ipſius caput, qui Maſſarius appellabitur vnà cum duobus collegis, & ad illos præcipua hoſpitalis adminiſtratio pertinebit; qui quidēm officiales, hoc eſt Maſſarius, & primus ipſius collega, extrahentur ſorte per ſcrutinium coram parocho, cæteriſq. confratribus ad id congregatis prima Dominica, & alius erit ſemper is, qui Maſſarii munere eo anno iam perfunctus eſt, & miniſterio cedit.

1 Maſſarius igitur nouus antequam ſuo munere fungi incipiat, iurabit in manibus Curati, & veteris Maſſarii ſe iuſtè, fideliter, diligenterque pro viribus hoſpitale gubernaturum: idemque faciet nouus ipſius collega, atque item Maſſarius elapſus, & confeſsionem, communionemque initio ſuæ adminiſtrationis præmittent.

2 Maſſarius autem anni præteriti non ante collegę officiū aſſumat, quàm de ſua adminiſtratione coram parocho, omnibuſque confratribus ratio-

rationem integram reddiderit,& dati acceptique integræ rationes appareant. Quapropter quilibet Maſſarius curabit omnino,vt ſi fieri poteſt,nihil exigendum,aut ſoluendum inueniatur,cum ſui officii tempus eſt abſolutum. Maſſarius autem nouus quolibet anno earũdem rationum copiam, in manu notarii ab Archiepiſcopo deputati conſignandam mittere non deſinet,à parocho & officialibus ipſis etiam ſubſcriptam.

3 Menſe Ianuarii deſcribet omnia bona mobilia hoſpitalis atq. vna cum collegis viſitabit perſonaliter domos, agros terraſue, & alia hoſpitalis iura, vt de ipſorum ſtatu edoctus,prout occaſio requiret, quæ recto regimini neceſſaria ſunt comparare poſſit.

4 Quolibet menſe ſemel, niſi pluries, caſus poſtularet, Confratres omnes in locũ hoſpitalis ad id deſtinato conuocabit.

5 Nec pecuniam, neque rerum aliud genus vllum, quod ad hoſpitale pertineat exiget, niſi ea in libro depoſitarii annotentur: à quo neque maiorem ſummam vno anno ob aliquam vrgentem cauſam expenſarum exigat, niſi cum mandato & ordine Confraternitatis: quę quidem pecunia ſic etiam exacta in eodem depoſitarii libro annotetur, ſub poena ſolutionis dupli, & caſſationis à Confraternitate.

6 Solicite curabit vt confratres vnanimes in charitate Dei perſeuerẽt, atque hæ regulæ obſeruentur, vtaturque conſilio confratrum in omnibus rebus, præſertim iis quæ difficiliores accidere ſolent: in quibus nihil ſtatuet,niſi in congregatione & ſuffragiis ſecretis quæ conſultanda ſunt,deliberentur.

7 Viſitabit etiam bis qualibet hebdomada hoſpitale,dum in eo pauperes ſunt, vt diligentius ſcire poſſit quæ pro eorum auxilio perfici debeant.

De Depoſitario. Cap. 4.

Depoſitarius vnus elegetur ex confratribus, neque deputabitur niſi ſciente Illuſtriſsimo Archiepiſcopo, & maiore confratrum parte conſentiẽte, ſecretiſque votis eligetur. Sit vir pro locorũ qualitate opibus honeſte affluens, probus, & boni nominis: & ſi opus erit, & confratribus ita videatur, cautiónem præbeat de cuſtodiendo recte & fideliter quæcumque ſibi conſignabũtur: ipſius officium ad tres annos durabit, quibus completis confirmari nõ poſſit, niſi præuia approbatione Illuſtriſsimi Archiepiſcopi, & conſenſu eorumdem confratrum vt ſupra.

Habeat librum grandiorem in folio, in quem quotidie accepta, & expenſa referat, diemque, & menſem, & annum in qualibet ratione ibi regiſtrata annotabit, cui ſoluerit, à quo ſibi ſolutum, quam ob cauſã, quibus præſẽtibus &c. citabitque in eodem libro ſyngraphas quarum vigore ſoluerit, eaſque in ſeparato loco cuſtodiet. Nihil tamen pecuniarum aut redditum à quoquã exiget niſi præſentibus, aut ſcientibus officialibus, neque ſcripturas de his quaſcumque quomodolibet faciet.

Quolibet anno menſe Februarii conſignabit iis, qui ab Illuſtriſsimo Archiepiſcopo deputati erunt, librum ſupradictum dati, & accepti, rationeſque deſcriptas & acceptilatas: idem faciet in ingreſſu nouorum officialium.

Caueat ne quid pro ſuo aut aliorum quorumcumque vſu pecuniarum ad hoſpitale pertinentium eroget: ſed eas ſuo hoſpitali tantum ſoluendas tenebit, & nunquam eam, quæ neceſſe erit, pecunię quantitatem pro hoſpitali ipſo ſoluere negabit, ijs tamen adhibitis rationibus, quæ ſupra dictæ ſunt.

Cognitis calculatiſque rationibus ſiquid erit quod eo anno ſiue in pecunia, ſiue alia in re hoſpitali acquiſitum fuerit, omnia huiuſmodi in loco vbi fructus reddant collocentur, aut conuertantur in alios pios vſus atque vtilitatem ipſius hoſpitalis: neque tamen hoc fiat niſi con-

ſi conſciis deputatis ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo, & præuia matura deliberatione inter ipſos Confratres habita.

De Scriba. Cap. 5.

ELigetur pro hoſpitalis commodo, inter confratres aliquis magis idoneus, cuius ſit munus confraternitatis & hoſpitalis acta perſcribere; quòd ſi vir idoneus non reperiatur, huic officio ſupplebit Depoſitarius, quod quidem officium ad beneplacitum confraternitatis durabit; in ingreſſu tamen nouorum officialium quolibet anno confirmetur, qui illud exercebit, niſi alius in in ipſius locum ſit eligendus.

Præter maiorem librum, vt ſupradiximus, Depoſitarij; pro Scriba adſit etiam alius liber, in quo omnia iuxta formam inuentarij annotentur ad hoſpitale pertinentia, tam bona mobilia quàm immobilia, domus, tornaturæ terræ, præſentes conductores, pretium, nomen Notarij qui inſtrumentum locationis fecerit, menſes, anni, dies &c.

Item in eo libro annotabuntur omnes ſcripturæ pertinentes ad ipſum hoſpitale inuentarij more, inſtrumenta fundationis, erectionis, donationis, dotationis, obligationes, ad quæ teneatur hoſpitale, aut vigore inſtrumentorum, aut Bullarum, aut teſtamentorum, aut piorum legatorum, & ſimilia: nomina item notariorum dies menſes, & anni, vt ſupra &c.

Præter hunc librum habebit Scriba alium, in quo geſta in quibuslibet congregationibus breuiter annotabit, decreta, item deliberationes confratrum pro bono hoſpitalis, diem, menſem, annũ quo ea accident &c. electiones nouorum officialium, rationum redditiones, acceptilationes &c. In eiuſdẽ libri parte annotabit etiam ordinationes, & decreta Illuſtriſſimi Archiepiſcopi aut eius viſitatorum ad hoſpitale pertinentia.

De Custode. Cap. 6.

ELigetur item ex confratribus vir probus, & charitate præditus, is hoſpitale cuſtodiendi munus præſtabit, pauperes excipiet, ſuppellectilis omnis curam geret, vt linei panni, ſtragula aliaque omnia munda conſeruentur, vini, panis, lignorum, aliarumque rerũ omniũ quæ ad vſum hoſpitalis faciunt, aut in dies illi erogantur cuſtos erit. Sique confratribus opus eſſe videatur, non ante illi munus hoc tribuãt, quàm idoneam cautionem præſtiterit de recte omnia cuſtodiendo.

Non eligatur, ſi fieri poteſt, niſi vir coniugatus, eodemque modo eligatur, quo cæteri officiales: hoc eſt cum votis maioris partis confraternitatis, quæ eidem certam mercedem conſtituet, ea conditione: vt omnia recte faciat, in eaque parte hoſpitalis habitet, quæ illi aſſignabitur.

In ingreſſu officij cuſtodis, conſignabitur illi inuentarium omnium rerum mobilium, & totius ſuppellectilis hoſpitalis. Et copia inuentarij alia apud ſcribam ſeruabitur, & ſubſcribetur tam ea, quàm inuentarium ipſum, ab officialibus & teſtibus, qui illi conſignationi præſentes erunt.

Cuſtodis erit cum pauperes ſeſe recipi petunt, eos in charitate excipere: ſed prius eos interrogare, an confeſſi fuerint & communicarint eo anno, vbi id egerint, quorſum iter ſit, vnde diſceſſerint, quæ cauſa itineris, & cætera huiuſmodi.

Curabit vt pauperes hoſpitio excepti ibi decenter adſint, nec verbis aut factis ſiue alia re diſciplinam, quam ipſe edoceat etiam exemplo, perturbent: atque ideo ſi huiuſmodi perturbatores ad hoſpitale acceſſerint, pro ea vice tantũ eos excipiat, ſi reuertantur dimittat, & cauſam dimiſsionis aperiat.

Antequam hoſpitio excepti comedant, curet vt vnà omnes deuotè recitent. Pater noſter, Aue Maria, quæ eadem

eadem ter repetant, antequam dormitum ſeſe cõferant, atque etiam Credo, & decem præcepta legis; quam eandẽ precum rationem mane antequam diſcedant adhibeant.

Curet etiam vt vnà homines, & mulieres in eodem cubiculo non habitẽt, quamuis ſe coniugatos, hoc eſt, uirum & vxorem eſſe dicerent: ſed cubicula pro mulieribus, & hominibus diſtincta & parata habebit: portas verò cubiculorum ita aptabit, vt intrinſecus, & extrinſecus claudi poſsint.

Peſtis tempore, aut ipſius ſuſpicione vigente, cuſtodis erit neminem hoſpitio accipere, niſi habeat ſanitatis teſtimonium.

Quòd ſi alio quolibet tempore aliquis ægrotus ad hoſpitale accedat, cuſtos illum recipiat; neque inde moueri permittat, niſi ad alium locum traducẽdus eſſet, vbi commodius curari poſſet: quibus verò diebus illic erit, non ſolum corporis, ſed animæ ægroti illius ſaluti diligenter vacet: Sique particularem ſacerdotem ſiue cappellanum hoſpitale nõ habeat, aduocetur Parochus qui ægrotum viſitet, ſacramenta illi miniſtret, aliaque faciat, quæ in huiuſmodi caſibus tenetur.

Animaduertet tamen cuſtos, vt Curatus coram tribus duobuſue teſtibus, ſi ægrotus in mortis articulo exiſtat, interroget illum an habeat pecuniã, aut alia: quæ ſi habeat, in inuentario deſcribantur: quod depoſitario Curati manu ſubſcriptũ, conſignetur. Hortetur etiã in eodem mortis periculo ægrotum, vt teſtamentum condat, deque ijs paucis rebus qualeſcũque ſint diſponat, prout ipſius conſcientia illum admonebit.

Ipſius demũ munus erit Confratres ad congregationes cum ipſi à Maſſario mandabitur conuocare.

Declaratur tamen has regulas pertinere tantum ad hoſpitalium regimen, non autem ad alias res, quæ ſpectant extra ipſum ad confraternitates, ſeu congregationes, quibus ipſarum ſtatuta approbata alia relinquuntur obſeruanda. Quòd ſi in aliquibus huiuſmodi pijs locis aliqua laudabilis conſuetudo vigeat, quæ in his regulis non comprehendatur, Illuſtriſsimus Archiepiſcopus hortatur confraternitates, vt ſe vel ſuos viſitatores de omnibus admoneant, vt omni ex parte paſtoralis cura & diligentia, pia opera promoueri, atq; adiuuari poſsint. Dat. Bon. in Arch. palatio, &c. N. Vic. Gen.

Inſtructiõ eorum, quæ obſeruanda ſunt ab Epiſcopis in adminiſtratione Hoſpitalium iuſſu congregationis Concilij Tridentini Bononiam tranſmiſſa. anno 1592.

Conſuluerunt plerique Epiſcopi congregationem Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, quæ eorum ſint partes, in adminiſtratoribus hoſpitalium ordinaria auctoritate, tàm delectis, quàm deligẽdis alimentis eis decernendis, ratione exigenda, & denique uniuerſa hoſpitaliũ gubernatione ad præſcriptũ Clē. Quia contingit, & decreti Conc. c. viij. ſeſſ. xxv. dirigenda; & quid obſeruandum ſit, quoad eos, quibus hoſpitalium cura à ſede Apoſtolica, quoad vixerint commiſſa fuerit.

Congregatio Concilii cẽſuit, quod attinet ad primam partem. Cum hoſpitalium cura committenda fuerit, ordinarium omni ſtudio inquirere oportere, vt virum probum, induſtrium, ſpectatum fide, & moribus non ſuſpectum, qui gratis eam curã gerere velit, inueniat: & ſi inuenerit, eum omnino adminiſtrationi præficiat, qui & de rectè adminiſtrando iuramentum præſtare, & de hoſpitalium bonis inuentarium conficere teneatur.

Quòd ſi omni adhibita diligẽtia, neminem idoneum potuerit reperire, qui onus adminiſtrationis gratis ſuſcipiat: tum demum, alium virum frugi ab eo eſſe deputandum, cui ex redditibus hoſpitalis congrua præbeantur alimenta.

Quæ alimenta, qualia, quantavè futura

tura ſint, generatim ſanè præſcribi nō poſſunt; Sed cum pro qualitate loci, perſonæ, reddituum hoſpitalis, laboris, & cæterarum circumſtantiarum ſint æſtimanda, conſcientiæ & iudicio Ordinarij ſacra congregatio reliquit: planè confidens eum in his alimentis decernendis, omni humano affectu ſepoſito, hoſpitalis vtilitatem potiſſimum præ oculis habiturum; quippe meminiſſe debet longè aliam eſſe rationem eorum, qui Eccleſijs præficiuntur, atque eorum, quibus Hoſpitalia commendātur; Beneficia enim ad diuinum cultum exercendum ſunt præcipuè inſtituta; & ideo qui ea obtinent, fructus ſuos faciunt; tametſi eorum partem, in certos vſus diſpenſare tenentur. hoſpitalia verò, cum in id fuerint conſtituta, & fundata, vt pauperum, aliorumvè hominum genus in eis ſuſcipiatur, adminiſtratores eorum fructus ſuos facere minimè poſſunt. Semper itaque in alimentis præſcribendis cogitare Ordinarius debet, quo ampliora adminiſtratori alimenta decernantur, eo minus pauperibus peregrinis, alijsvè id genus hominibus ſuſcipiendis ſuperfuturum, hiſque id totum decreſcere, quod illi fuerit attributum.

Quin ſi valdè tenues ſint fructus hoſpitalis, tum Ordinarius ſalarium aliquod tenue ei pro fructuū tenuitate cōſtituat, oportet; ne in alimoniam adminiſtratoris abſumantur vniuerſi. Et ſi plura hoſpitalia in ciuitate, & diœceſi extiterint, quæ per vnum aliquem adminiſtrari commodè poſſint, eum ſolum ad leuandam impenſam, hoſpitaliū curæ præficiat.

Prætereà quotannis, tam ab adminiſtratoribus hactenus deputatis, quàm in futurum deputandis, rationem adminiſtrationis exigat; & ſi eos conſtiterit in alios vſus, quàm deſtinatos, hoſpitalium fructus erogaſſe, ad integram reſtitutionem omnino compellat: & amplius, ſi opus ſit, eoſdem ab adminiſtratione remoueat. Idque obſeruet etiam quo ad ea hoſpitalia, quorum adminiſtratores hactenus rationes nunquam reddiderint: nullamque rationem habeat in his hominibus contrariæ cōſuetudinis, etiam immemorabilis, quæ tamquàm corruptela, decreto Concilij ſublata fuit. Et pro munere ſuo in hac re diligenter incumbat, ne ſi ſecus fecerit eam rationem, in qua exigenda negligens, aut remiſſus fuerit, ipſe in ſupremi iudicij (quod tantopere timendum eſt) die, ante Dei tribunal reddere teneatur.

Neminem etiam, cui hoſpitalium cura poſt Concilium commiſſa fuerit, vltra triennium in adminiſtratione perſeuerare ſinat. Et ſi quem id temporis adminiſtrando exceſſiſſe compererit, protinus amoueat.

Et quia plerumque hoſpitalia ad certum peregrinorum, infirmorum, aut aliarum perſonarum genus ſuſcipiendum inſtituta ſunt: nec in loco vbi hoſpitalia exiſtunt, ſimiles perſonæ, aut perpaucæ reperiuntur; Ordinarius adhibitis duobus de capitulo à ſe deligendis maturè deliberet, atque decernat, vt fructus eorum in alium vſum inſtitutioni proximiorem, ac pro loco, & tempore vtiliorem ſpecialiter præſcribendum conuertantur, quemadmodum eſt prouidentiſſimè à Tridentino Concilio ſancitum. Et in ſumma cum ſciat neceſſariam paſtoralis ſollicitudinis partem in eo verſari, vt pauperes infirmos, & peregrinos quacumq. ratione ſubleuet, nihil prætermittere debebit, vt adminiſtrationem hoſpitalium ad eos ſuſtentandos inſtitutorum ad viuam tū Clem. tum Trid. Concilij mentem quātocyus reducere: nec committere, vt ſuæ hac in re partes vllo modo deſiderentur.

Quod ad ſecundam partem attinet, Congregatio reſpondit, Quæ de adminiſtratione reddenda, & reliquis reſtituendis ſuperius dicta ſunt, & in his ad miniſtratoribus, qui à ſede Apoſtolica deputati fuerint, obſeruari debere: ſiue in literis cura hoſpitalium committatur, iuxta Clem. Quia contigit, ſiue eius nulla mentio habeatur, niſi fortè in literis conſtet aliter Sanctiſsim. D. N. diſponere voluiſſe.

DE

DE CONGREGATIONE

PRO ELEEMOSYNIS.

COLLECTOR.

INTER cetera Epiſcopalia onera, illud ſanè non inter leuia cenſeri debet, quod ad eleemoſynas ſiue diſtribuēdas ſiue quærendas pertinet; nā plura animaduertēda ſunt, quæ etiam ſuperius cōmemorantur in Concilio Prouin. 1. Bon. Quapropter Illuſtriſſimus D. Cardinalis Archiepiſcopus pro viribus curauit, vt inter cetera pia loca, pauperum mendicantium hoſpitale ita promoueretur, vt in Ciuitate Bononienſi, ſingulari Chriſtianæ pietatis exemplo, mendici omnes duo loca habeant, quamuis eidem regimini, & diſciplinæ ſubiecta; vnum qui extra vrbis mœnia eſt, & eccleſia ſancti Gregorij mendicantium appellatur, & hoſpitale habet ampliſſimum: alterum qui eſt in ipſa ciuitate, ea regula atq; ordine, vt mares à fœminis, pueri à viris diſtincti, non ſolum victu alantur quotidiano, & in ægritudinibus ſumma charitate curentur: ſed etiam chriſtiana doctrina & moribus imbuantur, & pro cuiuſque captu varias artes mechanicas edoceantur, atque in ipſis aſſidue tam mares, quàm fœminæ exerceantur. Sup. par. 4. pag. 233.

Hic locus regulas habet illuſtriſſimi D. Cardinalis Archiepiſcopi auctoritate firmatas; regitur autem à congregatione inſtituta plurium nobilium, aliorumque Ciuium Bononienſium, patrocinio eiuſdem Archiepiſcopi commendata: itemque ab alia congregatione piarum matronarum, ad quas mulierum cura præcipuè ſpectat, & ad præſcriptum congregationis virorum in hoc opere ſe exercent. Habetur autem congregatio ſæpius coram Illuſtriſſimo Archiepiſcopo: & ipſi neceſſitates, quibus proſpiciendum eſt explicantur, remedia exquiruntur & comparantur, aliaque tractantur, quæ ad huius pijſsimi loci incrementum pertinent. Viſitat etiam frequenter locum eundem Illuſtriſſimus Archiepiſcopus, atque ab alijs ſæpius viſitari mandat, & inquiri an miniſtri, ſiue officiales in ſuis muneribus recte ſe gerant. Hi autem plures ſunt, vt loci amplitudo, & pauperum multitudo expoſcit. Nempe Rector vnus qui nobilitate, opibus, & pietate ſit inſignis, atque ideirco eligitur ex ordine ſenatorio. Prior vnus, qui item nobilis ſit, quamuis illum ex ordine ſenatorio eſſe non oporteat. Maſſarius, & duo eius ſocij, qui viri periti ſint, & in adminiſtratione bonorum temporalium experientia ipſa edocti. Octo Conſeruatores. Duodecim Viſitatores, pro viſitatione pauperum, qui admittendi ſunt. Quatuor ſyndici eiuſdem Maſſarij. Syndicus vnus & procurator iurium huius loci pij. Duo Notarij adhibendi in congregationibus. Depoſitarius vnus. Qui omnes officiales ſuis numeribus perfunguntur nulla alia propoſita mercede, niſi vt quod vni ex minimis illis faciunt, Deo ſe facere intelligant. ſunt & alij officiales & miniſtri quibus merces honeſta, ſiue eleemoſyna aliqua tribuitur, veluti duo Cappellani, quorum alter Hoſpitali extra vrbem inſeruiat, alter domui quæ in Vrbe eſt. Duo medici, alter phyſicus, alter Chirurgus. Duo Cuſtodes uiri pro maribus, itemque duo fœminæ pro mulieribus. Ratiocinator unus. Procurator, ſiue, ut aiunt, factor unus. Quatuor ſcoparij quibus omnibus quæcumque agenda in horas ipſas præſcribuntur, & de ſingulis admonentur. Atque ita ſatis ex hac parte prouiſum uidetur Eleemoſynarum collectioni, quæ in hoc mendicantium genere uerſatur: qui in urbe, in Eccleſiis, ubique fœda ſpectacula præbebant, ſine chriſtiana diſciplina uiuebant, officia diuina perturbabant, & etiam quod peius eſt, ex ipſis multi hac quæſtus occaſione uitijs dediti ſcelera patrabant. Hoſpitale mendicantiū Bononię inſigne.

Nunc his relictis de eleemoſynis, quæ ab hominibus huic muneri deſtinatis, colliguntur pro locis pijs, & præſertim extraordinarijs quibuſdam nonnulla afferenda eſſe duximus: ut ratio

Mm adhiberi

adhiberi ſolita ab Illuſtriſsimo Archiepiſcopo, hoc loco explicetur: quò ſine ulla fraudis ſuſpicione eleemoſyna tum accipiantur, tum libentius à fidelibus erogentur. Exemplum autem primum erit, cum Sixtus Quintus ſuis Apoſtolicis literis commendauit Collegium Anglorum Rhemenſe, ut à Chriſtifidelibus eleemoſynis adiuuaretur: nam illas ad maiorem etiam intelligentiam uulgari ſermone redditas, atque impreſſas, per Ciuitatem & Diœceſim affigendas curauit Illuſtriſsimus Archiepiſcopus, opus commendauit, atque ordinem quo utendum eſſet in huiuſmodi eleemoſyna collectione præſcripſit, ut ſequitur.

Exemplum ſeu formula alicuius eleemoſynæ extraordinariæ colligendæ.

Commendatio ipſius Archiepiſcopi quæ adiuncta eſt

ad Breue Sixti Papæ Quinti, ut Chriſti fideles ſubueniant neceſſitatibus Collegij Anglorum Rhemenſis, ſub Dat. Romæ die tertia menſis Septembris.

anno Domini M.D.LXXXVI.

Gabriel &c. Populo ciuitatis, & Diœceſis Bononienſis.

BEneuolentia qua ſemper inclytam Anglicanam nationem in Domino proſecuti fuimus, quibuſdam quaſi ſtimulis impellimur, ut Sanctiſsimi Domini Noſtri hortationibus & mandatis, preces etiam noſtras apud nos adiungeremus: ad illorum fidelium auxilium, qui relicta patria, relictis parentibus potiùs exules eſſe, & plurima perpeti, quàm à Sancta Romana Eccleſia unione diſſolui uoluerunt: ita ut merito inſula illa felix & ferax martyrum appelletur: alij enim martyres in uinculis carcerum gloriantur, alij cæſi in uerberibus gratulantur, alij poteſtati irreligioſorum deſecanda felicium capitum colla committunt: plures in extinctos rogos currunt, & trepidantibus pene miniſtris in ignem ſaltu deuota feſtinationis inſiliunt: alij in profundum demergendi, non in aquas necaturas, ſed in refrigerium æternæ beatitudinis decidunt, toto ipſo ſe corpore Deo hoſtiam tanquam holocauſta præbentes. quin etiam docent nos catholici Angli, ut fidem quærendo acquiramus: uiuendo excolamus, moriendo ſeruemus: plus peccatum timeamus, quàm gladium: propter uitam magis iuſtitiam amemus, quàm uitam: fidemque pariter & timorem Dei, quem ipſi in media belli tribulatione ſeruarunt, curemus nos, ne in pacis ſecuritate perdamus: neuè anchoram ſpei quam ipſi cuſtodiuerunt in fluctu, nos amittamus in portu. Qua in re dignos profectò ſeſe exhibent auiti ſanguinis ſucceſſores, cum eorum plurimi glorioſum poſteris de ſe exemplum relinquentes, olim ſæpius inter Chriſtianorum omnium cœtum ſoli ad terræ ſanctæ defenſionem ultro ſeſe contulerint, ibique à noſtræ fidei hoſtibus trucidati, ſanctum Deo ſacrificium ſeſe præbuerint. Verùm nos ad eos uobis enixè commendandos, præter hæc omnia, uehementius accendimur, dilectiſsimi, quo Catholicorum Anglorum permulti magis cogniti ſunt nobis: qui ut ſolent, hoſpitio à nobis accepti, ſuas ſanctas cogitationes, & conſilia nobis manifeſtarunt, ad catholicæ fidei incrementum penitus directa: quæ ijdem poſtea in ipſo Regno Angliæ, morte ipſa, quam ultro pro Chriſti nomine appetebant, glorioſiſsimi Martyrij palmam adepti, comprobarunt.

Cum igitur dilectiſsimi ab Apoſtolo moneamur, ut dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei: nos qui eodem fidei vinculo aſtricti, non ſolum in eodem Dei habitamus domicilio, ſed etiam tamquam membra unum alteri auxilio eſſe, & totum corpus Eccleſiæ efficere debemus: nullo pacto committendũ nobis eſt, quin eos liberalibus eleemoſynis adiuuemus. Illudq; præcipue vos cōmouere debet, ſi nobiſcũ animo reputabitis, quãta

confuſione

confuſione in nouiſſimo Iudicij die cumulabuntur ij, qui Anglos extremas, vt ita dicam, mundi oras incolentes, ſponte coniuges, filios, opes, dignitates, ipſam vitam, Catholicæ fidei confeſsioni poſtpoſuiſſe aſpicient: ſeque Romanæ vrbis & ſedis Apoſtolicæ ſubditos, omni charitatis ardore destitutos, difficile adductos, vt his fideliſſimis Christi ſeruis ſubuenirent.

Quapropter hortamur, & enixe vos exoramus, dilectiſſimi: vt eò ardentius rem hanc amplectamini, & omni ope proſequamini, quo maiore fructu commune bonum inde profiſciſci cernitis.

Ratio adhibenda in prædicta eleemoſyna collectione.

PArochi omnes & ſinguli in diœceſi Bononienſi inter miſſarum ſolemnia legent populo Breue Summi Pontificis, literaſque ipſius Illuſtriſſ. Archiep, quas iccirco eorumvnicuique miſimus: quibus lectis diem indicent, quo omnes intereſſe debeant proceſſioni habendæ: eoſque hortari atque inflammare curabunt, vt parati accedant, & cum charitate eleemoſynam liberali manu largiantur.

Eleemoſynam verò in capſula ſocietatis ſanctiſſimi Sacramenti, quam Parochus ad id paratam eſſe, populum moneat, reponent: quæ duabus clauibus occludatur, quarum vnam maſſarius, aliam curatus teneat.

In qualibet parochia duo pij, atque integri viri deputabuntur; qui vnà cum Parocho, vel alio ab ipſo Parocho deſtinato, ad ſingulorum domos accedat, & illam eleemoſynam ab ijs accipiant, quam aut in pecunia, aut alia in re, pro ipſorum charitate offerre volent.

Pecuniam in domibus collectam, in eadem capſula ſtatim aſſeruabunt, reliqua fideliter vendent, & iuſtum pretium in eadem capſula reponent.

Quindecim verò diebus poſt habitam proceſsionem, eleemoſynam è capſula parochus extrahet, coram populo, & pecuniam totam numerabit, numerumque in libro ſocietatis annotabit, quàm vnà cum ijs hominibus, qui ad colligendas eleemoſynas electi fuerunt, ipſe Parochus Bononiam afferet, & in monte pietatis reponet.

Quòd ſi aliquo impedimento detineantur quominus Bononiam ſe conferre poſsint, eandem pecuniam ſic numeratam Archipresbytero ſuo conſignabunt, cuius erit eam Bononiæ, vt ſupra diximus, in monte pietatis conſtituere.

Interim verò quicumque Archipreſbyter curet, vt hæc omnia diligenter executioni mandentur, quidque de iis actum fuerit ad nos ſcribat, vt Illuſtriſſimum Archiepiſcopum de omnibus commonefacere poſſimus.

Dat. Bonon.

N. Vic. Gener.

ORDO
pro maritandis pauperibus puellis.

CVm Illuſtriſsimus D. Cardinalis Archiepiſcopus eleemoſynas colligere inſtituerit, quæ dotis loco in die ſanctiſsimæ Annunciationis Dominicæ pauperibus puellis Bononiæ diſtribui ſolent, monet idem Illuſtriſſ. Archiepiſc. & requirit ab omnibus, & ſingulis ſodalitatibus ſanctiſsimi Sacramenti, vt ad præſcriptum ſuarum conſtitutionum in ſua parochia, aut alibi, vnaquæque ipſarum Sodalitatum eligat puellam pauperem, boniſque motibus præditam, nec minorem 15. annis ex toto corpore ſodalitatis, & eleemoſynam conflatam illi aſſignent, quò vel nubere, vel in aliquo monaſterio Deo ſe dicare poſsit, eleemoſyna verò non minor ſit quinquaginta lir. quibus addatur veſtis lanea candida, & crepidæ albæ: vt de more, ipſo die Annunciationis, eo puritatis habitu induta, in honorẽ Beatiſsimæ Virginis proceſsionem proſequatur.

Electionis verò huiuſmodi tempus ſit ab hoc die vſque ad 15. Februarii excluſiue; & Illuſtriſſimo D. Archiepiſcopo puellæ nomen, cognomen, & vicus vbi habitat, in ſcriptis conſignetur.

Sufficiet eleemoſynam paratam eſſe die 20. Martii, nec vlterius prorogetur, ſed eam in monte pietatis deponant: neque inde auferant, niſi vere puella nupſerit, aut in Monaſterium ingrediatur: quo tempore libere, & ſine vlla exceptione eidem conſignetur.

Quòd ſi puella electa caſu ante hoc tempus obierit, aut inhoneſtè vixerit, eadem ſodalitas aliã ipſius loco eligat.

Item ſi quis prætereа Dei ſpiritu ductus, puellam aliquam dotare voluerit, ipſius nomen, cognomen, & uicum vbi commoratur, in ſcriptis eidem Illuſtriſſimo Cardinali Archiepiſcopo conſignare poterit, & reliqua exequi, quæ ſupra diximus.

Declaratur tamen, ab Illuſtriſſimo Card. Archiepiſcopo, nullo obligationis vinculo ſodalitates, aliosuè ad hoc faciendum aſtringi: ſed tantum in Domino paterne exorari, vt hoc opus ad Dei gloriam proſequantur, & etiam harum puellarum exemplo, & hac huiuſmodi auxilii ſpe, cæteræ ad honeſtè viuendum incitentur.

Dat. Bonon. &c. N. Vicarius gener.

Alius ordo pro maritandis puellis.

PRæter eas puellas electas tum ab Illuſtriſſimo D. Cardinali Archiepiſcopo, tum à ſodalitatibus etiam Sanctiſſimi Sacramenti, quibus quolibet anno die Annunciationis B. Mariæ, dotis nomine eleemoſynæ diſtribui ſolent; cupit idem Illuſtriſſimus Archiepiſcopus ipſarum numerum quantum fieri poſſit augeri, atque icci rco deſtinauit quatuor matronas in ſingulis quarteriis Ciuitatis huius, charitate, probitate, prudentia, & nobilitate inſignes, quarum ſingulis facultatẽ tribuit eligendi in ſuo quarterio puellam pauperem, honeſtam tamen, & pudicam, neque minorem quindecim annis, cui eleemoſynam in ſuo quarterio ſolitam inquirat. hoc eſt quinquaginta lir. ac veſtem laneam, & crepidas albas.

Si verò eleemoſynam, quæ ſufficiat quatuor puellis electis, matronæ in ſuo quarterio habere non poſſint, Illuſtriſſimus Archiepiſcopus ex quatuor electis vnam aut alteram eliget, quibus collecta eleemoſyna diſtribuetur.

Quòd ſi eleemoſyna largior eſſet, & præter quatuor electas puellas, ad alias etiam iuuandas extendi poſſet, ſupradictæ matronæ in vnoquoque quarterio alias etiam eligere poterunt.

Cum electio huiuſmodi peracta fuerit, nomen & cognomen puellarum, locaque vbi ipſæ commorantur, in ſcriptis conſignentur Illuſtriſſimo D. Card. Archiepiſcopo ante diem 15. Februarii, qui eo tempore de ipſarum qualitate certior fieri curabit.

Ipſo Annunciationis die, munus erit earundem matronarum in proceſſione quæ habebitur, puellas ad accipiendam hanc eleemoſynam deducere, prout ipſis ſignificabitur. Hortamur & enixe rogamus omnes in Domino, vt harum matronarum pium laborem ſua opera, atq; opibus iuuare ſtudioſe contendant.

Dat. Bonon. &c. N. Vic. Gen. &c.

PROVISIO *ſuper iis perſonis, quæ in ciuitate & diœceſi Bononiæ, Hoſpitalium aut aliorum locorum piorum nomine, eleemoſynas quærunt & colligunt.*

INter cætera, quæ paſtoralis ſolicitudo requirit, illud valde præcipuum eſt: vt quantum in Domino fieri poteſt, pauperum neceſſitati proſpiciatur. Quãuis autem iccirco multis ab hinc annis in hac ciuitate inſtitutum fuerit hoſpitale mendicantium: vt pauperes, qui per ciuitatem vagabantur, in eo victum habeant, & in timore Dei, paupertatem & ægritudinem patiantur: multa

tamen

tamen monaſteria, hoſpitale, aliaque pia loca reliqua ſunt, quæ per ſuos miniſtros eleemoſynas quærunt: quibus huiuſmodi quæſtus & collectio negari nullo modo debet, cum aliunde ſibi victum quotidianum, qui ſufficiat, ob inopiam comparare minime poſsint. Cum verò huiuſmodi quæſtus plurimis abuſibus referti ſint, ipſorumque quærentium numerus valde percrebuerit, ob aliorum locorum erectionem, quæ paupertatis prætextu eleemoſynas occupant aliorum verè pauperum & egentium; Ideo Illuſtriſsimus & Reuerendiſſimus D. Cardinalis Palæotus Archiepiſcopus Bononiæ, habito ſuper hoc diligenti priùs examine, omnibuſque vnà cum peritis viris in congregatione adhibitis rectè communicatis, hac prouiſione, huiuſmodi abuſibus occurrendum eſſe ſtatuit, quam inuiolabiliter ab omnibus & ſingulis iubet obſeruari.

Præcipit igitur Illuſtriſsimus Card. Archiepiſcopus, quod ad loca pia attinet: vt ex ijs omnibus ea, quæ ſequuntur tantummodo veluti magis egentia, ad quæſtus eleemoſynarum publicos admittantur: videlicet, verecundi, carcerati, hoſpitalia expoſitorum infantium, ſancti Iob, mendicantium ſancti Franciſci, conualeſcentium, puerorum ſancti Bartholomæi, puerorum ſanctæ Mariæ Magdalenæ: quibus omnibus & ſingulis concedit & permittit, vt ſabbatho ſingulis hebdomadis, cum capſulis ad officinas ſiue apothecas quærere eleemoſynas, & à prædicatoribus commendari poſsint: & præter quæſtus inter prædicationem ipſam fieri ſolitos ad Eccleſiarum ianuam, (non autem in Eccleſijs ipſis) ad præſcriptum conſtitutionis Pij Papæ Quinti, huiuſmodi quæſtum exercere poſsint; & ſi ijs videbitur, poterunt etiam in Eccleſiis ipſis capſulas affigere eo loco, qui à ſuperioribus eiſdem aſsignabitur.

Quod autem attinet ad monaſteria regularium, non concedit aut permittit Illuſtriſsimus D. Cardin. Archiepiſcopus huiuſmodi eleemoſynarum collectionem, ſeu quæſtum niſi fratribus mendicantibus, ſeu ijs qui propria bona ad monaſterium ſpectantia non habent: videlicet fratribus Annunciatæ, fratribus obſeruantiæ, & etiam quibuſdam monaſteriis ordinis ſancti Benedicti, quorum redditus monaſteriis nõ ſufficiunt: qui quidem in quæſtus ratione eodem ordine vti debeant, quem paulo ſuperius præſcripſimus: poſſintq; à prædicatoribus commendari, ad apothecas accedere, & cætera agere, quæ alia loca pia huc relata, facere permittuntur.

Quòd ſi præter ſupradicta monaſteria, alia ſint ſiue monaſteria, ſiue pia loca, quæ prætextu apoſtolicarum facultatum, inter mendicantium numerũ computari ſe debere, atque iccirco eleemoſynas quærere, & colligere ſe poſſe exiſtiment; ſua priuilegia oſtendant Illuſtriſſimo Card. Archiepiſcopo, ſeu eius generali Vicario, antequã ad quæſtum accedant.

Quod verò attinet ad monaſteria monialium, conceditur facultas huiuſmodi quærendi eleemoſynas, & permittitur à concionatoribus commendari monaſteria quæ proprii nihil poſſident: veluti corporis Chriſti, eaque quæ pro ſufficiẽti victu in egeſtate ſunt, veluti ſancti Bernardini, conuertitarũ, ſancti Homoboni, & ſanctæ Helenæ, puellarum Baracani, & puellarum ſanctæ Marthæ.

Nulla tamen ex ipſis monialibus, aut conuerſis, aliiſue quæ intra clauſuram commorantur, hac quæſtus cauſa è monaſterio exeat: ſed ad præſcriptũ conſtitutionis Pii Papæ V. & Gregorii Papæ XIII. intra clauſuram contineantur: & miniſtris, ſeu factoribus (vt vocant) in huiuſmodi rebus vtantur.

Excipiuntur tamen conuerſæ monaſterij corporis Chriſti, quæ cum extra clauſuram monaſterii viuant, maturæ tamen ætatis poterunt per ciuitatem eleemoſynas quærere; Qua in re quidẽ ea quæ ab Illuſtriſsimo Card. Archiepiſ. conſtituta ſunt, ſeruare teneãtur: vt fugiant palatia, & loca publica: ſed omni modeſtia officium hoc exequantur.

Digitized by Google

Monialibus s. Catherinæ, s. Auguſtini, & Conceptionis tamquam aliqua ex parte egentibus conceditur hoc auxilium, vt à concionatoribus commendari poſsint; dum tamen ipſarum conuerſæ, neque quæſtus, neque alia quacumque de cauſa clauſuram exire audeant: ſed hac in re, aliiſque, ſuis miniſtris, ſeu factoribus, ſeruiſq; vtantur.

His exceptis, tam monaſteriis, quàm locis piis, aliiſque quibus nominatim hic quæſtus facultas conceditur vt ſupra, prohibētur omnia alia monaſteria, loca pia, & particulares etiam perſonę ne quouis prętextu aut paupertatis, aut puellarum matrimonio locandarum, aut incendiorum, aut Eccleſiarum ædificandarũ cauſa, neque cũ habitu quarumcumque confraternitatum, neque habitu ſororum (vt vocant) mantellatarum, aut tertii ordinis, neque alio quouis modo induti, ſine licentia ipſius Illuſtriſsimi D. Cardin. Archiepiſcopi eleemoſynas quærere, & colligere audeant.

Concionatoribus etiam prohibetur ſub pœna interdicti, ne in ſuis concionibus, aut in Eccleſia, aut ad ianuã Eccleſiæ nulla alia pia opera, aut loca cõmendent præter ſupradicta: neque vllũ aliud genus indigentium, pauperum familiarum, aut aliarum particularium perſonarum quouis neceſsitatis prætextu qui illis, explicetur, niſi expreſſa prius habita in ſcriptis facultate ab Illuſtriſsimo Cardin. Archiepiſcopo, ſeu eius Vicario, ſeu aliis, qui ad id erunt deputati; Qui quidem edocti de ſtatu rerum, & qualitate perſonarum, quæ commendari petunt: id fieri mandabũt, quod magis in Domino expedire videbitur: vt plurimis fraudibus, quæ hac in re fieri ſolent, occurratur.

Si uerò præter ſupranominata loca pia, & monaſteria, quibus licet eleemoſynas quærere, alia etiam huiuſmodi quæſtu indigere videbuntur: de ipſorũ neceſsitatibus admonitus Illuſtriſ. Cardin. Archiepiſcopus, eiſque multa circumſpectione cõſideremus licentię huius conceſsionem ſibi reſeruat, eam daturus libenter cum expediet.

Quia verò cupit admodum idem Illuſtriſsimus Archiepiſcopus, vt pauperes parochiarum eleemoſynis adiuuentur, concedit etiam hanc facultatem iis officialibus ſodalitatum ſanctiſsimi Sacramenti, quorum hoc munus erit: vt intra terminum ſuarum parochiarum, pro ſubſidio dictorum pauperum eleemoſynas quærere, atque à prædicatoribus commendari poſsint.

Quicumque autem auctoritate apoſtolica, aut ob captiuorum redemptionem, aut ob ſacra ædificia, aut ob alia opera pia, huiuſmodi quęſtus exercere voluerit: priùs tamen conſignatis Bullis, ſeu patentibus ſuis Illuſtriſſ. Card. Archiepiſcopo, ſeu eius Vicario Generali, aut aliis ad id deputatis, prout ſũmus Pontifex iubebit, ad huiuſmodi quæſtus admittentur.

Vtque tutius occurratur eorum prauitati, qui ficte, & locorum piorum nomine ſuperius relatorum, pro ſe, aut pro aliis eleemoſynas quærere poſsẽt; ideo mandatur generatim omnibus & ſingulis qui quæſtus ſupradicti facultatẽ obtinuerint etiam nomine locorũ ſupradictorum: vt priuſquàm quærere incipiãt, licentiam in ſcriptis obtineãt ab eiuſdem Card. Archiepiſcopi Vicario, ipſius etiam ſigillo communitam; nemoq; audeat ſine hac licentia in ſcriptis obtenta, quæſtum exercere, ſub pœna fuſtigationis, triremium, aliiſque arbitrio Illuſtriſſ. Archiepiſcopi reſeruatis.

Et ne quempiam excuſet ignorãtia, aut alius quiuis prætextus, prouiſionis huius executio ſuſpẽdetur per octo dies ab ipſius publicatione: quo elapſo termino inobedientes, & in ipſa contenta non ſeruantes ſeuerè punientur.

Datum Bonon. In Archiep. pal. die 20. Feb. 1586.

N. Vic. Gen. de mand.

Formula licentiæ, quæ ijs qui eleemoſynas pro locis pijs colligunt, concedi ſolet.

GABRIEL PALAEOTVS
Card. Archiep. Bononiæ. &c.

OMnibus & ſingulis plebanis, Rectoribus, vicarijs perpetuis, cappellanis & curatis ciuitatis & diœceſis noſtræ notum facimus, & atteſtamur: quòd diligenter admoniti et bene inſtructi de paupertate & neceſſitate, qua premitur hoſpitale S. N. pro paſtorali noſtro munere, & paterna charitate, qua loca omnia pia complectimur, ad colligendas & exquirendas eleemoſynas, quæ in eiuſdem hoſpitalis vſum, & non in alium conuertantur, deputauimus N. quem ad hoc munus rectè & fideliter obeundum idoneum eſſe certiores facti ſumus: quemque iuramenti obligatione deuinximus, ne pro aliqua portione & rata eleemoſynarum, quas colliget, particeps fiat: neque eas aut earum partem ſibi expiicet, quamuis certam quantitatem hoſpitali prædicto ſe ſoluturum pacto vel inſtrumento obligetur; ſed eas vt collegerit, hoſpitali conſignet: neque per aliam perſonam colligere eaſdem faciat, ſed ipſemet quærat & colligat.

Ante verò quàm prædictus N. quærere aut colligere eleemoſynas incipiat, teneatur præſentes noſtras literas vobis conſignare, vobiſque ſeſe cognoſcendũ præbere: vt animaduertere poſſitis, an ea ad quæ illum obligauimus, rectè ſeruet: quæ ſunt videlicet.

Ne cuiuſuis generis ea ſint, priuilegia, gratias, indulgentias publicet: ne deferat campanulam, crucem, aut alias quaslibet ſacras imagines populo oſtendendas: ne prædicet, ne orationes aut pſalmos recitet, aut concinat: neque quidquam ſacrum latino aut vulgari ſermone populo enunciet, ne commutet vota cuiuſcumque generis ea ſint, aut abſoluat: ne campis, agris, domibus, animalibus, aut alijs rebus benedicat; neque quouis ſigno animalia, ianuas, domus, aliaue ſignet: neque maledicat, aut comminetur ijs, qui eleemoſynam non tribuunt: nulla arte nulliſque verbis vtatur, ad eoſdem perterrefaciendos: ſed modeſtè eleemoſynas petat non tamquam debitas, ſed à fidelium charitate libere expoſcendas: illiſque rebus acquieſcat, quæ ſponte ſibi tribuentur.

Quæ omnia & ſingula ſi ab ipſo. N. minime obſeruari videbitis, ſtatim ab hoc quæſtu & eleemoſynarum collectione illum prohibebitis, & eleemoſynas quæ collectæ erunt in manibus Maſſarij deponetis, ipſumque. N. ad noſtrum Archiepiſcopale tribunal deferetis.

Quòd ſi manifeſtum vobis non ſit, illum omnino his noſtris præceptis repugnare, in aliqua tamen ſuper hoc dubitatione eſtis: tunc præſentium literarum noſtrarum vigore, prædictum hoſpitale populo commendabitis, & prædictum N. ſemel tantum eleemoſynas quærere permittetis: populumque veſtrum de omnibus his, ad quæ. N. prædictus tenetur, admonebitis.

Cæterum hortamur omnes etiam atque etiam, vt pro ſingulorum qualitate pecuniam, frumentum, oleum, vinum, aliaque prædicto hoſpitali impertiant; ſciantq. quod retribuet gratiam qui offert ſimilaginem, & qui facit miſericordiam, offert ſacrificium.

Hanc autem deputationem noſtram nolumus eſſe validam, aut duraturam niſi ſex menſium ſpatio. In quorum fidem, &c.

Datum Bononiæ &c.

N. Vic. gener.

Formulæ teſtimonij quod paroch præbere debebunt pauperum ſuæ parochiæ.

Pro pauperibus infirmis.

EGO N. Parochus eccleſiæ. N. fidem facio, & teſtor me viſitaſſe. N. infirmum, qui domi commoratur, (vel in lecto iacet) quemque exiſtimo eſſe bonum hominem: nam confitetur peccata ſua, & ſacram Euchariſtiam ſumit ſæpius quolibet anno: mittit filios ad doctrinam Chriſtianam (ſi eos habet), eſt ciuis Bononienſis

nienſis (ſiue diœceſanus) (ſiue per longum tempus Bononiæ, aut in diœceſi habitans) & iuſtas ob cauſas . . . . ad hoſpitale vt curetur deferri non poteſt . habitat . . in via . . . . in parochia . . . In quorum fidem &c.

Ego ipſe idem parochus qui ſupra me ſubſcripſi . &c.

Pro pauperibus puellis.

E*Go N. Parochus eccleſiæ N, fidem facio, & teſtor me viſitaſſe N. filiam N. quam exiſtimo bonis moribus præditam eſſe, & bonis parentibus eſſe progenitam : ſacram confeſſionem, & communionem pro ætatis ſuæ conditione ſatis frequenter ſingulis annis adit; doctrinam Chriſtianam didicit, nata eſt Bononiæ (uel in diœcesi) aut per longum tempus Bononiæ eſt commorata, & eſt pauperrima, indigetque eleemoſyna auxilio ut nubere poſſit . habitat . . . in uia . . in parochia . . . In quorum fidem &c.*

DE CONGREGATIONE

PRO REGIMINE DOMVS PIÆ,

QVAE CATECHVMENVM APPELLATVR.

COLLECTOR. P*IVS .V. Pontifex Max. fel. record. de Chriſtiana fide propaganda ita ſolicitus fuit, vt omnis generis nationum auxilia ſpiritualia excogitarit ſemper: & veluti optimus paſtor, vt ad tutum ouile perditas oues duceret, non ſolum ſedulam fidelemque miniſtrorum piorum operam adhibuerit, ſed etiam ipſa paſcua diligentiſſime comparare ſtuduerit. Inter cetera verò cum ab Illuſtriſſimo D. Cardinali Archiepiſcopo rogaretur, vt domum pro catechumenis & neophytis Bononiæ inſtitueret, ſtatim ipſe ſaluberrimum hoc conſilium amplexus, & huiuſmodi domus aperiendæ facultatem Illuſtriſſimæ Amplitudini S. præbuit, & ad illam quotidiano victu ſuſtentandam ſine mora annuum cenſum applicauit, vt in ea quicumque minoris ætatis ad ſanctæ fidei lumen accipiendum accedant, vſque ad annum ætatis 15. alantur, neque victus neque veſtitus ipſis deſit; maioris verò ætatis præter quinquaginta dies ante Baptiſmum, poſtquam illum ſuſceperunt, in eodem loco commorari poſſint quindecim diebus: puellæ verò in ſeparato domicilio, quamuis iiſdem ædibus comprehenſo poſt baptiſmum ſuſceptum ſibi eſſe, & ſuſtentari debeant, quouſque nubant, aut clauſtralem vitam eligant.*

Locus huiuſmodi Archiepiſcopali curæ, & cuſtodiæ eſt commiſſus; cum autem Illuſtriſſimus D. Cardinalis Archiepiſcopus maxima diligentia opus eſſe animaduerteret, vt opus hoc ſanctiſſime inſtitutum in dies magis magiſque, & redditibus temporalibus, & ſpirituali diſciplina creſceret, congregationem erexit vnam plurium nobilium virorum, & ciuium Bononienſium quæ viris, & pueris; pariterque alteram matronarum, quæ fœminis & puellis catechumenis & neophytis in eo loco gubernandis præeſſet : iiſque regulas conſtituit, officia diſtribuit, munus vnicuique ſuum præſcripſit, vt hoc ordine, confuſiones impedimenta arcerentur, neque ſolum ipſis catechumenis & neophytis, ſed eorum miniſtris, & rectoribus conſuleretur, quæ ſpiritualem etiam fructum temporali negocio, quod charitatis eſt adiungant. Nos vero, quod in pleriſque congregationibus huiuſmodi præſtitimus, non regulas ipſas integras afferemus, ſed earum ſummarium, ab italico ſermone, vt plurima alia deſumptum, ex quo ſufficiat operis huius qualitatem, & regimen agnoſcere.

Summa-

Summarium regularum congregationis Catechumeni.

De numero officialium.

ETSI loci huius adminiſtrationis præcipua cura penes Illuſtriſſimum D. Cardinalem Archiepiſcopum, eiuſque pro tempore ſucceſſores eſſe debet, qui ſibi reſeruat facultatem conſtitutiones, ſeu regulas, ordineſque innouandi, immutandi, aut etiam penitus delendi, miniſtros eligendi, aut amouendi, aliaque omnia deliberandi, prout recto eiuſdem loci regimini expedire magis exiſtimabit: tamen cum indigeat eius Illuſtriſſima Amplitudo in hac adminiſtratione pluribus inſtrumentis ad illam recte gerendam, non ſolum miniſtris ipſius loci. ſed etiam alijs pijs viris & matronis, qui miniſtrorum operæ præſint, diligenter omnia perſerutentur, & ad Illuſtriſſimã Amplitudinem ſuam quæcunq; prouiſionem requirere viderint referant, & in conſultationem etiam admittãtur, Ideo huiuſmodi piorum hominum, & matronarum congregationi decreuit, quò rectius omnia ſeſe habeant, vt qui ſequuntur officiales conſtituantur.

Inſtructor vnus.	*Scriba vnus.*
Prior vnus.	*Rattocinator vnus.*
Subprior vnus.	*Reuiſor operum unus.*
Syndici duo.	*Cuſtodes domus duo.*
Viſitatores duo.	

De munere inſtructoris, eiuſque electione.

INſtructor eligatur, qui eccleſiaſticã diſciplinam profiteatur, Sacerdos Theologus, ſiue ſit ille ſecularis, ſiue regularis, dummodo ſit ſententia omnium ſodalium congregationis admiſſus, & Illuſtriſſimi D. Cardinalis Archiepiſcopi auctoritate ad hoc munus electus, atque approbatus. debet enim is catechumenos, quod ipſa vox ſonat viua voce inſtruere, & fidei Chriſtianæ omnia fundamenta, & quæcunque alia ad ſalutem ſunt neceſſaria diſtincte, & clarè commonſtrare; quòd ſi vnus tantum, ob catechumenorum numerum, huic labori ferendo ſatis eſſe non poterit, eligat duos, tres, aut quatuor ſocios, qui tamẽ prout neceſſitas poſtulabit, ab Illuſtriſſ. D. Archiepiſcopo, ad hoc negocium pertractandum prius idonei exiſtimentur, atque approbentur.

In catechumeno inſtruendo minus quadraginta dierum ſpacio non abſumat quicunque inſtructoris hoc munere perſungetur; quo elapſo tempore ſtatim is ſe ad Illuſtriſſ. D. Archiepiſc. conferet, & legitimo teſtimonio, per notarium in tabulas relato, fidem faciet catechumenum idoneum eſſe, qui Baptiſmi ſacro fonte in ſinum eccleſiæ recipiatur.

Eiuſdem inſtructoris munus erit, catechumenum ſociare ad ſacrum Baptiſmum recipiendum, & poſtquam baptizatus fuerit, illum ſæpius viſitare, interrogare de rebus ad fidem & Chriſtianã doctrinam pertinentibus, in ipſa eundem magis magiſque roborare, ad diuina officia frequentanda, aliaſque ſpirituales exercitationes proſequendas inflammare.

Curabit denique idem inſtructor, vt baptizati catechumeni, ſiue neophyti peccata ſua ſæpe confiteantur approbatis Sacerdotibus, quos illis ipſe aſſignabit, admonita, & conſentiente congregatione, inuigilabitque vt eorũdem confeſſariorum fidem confeſſionis, & communionis adminiſtratæ neophytis, eorum vnuſquiſque ad ſe deferat; neque ante ab hoc inſtructor officio deſiſtet, quam neophyti ſacramẽtum etiam confirmationis ſumpſerint.

De electione Prioris, eiuſque munere.

ELigetur vnus ex numero ſodalium huius congregationis vir prudens & probus, & adminiſtrandarum rerum huiuſ-

huiuſmodi peritus, quæ electio, vt cęterorum omnium officialium, fiet ſuffragijs ſecretis ea ratione, quam ſodalitates omnes adhibere ſolent, videlicet per fabas nigras, & albas: hic Prior appellabitur.

Eius officium durabit ab ipſis kalendis Ianuarij, vſque ad kalendas Iulij excluſiue: ita vt electio huiuſmodi fiat bis quolibet anno, duratura ſex menſium ſpatio.

Ad ipſum ſpectabit hæc quę ſequuntur cum conſenſu, conſilio, & auctoritate Illuſtriſſimi D. Cardinalis Archiepiſcopi, pro recto regimine huius pij loci curare, & perficere.

Tanquam is qui in ſpecula eſt, & primum locum in congregatione obtinet, animaduertere debebit, vt ceteri officiales congregationis & miniſtri domus Catechumeni, ſuam ſinguli operam diligenter exhibeant.

Neminem in domum Catechumeni, cuiuſuis generis infidelem admittet, niſi prius nouerit eius anteactæ vitæ mores: certiorque factus fuerit, atque ipſe etiam, quoad eius fieri poteſt, compererit ſperandum eſſe, illum qui admitti poſtulat, vero deſiderio ſalutis inflammatum iri, non autem neceſſitate victus, aut aliarum rerum terrenarum cupiditate principaliter allectum eſſe.

Id quod licet probatum illi ſit, prius quàm in Catechumeno locum ipſi aſſignet, Illuſtriſſimum D. Cardinalem Archiepiſcopum de omnibus commonefaciat, ab eoque quid ſibi tunc agendum erit accipiat: & catechumeni antequam admittãtur ore proprio ab eius Illuſtriſſima Amplitudine baptizari, & benedici petant.

His ita præmiſſis catechumenos admittet, & cuſtodibus & miniſtris commendabit, præſertim verò ęos Inſtructori conſignabit, curabitque ne quis eorũ ſine eiuſdem Inſtructoris licentia domo alicuius negocij cauſa diſcedat: neque vnquam etiam licentia obtenta ſolus per vrbem eat, niſi eo ſocio adiuncto quem ipſe Inſtructor perſcribet; Nec cum quouis indifferenter agat, loquatur, aut ſcribat literas alijs infidelibus, quamuis ipſi eſſent parẽtes, aut fratres, ſiue alij ipſius affines.

Curabit præcipue, vt ſtatim atque admiſſi ſunt (neque ante admittantur niſi prius id polliciti fuerint) omnes ſectæ illius, quam ſequuti ſunt, falſos ritus dimittant, veluti de ieiuniis obſeruandis, precibus effundendis, alijſque eiuſmodi.

Ad Priorem etiam pertinebit conſenſu prius congregationis obtento, vt ſi catechumenus ita inops erit, vt veſtes ſibi comparare non poſsit cum baptiſmum eſt ſuſcepturus, ex redditibus ipſius domus, vel ex eleemoſynis veſtes huiuſmodi ex panno albo, non magni quidem precij comparentur.

Item perficere Prior debebit, vt baptiſmi catechumenorum dies per ſchedulas in vrbe varijs locis affixas diuulgetur, & à concionatoribus ſacris etiam enuncietur: vt eleemoſynæ à pijs fidelibus faciliùs, & affluentiùs colligi poſſint, & baptizandi à confraternitatibus ſpiritualibus laycorum nonnullis, quas Illuſtriſsimus Archiepiſcopus deſtinabit ad baptiſmum deducantur, ſi ſint mares: si verò fœminæ à nobilibus matronis pluribus aſſocientur, vnà cum omnibus neophytis, qui in hoc pio loco tũc temporis erunt.

Eleemoſynas verò collectas hanc ob cauſam, aliaſque omnes deponet Prior in Monte Pietatis, vt ipſis iuuari poſsint illi, quorum baptiſmi occaſione ſunt collectæ.

Similiter totius pecuniæ ſumma, quæ nõ ſolum ab huiuſmodi occaſione, aliiſque piorum fidelium eleemoſynis conflatur: ſed etiam cuiuſcunque arte atque induſtria, vel ab ipſis operibus mulierum catechumenarum, ſiue neophytarũ elicitur, ſiue nendo, ſiue conſuendo, ſiue rexẽdo, aliiſque huiuſmodi muliebribus negociis, ſit Prior diligens aſſeruator & cuſtos, eamque omnem poſtquam opera vendita erunt, in Monte pietatis pariter collocet, vt cum earum aliqua nubet, aut in monialium clauſtris Chriſti ſponſa fiet: eadem pecunia eiuſdem puellæ

vel

vel mulieris, quæ eam honeſtiſſimo lucro acquiſiuit, tribuatur.

Prior item toto tempore ſuæ adminiſtrationis curam geret omnium bonorũ mobilium,& immobilium domus Catechumeni;redditus exiget, expenſis præerit, vt omnia perficiantur cum incremento potius reddituum, quàm aliquo quamuis exiguo detrimento: atque iccirco rationes dati, & accepti in libros referri diligentiſſime curabit: vt elapſo ſuæ adminiſtrationis termino,omnia à Syndicis accurate examinari poſſint,& loci vtilitati, vt par eſt, omni ex parte proſpiciatur.

Demum ſingulis annis,menſe Nouẽbri die. 5. niſi dominica ſit dies,ſin verò ſequenti poſt dominicam die, curabit Prior vt celebretur anniuerſarium, pro defunctis ſodalibus huius congregationis, & benefactoribus loci Catechumeni, necnon pro ipſis neophytis defunctis:eamque eccleſiam ad hoc peragendum adhibebit, quæ illi ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo deputabitur.

De ſubpriore, ſeu Prioris vices gerente.

HIc ſocius erit Prioris, manumque illi porriget, in onere regiminis perferendo: eligeturque eodem tempore quo Prior eligitur, eademque ratione ex numero ſodalium cõgregationis; animaduertendum tamen eſt, vt in electione tam Prioris, quàm eius vicesgerentis, vnus eorum ſaltem ſemel vices prioris geſſerit, aut prior fuerit, vt magis inſtructus res Catechumeni rectè procurare poſſit.

Ad hunc pertinebit præterea cum prior abeſt, Congregationes indicere, ipſis intereſſe, & alia omnia facere, quæ prior ſi adeſſet faceret, quæque omnia in ſuperiori capite ſunt paucis relata.

De Viſitatoribus.

HOrum munus pariter ad ſex menſes durabit,eodem tempore & modo vt ſupradictum eſt, eligentur. ita vt ſaltem eorum alter hoc officio ſit jam aliàs perſunctus: & neceſſitates omnes ſi quæ occurrent,& alia ad locum Catechumeni pertinentia rectè percepta habeat. Quid illis agendum ſit, ipſum nomen indicat, nam diligenter & frequenter locum viſitare debent,Priorem iuuare, progreſſus in via Domini rectè inſpicere, miniſtrorum operæ inuigilare, ne quis negligentia, aut malitia ductus, loco damnum afferat: atque omnia ſumma charitate adnotata, Illuſtriſſimo D. Cardinali Archiepiſcopo renunciare: deque ijs in ipſa congregatione, ſi oportuerit,agere: vt conſtitutiones ſeruentur tam à miniſtris loci, quàm à deputatis officialibus Congregationis.

Curabunt item, vt cum nubenda aliqua ex neophytis erit,ipſi de mariti vita & moribus diligentiſſime inquirant,atque dos eiſdem puellis tribuenda tuto in loco collocetur: cumque caſus accidat alicuius dotis recuperandæ, ipſi in hoc incumbant, vt vel puellæ dotatæ, vel ipſi loco pio vbi dotem acquiſiuit vtilitati applicetur.

De Scriba.

EX congregationis arbitrio Scribæ munus duraturum eſt; non minus tamen,quàm ad ſex menſes; is eligatur ſuffragijs maioris partis ſodalium,ſitque vir integer,& peritus, rabellio ſiue notarius. is omnibus negocijs congregationis intererit, inſtrumenta eiuſdem omnia conficiet, eaque præſertim quæ ad dotes pertinebunt, quæ puellis neophytis diſtribuentur: quæ omnia,aliaſq; ſcripturas gratis conficiet, nihilque amplius ob ſuos labores quæret, quàm annuam mercedem,quæ illi à cõgregatione aſſignabitur. Apud eum erit liber in quem referentur copiæ omnium præcipuarum ſcripturarum ad Catechumeni

locum

locum pertinentium, vnà cum earūdem indice, vt ad manus eſſe poſſint. nam originalia ipſa aſſeruabūtur ſeparatim in Archiuio ad id deputato, quod duabus clauibus cuſtodietur: quarum alteram prior habebit, alteram ipſe scriba: neque aliqua ſcriptura ex eo vnquam quouis prætextu, aut occaſione amoueri, aut extrahi poſsit, niſi cum conſenſu, & particulari decreto totius congregationis: alioquin qui ſecus fecerit, pœnā incurret priuationis officij, aliaſque arbitrio Illuſtriſſ. D. Archiep. reſeruatas.

Præterea idem Scriba inuentarium cōficiet omnium bonorum mobilium & immobilium domus Catechumeni, terminorum, confinium, cenſuum, redditimm, inſtrumentorum, contractuum, teſtamentorum: adnotatis die, menſe, & anno quo confecta ſunt, ipſoque notarij nomine. cuius inuentarij copiam in Archiuio aſſeruabit.

Item in ſeparato libro deſcribet nomina & cognomina ſodalium huius congregationis, tam marium, quàm fœminarum. nec non in alio libro deſcribet pariter nomina Hebræorum, ſiue aliorū infidelium, qui in Catechumenū in dies recipientur, qui baptizabuntur, & ab eo dimittentur vtriuſque ſexus: notata præſertim sēper cauſa, & rōne dimiſſionis.

De Ratiocinatore.

HIc eligatur à congregatione ad libitum, vt dati & accepti rationes diligenter, & fideliter ſcribat in libris, quos apud ſe habebit Prior. cuius officij tempore elapſo Ratiocinator idem vnà cum Syndicis rationes omnes pariter ſubducet expenſarum domus Catechumeni, & reddituum illius temporis, quo Prior officio ſuo perfunctus eſt: de quibus omnibus congregationem ſtatim certiorem faciet, vt ab ea admonitus Illuſtriſsimus Cardinalis Archiepiſcopus iubeat, quid ſit agendum.

De Syndicis.

SYndici duo eligentur à congregatione duobus quibuſq; menſibus viri graues, & integri, qui expenſarum & reddituum eius temporis, quo ſyndici erunt, vnà cum ratiocinatore, cui præerunt, rationem diligentem habeant: in qua ſubducēda, ſi quid non neceſſarium domui Catechumeni emptū eſſe à priore repererint, expenſam hanc non domui, ſed ipſi priori adſcribant.

De Reuiſore operum.

ELigatur vir peritus maturæ ætatis, ex ordine artificum, qui reuiſor ſit operum, quæ catechumenæ, & neophytæ, præſertim verò puellæ perficere ſolent quotidie: vt ocium hac ratione fugiant & aliquid honeſtè lucrētur, quod in ſuum vſum pro dimidio conuertatur, cum à domo catechumeni dimittentur. quare huiuſmodi reuiſor noſſe debet mercatores, & pretia, vt facilè iuſta pecunia ex huiusmodi operum venditione extrahatur. ſingulis hebdomadis ſemel ſaltem reuiſor hic vnà cum Prioriſſa congregationis mulierum, opera perſcrutari debebit, vt ſciat ipſorū qualitatem, & quantitatem; librumque ſeparatum habebit, in quo deſcribat vniuſcuiuſq; catechumenæ, & neophytæ opera vendita, precium, diem, menſem & annum quo illa vendidit. pecuniam verò receptam ſtatim atque vendiderit, priori conſignabit, qui illam in monte pietatis collocet, & ab illo fidem acceptæ pecuniæ habere curabit. huiuſmodi reuiſoris officium ad annum vnum, aut alterum durare poterit ex arbitrio Illuſtr. D. Cardinalis Archiepiſcopi: eique à congregatione, aliqua honeſta merces annua conſtituetur, niſi ipſe propria charitate ductus, hoc officio fungi vellet.

De cuſtodibus domus Catechumeni.

CVſtodes duo pro domo Catechumeni à congregatione eligentur, grauioris ætatis, mas & fœmina, & ſi fieri poteſt coniugati, aut alio affinitatis arcto vinculo coniuncti, bonæ vitæ, & famæ, qui cathecumeni domum cuſtodiant, & guber-

gubernẽr: ita vt vir qui cuſtos eſt, mariũ tantummodo: fœmina verò mulierũ, ſeu puellarum curam gerat; caueatq. ne fœminæ catechumenæ, ſeu neophytæ extra illam partẽ domus, quę ipſis aſſignata eſt vagentur: aut cum maribus quamuis honeſte verſentur, aut colloquantur, aut per feneſtras inuicẽ aſpici poſſint. hi cuſtodes victum quotidianum catechumenis, & neophytis miniſtrabũt, qui ſibi à congregatione aſſignabitur: eos ædificare ſtudebunt non minus verbis, quàm exemplo honeſtæ vitæ, deuotionis, aliiſque charitatis Chriſtianæ officiis. Animaduertent, ne quis flagirioſus vir, aut fœmina minus honeſta, apud domũ Catechumeni habitet: quod ſi acciderit, atque in omnibus pariter rebus, quæ in dies euenire poterũt, ac aliquo remedio indigebũt, Priorem, & Prioriſſam admonebunt, quibus tanquã ſuperioribus ſuis obedient. Huiuſmodi cuſtodibus annua merces, ceteraq. ad victum neceſſaria à congregatione conſtituentur.

Animaduertenda generatim à toto congregationis Catechumeni corpore.

Circa Baptismum puerorum.

PVeri paruuli, qui nondum rationis vſum habent, neque de rebus ad fidem ſpectantibus inſtrui poſſunt, ad baptiſmum deducti ab ipſis parentibus, vt baptizentur: nequaquã expectandum eſt tempus, quo parentes catechumeni baptiſmum ſuſcipient, ſed ſtatim nulla alia legitima cauſa obſtãte à cõgregatione examinãda & probãda, baptizari debẽt.

Huiuſmodi pueri vt plurimũ in domo Catechumeni detinebuntur, atque educabuntur: vbi aſſidue doctrinã Chriſtianam edocebuntur, alicuiq; arti vel etiã literariæ exercitationi vacabunt, prout vniuſcuiuſq; propenſio, captuſq; erit; & ſaltem legere, & ſcribere diſcent, quouſque ipſis à cõgregatione alio modo proſpiciatur, niſi tales eſſent eorum parentes, vt ipſis illos reſtitui poſſe congregatio iudicaret.

Infantes lactentes cõſignentur extra domum catechumeni mulieribus Chriſtianis, quæ illos educent, quouſque idoneæ ætatis ſint, vt in domum catechumeni recipiantur: ætas verò idonea erit, cũ ſine mulierum particulari cura, in eadem domo gubernari poterunt.

Circa Neophytos adultos

POſtquam catechumeni, qui decimũ quintum ætatis annum excedunt, ſacrum baptiſmum receperunt, non dimittentur ſtatim, ſed ad catechumenum reuertẽtur, vbi albis veſtibus induti, quindecim inſuper diebus victum habebũt: quibus elapſis, cõſignata ipſis eleemoſyna, quã baptiſmi tempore conſecuti ſunt dimittentur, vt eorũ vnuſquiſq; in ſudore multus ſui veſcatur pane ſuo; nõ enim decet vt congregatio illis ocioſe viuendi, peracto eorum negocio, in domo illa pia occaſionem præbeat. Adiuuabit tamen ipſa eoſdem, vt laborandi occaſionem aliquam habeant, qua victum ſibi comparare poſſint.

Quòd ſi in aliquam neceſſitatem incidant, congregatio à viſitatoribus admonita, illis eleemoſynas elargiri non prætermittet: cuius auxiliũ ſi neophyti quocumque caſu exoptant, admoneantur vt quamuis à Catechumeno dimiſſi ſint, curent tamẽ ne vllum cũ hebræis, aut alijs infidelibus, vel verbis, vel per literas cõmercium habeant, niſi expreſſam licentiam ab ipſa cõgregatione obtinuerint: quòd ſi quis aliter fecerit, congregatio à Viſitatoribus certior facta, non ſolum ipſum conſuetis, aut alijs ſubſidijs priuabit, ſed etiam ad Illuſtriſſimi D. Cardin. Archiepiſcopi tribunal delatus alijs pœnis mulctabitur.

Circa Neophytos qui Baptiſmum extra vrbem Bononiæ ſuſceperunt.

NVllus neophytus, aut neophyta, qui Baptiſmum extra vrbẽ Bononiæ ſuſcepit, in domũ catechumeni admittatur, niſi ob vrgentiſſimam cauſam, atque id expreſsè mãdante Illuſtriſſ. D. Card. Archiepiſcopo: ſed aliquo neceſſi-

Digitized by Google

tatis caſu imminĕte, congregatio illi aliquam eleemoſynam eroget ex arbitrio Prioris, aut Viſitatorum.

Circa puellas Neophytas.

CVret congregatio, vt puellæ neophytæ ſiue adhuc ſint in loco catechumeni, ſiue apud pias matronas ſub regimine congregationis viuăt, diutius quàm par eſt, & honeſtatis periculŭ pariitur, eo modo non detineantur: ſed vel Deo in clauſtris monialium ſi dedicent, aut nubant: prout earum deſideria, & vocationes eſſe cognoſcet congregatio.

Caueat verò ne vlla neophyta extra catechumenum alijs neophytis cuſtodienda tradatur: ſed ijs perſonis, quæ nŏ ſolum piæ ſint, ſed chriſtianis parentibus oriundæ.

Circa dotem puellarum Neophytarum.

DOs cuiuſcumque puellæ neophytæ, quæ propria bona non habeat, erit integra eleemoſyna, quæ baptiſmi eiuſdem tĕpore collecta in Monte pietatis aſſeruatur: & dimidia pars totius lucri, quod ipſa ex ſuis operibus in catechumeno receperit: & præterea lir. 300. bonorŭ; quæ pecuniæ ſumma ipſi à domo Catechumeni aſſignabitur, iunctis alijs centum lir. quæ in bonis mobilibus ipſi pariter à domo Cathecumeni aſſignandis tribuentur. Quă dotĕ ab eadĕ domo conſequĕtur illæ neophytæ omnes, cuius mores, & diſciplina dŭ in Catechumeno fuit, illa ipſa dignam eſſe indicabunt.

Huiuſmodi verò pecuniæ ſummæ ſiue dotis, ſiue bonorum mobilium nomine, aut ipſa neophyta nubat in Ciuitate Bonon. aut alibi: nequaquam ſoluentur, niſi futurus neophytæ maritus, prius quàm illas accipiat, idoneam cautionem præſtiterit à cŏgregatione probandam, & à ſcriba congregationis accipiendam, & per publicum inſtrumentum firmandam: vt ſi caſus veniat, quo ipſæ pecuniæ reſtitui debeant, ſine vlla difficultate, & mora reſtituantur neophytæ nuptæ, aut ipſi domui Catechumeni, ſi neophyta moriatur abſque filijs legitimis & naturalibus ad præſcriptum ſtatutorum Bononiæ; aut impudicitiă meretriciam ſequeretur etiam viuente marito: quo caſu, niſi maritus tali probro conſentierit, apud eum dos erit, donec matrimonium durabit: poſt quod eadĕ pecuniæ ad domum Catechumeni ſpectare debebunt; ad quam pariter deuoluentur, ſi conſtet maritum meretrici vxori aſſentiri.

Circa alienationes bonorum Domus Catechumeni.

VT bona immobilia domus Catechumeni cŏſeruentur, prohibĕtur omnino cuiuſuis generis alienationes eorundĕ bonorŭ ſine legitima cauſa, aut niſi grauiſſima neceſſitas vrgeat faciĕdę quo etiă caſu ſi ad alienationĕ aliquă veniendum erit, id fieri nŏ poſſit, niſi re ipſa in congregatione propoſita, & diligenter examinata coră Illuſtriſſ. D. Car. Archiep. à quo de ratione adhibĕda cŏſulto ſummo Pŏt. deliberabitur, & quid agendum ſit ad maiorĕ vtilitatĕ domus Catechumeni pręcipietur: alioquin quęcumque alienatio irrita, & nulla ipſo facto cenſeatur.

Circa locationes bonorum Catechumeni.

CAuetur ne vlla locatio bonorŭ immobiliŭ Catechumeni fiat cuiquă ex officialibus congregationis, aut eius affinibus & propinquis.

Neque locationes aliis legitimè factæ ad longius tempus durare poſſint, quàm trium annorum: vt omnis occaſio auferatur, hoc ſanctum opus aliqua ex parte aliquo dăno, aut iactura afficiĕdi.

De congregatione mulierum Catechumeni.

CVm ſuperius dictŭ ſit, ad mulieres pias, quarŭ cŏgregatio pariter atque hominŭ ab Illuſt. Archiep. inſtituta eſt, regimen loci catechumeni, hoc eſt catechumenarŭ, & neophytarum pertinere: ipſis etiă ſuæ regulę cŏſtitutæ ſunt, quæ in omnibus, ex præmiſſis de congregatione virorum pendĕt, tam quoad officialium nomina, quàm quoad munera in catechumenis, & neophytis inſtruĕdis, & gu-

& gubernandis: quæ tamen omnia ſęper ad virorũ congreg. per viſitatores, ab huiuſmodi piis matronis percepta referuntur; cuius eſt ex Illuſtriſſ. Arch. auctoritate, quę ſupra dicta ſunt, aliaq. prout caſus contingunt, & eius Illuſtriſſ. Amp. iuber, diligētiſſimè animaduertere, & perficienda curare. & religioni, caſtitati, ac deuotioni catechumenorum in omnibus aſſiduè inuigilare.

DE CONGREGATIONE INFIRMARIORVM,

COLLECTOR.

CVM Illuſtriſsimus D. Cardinalis Archiepiſ. pauperes Bononiæ in tria genera diſtribui animaduertet, hoc eſt eorum qui verecundi vocantur, qui ex ordine nobilium in paupertatem inciderunt, atque his ſodalitas priſcis vſque temporibus inſtituta proſpicit: tum eorum qui mendicantes dicuntur, nempe qui oſtiatim eleemoſynas quæritabant: quorum curam ex auctoritate eiuſdem Illuſtriſsimi Card. Archiepiſcopi ampliſsima ſodalitas sancti Gregorij mendicantium ſuſcepit; quo loco omnes huius generis pauperes vtriuſque ſexus colliguntur, neque per ciuitatem vagari permittuntur: denique eorum qui ſunt medij inter vtrumque hoc pauperum genus, qui vel ob temporum calamitates, vel ob alias cauſas multiplices miſeratione dignas, in ipſis domibus maxima inopia premi reperiebantur; his inquam, quibus ſodalitatum nulla ſubueniebat, quæ ex proprio inſtituto alia opera pia amplectebantur, paſtoralis ſolicitudinis ſtudio omni conatu conſulendum eſſe ſtatuit Amp. S. Illuſtriſsima.

Quare plurium nobilium virorum, & egregiorum ciuium congregationem inſtituit, eamque appellari voluit nomine Infirmariorum, quæ eo præſertim dirigetur, vt iuuentur pauperes, qui in huius tertij generis ærumnis verſantur: qui cum habeant filios paruulos, vel puellas adultas, vel ſenes decrepitos, infirmos, difficile domos deſerere poſſunt, vt alia ratione ſibi victũ compararent: ita vt in ipſis domibus languere cogantur, & ægritudinibus etiam contabeſcere.

Hi verò ſodales ab Illuſtriſsimo Card. Archiepiſcopo ſelecti ad pietatis opera propensiſsimi nullis ſtimulis indiguerunt, vt hoc eximiæ charitatis officium ex animo amplecterentur. eorum verò munus eſt, huiuſmodi infirmos, alioſque inopes domi commorantes viſitare, eiſq. eleemoſynas, quas colligere ſatagunt, impartiri. Cuius quidem eleemoſynæ erogandæ & colligendæ non ſolum ipſe Archiepiſcopus fuit auctor, atque hortator, & annuos quoſdam redditus eam ob cauſam, huic congregationi aſsignauit: ſed etiam cum operis huius inſtitutionem Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo D. Cardinali Montalto Bononiæ Legato digniſsimo ſignificaſſet, ipſe quoque dum legationis ſuæ munere illo perfungeretur ſponte, quæ ipſius fuit inſignis benignitas, eidem congregationi annuum cenſum attribuit.

Hæc nos altius repetita deſcripſimus, quia cum noua ſit huius congregationis inſtitutio, operæ pretiũ videbatur, vt de ea, quæ Domino iuuante fructus vberrimos parit, & paritura eſt, tam ſpiritus, quàm corporis ſalutis, latiùs lector inſtrueretur. Porrò ipſe Illuſtr. Archiep. regulis eidem cõſtituit, quibus recte dirigatur: quarum tamen nos, ut breuiores ſimus, neque ſuperfluamus, hic tantummodo ſummarium præcipuorum capitum afferemus, ex quibus reliqua coniici, atque ſatis intelligi poterunt.

SVMMARIVM præcipuorum capitum ſtatutorum congregationis Infirmariorũ.

1. QVi cõgregationi Infirmariorum adſcribetur, in ea ætate erit conſtitutus, quæ ab Illuſtriſ. D. Car. Archiep. idonea probabitur, vitæ integritati, morũ diſciplinæ, deuotioni, aliiſq; Chriſtianis virtutibus deditus, atq; probatus. Quæ omnia antequam adſcribatur, diligenter inueſtigabuntur. Congregatio verò, omnibus rectè cognitis illum ſolito ſuffragiorum more admittet; nomenque ipſius à congregationis ſecretario ſtatim in tabellam referetur.

2. Officiales erũt pręcipui, Prior vnus, Viſitatores octo, & Secretarius

 vnus;

vnus; ceterum officialium minorum nomina, & munera mutanda, ſiue addenda, ſiue minuenda, cum conſenſu Illuſtriſ. Archiepiſc. arbitrio congregationis relinquuntur: & hi officiales maiores nonniſi præſente Illuſtr. eodem Archiep. aut eius Vicario generali per ſuffragia eligentur.

3 Prioris officium ad ſemeſtre durabit: penes hunc erit congregationis regendæ potior cura.

4 Viſitatorum officium tribuetur viris, qui magis apti eſſe iudicabuntur; ad duos autem mẽſes durabit: & ex congregationis inſtituto, familias egentes ſingulis quarteriis ciuitatis bini diſtributi viſitabunt, & eleemoſynas impertient: neque verò vnquam viſitabunt, niſi bini ſint; quòd ſi eorum alter defuerit, alius ex congregatione ſocius Viſitatori deficienti ſubſtituetur. Iidem infirmorum, & egentium numerum, & cõditionem, & nomina, & eleemoſynæ datæ ſingulis quantitatem à ſecretario congregationis deſcribi curabunt.

5 Secretarius, infirmorum nomina, aliaque vt ſupra à Viſitatoribus renunciata in libro ad id deputato deſcribet. item dati & accepti rationes diligenter adnotabit.

6 Mandata pecunia, quæ in eleemoſynam erogãda eſt, à viſitatoribus non diſtribuetur, niſi ſubſcripſerit ſchedulæ Illuſtriſ. Card. Archiepiſcopus, ſiue eius Vicarius, vnà cũ Oeconomo archiepiſcopali, & congregationis ipſius Priore.

7 Arculæ in templis deſigentur, quarũ clauem vnam Prior congregationis, alteram ſecretarius habebit; neque vnquam, niſi eodem Priore, viſitatoribus, & ſecretario præſentibus, pecunia eleemoſynæ cauſa iniecta, extrahetur.

8 Singulis octo vel ad ſummum quindecim diebus congregabuntur omnes ſodales eum in locum, quem præſcripſerit Illuſtr. D. Card. Archiep. eodem præſente: cui ſignificabunt viſitatores numerum eorũ quos viſitauerint, pecuniæ collatæ quantitatem; aliaq; ad congregationis ſpiritualem fructum, & pii operis, quod ipſa tractat incrementum ſpectantia examinabuntur.

DE CONGREGATIONIBVS EXTRAORDINARIIS.

COLLECTOR.

PRAETER eas congregationes, quas huc attulimus, & quæ conſuetæ ſunt Illuſtr. D. Card. Archiep. licet ex ipſis quoque plures omittantur, & nonnulla magis ſingulares hic ſint collocata; ſunt etiam aliæ congregationes, quæ extraordinariæ appellantur, & præter conſuetum habentur, cum occaſio aliqua ſeſe offert, quæ publicæ alicui rei conſuli debeat.

Hæ verò quoniam eò magis neceſſariæ ſunt, quò difficiliores, & repentini caſus, vt plurimũ eueniunt, & præſens remedium expoſcunt; ideo aliis congregationibus, quarum complurium formulas, & rationes iam expoſuimus, hanc etiam adiiciendam eſſe exiſtimauimus.

Atque inter ceteras, quæ nobis huius generis ab Ill. D. Card. Archiepiſcopo ſuo tempore inſtitutis ſe obtulerunt; illa fuit, quam cum peſtis late per plures Italiæ ciuitates ſe diffunderet anno Domini 1576. & Bononia, ab infectis populis quodammodo circumdata, in maximo diſcrimine verſaretur, idem Illuſtr. Archiep. maxima ciuitatis, & diœceſis ſpirituali, & tẽporali vtilitate & cõmodo, paterna in ſuos filios dilectione, & ſolicitudine ductus erexit, & exercuit.

Ab hac autem congregatione plurima remedia emanarunt Illuſtriſ. Archiep. vigilanti excogitata, & præcepta; verùm nos, vt morem noſtrum proſequamur, & ne eadem repetantur, ſi aliter res non ſuadeat, quoad eius fieri poteſt, ſtudeamus: hic exempla tantũmodo pauca quædam huiuſmodi Paſtoralium prouiſionum collocabimus: ex quibus tanquam à fonte, riuuli deduci poterunt, ad reliqua, quæ omittuntur percipienda.

Cum

Cum autem his caſibus non omnes alloqui poſſet coram Illuſtriſ. Archiepiſcopus, & quid ipſe ſentiat, populum ſuum tam ciuitatis, quàm diœceſis certiorem facere cuperet, literas paſtorales præmiſit, quas hic adijciemus.

Promulgauit quoque eodem tempore idem Illuſtriſ. Iubilæum plenarium à Gregorio XIII. conceſſum eandem ob cauſam vrgentis peſtilentiæ; cuius promulgationis rationem hic non collocabimus, nam eam in alijs huiuſmodi rebus ſuperiùs ſatis explicauimus.

LITERAE PASTORALES

Illuſtriſſimi & Reuerendiſſ. Cardinalis Palæoti Archiepiſc. Bononiæ Ad populum ſuum in periculo peſtilentiæ.

Gabriel S. R. E. Cardin. &c.

VEreor dilectiſſimi filij, nenon tempus illud aduenerit, quo cum propheta Amos vere nobis liceat dicere. *Leo rugiet, & quis non timebit?* iamdiu magnus Dominus, & terribilis nimis iræ ſuæ furorem in varia Chriſtianorum Regna cœpit effundere: nam modo à finibus terræ irruerunt gentes, quæ Deum ignorant, quærentes animas noſtras: modò ſeditionibus conturbati ſunt populi, & inclinata ſunt Regna: modo hæretici inſidiati ſunt nobis, quaſi leo in ſpelūca ſua: interdum ciuitates vidimus eſuriētes & ſitientes, ac frugum inopia laborantes: quandoque etiam terram commotam eſſe, & magno cum hominum terrore contremuiſſe ſcimus. Nunc verò deinum teterrimus quoque peſtilentiæ morbus varia in Italia, atque extra Italiam oppida ſic inuaſit, tranſiens de gente in gentem, & de Regno ad populum alterum: vt magno noſtro cum dolore faciem eorum iam prope deformatam, & facta ea eſſe loca horroris, & vaſtæ ſolitudinis audiamus. Quamobrem cum ex grauibus aliorum, & præſertim vicinorum noſtrorum vulneribus iram diuinam in dies ingraueſcere: atque Angelum eius percutientē in manu potenti, & brachio excelſo huc, atque illuc cōcurſare ſtricto gladio videamus; quid eſt cur non merito extimeſcendum ſit nobis, hæc adeo clara & formidabilia exēpla intuentibus, ne accedat quoque ad nos malum, & flagellum appropinquet tabernaculo noſtro?

Quemadmodum igitur cum intonuit de cælo Dominus, & illuxerunt fulgura, & coruſcationes eius, paratque terræ pluuiam, prudentes homines repente cogitare de parandis ſibi aduerſus impendentem tempeſtatem ſubſidiis ſolent; ſic nos cum Epidimiæ contagionē late ſerpere, & iamiam agris, tectisq; noſtris prope adeo accedere cernamus, vt vere illud vſurpare poſſimus, *Arcum ſuum tetendit Dominus, & parauit illum: & in eo parauit vaſa mortis*; profecto non eſt cur longiorem quærendis remedijs moram interponamus, monente ſcriptura, *ante languorem adhibe medicinam*. imò verò res ipſa cogit, vt primo quoq; tèmpore omnia conſilii, ac diligentiæ noſtræ auxilia expediamus: nam vt ait propheta. *Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus*. Igitur vt ſolertes medici, cum ſcite alicui occurrere ægritudini volunt, primùm cauſas eius inquirūt, atque ipſas peccantium humorum, & facili corruptioni obnoxiorum qualitates indagant; ſic nos in his malis, quibus à diuina potentia premimur, primùm eorum principia perſcrutemur, deinde animum ad opportuna conquirenda remedia conferamus.

Ceterum cum omnis hic mundus eximia ſummi Dei Domini noſtri ſapientia gubernetur: neque ille aliud ſtudeat, quàm vt nos ad gloriam ſuam cæleſtem perducat: ſatis conſtat, diuerſas illum ad hanc rem faciendam ſubinde rationes inire: nam modo præuenit nos in benedictionibus dulcedinis, vt ad gratiam

& dilectionẽ ſui alliciat: modo aſperius ac quodammodo inclementius, quaſi auertens faciem ſuam, nobiſcum agit: vt ſancto ſui timore, ad mandata ſua cuſtodienda, & legem ſuam exquirendam compellat. Vbi verò neutro ſe proficere modo videt, noſque oblitos beneficiorum ſuorum, atque conuerſos in arcum prauum pertinaciter in ſua violanda lege perſiſtere; tunc vltionum Dominus, qui iuſtitiæ ſuæ dexteram infinitæ miſericordiæ ſuæ vult eſſe æqualem, tanquã bellator fortis excitat potentiam ſuam, atque ad remedia extraordinaria, eaque validiora ſe confert: non ſolũ vt nos tanquam ficulneam infructuoſam, quæ fruſtra terram occupat ſuccidat: ſed etiam quòd periculum ſubſit, ne proximos turpitudine vitæ noſtræ inficiamus. Itaque ille, vt reliquum corporis ſui myſtici integrum à tam fœda contagione conſeruet, nos membra putrida ab illo recidere, & radicem noſtram de terra viuentiũ euellere conſtituit, & nouam quaſi hominum ſementem nondum prauo noſtro exemplo cõtaminatam ſerere decernit, quemadmodum ipſe aperte ſe facturum denunciauit dicens. *Si audire nolueris vocem Domini tui, adiunget tibi Dominus peſtilentiam, donec conſumet te de terra: percutiet te egeſtate, febri, ardore, & aſtu, & aere corrupto, ac rubigine, & perſequetur donec pereas*. Neque verò dubium eſt quin adhuc mitiſſime nobiſcũ egerit Dominus, qui hanc Ciuitatem incolimus; nam ſi diligenter bona ab illo nobis data, & quãta fecit animæ noſtræ conſideremus: ille vrbem diuitiis locupletauit, pulcherrimis ædificijs exornauit: ille numerũ artium auxit, ſcientias illuſtrauit: ille bella propulſauit, ille deniq; ſummum etiã Eccleſiæ ſuæ Paſtorem ex noſtro corpore excepit, qui poſt eximia in Chriſtianam Rempublicam merita, ampliſſimum demum theſaurum cæleſtium gratiarũ aperuit, & vniuerſale Chriſtiano orbi Iubilæum conceſſit. Quibus beneficiis acceptis, quid tandẽ non à nobis expectari par erat, innocentiæ, pietatis, pudoris, ſanctitatis, religionis, omniſq; virtutis, in quod reliquę Europę ciuitates intuerentur, exemplum? cum ſcriptum ſit. *Cui multum donatum eſt, multum quæretur ab eo.*

Verumtamen ſi dicere liceat, quamquam nonnulla vos aliquando non contemnendę religionis documenta dediſtis; neq; abnui poteſt, quin multi adhuc in Eccleſijs benedicere Domino, ſacroſancta eius myſteria celebrare, & ſpiritualia obire opera perſeuerent, quos repleat Dominus cæleſti rore benedictionis ſuæ; dubitandum eſt tamen etiam atque etiam, ne in multorum pectoribus nondum ignis ille ſancti eius amoris ſit accenſus, qui in tantis Dei beneficiis poſcebatur: cũ in eis nulla neque vitę emẽdatio, neque morum, ac diſciplinæ eluceat immutatio. Quid enim? nonne diebus feſtis, quos mater Eccleſia, vt ſoli Deo uacemus, & confiteamur nomini eius ſancto præcipuè inſtituit, adhuc multorum ædes, ludis, cætibus, & inanibus colloquiis patent: iiſdem etiam horis, quibus ab Eccleſia ad celebrandam, & recolẽdam ſanctam ipſius miſericordiã inuitamur? nonne otioſæ ac lentę decurſiones, & profana ſpectacula in iiſdem ſolemnitatibus obeuntur? nonne multi in ædibus ſacris non proponentes ſibi Deum ante conſpectum ſuum, imò verò omni abiecta verecundia illius tremẽdæ maieſtatis, nugis ferendis, & curioſa indagando, indignioraque alia moliendo, cum magno bonorum virorum ſcandalo & offenſione incumbũt? Taceo mulieres, quarum pleraſque conſtat laſciuienti habitu vſque adeo ſibi indulgere, vt multæ adhuc, quod Iſaias grauiter deteſtatur, extẽto collo, & ſuperbo gradu, veſtimenta trahant, lunulas, murenulas, palliola, inaures, gemmas in fronte pendentes gerant, genas mendacio inficiant, & turritum crinem alienorum capillorum molimine ſtruant: & quod grauius eſt, ſe ipſas his compoſitis præſtigiis nec velato, ſed aperto capite, cõtra Apoſtoli præceptum, tales ſe in Eccleſijs ante Dei faciem, & beatorum Angelorum conſpiciendas exhibere nõ erubeſcant.

Quid comeſſationes, impudicitias? quid ſimulacra gentium argentum, & aurum? quid obtrectationes, fraudem, mendacia,

Digitized by Google

dacia, atque alia flagitia dicam, quæ tãquam funes, multorum corda circumplexa ſunt? num hæc vobis grati animi, ac ſancto Dei obſequio dediti argumenta videntur? an totidem potius hoſtium ipſius, quaſi acies, & vexilla ſub Principe tenebrarum explicita? & licet infinita illa prouidentia interim acrē iuſtitiæ ſuæ gladium non recondens, ab infidelibus, & hæreticis pios, & catholicos trucidari, ſacra templa profanari, tot oppida, atque adeo celebria peruaſtari permiſerit, vt his exemplis homines ad officium reuocaret, & in ſalutis viam dirigeret; Nos tamen adhuc ad tantos clamores tamquam ſurdi non audientes, & ad cæleſtis ſolis radios oculos claudentes, nec diuini cõſilii beneficia, aut minas agnoſcentes, quin corda noſtra ſalutaribus illius monitis obſerantes, adiicimus quotidie iniquitatem ſuper iniquitatem.

Quamobrē quid aliud iure poſſumus expectare, ſi lõgius hac ire via pergam*, quàm id quod in Deuteronomio ſcriptũ eſt. *Quoniam non audiuiſti vocem Domini tui, ſicut ante lætatus eſt vobis benefaciens, voſque multiplicans: ſic lætabitur diſperdens vos, atque ſubuertens, vt auferamini de terra*. Aut quod in Leuitico. *Quòd ſi nec ſic volueritis recipere diſciplinam, ſed ambulaueritis ex aduerſo mihi: ego quoque contra vos aduerſus incedam, & percutiam vos ſepties propter peccata veſtra, inducamque ſuper vos gladium meum vltorem fœderis mei: cumque confugeritis in vrbes, mittam peſtilentiam in medio veſtri*. Conuenit, chariſſimi filij, ſupremo excelſi rerum conditoris ſolio, ad cuius nutum cæli columnæ contremiſcunt, vt nos quoque ipſum tamquã Regem Regum, & Dominum dominãtium agnoſcamus, atque aliquando tandem ſentiamus (quod nos facere per tot annos in animum non induximus; vt turpitudines, ſimultates, fœnerationes, obtrectationes, luxus, otia, atque innumerabilia alia peccata à noſtris pectoribus arceremus) ipſum ea poſſe, pro ſumma dexteræ ſuæ potentia, vel exiguo temporis ſpatio radicitus extirpare, peſtilētia præcipue corporis immittenda, quę ſe ſociã animæ peſtilentiæ iungat, quæ ſenſus noſtros tantopere oblectare videtur.

Cauſa huius mali reperta, quæ non aliunde, quàm à noſtris criminibus oritur: haud quaquam operoſum erit, idoneum remedium, ſi illo vti uoluerimus inuenire. Ne igitur longe à re propoſita recedamus, placet, vt prudentiam, ac vigilantiam æmulemur eorum, qui Reipublicæ præſunt: ſic enim veram rationem addiſcemus, qua nos ab animi peſtilentia præſeruemur; quo facto ſimul etiam exteriorem corporis luem euademus. Quemadmodum igitur illi omnibus viribus eò incumbunt, ne qui ſuſpectæ valetudinis homines in vrbem introeant; ac propterea in finibus agri, & ad portas vrbis cuſtodes habēt collocatos, vt corpora à peſtis contagio tueantur; ſic nos omne ſtudium in eo ponere noſtrum debemus, vt oculos noſtros, aures, manus, linguam, ceteroſq; ſenſus cuſtodiamus, per quos tamquam per aditus quoſdã, & portas animi contagiones irrepunt, vel potius irrumpunt. Nihil igitur oculi recipiant quod vanitates hauriat: nihil aures, quod à veritate auditum auertat: nihil manus, quod iniuſtitiam concinnet, quod pauperem rapiat, aut quod ſanguinem innocentem effundat: nihil lingua, quod litis horror inſonet, doloſumue, aut turpe ſit; nihil in alios ſe inſinuet ſenſus, quod quemquã ad aliquod impellere flagitium queat. Quin etiam vt illi neminem admittunt, qui teſſeram valetudinis à Præfectis obſignatam non habeat; ſic vos rogo, filij, ne curas, & cogitationes veſtris pectoribus admittatis, quæ ſymbolũ non habeant ab Eccleſia Romana ſignatum. Et vt illi enixe ſtudent, ne à codicillo adulterino decipiãtur; ſic & vos laboretis, ne ſchedam manu diaboli ſcriptam integræ loco recipiatis. Etenim qui ſimultates animo retinet, ac ſatis eſſe ſi uerbo deponantur exiſtimat, oreq; ſuo benedicens, & corde maledicens, ſe in gratiam cum inimico rediturum pollicetur: verũ ipſum Vrbe exterminari poſcit, ne in oculos ille quandoque ſuos incurrat; profecto à peſtilenti opinione decipitur, quam in animũ intulit peruerſa valetudinis teſſera

à Diabolo,

à diabolo, & mundo ſubſcripta: quæ ab illa longe diuerſa eſt, quam Chriſtus nõ ſolum tadidit dicens, *diligite inimicos ue ſtros, benefacite ÿs, qui oderunt vos*; ſed etiam in Cruce exemplo ſui ſanctiſſimo confirmauit. Eadem ratione qui imaginarijs emptionibus, aut alijs fucatis con tractibus ſorti id, quod non debet accumulat, ſe induci patitur à ſchedula fallaci diaboli dextera ſubſcripta: neque enim congruit cum ea, quæ vere ſcripta eſt, *Mutuum dantes, nihil inde ſperantes*. Et qui illicita à ſe mulierum conſortia non repellit, ſed adhuc in luto libidinis volu tatur, turpitudinem ſuam humanę fragilitatis, aut iuuentutis, aut corporis conſtitutionis nomine velans: ipſe ſe decipi ſinit à ficta pagella, quam interior conſcientia non excuſsit; ſimili modo, qui ſpatia, decurſiones, & congreſſus hominum celebrat, vbi per ſpeciem tempeſtiui ſolatij, & cuiuſdam domeſticæ conſuetudinis ſedẽs, aduerſus fratrem ſuum loquitur: is iuſtam haudquaquam teſſeram prodit, & ſine dubio peſtilentiam in animum infert, vnde diuina iracundia concitata, peſtilentiam illi corporis parit.

Quoniam verò præter ea, quæ extrinſecus admouentur remedia, quædam alia interiora elegantes afferre medici ſolent, vt theriacam, mithridatum, & eiuſmodi alia: propterea oportebit, imò verò neceſſarium erit, vt pro ſingularibus medicamentis, pias orationes, humilem contritionem, frequentes confeſſiones, & ſanctum Euchariſtiæ sacramẽtum adhibeatis. Neque enim ad ſananda peccatorum vulnera, & ad expellenda nefanda ex animis noſtris idola. & ad mitigandam diuinam iram his quicquã poteſt eſſe præſtantius, vt rectè propheta monuit. *Si miſero peſtilentiam in populum meum: conuerſus autem populus meus, ſuper quos inuocatum eſt nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquiſierit faciem meã, & egerit pœnitentiam à viis ſuis peſſimis, ego exaudiam de cælo, & propitius ero peccatis eorum, & ſanabo terram eorum*. His autem in officijs occupati, ſimul illud etiam meminiſſe debetis, vt præcipua Deo vota pro incolumitate omnium faciatis, in primis verò vicinorum noſtrorum, qui tetra lue peſtilentiæ conflictantur: ſic enim non ſolum munere Chriſtiani hominis, quod Deo acceptiſſimũ eſt, perfungemini: ſed facilius etiam ſanctam eius vobis gratiam conciliabitis: qui vt in quoque maximam elucere vim charitatis animaduertit, ita in eum prõptiſſime ſe effundit.

Iam verò ne hoc quidem pręterire ſilẽtio volo, dum mecum, quemadmodum his annis, quibus huic ego gregi præfui, tã multa in oculis meis cõmiſſa piacula ſint reputo: fieri interdum, vt non mediocriter verear, ne hæc mala, mea in primis culpa contracta ſint, quia vt Ezechiel monuit, *Quod abiectum erat non reduxerim, quod confractum non alligauerim, quod infirmum non conſolidauerim, & quod perierat non quæſierim*, neque omnino hoc munus, ea qua decuit Paſtorem vigilantia, & charitate obierim: cum proditum ſit, ſæpenumero populos vitio eorum, qui eis præſunt, in multa mala præcipitari. Quod ſi eſſet, ego qui ſaltem mihi conſcius ſum, me ſcientem à lege non defeciſſe, primum ad Deum me conuertens, dicam cum Dauid. *Ego ſum qui peccaui, & ego inique egi; iſti qui oues ſunt, quid fecerunt? vertatur Domine obſecro manus tua contra me*. Deinde ad vos, qui ad hæc mala efficienda veſtra fortaſſe non leui cupiditate, & culpabili negligentia concurriſtis, dicam partes eſſe veſtras, vt non ſolum ex altiſſimo ſomno ſurgatis, ſed etiam, vt me ipſum in tam graui ferendo onere ſubleuetis, vt in cõmuni periculo auxilia inuicem præbeamus.

Ac præſidium quidem, quod à vobis poſtulo, eſt firmum mutandæ vitæ decretum, ac ſumma animi alacritas ad ea ſtudioſe complectenda, quæ vobis paterno ſtudio pro ſalute veſtra proponam, neq; enim vereor quin Deus vbi veſtrum hoc adeo Chriſtianum propoſitum viderit, vberiorem mihi in dies ſpiritum largiturus ſit ad vos in vijs ipſius dirigendos, & veniam pro vobis, & pro me ipſo ab ipſius infinita miſericordia conſequendam;

dam; ex quo mutatis vitæ noſtræ ſtudijs, & ipſe ſuam aduerſus nos iram, indignationemque conuertet: cum Propheta dicat. *auferte Deos alienos de medio veſtri Baalim, & Aſtaroth, & præparate corda veſtra Domino, & ſeruite ei ſoli, & eruet vos de manu Philiſtijm*. Quòd ſi illa æterna prouidentia præſentiret fortaſſe euĕturum vt nos ſi ab imminenti hoc periculo euaderemus, grauius de integro laberemur, atque ob eam cauſam meritas de nobis in hoc tempore expetere pœnas vellet; optarem maxime, filii chariſſimi, quod S. Gregorius monet, ad repentinū horribilis huius, feraliſque morbi impetum cauendum, *ubi non languor mortem præuenit, ſed ſæpe languoris moras mors præcurrit*, vt nos in primis dum, *flere ante percuſſionē uacat, reuocemus ante oculos mentis, quicquid errando commisimus: & quod nequiter egimus, flendo puniamus, præueniamus faciem Domini in confeſſione*: & ſicut propheta admonet, *Leuemus corda noſtra cum manibus ad Deum*. deinde vt robore Chriſtianæ fortitudinis ſepti, quæ præſentis vitæ conditionem contemnit, atque æternitatem cæleſtem tātummodo intuetur: omnem animaduerſionem erecto animo ſubeamus, quæ à paterna, & iuſta ipſius manu ſuſcipiatur, memores ſcriptum eſſe, quod *quem diligit Dominus caſtigat, & flagellat omnem filium quem recipit*, ſimulque ad officium Chriſtiani hominis ſpectare, vt mortem non in malis, ſed in bonis potius ducat: cum hinc non ad interitum, ſed immortalitatem: non ad damna, ſed præmia: & à corruptione, ad incorruptionem: à laboribus, ad requiem: atque ab exilio, ad cæleſtem patriam perducamur. *Non tangit iuſtos* (ait Sapiĕtia) *tormentum mortis, uiſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace. Spernit Chriſtiana mens* (ait S. Cyprianus) *omnem iniuriam præſĕtium malorum, fiducia futurorum bonorum, cum hinc terrenis cæleſtia paruis magna, caducis æterna ſuccedant. Et hæc* eſt victoria, *quæ uicit mundum fides noſtra*. Horreat mortem, qui ſpem in ſanguine Chriſti effuſo non habet: horreat mortem, qui cælum non ſuſpicit: horreat mortem, qui ſe ad Regnum æternum vocatum eſſe non ſentit. Nos autem Chriſtiani, qui vero fidei lumine illuſtrati ſumus, qui certum cæleſtis hæreditatis pignus habemus & quotidie, *Adueniat Regnum tuum*, oramus: cur pauere, ac trepidare ad mortis mĕtionem debemus, ſi à Deo vocemur, vt bonis ſempiternis afficiamur, atque condonemur, quod ab illo petimus, & quod boni omnes imis ſemper precibus contenderunt? imò magnam erga nos Dei miſericordiam confiteamur, ſi ei libuerit hoc peſtilĕtiæ vulnere nos abripere; exemplo Dauid, cui cum optio eſſet mortis oblata, elegit ille recuſata fame, & gladio, populum ſuum Dei iudicio ſubiici; Ex qua re colligit ſanctus Gregor. in his qui diuina hac percuſſione intereunt, Dei gratiam oſtendit quādo ea vocatione obeunt, quam prophetæ ſancto, pro munere conſtat fuiſſe oblatam.

Quòd ſi in quemcunque certaminis caſum auxilium, aut alacritatem animi aliquam afferre vobis ipſa amantiſſimi paſtoris veſtri præſentia poteſt, iam nūc ego licet neceſſariis fortaſſe præſidiis deſtituendus, polliceor me aſſidue vobiſcū vnà futurum, neque vos vlla ratione propriis facultatibus, vita, precationibus, ſacrificiis, atque ea corporis, & ſpiritus charitate, quam mihi Deus conceſſerit vllo tempore, locouè deſtiturum, dum illi placuerit me his corporis vinculis apud vos retinere. Vtinam autem maieſtati ipſius hanc mihi largiri gratiam libeat, vt quemadmodum ego vobiſcum vixi in terris, ſic vos aliquando reuiſam in cælis, ad fructū ipſum ex cæleſti patria capiendum in ſecula ſeculorum. Amen. Datum Bononiæ in Epiſcopali Palatio die 3. Octobr. M.D.LXXVI.

INDICTIO
orationis habendæ in ciuitate Bononiæ, imminente Peſtis periculo.

ILLA eccleſiaſtici ſententia & cordibus fidelium omnium imprimenda nunc præſertim eſſet, & totis uiribus curandum: ut

qua

quæ ipſe admonet perficerentur, dum inquit, Homo ſapiens in oĩbus metuet, & in diebus delictorũ cauebit ab inertia, *hoc eſt, cũ inſtauerint tẽpora periculoſa, cautiùs, & diligentiùs ſe geret. Etſi enim hæc ciuitas ab omni parte aliarum ciuitatum flagella audire, & inſpicere poteſt, quæ placuit diuina miſericordia ab illa in hunc vſque diem auertere; tamen charitatis officium eſt præcipuum, vt non ſolum nobis ipſi auxilia comparemus, ſed etiam illa alijs quoque fratribus noſtris, quantum in nobis eſt, impertiamus.*

Cum autem vt nos tueamur, non arma ſumenda ſint, non mœnia uallis, foſſiſque muniẽda, non exercitus comparãdi: nam bellum Dei, hoc eſt, cui humanæ vires reſiſtere nequeunt; ideo paterna ſolicitudine ductus Illuſtriſſ. D. Gabriel Card. Palæotus Archiep. noſter Deũ in primis placandum eſſe animaduertens, & ſpiritualia remedia temporalibus præponẽda, id aſſidua, & feruentiſſima oratione præſtari cupit; ipſa enim velut fidelis nuncius, mandatum peragit, & penetrat quò caro non peruenit: ipſa poſita eſt, per quam ira Dei ſuſpẽditur, uenia procuratur, pœna refugitur, & præmiorum largitas impetratur.

Verùm quia, ſi quod præcipit Deus fecerimus, quod petimus obtinebimus: debet enim oratio fulciri operatione, & oratione operatio; idcirco ante omnia hortatur omnes Illuſtriſs. Amplitudo ſua, vt in gratiam Dei per ſacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ redeuntes, in poſterum à peccatis diligentius caueãt: ipſa enim peſtem, aliaque mala in hac vita, & poſt ipſam ſempiterni ignis pariunt cruciatus.

Mandat itaque Illuſtriſſ. amplitudo ſua omnibus, & ſingulis Parochis huius ciuitatis Bononiæ, vt inter miſſarum ſolemnia, populũ ad rectè viuendum vehementer hortari non prætermittant: eique aperiant, qua neceſſitate vrgeamur, vt diuina ira ulcio à nobis auertatur; Poſt Veſperarum autem celebrationem, vnà cum populo ſtatim genibus flexis exiguo temporis ſpacio preces ad Deum deuotè fundantur, vt hanc ciuitatem protegere dignetur, & alias etiam à peſtis calamitate liberare; nam multi minimi dum congregãtur, vnanimes ſunt magni: & multorum preces, impoſſibile eſt contemni. hortentur pariter, vt diem ſingulis hebdomadis eligant, quo ieiunent, vt oratio Deo acceptior fiat.

Mandat etiam omnibus, & ſingulis ſacerdotibus, vt dum peſtis periculum imminet, in miſſa quotidie dicant orationẽ pro peſtilẽtia.

A Prioribus vero monaſteriorum regularium enixè requirit, vt ſingulis diebus feſtis proceſſionem per eccleſias ſuas habeãt, & litanias recitari cum oratione pro peſtilentia mãdent, quam etiam ipſi in Miſſis quotidie dici curent, & celebrato veſperarum officio per aliquod breue temporis ſpacium, flexis genibus, preces, vt ſupra dictum eſt, effundi, ad auertenda peſtis contagia, non prætermittant.

Curent pariter iidem ſuperiores regularium, vt frequentes conciones habeantur, orationes 40. horarum, aliaque pia exercitationes: quibus & Deus placari dignetur, & fideles peccatorum occaſionem euitantes, in ſanctis operibus occupati, exaudiri mereantur.

Dat. Bonon. &c.

N. Vic. Gener. de mandato.

INDICTIO congregationis Miſericordiæ erectæ ab Illuſtr. Archiep. vt occurreretur in ciuitate Bononiæ imminenti Peſtis periculo.

VEnerabilis ſocietas ſanctiſſimi nominis Dei, cuius inter cetera præcipuum inſtitutum eſt, pauperes iuuare: itemque confraternitas S. Sebaſtiani & Rochi, quæ à primæua ipſius inſtitutione infirmis curandis, & ſuccurrendis operam dare profitetur, ſummo chriſtianæ charitatis ſtudio vnà ſe obtulerunt Illuſtriſſimo D. Cardinali Archiepiſcopo, ſtatim atque intellexerunt amplitudinem ſuam Illuſtriſſimam erigere velle congregationem, quæ Miſericordiæ appelletur, plurium vtriuſque ſexus Chriſtifidelium: quorum opera, dum peſtis graſſatur in vicinis oppidis, & ciuitatibus, ſi Deus ob populorum peccata, flagello iræ ſuæ hanc ciuitatem viſitet, remedia, quibus tantæ calamitati occurratur aliqua ex parte poſſint comparari, eleemoſynæ colligantur, aliaque perficiantur, quæ Illuſtriſſima amplitudo ſua indies neceſſaria eſſe exiſtimabit.

Itaque eligentur viri, & mulieres, quorũ munus erit per regiones, ſeu quarteria ciuitatis, quæ ipſis diſtribuentur, hoc nomine à pijs familijs expoſcere pecunias, frumentum, farinam, vinum, acetum, oleum, ligna: aliaq. id generis quæcunque congerere poterunt, vt annonæ copia opportunè adſit, neque poſt ac-

ceptum

ceptũ vulnus, à quo liberet nos Dominus, remedia in conſultationẽ afferantur, cui tunc ab huius cladis ſæuitia locus minime datur.

Eligentur etiam duo horrea, vnum in hoſpitali S. Franciſci, & alterum in hoſpitali S. Blaſij: quorum ſingula tribus clauibus cuſtodientur à tribus ex ſodalibus, quos congregatio deputabit, ab Ill. D. Card. Archiep approbandos: in ijſque totus hic commeatus aſſeruabitur: ita ut in librum omnes eleemoſynæ referantur ab his cuſtodibus, nomenque illius qui ipſas tribuit adnotetur: aliaque in huiuſmodi cuſtodia perficiantur, quæ late in conſtitutionibus congregationis continentur.

Deputabuntur quoque nonnulli piſtores, uiri probi, & ſimiliter Medici. pharmacopolæ, tonſores, qui cõgregationi inſeruient; itemq; Mons pietatis, in quo pecunia deponantur.

Quia uerò meſſis hæc plurima, plurimos exigit operarios. hortatur Ill. D. Card. Archiepiſc. rogatque enixe nobiles, ciues, & cuiuſuis conditionis Chriſtifideles utriuſque ſexus, ut in hanc congregationẽ Miſericordiæ adſcribi uelint; ut dum ſaluberrimis animæ corporique exercitationibus uacabunt, uno eodemque tempore faciliùs à morbi infectione ſuas familias tueri poſſint.

Ne autem indigeat huiuſmodi cõgregatio Sacerdotibus, qui infirmos uiſitent, confeſſiones audiant, ſacramenta miniſtrent, & ex ipſis etiam multi hoſpitali, quod Lazaretum vocatur inſeruiant, & hoſpitali conualeſcentium, aliaque ſpiritualia opera exerceant, prout opus erit, quibus omnibus cubicula, & alia quotidiano victui neceſſaria aſſignabuntur; Ideo rogat Ill. D. Cardin. Archiepiſcopus omnes & ſingulos regularium ſuperiores, vt hortentur enixe religioſos viros eorum curæ commiſſos, vt ex ipſis complures huic congregationi ſe adiungant: memores tot ſanctos martyres lauiſſe ſtolas ſuas in ſanguine agni, & ſanguinem ipſum pro Chriſti gloria, & proximorum ſalute profudiſſe; & huiuſmodi actionem tale exemplum toti ciuitati allaturam: eſſe vt non ſolum per ipſam Deus ſit collaudandus, ſed etiam ipſa monaſteria eleemoſynas in poſterum affluentiùs ſint cõſequutura.

Accedent verò quicunque in hanc congregationem adſcribi cupient ad Epiſcopale palatium, vbi à RR. N. & N. ad id ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo deputatis ſua nomina in librum referri curent. Dat. Bonon. &c.

N. Vicar. Gener. de mandato.

Animaduertenda a Parochis diœceſis Bononienſis, imminente peſtis periculo.

R*Euer. Paroche*. Mittimus ad te indictionem orationis ab Illuſtr. D. Cardinali Archiep. N. mandatæ, donec vrgemur peſtis periculo, quam à nobis Deus auertere dignetur. Quid tibi agẽdum ſit, ex ea percipies, curabisque etiã vt diligentiſſime omnia præſtes; ſique in tua Parochia aliquod aderit monaſterium regularium, eãdem illi indictionem communicabis; rogabiſque Amplitudinis ſuæ Illuſtr. nomine eius ſuperiores, vt ex animo in hac communi cauſa, ipſi etiam laborare contendant. Quòd ſi negligentem hac in re populum tuum eſſe animaduertes, quod abſit: nos certiores facere non prætermittes.

Quod attinet ad temporalia remedia, cum diœceſis præcipue ipſis indigeat: dum cetera parantur, tu interim hortaberis populum tuum, vt inuigilet vnuſquiſque, neq; hoſpitio accipiat, aut alio quouis modo ſecum habitare permittat quempiam, qui fidem authẽticam ſanitatis non habeat, iuxta ordines dominorum officialiũ, aut eorum qui in quolibet loco ab ipſis ſunt deputati.

Præterea mitte quamprimũ huc certum hominem, præſertim ſi tu Bononia abes vltra decem aut duodecim miliatium ſpatium, qui ab eiſdem dominis officialibus sanitatis, fides impreſſas gratis accipiat, atque ad te referat, vt illis ſubſcribas, ad vſum tamen eorum tantummodo, qui tuæ Parochiæ ſubſunt, cũ Bononiam ſe conferre volent; ita tamẽ ſubſcribas, vt & ipſe cui fides conſignanda erit, præſens ſit, & ea diligentia atque integritate hac in re vtaris, quæ decet ſacerdotem Dei miniſtrum. Quare ſi vllo vnquam tempore reſidentiam profeſſus es: hoc ſane tempore ita aſſiduus eſſe debes, vt vel nunquam diſcedas: vel ſi ob aliquam cauſam diſcedendum eſt, eo tempore quo aberis, alium qui tuas vices ſuppleat eadem, quæ à te requiritur diligẽtia, relinquere ſtudeas.

Verùm

Verùm quia qui fideliter ſupplicat Deo pro neceſſitatibus huius vitæ, & miſericorditer auditur, & miſericorditer non auditur; quid enim infirmo ſit vtilius, magis nouit medicus, quàm ægrotus: iccirco comparare te debes ad hanc calamitatem vnà cum tuo populo perfetēdam, ſi ita Deo placuerit, cuius voluntas fiat ſicut in cœlo & in terra. Itaque meminiſſe debes eo caſu obſttingi te ſub peccati mortalis pœna, & priuationis omnium beneficiorum quæ poſſides, ad reſidendum, & eo præſertim tempore gtegis, qui tibi commiſſus eſt, cuſtodiæ vacandum.

Quod vt facilius conſequi poſsis, cura vt varia auxilia præpares, vt illius temporis neceſsitatibus opportunè occurras: inter cetera verò congrega numerū hominum, & mulierum qui pietate, & charitate præditi ſint, qui tibi in ijs laboribus viſitationis infirmotū, ſubſidij acquitendi, eleemoſynarū diſtributionis, aliarumq; rerum hūiuſmodi præſto ſint, hi verò ex hoc tempore colligere incipiant frumētum, farinam, acetum, pecuniam aliaq. huiuſmodi eleemoſynæ nomine, quæ a piis fidelibus erogabūtur, à quæ omnia apud probatæ fidei virum aſſeruentur, vt pauperibus egenis, atque infirmis, ſi res ita poſtulabit, uſui eſſe poſſint. Bene vale in Domino.

Datum Bon. &c. N. Vic. Gen.

DE CONGREGATIONE CHARITATIS ad iuuandos eos, qui in carceribus detinentur, erecta.

COLLECTOR.

HAEC Congregatio, ſeu ſodalitas non ea eſt, quæ Bononienſi vrbi ſit particularis, ſed Sanctiſſ. D. N. Clemens Octauus Pont. Max. Apoſtolica conſtitutione de hac re promulgata mandauit omnibus, & ſingulis Ordinarijs locorum, vt eam ſodalitatē in ſuis quique ciuitatibus, ſeu diœceſibus inſtituendam curarent, atque ipſimet Ordinarij illi præſiderent, eamque ſua auctoritate rectè gubernari curarent.

Verùm Bononiæ multis ab hinc annis Ampliſsima Archiconfraternitas, quæ vocatur mortis, inter cetera plurima, quæ exercere ſolet, pietatis Chriſtianæ opera, illud ſibi quodammodo proprium adſciuit: vt non ſolum capitali ſententia damnatos in vera Chriſtianæ fidei ſenſu confirmare, & vt libenter moriantur, Deoq; ob id mortis genus ſuæ ſalutis cauſa permiſſum gratias agant, hortari, & vt ipſo huius actionis vocabulo utar, confortare profiteantur; verum etiā ex toto ſodalitatis cœtu duo idonei viri eliguntur, qui ſyndici appellantur: quorū munus eſt in carceribus omnium Tribunalium vrbis Bononiæ detentos viſitare auctoritate, & hortatu Illuſt. D. Cardinalis Archiep. eoſque iuuare, tum per procuratores ad id deſtinatos apud iudices, vt expeditior ad iuſtitiam exequendam, vel ad miſericordiam conſequendam uia ineatur, prout caſus, reſque ipſa poſtulare uidetur; tum etiam ſumptibus quotidianis ſuppeditandis, pauperibus illis, qui uel ægritudinis cauſa, uel alia quauis neceſsitate opprimuntur; qua de re plura priuilegia, & Apoſtolica diplomata olim eadem Archiconfraternitas obtinuit.

Itaque Illuſt. D. Card. Archiep. etſi per longum tempus hoc pium opus Bononiæ plurimos fructus ediderit, cum ubique locorum fortaſſe commune non fuit; nunc ut conſtitutionis apoſtolicæ, ad id magis iuuandum, & promouendum, mādata, ut par erat, totis uiribus amplecteretur, ſodalitatem hanc charitatis ita inſtituit, ut præcipui officiales ipſius, ex ipſa Archiconfraternitate mortis, cuius hoc idem antea inſtitutum erat, eligantur; quorum quidem officialium, & ſodalium munera, & regulæ illæ ipſæ ſunt, quæ huiuſmodi Archiconfraternitas Charitatis Romæ habet, eaque iccirco hic adnectere noluimus, ne nimium uolumen hoc, in re, quæ communis eſt alijs etiam ciuitatibus, creſcat. Huiuſmodi uerò congregationē Illuſt. Car. Archiep. qui ipſi præeſt ſæpius conuocat, & de rebus, & auxilijs ad eos præſertim pertinentes agit, qui in carceribus Tribunalium ſecularium detinentur.

FINIS QVINTAE PARTIS.

ARCHIEPISCOPALE BONONIENSE SIVE DE BONONIENSIS ECCLESIAE ADMINISTRATIONE.

GABRIELIS CARDINALIS PALAEOTI PARS SEXTA.

Quæ ad Forum ſiue Tribunal Archiepiſcopale pertinet.

COLLECTOR.

QVAECVMQVE hactenus ſumma diligentia conſtituta eſſe vidimus ab Illuſtriſſ. D. Card. Archiepiſ. periclitari facile poſſent, ne irrita vt plurimũ redderentur, atque inania: niſi virga illa directionis impenderet, quæ tota in Archiepiſcopali foro verſatur. Ita enim fert humana conditio, vt niſi pœnarum etiam timore ad bene agendum incitentur homines: non ſolum in bonis operibus langueãt penitus, verùm etiã ad mala facillimè declinẽt. Quare cum opus eſſe ſumma diligentia animaduertiſſet Amp. S. Illuſtriſsima, vt in æqua libra lance vnaquæque actio pondus ſuum inueniret, multiplicisque generis miniſtrorum, tum maiorum, tum minorum operum hac in re neceſſariam eſſe intelligeret: ipſos non ſolum elegit, & officio quemque ſuo deſtinauit, ſed etiam regulis inſtruxit, præter quas egredi non liceret, & laborum ſuorum iuſtam mercedem vnuſquiſque acquireret, ne trituranti, vt dicitur, boui os obturetur. Quomodo autem hæc ſe habeant, ſequentes regulæ de Fori Archiepiſcopalis adminiſtratione, præmonſtrabunt.

Nam nos hoc ordine in hac parte collocanda vtendum eſſe exiſtimauimus, vt non omnia penitus exciperemus, ſed ſingularia, & præcipua quædam huc afferremus; & primum à Vicarij munere incipiemus; deinde ad notarios veniemus: tum ad exequutores, veluti caballerium, ſeu Barigellum, eiuſque miniſtros; demum ad congregationem ipſam fori eiuſdem, in qua plura in dies conſtitui ſolent pro recto eius regimine. Subijciemus poſtea plurium Edictorum formulas, quæ exequutionem ſpectant, aliaque ſimilia: quæ à congregatione reformationis ab Illuſtriſſ. D. Cardinali Archiepiſcopo pariter inſtituta emanant, veluti contra non obſeruantes dies feſtos, contra non ieiunantes in Quadrageſima: de clauſuris, & bonis monialium, & plura huiuſmodi, his addemus congregationem Oeconomiæ Archiepiſcopalis. Quæ omnia illo tanquam ſigillo muniemus, quod viſitationis ritè peractæ munus præſtare poteſt; quo loco non ſolum quæ viſitationi Archiepiſcopi conueniant, exponentur; ſed etiam quæ in Viſitatione habendæ partes ſint aliorum viſitatorum Archiepiſcopalium, ex eiuſmodi Illuſtriſſ. D. Card. Archiepiſcopi inſtituto, & obſeruatione, explicabitur.

INDEX RERVM PRAECIPVARVM QVAE IN HAC SEXTA PARTE CONTINENTVR.

Regulæ generales de adminiſtratione Fori Archiepiſcopalis, ad Vicariũ pertinentes.
Conſtitutiones Fori Archiepiſcopalis, vbi de notarijs, alijſque miniſtris.
Taxa mercedum eiuſdem Fori.
Congregatio pro regimine Fori eiuſdem Archiepiſcopalis.
Congregatio Reformationis: vbi plura edicta, prouiſiones, decreta, & inſtructiones ad varias res pertinentes.
Congregatio pro Oeconomia Archiepiſcopali.
De Viſitatione tam ipſius Illuſtr. Car. Archiepiſc. quàm aliorum Viſitatorum ab eo deputatorum.

DE

DE ADMINISTRATIONE FORI ARCHIEP. BONON.

COLLECTOR. *ILLVD præcipue cura fuit Illuſtriſsimo D. Cardinali Archiepiſcopo, vt ij quos in ſua Eccleſia pro tempore Vicarios conſtituit, tales eſſent & vita integritate, & iuris prudentia cognitione; qui doctorum, quales plurimi peritiſsimi in vrbe Bononiæ ſtudiorum matre repeRrtuntur, atque item aduocatorum, qui plurimum verſati ſunt in tribunali Archiepiſcopali, aliorumque nobilium ciuium ingenio, atque induſtria præſtantium opinioni reſponderent: quod ſanè ex voto illi ſucceſsit. nouimus enim ipſi plures qui Bononiæ Vicarij fuere, qui tanquam ex optimi artificis officina euocati ſunt ad Eccleſiarum administrationem; tales fuere Reuerendiſſimi Patres DD. Angelus Perutius Epiſcopus Sarſinatenſis, Nicolaus Horatius nobilis Bononienſis Epiſcopus Cathacenſis, Flaminius Turricella Foroſemprontenſis Epiſcopus S. Angeli. Marcus Antonius Salamonius Cremon. Epiſcopus Sora, nunc Sanctiſſ. D. Noſtri Papæ Vicarij Vicesgerens. alij verò qui ad Epiſcopatus adhuc non ſunt euecti, doctrina, nobilitate, & probitate inſignes exiſtunt; atque inter hos eſt R. D. Sebaſtianus Medices Florentinus Iuriſconſ. celeberrimus, cuius edita volumina, quantus vir ille ſit, ſatis teſtantur. R.D. Berlingherius Gypſius Bononien. nunc Sanctiſsimi D. Noſtri vtriuſque Signaturæ Referendarius; & hoc ipſo tempore Vicarij munere Bononiæ fungitur R. D. Antonius Bornius Fiuizanen. Protonot. Apoſtolicus, uir eruditione prudentia, & probitate ſingularis. Libuit horum uirorum hoc loco, qui ad Vicarij munus ſpectat, mentionem facere: nè qui Collectoris partes ago, has omiſiſſe uidear, quæ tum ad Eccleſiæ Bononien. ſplendorem attinent, tum etiam ad ſolicitudinem Archiepiſcopalem, quæ in hoc præcipuorum miniſtrorum genere ſeligendorum poſita eſt, maximè faciunt. quanti enim interſit, quales eos Epiſcopi exquirant, atque habeant, inter cetera accipere poterit lector ex prima parte huius Collectionis.*

REGVLAE generales, de adminiſtratione Fori Archiepiſcopalis Bononiæ ad Vicarios pertinentes.

CVm ex antiqua conſuetudine, Vicarij ab Epiſcopis conſtitui ſoleat; qui Epiſcopalem adminiſtrationē adiuuent, & manus quodammodo Epiſcopali oneri ferendo ſupponant in iudicando, atque alijs peragendis, quibus Epiſcopi per ſe ipſi vacare nō poſſunt. Ideo Illuſtriſſimus Cardin. Archiepiſcopus, cum ſe ob diœceſis viſitationem à ciuitate abeſſe oportere, & interdum Romam vſque excurrere varijs de cauſis debere videat: & Vicarios qui aſſumendi erunt, ſæpe mutari, & nouos conſtitui oportere animaduertat, qui nō pari ſemper doctrina & experientia, & iudicio prædıti eſſe ſolent; æquum eſſe exiſtimauit, & apprime neceſſarium, vt generalis, & quoad eius fieri poterit, certa aliqua regula rebus adminiſtrandis conſtituatur, vſu ipſo, & peritorum iudicio probata: quæ tamquam inſtructio omnibus Vicariis ante oculos aſſidue verſetur, & ad eam actiones ſuas conforment, & quid ſibi obſeruādum ſit, etiam ipſo Illuſtriſſimo Archiepiſcopo abſente aperte intelligant.

Quia igitur vera, & ſalubris adminiſtrationis ratio, quo magis ad vnitatem redigitur, eo melior, & perfectior eſſe cenſetur: ideo abſente Illuſtriſſimo Archiepiſcopo tota Archiepiſcopalis ad-

miniſtratio vni tantum impendere debebit, qui Vicarius generalis appellabitur; Cuius erit, ſollicite inuigilare, & Archiepiſcopi perſonam, atque auctoritatem induere in omnibus rebus: præter quaſdam, quas ipſemet Archiepiſcopus ſibi vult omnino reſeruari, quæ maximi momenti ſunt, & iuſtitiæ ordinariæ terminis non circumſcribuntur. Huiuſmodi autem res Vicarius cum eodem Illuſtriſſimo Archiepiſcopo communicabit, ſententiamque illi ſuam explicabit, vt facilius quid reſpondendum ſit, Archiepiſcopus decernat.

Et cum omnes Epiſcopi labores, & vigiliæ eò dirigi debeāt, vt Chriſti fideles, vere fideles, omnibuſq; chriſtianis virtutibus ornati reddantur, vitia totis viribus arceātur, & eradicentur: idq; perficiendum ſit, tum iubendo, tum monēdo, tum hortando, tum increpando, & caſtigando; cumque omnia Vicarij negocia ad tria tantum capita reducantur, nempe cauſarum ciuilium, cauſarum criminalium, & rerum, quę ad reformationes, & prouiſiones ex officio pertinent; nemini dubium eſt, quin plurimum auctoritatis, & vigoris horum omnium executioni afferēt, exemplaris vita, ſanctique mores illius, qui adminiſtrat; vt præter doctrinam, & experientiam, diligentiamq. in tractandis ſui muneris negociis; ab iis etiam, qui cum eo agunt, vir probus, & timens Deum exiſtimetur; iſque verè ſit, & aliis ſeſe exhibeat, quē haberi cupit.

Atque vt id aſſequatur, plurimum iuuabitur, ſi præter domeſticas, & particulares quaſdam deuotionis, & pietatis actiones, ſæpe ſacrum Miſſæ publice faciat: & diuinis officiis, cōcionibus, aliiſq. ſpiritualibs exercitationibus, quantum per occupationes licebit, diebus feſtis interſit.

Item ſi pias cauſas, pauperes, orphanos, viduas, regulares, clericos, aliaque omnia ad ſpiritualeregimen ſpectantia, nunquam tamen iuſtitiæ terminos excedens, pro viribus tuetur.

Sit etiam patiens, & omnibus horis paratus ad audiendos eos omnes, qui ad ſe confugiunt, eos excipiat humaniter; & cum Canonicis præſertim, Sacerdotibus, Senatoribus, Doctoribus aliiſque nobilibus viris, ea, qua decet vrbanitate, & verborum, morumque modeſtia agat.

In executionibus autem ſit rectus & integer, neque moueatur vlla affinium Archiepiſcopi, aliorumque familiariū, ſeu procerum quorumcumque commendatione, aut officiis, cum dicat Salomon *Ne reſpicias faciem potentis, & pereas in tua agilitate.*

In rebus grauioribus hominum peritorum doctorumq. conſilium adhibeat, qui præſertim probatæ ſint vitæ, & integritate morum conſpicui; nam hac conſilii via, quæ eſt prudentiæ pars præcipua, facilius negocia ad bonum exitū perducuntur, homines ſententiis acquieſcunt, & peruicaciæ, obſtinationiſque nota euitatur.

Nulla munera accipiat, neque ea quidem pauca, cuiuſque generis ea ſint, & a quocunque ſibi offerantur, cuius lites, aut cauſæ coram ſe, aut in foro vertantur à ceterorum etiam muneribus caueat, ni ſi ea ſint ita exigua, vt accipi ſine ſcandalo poſſint; id quod diligenter animaduertat, cum ſcriptum ſit, *Non ſemper, nec omnia, nec ab omnibus.*

Conſuetudine vtatur proborum virorum, inter quos aliquos habeat familiares, qui præter probitatem, prudentia, & experientia præditi ſint non mediocri; à quibus exquirere curet, quid de ſe ſuaque adminiſtratione, a populo dicatur, quid damnetur, quid laudetur, quid deſideretur, exemplo Chriſti Domini noſtri quærentis, *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* atque ea quidem ratione huiuſmodi officia requirat, vt ſanctæ correctionis voluntas potius in iis commendari poſſit, quàm adulationis cupiditas damnari.

Famulos, & domeſticos non niſi ad Chriſtianæ vitæ diſciplinam rectè inſtitutos habeat, probos, honeſtos, & deuotos: qui à prauis conſuetudinibus abſint, Eccleſiæ ſacramenta frequentent, neque ſe in tribunalis adminiſtrationem ingerant.

Aſſidue

Aſſidue verò inuigilet ſuper ſuorũ officialium, notariorum, nuntiorũ, barigellorum, cuſtodis carcerum, aliorumque actionibus: cum iis, tamquam ſibi maxime accommodatis inſtrumentis vti debeat ſemper; ſine quibus, vt in reliquis artibus fit, nihil artifex ex ſententia perficere poteſt.

Non vagus erit, non ad alienas domos accedens ad conuiuandũ, ſeu colloquendũ: ſed domi ſit aſſiduus quantũ fieri poterit, vt negocia, & ipſa corporis valetudo requirẽt: grauitatis ſuæ, quam in omnibus rebus, & actionibus, & cum oĩbus æque præſeferre debet memor: cum ſcriptum ſit de eo qui iudicat: *ſit cunctis benignus, omnibus iuſtus, & paucis familiaris.*

Cæterũ totis viribus contendet, vt ab omnibus ametur, & timeatur: ita tamen, vt obedientia populi efficiatur potius filialis & ab amore proueniat, quàm ſeruilis & à timore naſcatur; atque apud omnes rectã ſui opinionẽ concitet, & factis verbisq; sũma in omnibus moderatione vtens, & dignitati ſuæ, & aliorum opinioni reſpondeat.

De ciuilibus cauſis.

POſt ea, quæ tanquam compendio allata ſunt de ipſius Vicarij perſona, moribuſq;, reliqua ſunt tria illa capita ſuperius propoſita: de quibus nunc, quæ magis neceſſaria ſunt, attingemus.

In primis igitur quod ad cauſas ciuiles attinet: cum ciuitas affluat aduocatis, & patronis cauſarũ, iiſq; in tribunaliũ tractatione maxime verſatis: & fortaſſe non nulli ĩter eos reperiri poſſint, qui pleraq; artificijs ordiri, & cõficere ſtudeãt; cũq; cauſæ vt plurimũ agantur ad inſtantiam partiũ, quæ quia varijs affectibus ducuntur, arrectis auribus, apertiſq. oculis iudicis verba, & actiones omnes obſeruãt: & inſuper an diligenter proceſſus legat, & Doctores in fonte videat: an puncta totius cauſę recte reminiſcatur: an in deciſionibus ſit verſatus: an in ſententijs dãdis ſolidus, extricatus, & certus, explorant; meminerit Vicarius, valde ſibi animaduertendum eſſe, ne quid ex ijs ab eo poſſit deſiderari: ex quibus totius auctoritatis, & nominis incrementum, ſeu abiectio proficiſci poteſt.

Quamuis autem Archiepiſcopalis Curia iuſtitiæ forum vocetur, ita tamen iuſtitiam Vicarius adminiſtret, vt illi paternam charitatem ſemper adiungere conetur; magna enim laude dignum officium erit, vt litium, & cauſarum quarumlibet initio, de concordia agat, partes ipſas ſine cauſidicis alloquatur, ab ijs differenriarum puncta recte colligat, & extra iudicium cum ijs viciſſim tractet ea aptitudine, & dexteritate, vt nemini ſuſpicionem afferat, neque quid ipſe de cauſæ meritis ſentiat vllus conijcere poſſit. quòd ſi concordia non ſuccedat, comparet ſe totis viribus ad munus ſuum integre explendum; illudque ſibi in primis perſuadeat, honorem ſuum, & huiuſmodi adminiſtrationis dignitatem, ad rationem, qua cauſas pertractabit, plurimum pertinere. Ideoque ſemper omnibus negocijs, cauſiſque audiendis orationem præmittat: atque in multa patientia, ſereno vultu ſemper audiat procuratores quamuis moleſtos, iiſque modeſte ſemper reſpondeat.

Præterea nulli labori parcat, vt proue expediet, & neceſſe erit, cauſas in facto, & in iure diligenter agnoſcat: atque vt eas melius citiuſque expedire poſſit, Doctoris alicuius, cuius integritati fidat, quique & probus ſit, & in hiſce rebus verſatus opera vtatur, in quibuſdam rebus minoris momenti. ita tamen, vt præcipua cauſæ fundamenta, rationes, & quæ ad ſubſtantiam ipſius faciunt, ipſemet omni diligentia, & ſtudio, auditis aliorum opinionibus inueſtiget, & decernat.

Dubia partibus concedet cum opus erit, eaque requiſitus nunquam negabit, ita tamẽ optimis rõnibus innixa, vt cum etiã ſententia contra litigantium deſiderium ferenda ſit, cognoſcant ii ſuis illationibus, atque argumentis iudicem cogi ad ita ſentiendum, vt decernit.

Cauillationes, & ſubterfugia, quæ in cauſarum tractatione quęruntur, dirimere, & obtruncare curabit: cum omnis cauſarum prolatio, quamuis partium dete-

defectu accidat, vt plurimum iudici tribuatur, iuxta illud iuris. *Nullus eſt tam audax, qui poſsit inuito iudice litẽ protrahere.*

Procuratorum erga ſe beneuolentiã, ſine iuſtitiæ tamen præiudicio conſeruare ſataget, cum ab ipſis & laus, & vituperatio iudicis diſpergi ſoleat.

In decretis, & ſententijs, ſit maturus & prudens, caueatque ne cedulas à partibus dictatas accipiat: ſed ſentẽtias deditis horis in tribunali promulgari ſtubeat, & terminum pro ſeruato, quoad eius fieri poterit effugiat.

In quodam cauſarum genere, deciſionem etiam ſuę ſentẽtię dabit requiſitus; vt is, contra quem ſententiam decreuit, rationis ipſius vi impulſus ſileat, & acquieſcat.

Sæpius, nam facile memoria labitur, legat conſtitutiones, & taxas fori, eaſq; recte obſeruari faciat, & notarios à tergo ſcripturarũ adnotare, *ſoluit tantũ &c.* omneſq; libros rectè, atque integre accommodatos ſeruari curet.

Præcipua diligentia vtetur, ne quiuis notarius ſiue is principalis ſit, ſiue ſubſtitutus, domi, aut foris inhoneſtas mulieres habeat, atque inſuper de moribus, & vita, & peritia ſubſtitutorũ, antequã ad officium admittantur examinabit, a quibus omnibus iuramentum ſibi præſtari faciat, iuxta formam conſtitutionum: & ſimiliter curabit, vt taxæ fori, publice ſint affixæ in omnium conſpectu: aliaque perficiantur, quæ in conſtitutionibus continentur.

De cauſis Criminalibus.

CAuſæ criminales eæ ſunt, quæ præcipuè tribunalis dignitatem, & auctoritatem tuentur: cum ita adminiſtrãtur, vt publica vtilitas, emendatio illius qui eſt reus, nõ priuatæ res ſpectãtur, & pœna pro medicina potius, quàm pro ſupplicio infligitur: hinc enim curare debet iudex, vt populus diſcat Superiorũ edicta ſeruare, vitia fugere, parere miniſtris vt ea quæ decet ratio publicę auctoritatis, miniſtrorum & officialium ſuorum habeatur.

Quia verò huiuſmodi cauſæ, prout diuerſi ſunt ipſarum euentus, iudicis arbitrio plerumque deferuntur; ideo ex ijs melius, eiuſdẽ conditio apparet, an animoſus, trepidusuè ſit, an varius, an conſtans, an prudens, an ſubitus: etenim cum quò ſceleſtiores rei ſunt, eo potentiores procuratores, atque defenſores habeant; harum cauſarum exitus, de iudice quoddam veluti iudicium euidens virtutis, ſiue imbecillitatis parit.

Igitur cum huiuſmodi cauſæ exerceãtur à Nuntijs, Barigellis, Executoribus, aliorumque huiuſmodi hominum genere ad corruptelas valde prono: curet Vicarius, vt ex ipſis meliores eligat; electi verò cum quibuſdam hominibus non contribuant, in ſuis manibus formaliter iurent, libros conſutos habeant, & ſigillis munitos, & reliqua obſeruent, quæ in conſtitutionibus habentur.

Studebit ne in cuiuſpiam domum ingrediantur, vt reos inquirant, eoquè minus vt capiant, niſi mandatum ſua manu ſignatum prius habeant: exceptis caſibus improuiſis, & in fragranti crimine, alijſque paucis, quos ijs indicabit.

Non mediocri prudentia illi vtendũ eſt in captura clericorum: nam ipſorum beneficia cautionis loco ſunt, niſi caſus grauiores exiſtant; præcipue verò Sacerdotum ratio habenda, nobilium virorum, cum quibus cautius agendum: cogitandumque prius, an præceptum pœnale de ſe repręſentando ſufficiat: exceptis ijs caſibus, quibus de iure eos capi oporteat, alijſque magni momenti.

Clerici, & præcipue monachi, ſeu religioſi quamuis in fragranti delicto reperiantur, palam in carcerem ducendi non ſunt, eoque minus habitu ipſo clericali, ſeu religioſo induti: ſed hoc caſu aliquid ille ſtatuat, quo & gradui, & iuſtitiæ conſulat.

Tam mares, quàm foeminæ, qui inhoneſtis conſuetudinibus vtuntur cum ſcãdalo, prius poenali præcepto monendi erunt, quod caſui, & perſonis recte conueniat, de non cõuerſando; niſi tamẽ ad inſtantiam partis contra eos iudici agendum ſit, aut ita requirat perſonarum conditio caſusque, vt in fragranti repertæ capiantur.

Cum

Cum fœminis ad bolettas denunciatis, quæ à maritis derelictas ſe eſſe dicũt prius monitorio agendum erit. ſi verò & adhuc repugnabunt, pro cuiuſcunque conditione deliberandum erit, cum de hac re nulla certa regula præſcribi poſſit.

Item de mulieribus, quæ coniugatæ ſunt, & inſcio coniuge in adulterium inciderunt, prudenter prius cogitandum erit, quàm capi mandentur: ne marito admonito ſit error peior peiore. Quare huiuſmodi capturæ facultatem Barigello nequaquã Vicarius concedat. Quòd ſi etiam ſibi referatur, coniugem adulterio eſſe conſentientem, prius diligentiſſime omnia inquirat, & veritatem ſcire curet: neque niſi omnibus ijs indicijs, quæ ſufficiunt, ad capturam procedat.

Habeat inſuper notulam eorum, quibus pręceptum eſt de non conuerſando; & Barigello mandet, vt diligens ſit eorum explorator, & ad formam præceptorum tantummodo, ea nihil prætergrediens, exequatur. Excipiũtur tamen perſonæ quædam nobiles, aut ſimiles, quas ſi præcepto non parentes exequutor comperetit, præſtita tantum cautione dimittet, aut præcepto pœnali de ſe præſentando aſtringet: ſiue ſtatim citabit ad allegandum cauſas, quare non debeant condemnari: exceptis quibuſdam caſibus, quibus & ſi contrafacientium aliqua ratio habenda ſit ob ipſorũ conditionem, tamen ob circumſtantias Vicarius aliter fieri debere iudicabit.

Quod ad eos attinet, qui carceribus detinentur, cum iam editi ſint ordines ad officium cuſtodis ſpectantes: conſtitutuſque carcerum Viſitator, ratioque præſcripta, qua cum ijs agendum ſit; reliquum eſt, vt Vicarius ea omnia diligẽter obſeruari curet, & quia vt etiam dici ſolet, carcer eſt mala manſio, diligenter debitis terminis ſeruatis, in eorum expeditionem incumbet.

De condemnationibus verò, ſi ad inſtantiam partis proceditur, videntur iuri omnino ſubijciendæ. In reliquis autem, in quibus magis liberum iudicis officium eſſe poterit, cum conſiderari debeat, an delicta ab ignorantia, aut à fragilitate, aut à nequitia proficiſcãtur; valde etiam animaduertendum eſt, vt cum temporales pœnæ, quæ à iudice infliguntur, medicinæ loco adhiberi debeant: Vicarius vtilitatem, & ædificationem populorũ præcipuè ſpectet.

Quare quoad pœnas corporales, meminerit, in iis, quæ à ſuo arbitrio pendent, hoc eſſe forum eccleſiaſticum, & miſericordiæ partes magis, quàm iuſtitiæ rigorem ſibi eſſe amplectendas.

Quoad pœnas pecuniarias, hoc etiã animaduertat, nam cum ſolui ſoleãt, aut ob trãſgreſſiones ordinum in quibus eæ iniunctæ ſunt; aut ob alia delicta, quæ corporali pœna ſunt punienda, ſed arbitrio iudicis poſſunt cõmutari, cũ corporalis pœna, quibuſdam caſibus, ob perſonarum qualitatem, ob ignominiã, aliaque huiuſmodi, vt honeſtati etiam ex hac parte proſpiciatur, à delinquẽte ſumenda non videatur; cumq. nulla certa regula de hoc ſtatui poſſit, ſufficiet illud generaliter admonuiſſe: vt meminerit Vicarius, in pœnis pecuniariis iniungendis, ſibi caute agendum eſſe: nam ſæpius in malã partem à populo accipiuntur, & auaritiæ iudicum, non iuſtitiæ adſcribuntur: neque iccirco iniũgendæ eſſent pauperibus, ſed diuitibus tãtum, qui eas ſoluere poſſint. atque vt populi ſuſpicioni hac in re occurat Vicarius, neque extorſionis nota aliqua ſibi inuratur, huiuſmodi pœnas interdũ in alia pia opera commutabit: nempe vt emãtur intortitia, ſiue facule pro Sanctiſſimo sacramento Euchariſtiæ; oleum pro lãpadibus eiuſdem; panis, qui pauperibus diſtribuatur; planetæ, palliaque, & alia huiuſmodi eccleſiarum ornamenta, ita tamen, vt hæ pœnarum moderationes, ſiue commutationes contẽptui non ſint, & frequentiora delicta efficiant, tunc enim ſeuerius illi procedendũ erit. Pauperibus, & magna inopia laborantibus, præter ieiunia, orationes, & ſalutares pœnitentias, iniungi poſſunt peregrinationes, carceres domeſtici ad modicum

tempus;

Digitized by Google

tempus, ad valuas eccleſiæ cum ſacco permanere: exulare: hoſpitalibus, aut fabricæ Metropolitanæ, ſeu ſancti Petronij inſeruire: diebus feſtis pro ſcholis doctrinæ Chriſtianæ aliquid agere: peregrinis pedes lauare, aliaque huiuſmodi Chriſtiana opera: ijs tamen exceptis, quæ ab ipſis negligerentur, & ad correctionẽ nihil proficerent; tunc enim Vicario virga ferrea accipiēda erit, qua pro ſua prudentia vtetur, prout magis ſibi videbitur expedire.

Quoad pecuniæ, quæ ab huiuſmodi pœnis colligitur diſtributionem, pro regula habebit Vicarius, vt in vſus, & opera pia, ſtatim atque ſoluta erit, conuertatur: atque ideo idem reus ſi volet, aliuſvè ipſius loco, vnà cum notario cauſæ, ad vnum, aut plura loca pia eam eleemoſynæ partem deferat, quam ipſe Vicarius iuſſerit; & huiuſmodi pecuniarũ ſic diſtributarum, ab vnoquoque loco chirographa notarius accipiat, quibus eas diſtributas fuiſſe probetur, eaque decanus notariorum aſſeruabit, & in librum ad id deputatum, & ſigillo Archiepiſcopali munitum referet.

Atque vt idem Vicarius facilius, & tranquilliore conſcientia prædictas penias operibus pijs applicare poſſit ex hac, quæ ſequitur notula, loca quæ magis indigẽt, & quibus tutius eleemoſynæ diſtribui poterunt, cognoſcet.

Deputati ſuper pauperibus verecundis.
Pauperes Mendicantes.
Monaſterium Corporis Chriſti.
Moniales S. Bernardini.
Conuertita.
Moniales S. Helenæ.
Moniales S. Auguſtini.
Moniales S. Homoboni.
Moniales Conceptionis B. Virginis.
Moniales S. Catherinæ in via maiori.
Patres Ieſuitæ S. Luciæ.
Fratres minores in Eccleſia Annunciationis B. Virginis.
Fratres Obſeruantiæ vocati.
Fratres Capuccini vocati.
Fratres Ordinis minimorum, in eccleſia S. Benedicti in Galiera.
Fratres Charitatis.
Hoſpitale infantium expoſitorum.
Hoſpitale puerorum S. Mariæ Magdalenæ.
Hoſpitale S. Bartholomæi.
Hoſpitale S. Iob.
Hoſpitale Conualeſcentium.
Congregatio Infirmariorum pro pauperibus infirmis Parochiarum, & puellis pauperrimis.

Præter hæc loca in alijs etiam caſibus, qui in dies emergunt, huiuſmodi pecunias erogare poterit; veluti incendiorum; annonæ caritatis; pauperum familiarum, quarum bona tempeſtas aſſumpſerit; redemptionis captiuorum, præſertim ciuitatis, & diœceſis Bononienſis; carcere diutius detentorum ob æs alienum; pauperum peregrinorum; clericorum indigentium habitu clericali, aut alia re neceſſaria: conſtructionis eccleſiarum; ſupellectilis, & ornatus ſacellorum Sanctiſſimi Sacramenti, aut Oratoriorum, aliorumque bonorum operum ſimilium.

Porrò ex ijſdem pecunijs, partem aliquam etiam reſeruare poterit neceſſarijs expenſis ad iuſtitiæ exequutionem; quam deponet in monte Pietatis, & in ſeparato libro annotari curabit, vt in tribunalis vſum ſoluatur: quòd ſi ea tribunal minime indigeat, eandem in alios pios vſus, vt ſupradictum eſt, erogabit.

De rebus Tribunalis Archiepiſcopalis ad Reformationem pertinentibus.

CVm Reformatio latiſſime pateat, omniumque ferè rerum genera cõplectatur, difficile ſit: vt Vicarius iis omnibus ſatisfaciat, ſi in reliqua adminiſtrationis parte, quæ ad cauſas ciuiles, & criminales ſpectat, ſuo munere recte fungi

fungi voluerit. Itaque quemadmodum ſolitus fuit Illuſtr. Archiepiſcopus varijs congregationibus pro vario rerum genere inſtitutis, quibus & doctos, & peritos viros præfecit, huiuſmodi negocia pertractare, qui illum poſtea de rebus grauioribus admonebunt, & omnibus neceſſitatibus opportuna opera adhibetur; ita etiam Vicarius abſente eodem Illuſtriſſimo Archiepiſcopo iiſdem veſtigiis inſiſtere debebit, eademque proſequi, quæ iam incepta ſunt; ſuæ tamen auctoritati reſeruabit pro meliori executione omnia, in quibus requiruntur citationes, decreta, ſequeſtra, aliique huiuſmodi iudiciales actus: qui omnes à ſe tantum, & à foro Archiepiſcopali tanquam à totius iuriſdictionis fonte emanabunt.

Congregationes, de quibus hic facta eſt mentio, infraſcripta ſunt.

Congregatio ſuper rebus S. officij, & Inquiſitionis.
De cultu diuino in eccleſia metropolitana, & chori, totiuſque eccleſia miniſterio.
De Viſitationibus ciuitatis, & diœceſis.
De Monaſteriis Sanctimonialium.
De examinibus ad Beneficia, ad Confeſſiones; ad Ordines, & alia.
De Catechumenis, & Neophytis.
De Seminario.
De Schola clericorum in metropolitana.
De Pœnitentiarijs.
De Presbyteris inhabilibus, & impotentibus.
De Oratorio in metropolitana.
De Viſitationibus hoſpitalium.
De Confraternitatibus Spiritualibus Laicorum.
De Societate Sanctiſſimi nominis Dei.
De caſibus conſcientia.
De diſtributionibus eleemoſynarum.
De Funeralibus.
De Oeconomia Archiepiſcopali.

Eorum verò qui ſingulis his congregationibus præfecti ſunt, & ab Illu. Archiep. deputati, nomina, & congregationum ipſarum ordines aſſeruari ſolent in Archiepiſcopali archiuio, vt ad manus ſint eidem etiam Vicario, prout caſus poſtulabunt.

Et quia prçter has cõgregationes plures etiam aliæ inſtitutæ ſunt, vt populus ad pietatem, & deuotionem inducatur, abuſusque omnes in ciuitate, & diœceſi penitus deleãtur: earum regulas in libro collectas ſæpius Vicari⁹ legat, & animaduertat: ad quæ ſuam adminiſtrationem omnino accommodare ſtudeat, in conſilium adhibẽs peritiores quoſdam prædictarum congregationum viros, aut certe earum Præfectos, eaſdemque ſollicite curet obſeruare.

Caueat autem, quantum fieri poterit, ne nouos ordines, & prouiſiones promulget, niſi maxima neceſſitate adductus: cum admodum difficile ſit, vt veteres conſtitutiones, & edicta penè obſeruentur: populuſq; in ſuſpicionem facile incidere ſoleat, & dubitare, ne nouis vinculis obſtringatur, & facile iccirco à recta via aberrare; præſertim cum nemini licet ſemper totum id facere, quod poteſt.

Atque inter cetera animaduertere debebit, ne nouæ inſtitutiones religioſorũ nomine, aut congregationum, aut Monaſteriorum quouis prætextu introducanrur, in quibus expenſis opus ſit cõtinuis, quæ ab eleemoſynis, aut alijs fidelium contributionibus colligantur: niſi prius admonuerit Illuſtriſſ. Archiepiſcopum, & Dominos aſſumptos Illuſtriſſimi Senatus, qui ſtatum temporalem præſertim ciuitatis optime norunt: cum ciuitas pleniſſima ſit monaſterijs, hoſpitalibus, aliiſque pijs locis, quibus in primis ſuccurrendum eſt, & ſçpenumero ſit temporum iniuria, & calamitate, vt difficile ſuccurri poſſit.

Neque mirum ſit, ſi Vicario ſenatorum conſilium adhibendum proponitur; nam ita ab initio facere inſtituit Illuſtriſſimus Archiepiſcopus: vt non ſolum cuiuſdam humani officij, à quo bonum regimen plurimum pendet: ſed etiam conſilij, & auxilij cauſa, eorum opera vtatur: ſine ſcripto tamen, aut alio quouis

uis actu, qui iuriſdictionis Archiepiſcopalis auctoritatem minuere poſſit, aut debeat; nam ex his inuicem communicatis ſententijs, plurimum roboris acquirunt Archiepiſcopales ordines, qui promulgantur: cum edoctus magiſtratus de cauſis, quæ Archiepiſcopum ad iubendum, aut prohibendum aliquid adducunt, facilius ipſi, & ipſius exemplò reliqui ijs obtemperant.

Itemque Illuſtriſſimis Legatis, Vicelegatis, aut Gubernatoribus, eorumque auditoribus, alijſque miniſtris obſequium debitum, & quod decet ſuum officium, pręſter: ſibique perſuadeat, ex hac prudentię parte, humanitatis officio coniuncta, plurimum fructus, & facilitatis, ſuæ adminiſtrationi accedere; nam non ſolum conſilia vtilia ſunt, quæ ab ipſorum prudentia proficiſcuntur: ſed etiam cum Archiepiſcopalis regiminis rationem, putam, ſinceram, atque integram, & ſaluti fidelium directam viderint; apud alios etiam ipſam iuuent ac tueantur, ad Dei laudem, qui ſit benedictus in ſecula. Amen.

CONSTITVTIONES Fori eccleſiaſtici, & curiæ Archiepiſcopalis Bononienſis.

VT cauſæ ad Forum eccleſiaſticum pertinentes, minore poſthac litigatorum incommodo, certioreq; regula pertractentur, ac celerius terminentur, nec tamē debita merces iuxta laborum merita cuiquā denegetur; placuit Illuſtr. & Reuerendiſſ. Cardin. Palæoto Archiepiſcopo primo Bononienſi, præſentes conſtitutiones matura conſultatione adhibita conditas promulgare: quas in eius curia, ciuitate, & diœceſi, ab omnibus & ſingulis, ad quos pertinent, ſub pœnis in illis præſcriptis præcipit, in poſterum omnino inuiolabiliter obſeruari.

1 Mandatur itaque in primis, quòd in omnibus cauſis iure canonico permiſſis, pcedatur ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij: & propterea primus actus merita reſpiciens, vel lapſus termini dati ad opponendum, habeatur pro litis conteſtatione.

2 Et quòd omnes, & quælibet exceptiones oppoſitæ, etiā proceſſum, & litis ingreſſum impedientes, reſeruentur, & reſeruatæ intelligantur abſq; alio iudicis decreto, vel miniſterio in fine cauſæ examinādæ: exceptis tamen concernentibus defectum iuriſdictionis, citationis, & mandati; ex quibus aliqua, ſi propoſita fuerit, debeat eadem cognoſci, & terminari infra ſex dies, à die obiectionis: aliàs cenſeatur reſeruata in meritis cauſæ, & interim in cauſa procedatur.

3 Liceat nihilominus etiam ſuper alijs exceptionibus, vt ſupra reſeruatis, quandocūque iudici earum aliquam iuſtificatam eſſe viſum fuerit, ſuper ea ante ſententiam pronunciare.

4 In omnibus cauſis etiam, in quibus ordo iuris, circa proceſſus ſeruandus eſt, nullus forenſis, vel diœceſanus, aut incola comitatus, aut territorij admittatur: niſi prius elegerit locum in ciuitate, vbi citandus ſit ad omnes & ſingulos actus, qui neceſſarij fuerint, & quomodolibet opportuni: ſeu aliàs in caſibus, in quibus citatus non cogitur comparere perſonaliter, ſufficiens dederit mandatum in perſona habili, & repetibili, cum qua procedi poſſit, & iudicium perfici.

5 In ijſdem cauſis iudex tres tantum partibus ad proban. arbitrio ſuo ſtatuat dilationes: quartam autem poſſit cum ſolemnitate legāli præfigere, ſi hæc poſt lapſum tertię fuerit infra tres dies, quorum vnus ſaltem ſit vtilis, poſtulata: aliàs verò nullus locus ſit quartæ dilationi.

Pro-

6 Productiones ſcripturarum, veluti Articulorum, Interrogatoriorum, Poſitionum, Inſtrumentorum, & aliorum iurium, ac etiam teſtium admittantur: & admiſſæ intelligãtur, ſub ea ſalutari clauſula, videlicet; ſi & in quantum de iure ſint admittendæ: & ſaluis quibuſcumque exceptis, tàm datis, quàm dãdis quomodolibet, & citra illorum præiudicium; ita quòd ſi non debuerint admitti de iure, habeantur pro non admiſſis; & ipſæ, ac ab eis dependentes probationes, & reſponſiones nullam prorſus fidẽ, aut præſumptionem faciant, nihiluè parti præbeant nocumenti.

7 Productiones Articulorum, Poſitionum, & Interrogatoriorum parti facien. non impediant curſum dilationum, niſi facta reali, & actuali eorum productione, cum dimiſſione copiæ parti danda, penes notarium cauſæ: & producens fecerit ſibi incumbentia, atque omni ope nixus fuerit, vt eis reſpondeatur, & ſteterit per aduerſarium, vel per Iudicem.

8 Ad euitanda periuria in iudicijs hactenus frequentata, detur cuilibet reſpondere debenti copia poſitionum, cum termino ad illis deliberatè reſpondendum, iudicis arbitrio declarari; quo elapſo, ſi nihil, vel minus perfectè reſponſum fuerit: poſitiones, quibus infra id tempus non fuerit reſponſum, abſque alio Iudicis decreto habeantur pro confeſſis, & negatis, reſpectiuè in deteriorem partem eius, & ſeu eorum qui neglexerint, vel omiſerint illis infra dictum tẽpus, vt ſupra reſpondere; ſaluo ſemper nihilominus iure impertinentium, & non admittendarum, tempore ſententiæ examinando.

9 Qui contra veritatem reſpondiſſe conuincetur in poſitionibus pertinentibus & factum proprium concernentibus, incurrat & incurriſſe intelligatur ipſo iure, & facto pœnam vigintiquinque librarum pro qualibet ſic negata poſitione, applicanda parti pro dimidia, & pro reliqua operibus pijs arbitrio Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſ. Cardinalis Archiep. ſeu Reuerendi D. Vicarii.

10 In cauſis autem Alimentorum, Mercedum, Pẽſionum, Carceratorum, Executionum, Piarum cauſarum, & aliarum ſimilium, quæ celeritatem expoſtulant, & moram non patiuntur: Iudex ipſe procedere debeat abſque tela iudiciaria, ſolum veritati, & æquitati innitens: Neque in his vlla copia, vel terminus detur ad opponendum, qui excedat primam diem iuridicam, niſi cauſæ cõditio aliquid amplius poſtulauerit: vel ſi Iudici videbitur pars conuenta, ſi præſens fuerit, cõpelli poſſit ad ſtatim reſpondendum, & opponendum.

11 Quæcumque mandata vim nunciationis non habentia, cum clauſula, Comparente eo, cui factum fuerit mandatum, parte citata, vel præſente, reducantur, & reducta intelligãtur ad terminos iuris cum clauſula, Nihil innouari de facto ſub eadem pœna, de qua in mandato.

12 Neque præcepta de ſequeſtrando bona, aut perſonas, neque citationes pro ſuſpecto, neque mandata de capiendo, dentur aut exequantur, niſi fuerint manu Iudicis ſubſcripta: præterquam ſi periculũ eſſet in mora, & Iudex abſens, vel aliàs impeditus eſſet.

13 Habeat quilibet notarius particularem librum, in quo continuatè nullovè dimiſſo ſpatio, conſcribantur dicta originalia, & atteſtationes teſtium: ea autem nunquam partibus, vel procuratoribus, aut aliis quomodocunque dentur: prout nec originalia reſpõſionum ad interrogatoria, vel poſitiones, ſeu relationes peritorum in arte, vel examinum principalium, ſed ſu-

pradictorum

prædictorum omnium trāſumptum tantùm, ſeu copia ſuis debitis temporibus in forma probanti partibus petentibus de licentia Iudicis decernatur: niſi quandoque Iudex ipſe ob inopiam partium a notario cauſæ illis, ſeu eorum procuratoribus legi tantum poſſe permiſerit.

14 Proceſſus quoque originales nemini dentur, aut accommodentur, ſine licentia in ſcriptis Iudicis cauſæ, aut R. D. Vic. Dictique proceſſus, aut acta alicuius cauſę nec oſtẽdantur quidem, aut legantur vlli intereſſe non habenti, aut mandatum apud acta non dimittenti.

15 Proceſſus à notario tantùm actuario Iudici conſignetur, cum actorum ſummario perfecto, ac cum ſubſcriptione manu actuarii atteſtantis de proceſſus, & ſummarii perfectione, & integritate vſque ad diẽ traditionis.

16 Lapſo termino probatorio, ſi publicatio teſtium infra octo dies immediatos, quorum duo ſaltem iuridici fuerint, non ſit poſtulata, amplius poſtea non noceat, expeditionem cauſæ retardet, niſi aliud iudici ex iuſta cauſa viſum fuerit.

17 Non dentur aſſociationes ex reuocatione precarii, aut conſtituto contra tertium poſſeſſorem non citatum, & niſi cauſa ſummariè, vt ſupra, cognita, niſi tamen ex aliqua iuſta cauſa Iudici viſum fuerit, talia fore concedenda.

18 Habilitationes quoque à iuramentis non concedantur, neque modo aliquo dentur, niſi ſecundum formam ſolitam, & cum clauſula, videlicet, dum tamen in omnem caſum, in quem de viribus iuramentorum diſceptari quoquomodo cõtigerit, in dicto Foro Eccleſiaſtico diſceptetur.

19 Iudex verò nullum decretum, nullã-vè ſententiam proferet, niſi prius notarii apud acta ſcripſerint partium inſtantias, petitiones, reſponſiones, & obiectiones, & quatenus ſtaret per alteram partium, quominus obiecta per eam, & factæ contradictiones ſcriberentur, poſſint, & debeant notarii ipſi ſupplere, cũ hac duntaxat clauſula magis viſitata, videlicet, præſente .N. & prædicta acceptante in parte, & partibus, &c. in reliquis verò expreſsè & contradicente, & negante illa in partibus proximè dictis vera eſſe in iure, & in facto, & attendi poſſe, vel debere: aliàs proteſtante de illorum nullitate, &c.

20 Recuſatio facta alicuius notarii admittatur, ſi infra primam dilationẽ ſuſpitio fuerit allegata cum iuramento ſuſpitionis, & de calumnia, ſoluto eo, quod ex forma ſtatutorũ notario recuſato debetur: Poſt verò lapſum primæ dilationis, nullatenus admittatur: niſi cauſa ſufficiens allegetur, & aliter, quàm per iuramentum iuſtificetur, & in locũ legitimè recuſati alius ſorte extrahatur, vel arbitrio iudicis, aut conſenſu partium ſubrogetur.

21 Curẽt notarii vt in ſuorum actorum libris, ſingulis diebus, ſine intermiſſione, nullis dimiſſis ſpatiis omnia acta conſcribantur: Quòd ſi negociorum multitudo eos impediuerit, teneãtur ſaltem intra octo ad ſummũ dies immediate ſequentes ea omnia in dictis actorum libris conſcripſiſſe.

22 Teneatur etiam quilibet notarius tam Curiæ Epiſcopalis, quàm Ciuitatis, & Diœceſis, cumprimùm de qualibet renunciatione, præſentatione, collatione, inſtitutione, ſeu alia prouiſione quoruncunque beneficiorum, ad quorumuis prouiſionem ſpectantium, rogatus fuerit, eam ſummatim iuxta formam præſcribendam conſcribere in libro, qui apud R. D. Vicarium ad hunc finem permanebit, cuius talis erit rubrica, videlicet: Liber

renun-

Digitized by Google

rennnciationum, præſentationum, collationum, inſtitutionum, & prouiſionum quorumcumque beneficiorum, ad cuiuſuis prouiſionem ſpectantium.

23 Notarij ad criminalia deputati habeant ſinguli librum particularem cum ſuo indice in principio dicti libri: in quo ea dumtaxat ſcribere teneantur ſingulis diebus, ſine intermiſſione, & nullis prorſus dimiſſis ſpatijs, quæ ad criminales cauſas pertinebunt, criminaliaq; concernent.

24 Hic autem liber criminalium cuiuſlibet notarij, eſſe debeat intitulatus, affoliatus, ſignatus in ſingulo folio impreſſione ſigilli ad hoc deputati, ac ſubſcriptionem habeat in eius principio manu propria eiuſdem R. D. Vic. antequam notarius poſſit de actibus vllis in eo ſcribendis rogati.

25 Nullus notariorũ, nullavè alia perſona cuiuſuis ſtatus, gradus, aut conditionis audeat tali libro chartas aliquas vnam, vel plures addere, aut ab eo detrahere, ſub pœna falſi, & pecuniaria, de qua infra.

26 Notarius etiam quilibet in fine ſui officii, & quamprimum eius librũ criminalium actis impleuerit, teneatur librum huiuſmodi cum ſuo indice completo eius manu, & authentica ſubſcriptione ſubſcriptũ, ſolitoq; eiuſdem notarii ſigno munitum tradere, & relaxare in manibus Reuerendi D. Vicarii, vt in archiuio curiæ ad perpetuam rerũ in ea geſtarum fidem cuſtodiatur, & conſeruetur.

27 Conficiantur inſuper, & continuè apud eundem R. D. Vicarium conſeruentur duo alii libri, quorum vterque eſſe debeat intitulatus, affoliatus, ſignatus, & ſubſcriptus, vt ſupra, ac ſuo Indice munitus; In quorum altero quilibet notariorũ ad criminalia deputatorum, ſingulis diebus, & ſine vlla ſpatii dimiſſione, ſcribere teneatur inhibitiones, mandata, & præcepta quęcumque, proclamata quoque, & fideiuſſiones quaslibet, de quibus, quãdo, & prout in officio criminalium quomodolibet ipſum rogari contigerit: Et propterea deſcribetur, atque intitulabitur, Liber mandatorum, & cautionum. In altero verò libro teneatur ſummatim, ſufficientem tamen mentionem facere de qualibet, & ſingula cauſa criminali, quæ quomodolibet, & quàm primùm ad eius manus peruenerit in ſuo libro criminalium tractãda, & regiſtranda; ita vt Reuerendus Dominus Vicarius, antequam in aliqua cauſa procedatur, habere debeat penes ſe in huiuſmodi libro ſufficientem mentionem, & cognitionem cauſę, & perſonarũ, in qua, & contra quas erit procedendum; necnon & notarii, ex cuius actis fuerit pertractanda, atque libri, & folii, in quo apud dictum notarium cauſa ſumpſerit initium, & erit continuanda.

28 In quibus quidem cauſis criminalibus nemo notariorum dabit citationem pro incontinenti, aut commiſſionem de quempiam capiẽdo abſque licẽtia, & commiſſione Reuerendi D. Vicarii: quæ aliter probari non poſſit, quàm per ſubſcriptionem eius manu in tali citatione, ſeu commiſſione, vel præcepto de capiendo.

29 Nullus verò notariorũ reum quempiam examinabit: teſtes aliquos, vnum, vel plures ad defenſam recipiet, aut iam examinatos contra reum repetet, abſq; interuentu, vel expreſſa D. Vic. licẽtia, & mãdato.

30 Et nequeat notariorũ aliquis abſque ſimili licentia, & commiſſione alicui nedum vllam copiam, in totũ, vel pro parte, facere proceſſus, vel actorum alicuius cauſæ criminalis: ſed nec talia modo aliquo cuiquam oſtendere.

31 Obſeruent inſuper circa mercedes quaslibet illis quomodolibet debendas

 bendas

bendas taxam infra præſcriptam;
nec quicquam aliud, etiam ſponte
datum, aut per interpoſitam perſo-
nam: exceptis eſculentis, & pocu-
lentis, quæ vno die conſumi poſ-
ſint, omnino accipiant.

32 Quocirca, & ad cautelam, vt perpe-
tuo appareat, quid, & quantum ſo-
lutum fuerit; quilibet notariorum
tenebitur proprium penes ſe habe-
re librum: in quo ſingulis diebus
manu propria ſcribet omnes, & ſin
gulas pecuniarum ſummas, & quã-
titates, quas receperit, & à quibus,
& ex qua cauſa, ac aliàs quomo-
dolibet in dictis cauſis criminali-
bus, & illarum occaſione illas rece
perit: Quem librum in fine cuiusli-
bet hebdomadæ ſpontè præſenta-
bit R. D. Vicario, & aliàs etiã quan
documque ab eo, ſeu à reuiſore de-
putato fuerit requiſitus.

33 Nullus præterea notarius poſſit in
aliqua cauſa, vel aliàs, fidem ali-
quam facere ſtyli, aut conſuetudi-
nis dicti fori, ſine expreſſa licentia
Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Ar-
chiepiſ. aut R. D. Vicarij in ſcriptis
obtinenda.

34 Quoniam ſacroſancta Tridẽtina Sy
nodus animaduertens ex notario-
rum imperitia, plurima damna, &
multarum occaſionem litium oriri:
decreuit Epiſcopum etiam tanquã
Apoſtolicæ ſedis delegatum, poſ-
ſe quoſcumque notarios, etiam ſi
Apoſtolica, Imperiali, aut Regia
auctoritate creati fuerint, exami-
natione adhibita, eorum ſufficien-
tiam ſcrutari: illiſque non idoneis
repertis, aut quandocunque in offi-
cio delinquentibus, officij eius in
negocijs, litibus, & cauſis Eccleſia-
ſticis, ac ſpiritualibus exercendi
vſum perpetuò, aut ad tempus pro-
hibere. Idcirco in executionem hu
iuſmodi decreti, prohibetur ex nũc
omnibus, & ſingulis, etiam qui im-
præſentiarum notarij officium actu
exercent, tam in ciuitate, quàm
diœceſi, ne poſthac ſe rogare de
aliquibus iudicialibus, aut extraiu
dicialibus actis, aut alijs quibuſcũ-
que negotijs, litibus, vel cauſis Ec-
cleſiaſticis, vel ſpiritualibus, ſeu a-
liis ad Forum eccleſiaſticũ ſpectan
tibus, coram quibuſcumq; iudici-
bus, vel aliàs quomodolibet præſu
mant: niſi præcedente examine, ac
ſolemni iuramento, de obſeruãdis
quantum ad eos pertinebit, præſen
tibus conſtitutionibus, & taxis, fue
rint prius ab Illuſtriſſimo, & Reue-
rendiſſimo Archiepiſcopo, aut Re-
uerendo D. Vicario, ſcriptò appro-
bati: quæ approbatio gratis con-
cedetur: aliter rogitus quicumque
ab iis facti, omni prorſus fide, & ef-
fectu careant: ac notarii contraue
nientes pœna præſentibus conſti-
tutionibus cõprehenſa, teneantur.

35 Notarii quoque, qui in præſenti cu-
ria Archiepiſcopali officium ta-
bellionis actu exercent, nõ audeãt
amplius ex eiuſdem Cõcilii decre
to in eadem curia actitare, aut no-
tariatus officiũ ibidẽ exercere, niſi
prius eorum ſufficientia, examina-
tione adhibita, fuerit perſpecta, ha
bitaq; de eorum vita, & moribus di
ligens informatio, atque ab eodem
Illuſtriſſ. & Reueren. Archiepiſ. ap-
probati fuerint per patẽtes literas
manu eius ſubſcriptas: Similiter e-
tiam eorũ ſubſtituti ad acta, & alia
conſcribenda, non admittantur, ni
ſi prius examinati, approbatiq; in
ſcriptis fuerint; Præſtabuntq; om-
nes notarij dictæ curiæ, tam princi-
pales, quàm ſubſtituti in manibus
Illuſtriſſimæ D. ſuæ, vel R. D. Vic. iu
ramentum de obſeruandis præſen
tibus conſtitutionibus, cũ taxa mer
cedum, atque omnibus, & ſingulis
in illis cõprehenſis, & modo, & for
ma tenoris, qui ſequitur, videlicet.

Forma iuramẽti præſtãdi à notarijs.

IVro ego N. notarius ab Illuſtriſsimo, & Reuerendiſsimo D. Cardinali, & Archiepiſ. Bononienſi delectus, in eiuſdem Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi D. Archie-

Archiepiſcopi minibus, quod commiſſum mihi munus diligenter, & fideliter exercebo: atque perſonaliter actis, ac ſeruitiis curiæ Archiepiſcopalis aſsiduus ero; à litigatoribus, quorum fuero notarius, vel à quocumque alio eorũ nomine, quauis de cauſa nihil, ne ſponte quidem datum, accipiam: præter id quod ipſius Illuſtriß. & Reuerendiſſ. D. Archiepiſcopi conſtitutionibus præfinitum fuerit. Nihil agam, neque me, aut quemquam alium interponam, quo mihi vlla cauſa ſcribenda committatur: Non ero promotor, vel procurator in aliquibus cauſis ad Forum eccleſiaſticum pertinentibus, aut aliis, ſi qua agentur coram Illuſtriſsimo, & Reuerendiſ. D. Archiepiſcopo, ſeu eius R. D. Vicario, uel aliis Iudicibus Fori eccleſiaſtici, in ciuitate, uel diœceſi Bonon. In cauſis uerò, in quibus ſum, uel fuero notarius, omnes actus iudiciales fideliter, & abſque aliqua intermiſſione conſcribam: ſecreta eiuſdem officii, & cauſarum nemini patefaciam, præſertim atteſtationes teſtium, relationes peritorum, iudicia arbitrum, conſilia aſſeſſorum, & ſententias, donec per Illuſtriſsimum, & Reuerendiſsimum D. Archiepiſcopum, ſeu alios ſupradictos publicata fuerint, constitutionibus quoque, & mandatis Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi Domini Archiepiſcopi, & Reuerendi D. Vicarii obtemperabo, nec ullo unquam tempore contrafaciam; & omnia, ac ſingula ſupraſcripta omni dolo, & fraude omnino remotis inuiolate præſtabo, & ita promitto, & iuro: ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

POſtremò, quoniam pauperes à potentibus, & diuitibus varijs artibus, & ſtudijs litigando ſæpiſſimè opprimuntur: ita vt ipſi ob eorum inopiam, & tenuitatem ius ſuum perſequi, & defendere minimè poſſint: vnde Dominus in ſacris literis frequenter eos Principibus, & Iudicibus commendat: idcireò monentur omnes Iudices, & præſertim qui cauſas ad Forum eccleſiaſticum ſpectantes ſunt iudicaturi, vt orfanos, viduas, egenosque libenter audiant, piè iudicent, indigentibuſque viros probatos conſtituant, qui eorum parrocinium nulla mercede, ac ſumma fide ſuſcipiant, & quaſcumque lites, qua maiori poterunt breuitate, iuxta concilij Tridentini decretũ diffiniant. Aduocati quoque, & procuratores itidem monentur, vt à litibus, quas minus iuſtas eſſe nouerint, omninò abſtineant: cauſas miſerabiliũ perſonarum gratis, ac diligenter gerant: extricandis componendiſq; litibus, omnem operam, ſtudiumq; bona fide adhibeant: talesque ſe omninò gerant, vt aduocatum ipſi quoque in cœlis Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum habere mereâtur.

De cuſtode carcerum.

1 CVſtos carcerum curiæ Archiepiſcopalis ſit bonæ vitæ, & famæ: & in omnibus, quæ ad eius officiũ pertinent, quæque ſibi demandantur præſentibus conſtitutionibus fidelis, diligens, atque ſecretus; qui etiam de prædictis omnibus obſeruandis, ac honeſtate in carceribus tuenda, ſolemniter iurabit in manibus Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini Cardinalis Archiepiſ. vel Reuerend. D. Vicarij, ac idoneè ſatisdabit ad arbitrium eiuſdem Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſ. Domini, ſeu eius R. D. Vicarij.

2 Huius officium erit in primis carceres dictæ curiæ expurgatos ab omni immũditia, & obſcœnis libris tueri, alearum luſum in ijs prohibere, mares à fœminis ſeparatos retinere, cæteroſque omnes ſibi in carceribus per executores conſignatos, tute, & fideliter cuſtodire: & carceratis omnibus, qua poterit maiori charitate, & chriſtiana pietate in neceſſariis inſeruire: Necnõ bona, & res cuiuslibet carcerati, prout ad eius manus peruenerint, cõſeruare, & illi cuius fuerint, quando oportuerit,

vel ſibi iniunctum fuerit, integra reddere,& conſignare: Et neminē carceratorum in honore, perſona, ære,aut bonis, modo aliquo lædere,aut vllo pacto damnificare.

3 Præterea neminem ad carcerū oſtia feneſtrasuè admittere, neque vllo pacto pati aliquem ſine iuſſu,vel licentia præfati Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi D. Cardinalis Archiepiſcopi,vel R. D. Vicarij videre, aut alloqui vllum ex carceratis.

4 Ad hæc ſumma ope niti, atque inuigilare:ne internuntij, literæ,ſigna, cōtraſigna,arma,res,aut inſtrumenta cuiuſcumque qualitatis, & conditionis ad dictos carceres, & ad perſonam aliquam carceratam vllo modo deferātur, aut quoquo pacto perueniāt: ex quibus quiſpiam carceratus poſſet fieri certior rei alicuius,vel animoſior, aut fortior in cōſtitutis,& examinibus: aut ad fracturam carcerum, & fugam arripiendam, vel aliquid mali, aut facinoris perpetrandum.

5 Quapropter ſcrutabitur diligenter, quæ ad perſonas carceratas ex cauſa alimentorum,aut alia occaſione deferentur:ea tamen non attingendo,niſi quatenus neceſſarium eſſet; ac die,noctuq; ſemel,bis, & ſæpius dictos carceres viſitabit: & ſi quid mali,aut ſuſpecti viſitando, videndo, & explorando inuenerit, illud confeſtim denunciabit præfato Reuerendo domino Vicario.

6 Neminem etiam carceratorum dimittet,niſi habita licentia,ſeu mandato in ſcriptis præfati Illuſtriſſimi & Reuerendiſſ. Archiepiſcopi, ſeu dicti R.D.Vicarii.

7 Poſtremò ipſe cuſtos de omnibus, & ſingulis indigentijs dictorū carceratorum, ac de quocumque,qui in illis infirmitatem contraheret, quàmprimùm certiorē faciet præfatum R. D. Vic., necnon & carcerum viſitatorem; ad hoc, vt carceratis ſacramentum pœnitentiæ, quando opus erit, miniſtretur: atque reliquis eorum rebus, ac neceſſitatibus ſuccurratur.

8 Quocirca ipſe cuſtos ſe fideliter in primis erga carceratos geret, atq; totius familiæ ſuæ uitam omnem, & mores diriget: curabitque, vt quilibet ſe omninò abſtineat à quibuſcumque muneribus, inconſulto R. D. vicario, aut dictorum carcerum viſitatore; contentique tàm ipſe, quàm omnes eius miniſtri ſimul erunt eo dumtaxat, quod ipſis in receſſu, & poſt liberationem à carceribus,ſponte datum,& donatum fuerit à ſingula perſona carcerata:quod non excedat, nec excedere poſſit in totum ſummam ſolidorum ſeptem bonenorum monetę currentis; niſi fortè alicui ære proprio de alimentis,aut alijs neceſſarijs prouidiſſet; quorum quidem cauſa totum id petere, & exigere poterit, quod taxatum fuerit per R. D. Vic. ſeu dictorum carcerum viſitatorem.

9 Inſuper ipſe cuſtos retinebit penes ſe librum intitulatum, affoliatum, ſignatum, & ſubſcriptum ſigillo,& ſubſcriptione R. D. Vic. In cuius parte prima deſcribet ſingulis diebus, & ſine vlla intermiſſione, aut ſpatio nomina,cognomina cuiuslibet carcerati, & diem qua carceratus fuerit,cum rebus,& bonis, quæ apud ipſum reperta fuerint. In altera verò parte ſimiliter vnoquoque die,& ſine vlla intermiſsione, aut ſpatio, relaxationē cuiuslibet carcerati,& diē talis relaxationis,cum ſumma pecuniarum, quam relaxatus ſponte in receſſu ipſi dono dederit, & reſtitutionem bonorum illi factam.

De Caballerio, ſeu Baricello.

1 Milles autem,ſeu baricellus, quē vocāt caballeriū curię Archiepiſcopalis,debeat ſe in cūctis,quæ ad eius officium pertinent, fideliter,diligenter,& ſecretè gerere: deque his omnibus, atque præſentiū con-

conſtitutionum obſeruatione ſolemniter iurare, & idoneè cauere, ad arbitrium Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi D. Cardinalis Archiepiſcopi, ſeu Reuerendi eius Vicarij.

2 Necnon apud ſe, pro ſeruitijs curiæ in eius officio ſocios neceſſarios, ſeu famulos, idoneos, ac fideles omnibus ſuis ſumptibus continuè alere, & retinere.

3 Teneaturque quando, & quotiens requiſitus fuerit omnes, & ſingulas cuiuſuis generis, & ſpeciei executiones, tàm reales, quàm perſonales, tam in ciuitate, quàm per totam diœceſim, quæ ſiue ex officio, ſeu ad inſtantiam partis, aut aliàs quomodolibet in dicto Foro eccleſiaſtico commiſſæ fuerint, diligenter exequi, per ſe, vel alios, omnibus ipſius periculo, ſumptibus, & expenſis.

4 Quas quidem executiones omnino facere, & exequi teneatur, ſi in ciuitate, vel propè infra tria milliaria, eamet die, vel immediate ſequenti; & ſi procul à ciuitate per xx milliaria, infra tres dies; & ſi vltra xx milliaria, infra ſex dies, a die habitę cōmiſſionis, & mandati.

5 Teneatur pariter à die factæ executionis, infra ſimilia reſpectiuè tempora, vt ſupra, curaſſe, & feciſſe, quòd relatio incontinenti ſcripta ſit apud acta notarij, qui de commiſſione rogatus fuerit.

6 Incontinēti quoque, vt ſupra teneatur de qualibet executione reali, vel perſonali, quā per ſe, vel alios ex cauſa criminali quomodolibet fecerit, Illuſtriſſimum, & reuerendiſſimum D. Cardinalem Archiepiſcopum, aut Reuer. D. Vicarium facere certiores.

7 Nullam tamen executionem ex cauſa criminali realem, aut perſonalē, per ſe, vel alios facere poſſit, abſq; commiſſione, & licētia in ſcriptis, ſubſcripta manu Illuſtriſſimi D. Archiepiſcopi, aut R. D. Vicarij: niſi aduerſus repertos in fragranti crimine, iuxta formā ſibi in hoc præſcribendam.

8 Poſtremo teneatur per ſe, vel alios, vt ſupra, perſonas omnes, contra quas emanauerint commiſſiones de capiendo, aut quæ repertæ fuerint in fragranti crimine, vt ſupra: realiter, & cum effectu capere, & captas ducere ad carceres dictæ curiæ; & in illis tute, & fideliter cuſtodi dictorum carcerum eas conſignare.

9 Poſsitque pro qualibet executione reali, aut perſonali, id duntaxat petere, & cōſequi nomine mercedis & ſalarij, quod ſibi conceſſum eſt in taxa, de qua infra: & nihil vltra habere, etiam à ſponte dare volentibus,

10 Quocirca, & ad cautelam, miles ipſe teneatur penes ſe retinere librū, intitulatum, affoliatum, ſignatum ſigillo deputato, & ſubſcriptū manu præfati Reuerendi D. Vicarij: in quo ſingulis diebus, manu ipſius caballerij propria ſcriptas retinere debeat continuate, & ſine vlla ſpacij dimiſsione, omnes, & ſingulas pecuniarum ſummas, quas quomodolibet recipiet, & cōſequetur; & cauſam, ac perſonas, propter quam, & à quibus pecunias fuerit conſecutus; & in fine cuiuslibet hebdomadæ, etiam irrequiſitus, & aliàs quandocūque ad omnem voluntatem Reuerendi Domini Vicarij, illam eidem Reuerendo D. Vicario, ac reuiſori deſuper deputato oſtendere, & fidem reuiſionis ab ipſo Reuerendo D. Vicario accipere; Alioquin de pecunijs in dicto libro non deſcripto, modo, & forma prædictis, quas deprehenſus fuerit quomodolibet recepiſſe, & habuiſſe, teneatur pœna furti, vltra alias in præſentibus conſtitutionibus, ei inflictas,

TAXA MERCEDVM.
FORI

Eccleſiaſtici Bonon. vltrà quam prohibetur omnibus notarijs actuarijs, cuſtodi carcerum, executoribus, & alijs quibuſcunque, ad quos ea quomodolibet pertinet, ne quicquam omninò exigant, aut etiam ſponte oblatum accipiant.

De mercede notariorum in ciuilibus.

Lire. Bol. Din.

PRo qualibet neceſſaria citatione cũ relatione executionis illius. *taxa mercedis erit.* L. o. 1. o

Pro quolibet perẽptotio manu notarii, vel eius mandato ſcripto, cum ſua relatione. L. o. 3. o

Pro quolibet præcepto cum relatione. *taxa mercedis erit.* L. o. 2. o

Pro quolibet ſequeſtro cum relatione. *taxa mercedis erit.* L. o. 3. o

Pro qualibet petitione in actis faciẽda, & regiſtranda. L. o. 3. o

Pro accuſatione, vel querela in actis faciẽda, & regiſtrãda. L. o. 2. o

Pro qualibet inſtantia, reſponſione, & replicatione in actis facienda, & regiſtranda. L. o. 1. o

Pro productione cuiuſlibet ſcripturę, inſtrumenti, vel documenti, vel plurium vno, & eodem tempore, & actu productorum, de quibus etiam fieri debeat ſufficiẽs mẽtio in actis. L. o. 2. o

Pro interlocutoria ſuper legitimatione perſonarum, vel iuriſdictione. *taxa mercedis erit.* L. o. 5. o

Pro interlocutoria qualibet habẽte vim diffinitiuæ in contradictorio, & ſuper aliquo proceſſu, vel illius vigore facta: dimidium eius, quod infrà eſt taxatũ, & debebitur pro diffinitiua.

Pro quolibet præcepto executiuo de pignorando cum relatione. *taxa mercedis erit.* L. o. 2. o

Pro quolibet præcepto perſonali, ſeu citatione pro incontinenti, & ſine alio præcepto de aſſociando quempiam, ad aliqua bona ingrediendum, & ſeu tenutam aliquorum bonorum capiendam: ſiue perſonam vnam, vel plures arreſtandum, capiendum, & carcerandum, cum relatione executionis illius in actis ſcripta, & regiſtrata. *taxa mercedis erit.* L. o. 10. o

Pro mandato procurę per ſingulam perſonam apud acta facto, & regiſtrato. *taxa mercedis erit.* L. o. 2. o

Pro electione loci, etiam cum comparitione, per ſingulam perſonam apud acta facta. L. o. 1. o

Pro reſponſionibus ad poſitiones, videlicet, pro ſingula reſponſione ad quamlibet poſitionem in totum à partibus. *taxa mercedis erit.* L. o. o. 6

Pro pronuntia poſitionum, videlicet pro decreto. L. o. 3. 6

Pro ſingula reſpõſione ad quodlibet interrogatorium, ſolùm ab interrogari petente, & obtinente. L. o. 1. o

Et hoc ſi reſponſiones prædictæ, tàm ad poſitiones, quàm ad interrogatoria recipiantur in palatio Archiepiſc. ſi verò extra palatiũ, duplum eius, quod ſupradictum eſt, tàm de interrogatorijs, quàm de poſitionibus, vel id minus, quod arbitratus fuerit R. D. Vic.

Pro quacunque intimatione cum illius relatione. L. o. 1. 6

Pro inhibitione ordinaria authentica cum ſigillo, & cum illius relatione. *taxa mercedis erit.* L. o. 10. o

Si verò habuerit inſertam ſupplicationẽ & commiſſionem, & reſcriptum. *taxa mercedis erit.* L. 1. o. o

Pro literis ſubſidialibus, & ſimilibus. *taxa mercedis erit.* L. o. 5. o

Pro executione, & inſtrumento relationis citationis ab vrbe, vel aliundè emanatæ, & per notarium executæ, in ciuitate Bononiæ pro ſingula perſona citata. L. 1. o. o

Si extra ciuitatem intra guardiam. *taxa mercedis erit.* L. 1. 10. o

Si verò extra guardiam, & per diœceſim, vltra expẽſas victus & equi, qualibet die, ceſſante negligentia. *taxa mercedis erit.* L. 2. o. o

Si autem extra diœceſim, id quod arbitratum fuerit, per Reuerendum Dominum Vicarium.

Pro

Pro ſingula copia dictarum citationum, & inhibitionum, pro ſingula pagina in forma copiæ iuxta formam infra tradendam. l. o. 2. o
Pro examine, vel repetitione cuiuslibet teſtis, ſi in palatio Archiepiſcopali ad inſtantiam partis. l. o. 7. o
Si verò extra palatium. l. o. 14. o
Si verò vtroque caſu longa eſſet ſcriptura, id pluris, quod arbitratum fuerit per Reuerendum Dominum Vicarium.
Pro examine cuiuslibet teſtis vigore literarum remiſſorialium ab vrbe emanatarum arbitrio R. D. Vicarij.
Pro acceſſu notarij in tem præſentem, ſi in ciuitate. l. 1. o. o
Si in guardia. l. 1. 10. o
Si verò extra guardiam vltra expenſas equi & victus, die qualibet, ceſſante negligentia. l. 2. o. o
Et hæc omnia intelligantur tantummodò pro ſalario viatici, & ſcriptura viſitationis, vltra mercedes ſcripturarũ, & receptiones, & examinationes teſtium, forſan de neceſſitate in locis prædictis fiendarum, & recipiendarum: pro quibus ſoluatur id quod arbitratum fuerit per Reuerendum Dominum Vicarium, habita conſideratione ad laborem, & conſumptionem temporis.
Pro quolibet inuentario, ſi in ciuitate. l. 1. o. o
Si in guardia. l. 1. 10. o
Si extra guardiam, vltra expenſas equi & victus qualibet die, ceſſante negligentia. l. 2. o. o
Et ſi nimis longa viſa fuerit ſcriptura, & temporis amiſſio ad aliquod ex dictis inuentarijs; vel plura in vnò, & eodem negotio, tàm in vno, quàm diuerſis locis facta fuerint inuentaria; ſoluatur id plus, quod arbitratum fuerit per Reuerendum Dominum Vicarium.
Pro præſtatione cuiuslibet cautionis in actis facta. l. o. 5. o
Si interuenerit promiſſio indemnitatis in totum. l. o. 7. o
Pro ſingulo præcepto, & comminatione cuilibet in faciem facta. mercedis taxa erit. l. o. 2. o
Pro relatione cuiuslibet medici, obſtetricis, vel alterius in arte periti, in actis facta, & regiſtrata. l. o. 5. o
Pro fide pendentiæ litis. l. o. 5. o
Pro renunciatione cuiuslibet litis in actis facta, vel præſentata. mercedis taxa erit. l. o. 2. o
Pro auſcultatione cuiuslibet inſtrumenti, ſiue alterius ſcripturæ, cum decreto, *eandem fidem &c.* l. o. 3. 6
Et ſi in vnico actu producantur plura iura, quę veniant auſcultanda vltra primam, pro qualibet. l. o. 1. 6
Pro relatione rei ſequeſtratæ. mercedis taxa erit. l. o. 1. o
Pro decreto mulctæ, & condemnationis vigore contumaciæ, niſi infra tres, ſeu decem dies cum intimatione. mercedis taxa erit. l. o. 3. 6
Pro decreto abſolutionis à dictis mulcta, & condemnatione cum clauſula, *audiri, refectis expenſis contumacialibus.* l. o. 3. 6
Pro regiſtro ſcripti priuati cum intimationibus, & relaxatione executionis in totum. l. o. 10. o
Pro quacunque fide de vita, & ſuperexiſtentia alicuius, & ſimilium in forma patenti. l. o. 7. o
Pro quolibet monitorio contra habentes, & tenentes & cætera: in forma ſolita. l. o. 10. o
Et ſi contigerit plura ſimilia facere pro eodem facto, pro quolibet. mercedis taxa erit. l. o. 3. 6
Pro decreto diſſolutionis ſponſalium per verba de futuro, quod expediatur ſine proceſſu, in totum. l. o. 10. o
Pro examine in forma conſtituti cuiuslibet dictorum ſponſorum. mercedis taxa erit. l. o. 7. o
Si tamen expediatur cum aliquali proceſſu conſiderabili in totum. mercedis taxa erit. l. 1. o. o
Si verò ſuper proceſſu ordinario, per diffinitiuam expediatur, ſoluatur merces ad rationem de qua in ſtatutis.
Idem obſeruetur quo ad ſententiam diffinitiuam in cauſa matrimoniali ſuper

ſuper proceſſu ordinario latam.

Pro ſententia diffinitiua in cauſa abſolutionis ab excommunicatione, ſuſpenſione, irregularitate, interdicto, condemnatione, ſuper contrauentione præcepti, & ſimilibus, mercedis taxa erit. l. 1. 10. o

Pro decreto executionis literarum Apoſtolicarum ab vrbe emanatarum; vt ſint ſtandi extra clauſtra habitu dimiſſo, ſiue retento, ſuſceptionis habitus, creationis alicuius equitis cuiuſcunque ordinis, præſtationis iuramenti ad effectum obtinendi aliquam prælaturam, ſiue aliam quamcunque dignitatem, conſecrationis alicuius Epiſcopi, & ſimilium, mercedis taxa erit. l. 1. 10. o

Pro ſententia lata in cauſa diſpenſationis contrahendi in gradibus prohibitis, thori ſeparationis, & his ſimilibus, ſi ſine proceſſu, & partium diſcordia, & contradictione. mercedis taxa erit. l. 1. 10. o

Pro ordinatione, affoliatione, & rubricatura ad ſingulas chartas, & ad ſingula acta cuiuslibet proceſſus charta rum viginti. l. o. 5. o

Et ab inde ſupra, ſi proceſſus fuerit maioris numeri chartarum, pro ſingulis viginti chartis cuiuslibet proceſſus ordinatis, affoliatis, & rubricatis, mercedis taxa erit. l. o. 5. o

Pro rogitu cuiuslibet ſententiæ diffinitiuæ in alijs caſibus, quàm expreſſis ſuper aliquo proceſſu ferendæ, ſoluatur iuxta formam ſtatutorum ciuitatis Bononiæ, & ad rationem, de qua in illis,

Pro copia cuiuslibet ſententiæ diffinitiuę manu notarij de illa rogati ſubſcripta cum teſtibus, l. o. 10. o

Pro inſtrumento cuiuslibet ſententiæ diffinitiuæ authentico. l. 2. o. o

Et ſi in inſtrumento ſententiæ proceſſus longior in totum, vel pro parte fuerit regiſtratus, ſoluatur vltra mercedem ſentẽtiæ ſupra proximè dictam, merces longioris proceſſus, qui in inſtrumento regiſtratus fuerit, ad rationem proceſſus authentici, de qua ſupra.

Pro inſtrumentis habilitationum à iuramentis, & appellationum, quando dantur authentica, pro quolibet ipſorum, l. 1. o. o

Pro decreto publicationis teſtium, mercedis taxa erit. l. o. 3. o

Pro ſingulo tranſumpto, quod in forma extenſi, patenti, & authentica in mẽbranis ſcriptum fuerit, ſiue tranſumptum bullæ, ſiue priuilegij, ſiue quid aliud contineat: merces conſiderabitur iuxtà qualitatem extenſi, à quo deſumptum fuerit: & ſoluetur ad rationem ſolidorum quatuor pro qualibet charta extenſi, quæ ad minus ſit linearum quadraginta, & ſcripta boni viri arbitrio. l. o. 4. o

Pro quolibet præcepto fulminatorio in membranis ſcripto, & habente literas inſertas, omnibus computatis in totum, l. 4. o. o

Pro ſingula charta cuiusuis ſimplicis copiæ cuiuslibet ſcripturæ, documenti, proceſſus, vel actorum, ſeu extenſi, quæ ſit ad minus linearum quadraginta, & ſcripta arbitrio boni viri, quotquot ſint illi, pro quibus copia facta fuerit, l. o. 2. o

Pro ſingula charta cuiuslibet regiſtri, & proceſſus authentici, quæ ſit ad minus linearum quinquaginta, & ſimiliter ſcripta arbitrio boni viri, mercedis taxa erit, l. o. 3. o

Pro actu reſignationis alicuius beneficij, ab eo, cui prouidebitur de beneficio. l. o. 7. o

Et ſi inſtrumentum dandum fuerit authenticum, vltra dictos ſolidos ſeptem, l. o. 14. o

Pro literis approbationis alicuius preſbyteri ad obtinendum beneficium in publico examine, l. o. 7. o

Pro fideiuſſione præſtanda per aliquem approbatum, & prouiſum de beneficio curato de reſidendo, & de reparando Eccleſiam in forma, mercedis taxa erit, l. o. 7. o

Pro præſentatione per patronos fienda ad aliquod beneficium cum edictis, & relationibus. l. o. 10. o

Et ſi danda hæc omnia fuerint authentica,

tica, alij decem ſolidi. l. o. 10. o

Pro quolibet conſenſu præſtito priori præſentationi, & adhæſione compatronorum. l. o. 5. o

Et ſi danda ſint authentica, alii quinque ſolidi. l. o. 5. o

Nemo cogi poſsit à quocunque notario rogato, ſiue ab eo, qui alienos rogitus, alienauè inſtrumenta quomodocunque, & ex quocunque iure, aut titulo, tàm honorabili, quàm oneroſo penes ſe habuerit, aut habeat, ad leuandum ſuperinde aliquod inſtrumentum appellationis, renunciationis, habilitationis à iuramentis, collationis, præſentationis, conſenſus, edictorum, inſtitutionis, iuramenti, habitus ſuſceptionis, & ſimilium: quæ in foro eccleſiaſtico, vel aliàs vbilibet in materiis beneficialibus, eccleſiaſticis, & ſpiritualibus occurrēt, ſeu occurrerunt. Neque quilibet notarius quicunque ſit, aut vbicunque degat, quando rogatur de aliquo ſupradictorum inſtrumentorum, quicquam petere poſsit, pro aliquo rogitu prædictorum, niſi reſpectu taxatorum, vt ſupra.

Sed ſi quis intereſſe habens, voluerit leuare aliquod inſtrumentum alicuius rogitus prædictorum; teneatur ſoluere ſolùm duntaxat, pro mercede huiuſmodi inſtrumenti leuati in publica, & authentica forma, illud quod ſupra in dictis inſtrumentis taxatum eſt; In aliis autem non taxatis, habere poſsit tantum. l. 1. 5. o

Et hoc ſeruetur, tam reſpectu eorū, quæ quomodolibet occurrent in futurum, quàm illorum, quæ ad hæc vſque tempora, & antea retroactis temporibus etiam antiquis, & antiquiſsimis occurrerunt.

Et quatenus ſcriptura alicuius dictorum inſtrumentorum eſſet nimium longa, & exceſsiua; ſoluatur id pluris, quod per Reuerendum D. Vicarium fuerit arbitratum.

Pro qualibet tenuta alicuius beneficij ſimplicis, vel curati, cui perſonaliter interfuerit notarius rogatus, quatenus in ciuitate, vnà cum inſtrumento authentico. l. 1. 10. o

Si verò in guardia, vltra expēſam victus, & equi. l. 2. o. o

Si verò extra guardiam, libras duas quolibet die, vltra expēſas victus, & equi, omni tamen negligentia notarii in præmiſsis ceſſante.

Pro acceſſu notarij ad intimādum, & notificandum literas, tàm curatis, quàm parochianis, ſiue in ciuitate, ſiue in guardia, aut extra guardiam in diœceſi, id quod arbitratus fuerit Reuerendus Dominus Vicarius, pro modo laboris, & conſumptionis temporis.

Pro quibuslibet literis dimiſſorialibus, cōmendatitijs, & ordinum ſuſceptionibus, in patenti ſcriptis, decimam partem aurei, iuxta formam concilij Tridentini.

TAXAE IN CRIMINALIBVS.

PRo viſitatione offenſi, in ciuitate in totum. l. o. 10. o

In guardia. l. 1. o. o

Vltra guardiam ſingulo die, vltra expenſas victus, & equi, ceſſante negligentia. l. 2. o. o

Pro quolibet teſte informatiuo curiæ, merced. taxa erit. l. o. 5. o

Pro quolibet conſtituto cum ſuo examine de quolibet reo carcerato, facto ad inſtan. partis. l. o. 7. o

Quando leuatur proceſſus, ſoluatur tantùm primus conſtitutus.

Pro decreto detentionis alicuius. mercedis taxa erit. l. o. 2. o

Pro decreto cum præcepto relaxationis alicuius rei carcerati. l. o. 5. o

Pro quolibet præcepto ſequeſtratorio cum relatione. l. o. 2. o

Pro quolibet alio præcepto in cauſa. merced. taxa erit. l. o. 2. o

Pro præceptis viciſsitudinarijs in faciem alicuius factis, pro quolibet ad inſtantiam partis, ſiue ex officio, mercedis taxa erit. l. o. 2. o

Pro comparitione alicuius rei reſpōdentis querelæ, vel inquiſitioni, cum fideiuſsione. l. o. 7. o

Pro

Pro conſtitutione Procuratoris. mercedis taxa erit. l. o. 2. o
Pro electione loci. l. o. 1. o
Pro examinibus teſtium ad defenſam, cum interrogatoriis curiæ. l. o. 7. o
Et plus, & minus prout attenta longitudine, vel breuitate laboris, & examinis, viſum fuerit Reuerendo D. Vicario.
Pro medici, obſtetricis, vel periti relatione. l. o. 5. o
Pro quolibet actu cum decreto iudicis ad inſtantiã partis. l. o. 2. o.
Pro productione cuiuſuis ſcripturæ, mercedis taxa erit. l. o. 1. o.
Pro qualibet fideiuſſione cum indemnitatis cõſeruatione. l. o. 7. o.
Pro teſtiũ publicatione. l. o. 3. o.
Pro copijs proceſſuum lineatum quadraginta in totum ab vtroque latere, pro qualibet pagina. l. o. 2. o
Pro qualibet renuntia. l. o. 2. o
Pro præſentatione, & regiſtratione ſupplicationis, cum decreto iudicis. l. o. 10 o
Pro copia ſententiæ ſubſcriptæ manu notarii. l. o. 10. o
Sine ſubſcriptione. l. o. 5. o
Pro fide ſententiæ. l. o. 2. o
Pro alia fide præuentionis, vel pendentiæ litis. l. o. 3. 6
Pro quocunque inſtrumento diffinitiuæ ſententiæ authentico. l. 1. o. o
Et ſi in inſtrumento ſententiæ proceſſus longior in totum, vel pro parte fuerit regiſtratus, ſoluatur vltra mercedem ſententiæ ſupra proximè dictam, merces longioris proceſſus, qui in inſtrumento regiſtratus fuerit, ad rationem proceſſus authentici, de qua ſupra.
Pro reſponſione ad quamlibet poſitionem, tres denarii pro parte. mercedis taxa erit. l. o. o. 6
Pro reſponſione interrogatoriorum, pro quolibet interrogatorio, à parte interrogari obtinente. l. o. 1. o
Duntamen merces in totum non excedat ſummam ſolidorum viginti bonon. vel aliàs plus, & minus, prout attenta qualitate laboris viſum fuerit R. D. Vicario.

Pro poſitionũ pronuntia. l. o. 3. 6
Pro ſimplici ſubſcriptione proceſſus. l. o. 5. o
Pro proceſſu authentico ſoluatur, prout ſtatutum eſt ſupra, de proceſſibus ciuilibus.
Pro ſententia ſuper contrauentione præceptorum, vel abſolutione. merced. taxa erit. l. 1. o. o
Pro ſententia abſolutionis, & liberationis à querela, inquiſitione, & proceſſu ſuper dicto, vel facto, quod irrogaſſet pœnam quomodolibet corporis afflictiuam, vel carceris perpetui, aut perpetuę relegationis. l. 6. o. o
Abſolutionis verò, & liberationis ab accuſatione, querela, inquiſitione, & proceſſu, ſuper dicto, aut facto, in quo veniret imponenda pœcuniaria, vel carceris ad tempus, aut banni, aut remigii, ſimiliter ad tempus. merced. taxa erit. l. 3. o. o
Abſolutionis autem à querela, accuſatione, inquiſitione, & proceſſu, in caſibus leuioribus. l. 1. o. o
Pro ſententia partim abſolutoria, partim condemnatoria, ſoluatur ad rationem, de qua ſupra.
Pro ſententia in totum condemnatoria, nihil à condemnato.
In aliis caſibus non expreſſis in hac taxa criminali, ſeruetur taxa facta ſupra in ciuilibus.
Supradictas autem taxas, & mercedes mandatur non ſolùm à notariis, & actuariis deputandis, & approbandis. vt ſupra apud quemcunque iudicem, & quocunque in loco, tam in ciuitat. quàm diœceſi degant, ad vnguem obſeruari; verùm etiam, & à reliquis omnibus, ſeu notariis, ſeu non notariis, apud quos quomodolibet, etiam ex titulo oneroſo ſcripturæ qualibet, etiam antiquiſſimæ, aut acta, ſeu rogitus quarumcunque materiarum ad forum eccleſiaſticum, quauis ex cauſa pertinentium reperirentur: quos omnes pariter mandatur ad obſeruandas ſupradictas taxas omninò teneri, exceptis tamen caſibus miſerabilium perſonarum, & aliis de quibus infra.

Quòd

Quòd ſi ſuper aliquo ex his omnibus occurrerit caſus aliquis dubius, vel omiſſus: ſtetur, & ſtari debeat, quoad mercedem, & ſalarium petendum, & quomodolibet exigendum arbitrio, & declarationi Illuſtriſſimi, & Reueren. D. Cardinalis Archiepiſcopi, ſeu Reuerendi D. Vicarij.

De mercede cuſtodis carcerum.

CVſtos autem carcerum habeat, & contentus ſit ea mercede, quæ ſibi in cõſtitutionibus ſupra aſſignata eſt: & nihil vltra, tàm ipſe, quàm eius familia, etiam ſpontè datum, quouis modo accipiat.

De mercede caballerij, & executorum.

QVantum verò attinet ad mercedes, & ſalaria militis curiæ Archiepiſcopalis, qui caballerius vocatur, & reliquorum executorum nunc, & pro tẽpore ſe exercentium, pro executionibus, quas fieri continget in dicto foro eccleſiaſtico, ſeu illius occaſione, mandatur vt id duntaxat petere, & conſequi poſſint, quod infra præfinitum eſt, videlicet.

Pro executione cuiuslibet citationis, etiam peremptoriæ, in ciuitate Bononiæ, domi ſolitæ habitationis alicuius citan. & ad valuas, aut alium locum factæ. l. o. o. 6

Si verò in guardia. l. o. 1. o

Si autem extra guardiã. l. o. 1. 6

Si autem in perſonam, tàm in ciuitate, quàm guardia, & extra guardiam, duplum eius reſpectiuè, quod ſupra dictum eſt.

Pro executione cuiuſcunque inhibitionis tàm in ciuitate, quàm guardia, aut comitatu, vel diœceſi facta, ſiue inhibitio fuerit ſimplex, ſiue habuerit admixtam citationem; ſi in perſonam alicuius officialis, vel Iudicis. mercedis taxa erit. l. o. 5. o

Si in perſonam partis. l. o. 3. o

Si verò ad domum, vel locum alicuius prædictorum ſolitæ habitationis, vel reſidentiæ. l. o. 6 1.

Pro executione cuiuslibet ſequeſtrationis ex cauſa ciuili, aut ſpirituali, vel mixta: ſi recipiat extimationem, omne id ſoluatur, & duntaxat peti poſſit, quod ſancitum eſt per ſtatuta, ſeu prouiſiones ciuitatis Bononiæ.

Idem fiat, & obſeruetur pro quacunque executione citationis pro ſuſpecto, pignoratione bonorum mobilium, & tenuta ſtabilium, ac eccleſiarum, ex quacunque cauſa.

Si verò executio prædictorum, vel alicuius eorum fuerit facta ex cauſa criminali, vel ex alia cauſa, quæ extimationem non recipiat, ſi in ciuitate. l. 1. 5. o

Si verò in guardia. l. 1. 15. o

Si autem in comitatu, & diœceſi. mercedis taxa erit. l. 2. o. o

Pro qualibet captura alicuius perſonæ, ex cauſa ciuili, ſpirituali, vel mixta, ſoluatur: & ſolum peti, & exigi poſſit id quod ſtatutum eſt, & permiſſum per ſtatuta, & prouiſiones ciuit. Bonon. ſiue in ciuitate, ſiue in guardia, ſiue in comitatu facta fuerit.

Si verò ex cauſa criminali, ſi in ciuitate. l. 2. 10. o

Si in guardia. l. 3. o. o

Si extra ciuitatem, & guardiam. merced. taxa erit. l. 5. o. o

Et ſi captura facta fuerit de aliquo condemnato, vel bannito, vel de eo, qui ex eadem cauſa fuiſſet aliàs captus, & carceratus in ciuitate, & guardia. l. 4. o. o

Extra verò ciuitatem, & guardiam. merced. taxa erit. l. 8. o. o

Pro qualibet detentione in Palatio, cum cuſtodia, vel intruſione in carcere. l. 1. o. o

Cum declaratione tamen, quòd pro ijs, qui reuocati fuerint ad carceres, nihil habere debeant, ſi vnica vice ſoluerint dictam mercedem.

Nullam tamen mercedem petere, aut habere poſſit, etiam ſpontè ſibi datam, vel oblatam: niſi executionem, tàm realem, quàm perſonalem, realiter, & cum effectu fecerit, & fuerit executus,

cutus, quam ſtatim ſignificare debeat Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo D. Archiepiſcopo, vel eius Reuerendo D. Vicario.

EXcipiuntur autem, & eximuntur ab omnibus, & ſingulis, tàm notariorum, quàm cuſtodis, & caballerij, atque executorum mercedibus, ſicut ſupra taxatis, & illarum ſolutionibus Rei innocentes, & teſtes pro informatione curiæ, perſonæque miſerabiles: & ea quæ ex mero officio, pro aliquo intereſſe publico, vel priuato officium, & curiam reſpicient: Necnon & ea, quæ particulare ius, & intereſſe reſpicient Illuſtriſ. & Reuerendiſsimi Archiepiſcopi, ſi facta fuerint, tàm per notarios, & tabelliones, quàm cuſtodem, caballerium, & executores: pro quibus nihil penitus exigere, aut ſperare poſſint: niſi id, quod forte ex aliqua iuſta, & rationabili cauſa viſum fuerit Illuſtriſsimo, & Reuerendiſsimo D. Cardinali Archiepiſcopo, vel dicto Reuer. D. eius Vicario.

Excipiuntur etiam ea, quæ tangent perſonas pauperum: pro quibus notarij ipſi, ac miles, & executores ſolùm illud petere, & habere poſsint, quod arbitratus fuerit idem Illuſtriſsimus, & Reuerendiſsimus Archiepiſcopus, vel R. D. Vicarius prædictus.

Cætera verò non comprehenſa, neque ſpecificata, aut ea, quæ in dubium aliquo modo verti contigerit, reſeruata eſſe cenſeantur declarationi, & arbitrio Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi D. Archiepiſcopi, vel eius R. D. Vicarij.

Quapropter omnes, & ſinguli notarij, actuarij, cuſtos, caballerius, & executores prædicti, cæteríque omnes, quos negotium, ſeu taxa mercedum ſupraſcriptarum quomodolibet tangit, atque cõprehendit: debeant illam in cauſis, litibus, negotijſque omnibus occurrentibus inuiolabiliter obſeruare, atque ab eorum miniſtris obſeruari facere; Nec quicquam vltra, etiam ſponte, atque aliàs quomodolibet datum accipiant, aut alteri reſpectu ſuo ea de cauſa tradi patiantur: exceptis tamen eſculentis, & poculentis, quæ vno die, vt ſupra dictum eſt, conſumi poſsint.

Sub pœna ſcutorum quinquaginta auri ipſo iure, & facto per quemlibet contrauenientem in ſingulis capitulis, partibus, atque membris, tàm præſentium conſtitutionum, quàm ſupradictæ taxæ, ac toties, quoties contrauentum fuerit incurrenda: ac locis, & operibus pijs, arbitrio præfati Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi Cardinalis Archiepiſcopi, ſeu Reuerendiſsimi D. illius Vicarij, diſtribuenda: necnon & maiori, vel minori pœna, iuxta qualitatem facti, & conditionem perſonarum, eorundē arbitrio augenda, & minuenda.

Datum Bononiæ in Archiepiſcopali palatio &c.

N. Vicarius generalis.

DE

DE CONGREGATIONE REFORMATIONIS.

Collector.

ILLVD præcipue inter cætera curandum ſibi eſſe exiſtimauit, atque in id totis viribus incumbere ſolitus eſt Illuſtr. D. Card. Archiepiſcopus: vt quemadmodum bono Agricolæ, poſtquam ſementem fecerit, quieſcendum omnino non eſt: ſed plurima adhuc agriculturæ munera exercere debet, ſi fœcundæ meſsis fructum colligere cupit; ita etiam ipſe poſt plures leges conditas, poſt ſancita decreta, aliaſque prouiſiones editas aſsiduè inuigilaret: vt vitia, quæ in dies pullulant, extirpentur, nouæ virtutes inſerantur, & animarum cultus ita ex omni parte ſe habeat: vt ſperare liceat, Deo fauente ſpiritualem meſſem ſuo tempore vberrimam futuram.

Cum verò nihil ad eam rem aſſequendam aptius eſſe experiretur, quàm frequens eorum miniſtrorum conſultatio, atque opera, qui tanquàm conſiliarij eſſent, & ſarculatorum quodam modo officio fungerentur, ad mala ſemina eradicanda: inſtituit inter alias, hanc quoque congregationem, quæ cum ad reformandos mores pertineat, & reſtituendam diſciplinam, quæ plerumque remitti, aut labi ſolet, reformationis nomine eam appellari voluit.

In eam verò admittuntur, præter Reuerendiſsimum Coadiutorem, Vicarium generalem, Archidiaconum, alij etiam Canonici, viri probatæ ſcientiæ, & zeli domus Dei, & alii ſacerdotes ſelecti, ſeculares, & regulares: necnon interdum laici, quibus aliquod munus ab Archiep. iniunctum eſt, prout res quæ tractantur, magis exquirunt.

Porrò ad omnis generis res pertractandas hæc congregatio diffunditur, & prouiſiones quæ ab illa emanant, per edicta promulgantur, innectis pœnis, aut grauioribus, aut leuioribus, pro caſuum qualitate, & ad ſacrorum canonum, & apoſtolicarum conſtitutionum, itemque ipſarum congregationum S. R. E. Cardinalium præſcriptum.

Edicta verò eius generis ſunt: exempli gratia; vt exhibeantur tituli beneficiorum, & inuentaria bonorum Eccleſiaſticorum, eorumque copiæ in Archiepiſcopale archiuium reſerantur: vt legata pia denuncientur. Item de reſidentia: de habitu, & tonſura Clericorum: ne ſacerdotes cohabitent cum mulieribus, quamuis affinibus, niſi in ſcriptis obtenta licentia: contra non communicantes in Paſchali ſolemnitate: contra immodeſtè, atque irreuerenter ſe habentes in eccleſiis: contra aleatores, & agentes choreas diebus feſtis: contra concubinarios: de meretricibus, & cætera huiuſmodi.

Quæ nos edicta ſi ſingula huc afferre vellemus, præterquam quòd lectori, ex re in ipſa præxi ſatis frequenti, & ex iis, quæ latè præmiſſa ſunt in ſuperioribus huius libri partibus deriuante, ſatietas pareretur, à noſtri etiam inſtituti ratione nos ipſi longe aberraremus; quippe qui in primis illud curare cupimus, vt quæcumque in hoc opere colliguntur, non nimis communia ſint, aut vulgaria: ſed particulari quadam indigeant animaduerſione, ac diligentia.

Quod verò attinet ad hoc edictum de feſtorum dierum ſanctificatione, itemque illud, quod ſubſequitur, de Quadrageſimali ieiunio: ſciendum eſt lectori, cum varios ſtatus hominum huiuſmodi prouiſiones reſpiciant, & plurima diligenter animaduerti, atque examinari debeant: multiplices etiam cautiones in hac re adhiberi ſolitas ab Illuſtriſſimo D. Card. Archiepiſcopo, quarum hæc pauca tanquam exempla hic collocata ſufficient: in quibus pro temporum conditione, & caſuum contingentium qualitate plura addi, vel immutari, vel demi ſolent.

EDICTVM

De Feſtorum dierum ſanctificatione.

Gabr. Palæotus S. R. E. Cardin. Archiep. Bonon. & Princeps &c.

MAximo ſanè animi dolore experimur, neque paternis noſtris monitionibus, neque parochorum opera, neque concionatorum hortationibus, aliiſque plurimis remedijs, quæ pro tempore exquirere ſoliti fuimus: fideles ciuitatis, & diœceſis noſtræ adduci poſſe, vt dies feſtos à Deo, & ſancta eccleſia præceptos, ea qua debent pietate, & religione ſanctificēt: imò eorum nonnullos cò vſque audaciæ, & temeritatis progreſſos fuiſſe: vt propriæ ſalutis immemores, ijs diebus, qui Deo, ſanctiſque dicati ſunt, æternum hoc, ſacrumque mandatum, quaſi de induſtria tranſgrediantur.

Quare cum nos in proxime celebrata ſynodo decreuerimus, vt contra huiuſmodi feſtorum dierum violatores, procedatur iis pœnis, quæ à nobis conſtituentur; cumque difficile ſit, vt tranſgreſſores ad tribunal noſtrum deferri omnes poſſint; Per præſens Edictū omnes, & ſingulos Dominos, Capitaneos, Poteſtates, Vicarios, ipſorumque notarios, executores, tàm præſentes, quàm pro tempore futuros in diœceſi noſtra, delegatos noſtros, & commiſſarios conſtituimus, & deputamus: vt hac auctoritate, quam nos illis tribuimus, noſtro nomine condemnent, mulctent, in carcerē coniiciant, pro caſuum qualitate, quoſcunque repererint, huic noſtro edicto non parere.

Verùm cum ſacri canones omnia opera ſeruilia, mechanicoſque labores in diebus feſtis generaliter prohibeāt; quorum tamen aliqui iiſdem diebus feſtis, ad vitam humanam ſuſtentādam, publicaſq; neceſſitates leuandas tolerantur: Nos ne quiſquam ignoret, quid ſibi facere liceat, quidq; cauere iis diebus debeat: hic adiicere voluimus quædam, quæ diebus feſtis permitti poſſunt: ad quæ tamen ſola præcisè non reſtringimur; ſed aliorū caſuum, qui accidere poſſent declarationem, nobis, noſtroque Vicario Generali in ciuitate, Vicariiſque foraneis in diœceſi reſeruamus.

Atque ne quis animo pēdeat in huius edicti obſeruatione, cū multa requirantur debitæ feſtorum dierū ſanctificationi: & præcipue, vt peccata vitentur, vt integri dies in Dei cultu tranſigantur, aliiſq. ſpiritualibus operibus, & exercitationibus vacetur, hoc enim fine dies feſti inſtituti ſunt ab eccleſia Dei; ſciendū eſt, nos tantum de iis agere, quę pertinēt ad opera quędam, laboresq. exteriores, qui diebus feſtis à magiſtratibus aliquā do tolerari poſſunt, eaque hic explicari: tum vt licētiæ nonniſi ob iuſtam cauſam laborandi dentur: tum vt exequutores, iuſtè contra ſolos delinquentes, officio ſuo fungantur.

In quibus caſibus licentia in ciuitate concedetur.

COncedi in primis poterit licentia, vt diebus feſtis in vrbis ſolitis locis, mutat imvendantur, & emantur pro illius diei vſu, panis, bellaria, oua, lacticinia recētia, fructus, olera, & ſimilia: quæ ita ſint neceſſaria victui quotidiano, vt ſi ad dies aſſeruērur, facile corrumpi poſſint.

Item auiculæ, lepores, cuniculi, aliaque eiuſdem generis ferina, pulli gallinacei, & cetera his ſimilia.

Piſcatores diebus feſtis, quibus à carnium eſu abſtinendum eſt, in ſolitis locis piſces vendere permitti poterunt.

Item aromatarij, lanij, cupedinarii, ſalſamentarii, piſtores, aliique huiuſmodi, pro viatorum commodo, & ægrorum neceſſitate, dummodo de officinarū clauſuris ea ſeruent, quæ ſibi prēſcriptæ ſunt.

Item equorum ferramentarii, vt viatorum neceſſitati tantum proſpiciatur, diebus feſtis, equis, & mulis ſoleas ponere, & aptare concedi poterit.

Molitores etiā vbi opus ſit, & de aquę defectu dubitetur, publicæ neceſſitati vt ſatisfacere poſſint, concēdetur.

Si

Si accidet vt nundinarum dies feſtus ſit, nundinæ in alium diem transferentur, ad præſcriptum conſtitutionis Pij Papæ V. fel. record.

Tonſoribus in officinis eſſe concedetur clauſis tamen ianuis: vt ſanguinem mittant, & medeantur ſi opus ſit: non autem tondeant, aut lauent, neque ad id faciẽdum vocati ad domos ciuium vllo modo ſe conferant.

In quibus caſibus Parochi poterũt in diœceſi licentiam laborandi in diebus Feſtis concedere.

IN diœceſi non erunt Parochi faciles in danda licentia quibuſuis ad opera ſeruilia in diebus feſtis exercenda; ſed aut neceſſitate, aut publica vtilitate id exigente, facultatem concedere poterunt; caſus autem in quibus illam concedent, erunt: vt diebus feſtis à prandio poſt celebratas veſperas meſſis tempore, quæ illi neceſſaria ſunt fiant, frumenta ventilentur, commutentur, purgentur in area, & cætera huiuſmodi: & ſic de fœno, & paleis, alijſque ad meſſem ſpectantibus, vt fœniſecia curentur, &cet. quòd ſi calores nimij impediant, matutino tempore poſt Miſſæ ſacrum, cui vnuſquiſque interſit, eadem facere licebit.

Item herbas pro bobus metere, aut pro alijs animalibus, quæ frondibus indigent, frondare, ad domicilia deferre, aut condere.

Item caſtaneas, glandes, fructuſque colligere, ac domum ferre, ſi ita neceſſitas poſtulet.

Vindemiare poſt veſperas tamen: ma ne verò ſi temporis dilatio vindemiæ nocere poſsit, poſt miſſam.

Ijs qui plauſtra ad ciuitatem ducunt, ſeu mittunt, quique longius abſunt, vt eodem die, quo diſcedunt peruenire non poſsint, diebus feſtis plauſtrum onerare, dummodo id poſt Miſſam faciant, ſequè ad Vrbem conferre liceat: idemq; intelligatur de mulionibus, vectoribus meritoriis, aliiſque ſimilibus.

Permitti poterit, vt continua ea fiant opera, quæ continuo indigent labore, quæque ſi intermittantur, detrimento alìquo manifeſto affici poſſent, veluti calcem coquere, lateres, & ſimilia. Hortamur autem omnes, vt ea incipiant eo tempore, quo ante feſtum diem confecta eſſe poſsint.

Si caſus repentini ſuccederent, veluti, vt argines, ſiue aquæductus piſtrinorum ob aquarum inundationes, aliauè pericula reparari opus eſſet: aut à fluuiis lina extrahi deberent, cum de ipſorum incremento dubitatur: fœna, paleas, frumenta, & alia huiuſmodi reponi, & his ſimilia vrgente periculo, permitti poterunt hæc quibuſuis feſti diei horis, adhibitis etiam omnis generis operariis, dũmodo cõfecto opere poſt diem vnum ad ſummum, ad Parochum ſe conferat, qui ea occaſione diem feſtum nõ ſanctificauit, illiq; cauſam, neceſsitatemque ſuam explicet.

Idem in oppidis, terris, lociſque aliis diœceſis obſeruandum erit, quod ſupradictum eſt de aromatariis, laniis, ſalſamentariis, cauponibus, ferrariis, ceteriſque huiuſmodi.

Permitti poterit etiam, vt pro ædificiis pauperũ eccleſiarum diebus feſtis gratis adduci poſsint poſt miſſam ſaxa, ligna, calx, aliaq; ad ipſas fabricandas pertinentia.

Cætera omnia, quæ inſuper à ſacris canonibus prohibentur in diebus feſtis, hic pro expreſſe vetitis, & pro expreſsis haberi intelligimus. Volumuſq; à ſingulis quibusque officialibus, & executoribus, tam fori eccleſiaſtici, quàm ſecularis delinquentes mulctati poſſe: admonito prius tamẽ Parocho, vt innoteſcat an ipſe aliquã licentiam conceſſerit, & non ignoretur an caſus ſit huiuſmodi, vt iniũctæ pœnæ ſubiaceat; quo caſu delinquẽs aureum nummum ſoluat prima vice, & plus etiam, prout qualitas ipſius caſus erit, quem officialis, vnà cum parocho iudicabit. Secunda verò vice ſimiliter pro qualitate caſus adhibita parochi ſẽtentia pœna, & duplicetur, & augeatur. quarum quidem pœnarum dimidia pars

officiali, aut executori applicetur, alia pars ſocietati ſanctiſſimi Sacramenti illius loci vbi delictum erit.

Dat. Bonon. in Archiep. Palat.

INDEX

Feſtorum dierum, qui ſanctificari debent, quotannis promulgari ſolitus, ne à quopiam ignorentur.

In menſe Ianuario feſti dies.

1 *Circumciſionis Domini.*
6 *Epiphaniæ Domini.*
17 *S. Antonii Abbatis.*
20 *SS. Fabiani, & Sebaſtiani.*

Menſe Februario.

2 *Purificationis Beatiſſimæ Virg. Mariæ.*
3 *S. Blaſii Epiſcopi, & Martyris.*
24 *S. Matthiæ Apoſtoli.*

Menſe Martio.

25 *Annunciationis Beatiſſimæ Virg. Mariæ.*

Menſe Aprili.

25 *S. Marci Euangeliſtæ.*

Menſe Maio.

1 *SS. Philippi, & Iacobi Apoſtolorum.*
3 *Inuentionis S. Crucis.*

Menſe Iunio.

24 *Natiuitatis S. Io. Baptiſtæ.*
29 *SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum.*

Menſe Iulio.

25 *S. Iacobi Apoſtoli.*

Menſe Auguſto.

4 *Dedicationis S. Mariæ ad niues. & S. Dominici confeſſ. Protectoris Bonon.*
10 *S. Laurentii Martyris.*
15 *Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis.*
24 *S. Bartholomæi Apostoli.*

Menſe Septembri.

8 *Natiuitatis Beatiſſimæ Virginis.*
21 *S. Matthæi Apostoli.*
29 *S. Michaelis Archangeli.*

Menſe Octobri.

4 *S. Petronii Epiſcopi, & S. Franciſci Protectorum Bononiæ.*
18 *S. Lucæ Euangelistæ.*
28 *SS. Simonis, & Iudæ Apostolorum.*

Menſe Nouembri.

1 *Omnium Sanctorum.*
11 *S. Martini Epiſcopi.*
25 *S. Catherinæ Virginis, & Martyris.*
30 *S. Andreæ Apostoli.*

Menſe Decembri.

8 *Conceptionis Beatiſſimæ Virginis.*
13 *S. Luciæ Virginis & Martyris.*
21 *S. Thomæ Apostoli.*
25 *Natiuitatis Domini nostri Ieſu Christi.*
26 *S. Stephani Prothomartyris.*
27 *S. Ioannis Apostoli, & Euangelistæ.*
28 *SS. Innocentium martyrum.*
31 *S. Syluestri Papæ & confeſſ.*

Dominicarum omnium totius anni.

Paſchæ reſurrect. cum duobus ſequẽ. dieb.

Pentecostes cum duobus ſequen. diebus.

Solemnitatis Corporis Christi.

Supradictis feſtis diebus, inter cetera præcipue, nundinæ prohibentur, iuxta Bullam Pij Papæ V. fel. rec. ſed tantùm aliqua permitti poſſunt licẽtia obtenta, quæ edicto Illuſtriſſ. Archiepiſcopi præſcripta ſunt, & à parochis promulgata. Dat. Bonon. in Archiep. Palat.

PRAECEPTVM de dierum Feſtorum denunciatione à parochis facienda.

Gabr. Paleotus Card. Archiep.

VT dierum festorũ obſeruationi ex omni parte proſpiciatur, & multorum festorum numero populi exonerati, præsertim diœcesani, qui agricultura, aliisq; operibus uacare debent: sanctius, eos qui præcipiuntur festos dies, obſeruẽt; mandamus omnibus & ſingulis Parochis, ut ad altare dies festos tantũmodo, qui in Kalendario adnotati sunt, populo denuncient, nec ullo modo ab eiusdẽ Kalendarii præſcripto diſcedant. Quòd ſi consuetudo inueterata loci, aut grauis aliqua circumstantia aliquos dies festos celebrari ad populorum deuotionem requireret: debeant omninò Parochi, antea nos ipſos, aut Vicarium nostrum generalem consulere, qui non decernimus, quod religioni, & pietati magis expediat permittere. Quicunque verò Parochus aliter fecerit, pœnis arbitrio nostro reſeruatis, & ecclesiæ illi, cuius festum diem denunciauerit applicandis ſubiacebit.

Dat. Bonon. in Archiep. palat.

N. Vicar. General.

P R O V I S I O.

Illuſtriſs. & Reu. D. Cardinalis Paleoti Archiepiſcopi Bonon. qua Nundinæ diebus feſtis prohibentur.

PRæter ea, quæ ſacri canones præcipiunt, de Feſtorum dierum ſanctificatione, nundiniſque iiſdem diebus omnino prohibendis, & Pius V. fel. rec. ſua conſtitutione ſanxit, quam nos in hac ciuitate, & diœceſi noſtra promulgauimus anno M.D.LXVI. die prima Aprilis. Nos ex officio noſtro, vt eadem executioni mandentur; inhærentes etiam prouiſionibus à nobis de hac re aliàs factis, præſentis edicti tenore mandamus, & prohibemus, ne diebus feſtis in ciuitate & diœceſi noſtra vnquam nundinæ habeantur, aut aliæ negociationes mercium, tam animalium, quàm aliarum rerum omniũ, quæ ad nundinas afferri ſolent: exceptis iis rebus, quæ quotidiano victui ſunt neceſſariæ, quaſque in alijs noſtris edictis explicauimus: Nundinæ verò, in quibus dies feſti occurrunt: aut in præcedenti die habeantur, aut in ſequentem transferantur, prout vnicuique loco commodius erit. Delinquentes verò ſubiacere volumus pœnis, in dicta Bulla contentis, alijſque arbitrio noſtro reſeruatis.

Atque vt nemo ignorantiæ prætextu excuſetur, hic infra adijcientur loca nũdinarum, & dies ipſarum ordinarij, feſtique etiam, quibus nundinas haberi prohibemus hoc anno M.D.LXXVIIII.

Hæc ſunt Caſtra, ſeu Terræ, in quibus haberi ſolent Nundinæ, infraſcriptis diebus, niſi cadant in dies Feſtos, qui ſunt è contra adnotati. Qui tamen mutantur quolibet anno ad præſcriptum Kalendarij.

Feria 2. habentur Nundinæ.

In Caſtro S. Petri.
In Podio Lambertinorum.
In Caſtro S. Gregorij de Plano.
In Vergato.
In Loiano.

Dies Feſti anni 1579. quibus Nundinæ prohibentur, quæ ſub feriã 2. cadunt.

Purificatio Virginis. 2. Februarij.
2. dies Paſchatis Reſurrectionis.
2. dies Pentecoſtes.
SS. Petrus, & Paulus. 29. Iunij.
S. Laurentius. 10. Auguſti.
S. Matthæus. 21. Septembris.
S. Andreas. 30. Nouembris.
SS. Innocentes. 28. Decembris.

Feria 3.

Butrium.
S. Petrus in Caſali.
Caſtrum Francum.
Panicum.
Nundinæ quæ fiunt Septembri menſe.

Dies Feſti, quibus Nundinę prohibẽtur, quæ eodem anno ſub feriã 3. cadunt.

Epiphania Domini. 6. Ianuarij.
S. Sebaſtianus. 20. Ianuarij.
S. Blaſius 3. Februarij.
3. dies Paſchatis Reſurrectionis.
3. dies Pentecoſtes.
Natiuitas B. Virginis. 8. Septembris.
Conceptio B. Virginis. 8. Decembris.

Feria 4.

Caſtrum S. Ioannis in perſiceto.
Caſtellionum de Gattis.
Montenium.
Caſtrum Guelphum.
Minerbium.

Dies Feſti, quibus Nundinæ prohibentur, quæ ſub feriam 4. cadunt.

Annunciatio Virginis die. 25. Martii.
S. Io. Baptiſta. 24. Iunii.
S. Dominicus, ſeu Virgo ad niues. 5. Auguſti.
SS. Simon, & Iuda. 28. Octobris.
S. Martinus. 11. Nouembris.
S. Catherina. 25. Nouembris.

Feria v.	Dies feſti, quibus nundinę prohibentur quæ ſub feriam v. cadunt.
Medicinum	*Circumciſio Domini. 1. Ianuarij.*
Mercatellum	*Aſcenſio Domini.*
Mulinellum.	*Solemnitas Corporis Chriſti.*
Feria vj.	Dies feſti, quibus nundinę prohibentur quæ ſub feriam vj. cadunt.
Monzunum.	*SS. Iacobus, & Philippus 1. Maij.*
	Natiuitas Domini noſtri. xxv. Decembris.
Sabbatho	Dies feſti, quibus nundinę prohibentur & ſub ſabbathum cadunt.
Bononia	*S. Antonius xvij. Ianuarij.*
Saſſiunum	*S. Marcus xxv. Aprilis.*
Balneum Porretta	*Aſſumptio Virginis xv. Auguſti.*
	S. Stephanus xxvi. Decembris.

Datum Bononiæ &c.

N. Vicarius Generalis.

E D I C T V M

de Sanctificatione Feſtorum dierum.

CVpientes Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D. Gabriel Card. Palæotus Archiepiſcopus Bononiæ, atque vnà etiam & Reuerendiſſimus D. Montes de Valentibus protonotarius Apoſtolicus, eiuſdem ciuitatis Gubernator: vt cultus, qui à fidelibus Deo debetur, non ſolum non deficiat: ſed pro viribus maximè augeatur, & in primis Feſti dies ab Eccleſia præcepti rite ſanctificentur; præter prouiſiones aliàs ab eodem Illuſtriſſimo D. Cardinali de hoc editas, & promulgatas, illis etiam inhærentes, atque eas hic pro expreſſis habentes, iubent, ac præcipiunt, ex preſcripto etiã ſacri Cõcilij Tridentini, & aliarũ cõſtitutionum Apoſtolicarum: vt omnibus diebus Dominicis, aliijſque Feſtis, neque emporia aperiri, neque nundinę exerceri poſſint: ſed in alium diem ferialem reijciantur, iuxta Bullam Pij Papæ V. fel. recordationis

Item prohibent, ne cuiquam liceat in officinis, aut alibi vendere niſi res, ſine quibus quotidie humana neceſſitas eſſe non poteſt; veluti lacticinia, olera, fructus, & ſimilia, ad præſcriptũ edicti aliàs promulgati; mandantque vt aromatarij, ſalſamentarij, aliijque eo caſu permiſſi venditores, regulis, quæ ijs ſeruandę cõſtitutæ ſunt, omnino pareant.

Item prohibent, ne vlla penitus circũ Eccleſias venalia proponantur: niſi ea ſint huiuſmodi, vt deuotionem ſpectent, veluti coronæ, vota, ſacræ imagines, & his ſimilia.

Præterea vt Feſti dies religioſiùs in Dei honorem toti tranſigantur, & peccatorum occaſioni ex omni parte, quantũ fieri poteſt occurratur: diſtricte pariter præcipiũt, prohibentq; ne in oppidis, villis, aliisque locis cuiuſcunq; generis diœceſis, & comitatus Bononię, quis audeat cuiuſ-

cuiuſcumque ſtatus, & conditionis ſit, prædictis feſtis diebus, publicè apud Ecclefias, aut alibi, cantus, ſonos, choreas exercere quibuſcunque fidibus, aut alio quouis ſoni genere.

Item prohibitis luſibus pariter cuiuſcumque generis tam publicè, quàm priuatim quempiā ludere poſſe, prohibent.

Atque iccirco permittunt cuicunque baricello, alijſque executoribus ciuitatis, eiuſque diſtrictus: vt ſi delinquentes in facto reperiant: ſine vllis alijs noſtris mādatis, illis auferre poſſint tam inſtrumenta, quàm alias res, quæ contra hoc præſens edictum habent: eaque ſtatim conſignent parocho, qui eadem applicabit hoſpitalibus, aut monaſterijs, quorum in ſcriptis ab Illuſtriſſimo D. Epiſcopo notam habebit, excepta tertia parte, quæ ipſorum exequutorum erit.

Quia verò vbi maius vrget periculū, ibi diligentiore cautione animaduertēdum eſt; præcipiunt etiam, mandantque vt in omnibus locis ciuitatis huius, & diœceſis, in quibus omnibus, & ſingulis feſtus dies Sancti titularis agitur: & frequentia populi non ſolum tumultus excitare, ſed etiam ſacra Miſſæ ſacrificia, aliaque diuina officia impedire poſſunt: nemo cuiuſcunque gradus, & conditionis, ſexus, ordiniſque ille ſit, audeat, aut præſumat prædictis diebus feſtis, choreas agere, aut procurare, tam publicè, quàm priuatim, ſiue luſus exercere alea rum, ſeu talorum, aliorumuè prohibitorum: iis pœnis iniunctis, vt delinquētes, & huic edicto contrafacientes ſinguli, ſcuta centum auri ſoluāt, quæ locis piis applicentur, aliaſque pœnas ſubeant, arbitrio ipſius Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi D. Cardinalis Archiepiſ. reſeruatas.

Mandatur etiam eadem pœna iniuncta omnibus, & ſingulis Capitaneis, Poteſtatibus, aliiſque Officialibus comitatus Bononiæ, vt hæc omnia in locis ſibi ſubditis inuiolabiliter obſeruari faciāt.

Dat. Bonon. die &c.

Gabriel Cardinal. Palaotus Epiſc. Bonon.
Mont. de Valentibus Gubernator. Bonon.

LITERÆ
ad parochos diœceſis, de Feſtorum dierum ſanctificatione.

Reuer. parochè; præter ea, quæ Illuſtriſſ. D. Archiepiſcopus noſter de Feſtorū dierum ſanctificatione mandauit, atque promulgauit, & repetiit ſæpiſſime: cum ad officium paſtorale ipſius pertineat maximè, vt rudiores de iis doceantur, ne quis in pœnas incidat, quæ poſtea illis ſoluendæ ſint ignorantia cauſa; Reueren. ueſtra inter Miſſarum ſolemnia hæc, quæ ex Chriſtianæ pietatis officio tot edictis, tot quæſitis à brachio ſæculari auxiliis ſunt præcepta, ſæpius explicet: atque vt à populo ſuo obſeruentur illum moneat, & frequenter hortetur: vt curent villici præſertim, qui in hoc maximè peccant, ne arbores cuiuſcumque generis cōferendas, perticas, contos, arundines, vimina, aliaq; his ſimilia ad agrorum cultum facientia, diebus feſtis vendere; aut ad ciuitatem vendenda afferre audeant; ſin minus Illuſtriſſimi D. Archiepiſcopi arbitrio punientur: eaque omnia ſimul amittent, quia dies Deo, Sanctiſque eius dicatos non ſanctificant. Eadem enim afferre, & vendere aliis diebus, qui feſti non ſunt, & mercedem ſuā in Dei gratia accipere poſſunt, quod Chriſtianos viros decet agentes. bene valeat in Domino. Datum Bonon. &c.

N. Vicar. Gen.

INSTRVCTIO
ad parochos de Feſtorum dierum ſanctificatione.

Vt faciliùs parochi Feſtorū dierū ſanctificationē in ſuis populis cuſtodire poſſint, illis animaduertenda erunt primum, vt ſedulo illis explicent illorum dierum dignitatem, atque obligationem, qua unuſquiſque tenetur ad eos ſanctificandos; atque hoc modo filialē amorem in iis excitent, & Chriſtianam pietatem confirmēt: deinde vt rationes, atque argumenta ad exempla traducāt, quibus

Google

quibus timor iis incutiatur, qui ſacros hos dies non ſanctificāt; tum vt doceāt veræ ſanctificationis rationem, ad quā populos inflamment, atque hortentur.

Doceant igitur parochi præceptum hoc traditum fuiſſe nobis ab ipſo Deo, qui dixit per Moyſen, *Memento, vt diem Sabbathi ſanctifices; ſex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: ſeptimo autem die Sabbathum Domini Dei tui eſt, non facies in eo omne opus tu, & filius tuus, & filia tua, ſeruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena, qui eſt intra portas tuas*. Et iterum. *Videte, vt Sabbathum meum cuſtodiatis, quia ſignum eſt inter me, & vos in generationibus veſtris: vt ſciatis, quia ego Dominus, qui ſanctifico vos: cuſtodite ſabbathum meum, ſanctum eſt enim vobis: qui polluerit illud, morte morietur; qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi ſui.*

Declarabunt, Apoſtolos ex iis ſeptē diebus eum, qui primus eſt, diuino cultui conſecraſſe, quem Dominicum diem dixerunt; eo namque die creatio mūdi initium habuit, eoque etiam vita noſtra è tenebris ad lucem per reſurrectionem Redemptoris noſtri reuocata fuit: ideoque ſingulis Dominicis diebus, ipſius Reſurrectionis memoriam celebramus, ſicut Innocentius Papa nos edocet dicens. *Dominicam diem, ob venerabilem reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti non ſolum in Paſchate celebramus; verùm etiam per ſingulas hebdomadas ipſius diei imaginem frequentamus.*

Docebunt etiam, quòd quemadmodum in veteri teſtamento præter ſabbathum alii dies feſti ſanctificabantur: idē etiam in nouo teſtamento, cuius vetus illud figura fuit, præceptum eſt de diebus feſtis beatiſsimæ Virgini, Angelis, aliiſque ſanctis Dei dicatis, dicente in hunc ſenſum Apoſtolo Paulo. *Nemo vos iudicet in cibo, & potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbathorum, quæ ſunt umbra futurorum, Corpus autem Chriſti &c.*

Oſtendent præterea, præceptum hoc ſpectare tam ad interiorem cultū, quàm ad exteriorem: nam vt ait catechiſ. Roman. cum ſit quidam fructus duorum præcedentium præceptorum in decalogo, quibus, & Deum colere tenemur, & eius nomen in uanum aſſumere prohibemur, & ea præcepta nos obligant ad vtrumque cultum; non ſolum animo, ſed etiam corpore in eam curam incumbere debemus, vt Deum diebus feſtis pie colamus, & veneremur.

Quod verò ad internum cultum, docebunt pariter feſtos dies ſanctificari debere, opera bona exercendo, & peccata euitando; nam Deum nunquam pie, & meritorie colemus, niſi contriti, vehementer doleamus illum offendiſſe: Sabbatha enim, & feſtiuitates abſque peccato factas diligit Deus, vt inquit per Eſaiam. *Si abſtuleris catenam de medio tui, Dominus exaudiet te: clamabis & dicet ad ſum*. Et in Leuitico. *Sabbathum requietioni eſt, & affligetis animas veſtras.*

Miſſæ igitur ſacrum integrum audire tenentur; concionibus verò, aliiſq; diuinis deuotè interſint: doctrinę Chriſtianæ ſcholas frequentent, patres autē, matreſque familias, filios filiaſque ad eas mittant, & deducant; ſicque etiam qui officinis præſunt, famulos, & artifices ſibi ſubditos totis viribus ad hæc omnia præſtanda compellant Chriſtiana charitate; quòd ſi negligentes eos eſſe animaduerterint, præſertim in Miſſa audiēda, eos omnino à ſuis domibus arceant, ne cum eorum grauiſſimo peccato ipſi quoque puniantur.

Quod verò ad externum feſtorū dierum cultum attinet, monebūt, hortabuntur, & minabuntur etiam vt ab omni opere ſeruili abſtineant, & in hoc edictis pareant: ſin minus ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo impoſitas, & ipſius arbitrio reſeruatas pœnas ſoluent; atque iccirco ad nundinas non accedant, neque emendi, neque uendendi cauſa diebus feſtis: luſus, choreaſque, aliaque vitent, quæ in edictis promulgatis habentur.

Atque vt terreantur etiam feſtorum dierum violatores exemplis pœnæ temporalis, illa exquirent parochi, vt habentur ex ſacris literis.

Primum illud in lib. numer. legitur

cap.xv.

cap. xv. Cum enim filii Iſrael eſſent in ſolitudine; & inueniſſent hominem colligentem ligna in die Sabbathi, obtulerunt eum Moyſi, & Aaron, & vniuerſæ multitudini; qui recluſerunt eum in carcere, neſcientes quid ſibi de eo faciendũ eſſet: dixitque Dominus ad Moyſen. *Morte moriatur homo iſte, obruat eum lapidibus omnis turba extra caſtra.* Sicque obrutus eſt lapidibus, ſicut præceperat Dominus.

Sed vt ad feſta noui Teſtamenti veniamus, legitur in geſtis S. Sulpitii Bituricenſis Archiepiſcopi, de villico quodam: cuius manus, dum in ſanctiſſimo Reſurrectionis Dominicæ die ruſtico operi vacare intendit, ſtatim aruit, cuteq; & neruis tabeſcentibus adhæſit manui ſecuris, donec Sancti viri precibus eſt liberatus.

In vita pariter S. Hermelandi Abbatis aliud exemplum eſt, de ruſtico quodam, qui Reſurrectionis Dominicæ die flagellum arripuit ad excutienda frumẽta procedens: ſed ſtatim ipſum flagellũ adhæſit manui, & diſſolutis cæterorum membrorum iuncturis, caput, brachia, cæteroſque artus horrendum in modum agitabat: neque potuit vlla vi neque ad momentũ ſe comprimere, quominus horribili membrorum tremore quateretur. Interceſſione verò S. Martini, cui ſe commẽdarat liberatus eſt, precibus eiuſdem Hermelandi Abbatis.

In geſtis etiã S. Maurilij Epiſcopi Andegauenſis habetur, quendam fuiſſe Belgium nomine, qui eodem Dominicæ Reſurrectionis die ſuas ſegetes à ſeruis mũdari præceperat; illis autem renitẽtibus cum idem Dominus vt id agerent inuitos coegiſſet, ſtatim oculorum cæcitate percuſſus eſt, & poſt tres annos tandem tactis veſtibus S. Epiſcopi Maurilij viſum recepit.

Vir quidam auarus arrepta ſecuri die Dominica vt laboraret, ſtatim Dei vltionem ſentijt: ſecuris enim manubrium manibus inhærit, & quinque integris menſibus miris doloribus eſt cruciatus, donec eiuſdẽ ſerui Dei Maurilij interceſſione, tactis ipſius veſtibus eſt liberatus.

S. Bonauentura in geſtis B. Franciſci ſcribit, Sacerdotem quẽdam in Pictauiæ partibus Reginaldum nomine eidem B. Franciſco deuotum, ipſius feſtum indixiſſe ſolemniter celebrandum; cum autem quidam nihili hoc faciens ad agrũ profectus eſſet, vt ligna ſuccideret, cum ſe ad opus paraſſet, audiuit vocem ter dicentem. *Feſtum eſt, operari non licet.* Verùm cum nec Sacerdoti, nec diuinæ voci parere voluiſſet, ſtatim atque opus incipere voluit, vtraque manus diuino miraculo ita ſecuri adhæſit, vt digitos nequaquam relaxare, aut mouere poſſet: quare ad Eccleſiam (multis concurrentibus ad miraculi ſpectaculum) properauit, auxilium deuote implorans, tribus votis ſe obſtringens, vt Feſtum diem coleret, vt ad Eccleſiam illam vbi tunc erat feſto die veniret, vt ſancti corpus perſonaliter viſitaret, ad ſingula vota paulatim eſt à pœna illa ſolutus, Sacerdotibus, & populo pro eo deprecãtibus: atque de hac re inſtrumẽta, ad altare S. Franciſci Aſſiſij affixa eſſe, quæ in hunc vſque diem leguntur, idem S. Bonauentura affirmat.

Qui etiam refert mulierem quandam quæ S. Franciſci interceſſione ſanitatem receperat, beneficij oblitam in feſto ipſius die, dum illum non ſanctificat, ſubito dextrum brachium ad opus, & laborem extentum inflexibile, & aridum habuiſſe: & ſiniſtrum etiam, dum eo dextrũ iuuare tẽtat, vltione ſimili exaruiſſe: quæ tamen poſtmodum votum vouit, & ſanitatem recepit.

Sanctus quoque Gaudentius Epiſcop. Brixienſis in vita S. Philaſtij eiuſdem ciuitatis Epiſcopi ſcribit, quòd cum quidam cuſtos tituli S. Petri, diem Depoſitionis S. Philaſtij non ſanctificans, familiam ſuam in area laborare coegiſſet, ita vt fatigati operarij dicerent, S. Philaſtii feſtum eſt, quieſcere debemus; & Dominus multo magis vrgeret eos, vt operi inſtarent; illico correptus malo ſpiritu per aream vexari cœpit, & ab obſtupeſcentibus famulis ſuis captus, & vinctus tan diu permanſit, donec peccati huius illũ pœnituit, & à Sãcto Dei opẽ implorauit.

Similiter

Similiter idem refert, quendam diuitem Brixienſem fuiſſe, qui in die feſto eiuſdem S. Philaſtij miſerat operarios ad fœnum colligendum, & iam ſicco fœno, & aggregato tanta tempeſtas ſubito exorta eſt, vt totum fœnum collectum ad inſtar pulueris redactum ſit, neque vnus ſanè manipulus reliquus fuerit. Quare prædictus diues in poſterum annuam huius Sancti feſtiuitatem rite colere conſueuit.

Petrus Damianus in Sermone de S. Rufino refert, quoſdã prauos homines fuiſſe, qui in die feſto huius martyris cęperant cum ſuis mulierculis nõ ſolum textrinis, verùm etiam ruralibus operibus vacare: ſed domũ vbi erant repente flamma corripuit, & non ſolum domeſtica quæque, ſed etiam quæ in agris erãt omnia igne inextinguibili conflagrarunt: adeò vt violatores illi feſti diei in extremo periculo conſtituti ad amnẽ confugerenr, atque in illũ ardentes res proijcerent; & vt conſtaret id non caſu factũ eſſe, ſed diuino iudicio, quicquid in flumine mergebatur inextinguibile reddebatur. Itaque illi ſemiuſti ad B. Rufini altare accurrunt, cuius tãdem precibus ab incendii plagis liberati, incolumes domum reuerſi ſunt.

Gregorius Turonẽſis, De gloria Cõfeſſorum refert, fuiſſe quendam, qui dũ dies feſtus. S. Auiti Abbatis Carnoteni Pagi coleret, totuſque populus Miſſæ ſacro intereſſet, accepto raſtro ad opus ruſticum ſe accinxit, atque dum ad vineã pergeret, & à multis corriperetur, redire nolens dicebat. *& hic quem colitis operarius fuit:* verùm in ipſo vineę ingreſſu, dum laborare incipit, ſtatim retorta ceruice, facies poſt terga apparuit; tunc tremens ſpectanre populo Eccleſiam ſancti ingreditur, vbi aſſidue orãs poſt paucos dies ceruix in ſuo loco conſtitit, & conualuit.

Refert idem etiam de quodam ruſtico, qui cum in die feſto arare vellet, cõtracti digiti manubrio ſecuris, qua vomerem mundare volebat, adhæſerunt.

Hęc & ſimilia exempla parochi ex ſacris hiſtoriis colligere poterunt, & populo afferre, vt terreatur, timeatque vlciſcentis Domini iram contra dierum Feſtorum violatores: nam triplici, vt ex his colligimus, pœna punientur.

Prima eſt rerum temporalium, quia aut per tempeſtates, & grãdines, aut per immiſſiones ignis, vel immiſſiones aquarum, aut per morbos, & mortem iumentorum, & alia huiuſmodi plurima damna patiuntur, ſicque inopes fiunt.

Secũda eſt ipſius corporis, hoc eſt, per infirmitates, & caſus varios, quibus corpore aut mẽbris debiles effecti ſunt: ita vt ſi etiam vellent, nec aliis diebus præter feſtos operari poſſent.

Tertia eſt animæ, quæ pœnarum omnium eſt maxima, quoties enim diem feſtum ſciẽtes violanr, toties mortale peccatum committunt: per quod gratiam in præſenti vita, & gloriam in futuro ſæculo perdunt: & ad æternas pœnas cõdemnãtur, niſi pœnitentiam egerint: per quam tametſi illas effugiant, temporaliter tamen grauiter pati debent, antequã ad gloriam introducantur.

Dat Bonon. in Archiepiſ.

DE

DE SACRO IEIVNIO QVADRAGESIMÆ.

EDICTVM pro obſeruatione Quadrageſimæ.

Gabriel Palæotus S. R. E. Card. Archiepiſ. Bonon.

VT ſacrum hoc quadrageſimale ieiunium ab omnibus & ſingulis ciuitatis, & diœceſis noſtræ fidelibus inuiolabiliter obſeruetur: omnibuſq; caſibus occurratur, quibus aut ignorãtiæ nomine, aut malitiæ fraude, ipſorũ animæ decipi poſſent; ex officio noſtro præcipimus, & mandamus.

Ne in vlla ciuitatis huius parte, locoue diœceſis noſtræ, vendi poſſint, aut incidi carnes cuiuſuis generis, præterquã in macellis à nobis deputatis; in quibus tantummodo carnes pro infirmis & valetudinarijs licentiam in ſcriptis habentibus vendantur. In quibus tamen nullum aliud carnium genus vendatur, niſi vitellarum, caſtratorum, agnellorum, & hædorum. Atque hæc dum venduntur, non in cõſpectu populi, ſed in ipſo macello uendantur ſub pœna ſcutorum 25. & funis, præter amiſſionẽ carnium, aliaſque pœnas arbitrio noſtro reſeruatas.

Item nemo publicè ad vendendũ propoſita extra apothecas teneat, aut afferat per ciuitatem, aut quæuis loca diœceſis quęlibet alia genera carnium, oua, caſeum, aut aliorũ lacticiniorum hoc ſacro durante tempore ſub eiſdem pœnis.

Item nemo cuiuſcumque gradus & cõditionis ſit, emat, aut emi iubeat quodcunque genus carnium, aut aliorum ciborum in quadrageſima prohibitorum: niſi obtenta prius à nobis, vel à noſtris deputatis licentia in ſcriptis, quæ tamen licentia (vt reliquæ huiuſmodi) gratis concedetur.

Hæc verò licentia non concedetur niſi prius viſa fide, ſeu teſtimonio medicorum, & parochorum; qua in re nõ ſolùm ipſorum, ſed etiam à nobis deputatorũ conſcientias oneràmus, ſi huiuſmodi licentias ſine vrgente cauſa, & neceſſitate concedent.

In eaſdem ſupradictas pœnas incurrent ij etiã venditores, qui vendent prohibita emptori, qui non habeat huiuſmodi licẽtiam. Item qui vendent, aut emẽt vigore licentiæ finitę, & non prorogatæ: Item qui data opera plus carnium emãt, quàm neceſſe habeant, vt eas alijs impertiant. Item qui licentias aliarũ perſonarum ſuo vſui applicabunt: Item qui falſam fidem facient nomine medicorum, aut parochorum.

Nullus caupo, tabernarius, receptator, farctor, aut alius cuiuſcumq; ſtatus & cõditionis, audeat, præſumat, aut permittat, ſeu toleret: vt quouis modo in ſuis cauponis, tabernis, hoſpitijs, aut domibus, coquantur, aut comedantur carnes, aut aliud quoduis genus ciborum prohibitorum: niſi pro infirmis & valetudinarijs, qui licentias habebunt vt ſupra: non ſolum in hoc quadrageſimali ieiunio, ſed etiam in alijs vigilijs à ſancta Romana Eccleſia inſtitutis: ſub iiſdẽ pœnis, alijſque etiam maioribus pro qualitate perſonarum noſtro arbitrio reſeruatis.

Qui verò contra hoc noſtrum edictũ fecerint, non ſolum temporales pœnas incurrent, ſed etiam ſpirituales: neque abſolui poterunt, niſi à nobis, ſiue ab iis, quos ad id potiſſimum deputauimus.

In ciuitate pro pauperibus infirmis, in ſingulis parochiis ſinguli medici ſunt deputati: ad quos recurrendum erit, ad fidem ſeu teſtimonium obtinendum.

Extra ciuitatem in diœceſi licẽtiam concedere

concedere debebunt Rectores Eccleſiarum parochialium; atque vbi non aderunt medici, qui fidem facient, ſufficiet huiuſmodi licentia prædictorum Rectorum: quam tamen non niſi cauſa euidenti concedent, & cum iis conditionibus, quæ requiruntur.

Impreſſa ſunt etiam ſeparatim, quæ animaduertenda ſunt circa huiuſmodi fides, & teſtimonia à curatis, & à medicis facienda, & licentias à deputatis cōcedendas, vt ab omnibus legi poſſint.

Datum Bonon. &c.

N. Vic. Gen.

ANIMADVERTENDA à Dominis deputatis ab Illuſtriſſ. Archiepiſcopo, ad ſubſcribendas licentias ciborum prohibitorum in hoc ſacro Quadrageſimali ieiunio tam in ciuitate, quàm in diœceſi Bononiæ.

IN primis ſciāt, ſe ad hoc munus exercendum inter alios electos eſſe, vt potè quorum charitati, & integritati plurimum hac in re fidat Illuſtriſſimus Archiepiſcopus. Quapropter conueniant in Archiepiſcopale palatium ſtatis horis, ne qui licentiis indigent, expectent, ſed quamprimum dimittantur.

Licentiā nemini concedēt, niſi prius bene perſpecta medici fide, & curati, quæ ſimpliciter ab ipſis ſubſcripta ſit: nihilque immutatum, aut adiūctum ſit impreſſis formulis, præter nomina propria, & morbi qualitatem.

Licentiæ, quas ipſi ſubſcribent, erunt vt plurimum ad tempus quindecim dierum; quo tempore elapſo, prorogari poterunt: dum tamen etiam tunc medici, & curati nouę fides afferantur, vt ſupra; exceptis licentiis, quæ ſenibus ob ætatē decrepitā, aut grauidis mulieribus, aliiſque ſimilibus dari ſolent, in quibus manifeſtè appareat valetudinem longiori tempore duraturam: atque ideo pro carum qualitate tempus vel breuius vel longius præſcribere poterunt.

Pro caſibus repentinis, & pauperibus miſerabilibus, qui non poſſunt ſtatim medicum aduocare, ſufficiet curati fides: qua viſa, licentiam concedent, ad paucos tamen dies; nam poſtea Curatus efficiet, vt medicus in parochia ſua deputatus viſitet infirmum, & fidei ſubſcribat, quæ deputatis vt reliquæ conſignabitur.

Licentiæ, quæ concedentur iis, qui licet infirmi, domo tamen exeunt, quamuis perſonaliter dari debeant: tamen preter mulieres, iuſtas ob cauſas, quibuſdam hominibus in aliquo gradu ſeu dignitate conſtitutis, per tertiam perſonā concedi poterunt: verùm vtcumque omnes ita diſtribuantur, vt vltimis quindecim quadrageſimæ diebus nemini vſui eſſe poſſint, niſi in caſibus euidenter neceſſariis.

Videant ipſi, an commodum eſſet ita inter ſe onus hoc impartiri, ut alii licentias pro infirmis, qui domo non exeunt, & alii licentias pro iis, qui domo exeunt ſignarent, ſi ita magis expedire iudicabunt, vt omnis confuſio tollatur. Separatim adnotent quotidie numerum eorū, quibus ieiunii quadrageſimalis non obſeruandi licentiam conceſſerunt, ita vt per ſingulos dies conſtare poſſit.

Fides ſeu teſtimonia medicorum, & curatorum aſſeruabunt: & ſi quid accidet dubium, eos qui licentias petunt ad Illuſtriſſimum Archiepiſcopum mittent aut ipſius Vicarium.

Datum Bonon. &c.

L. N. Vic. Gen.

ANIMADVERTENDA à Dominis medicis pro fide facienda iis, qui cibis vetitis in Quadrageſima vti debebunt, in ciuitate & diœceſi Bononiæ.

QVi facultatem habere volent ſignandi huiuſmodi fides, ſeu teſtimonia

monia Quadrageſimæ, non obſeruandæ, in doctoratus gradu conſtituti eſſe debebunt, aut ſaltem in babitu doctoris publicè medicinam profiteri.

Illud in primis meminetit, quòd quãuis Chriſtiani medici officium ſit, vt cor pus curet, ſemper tamen præ oculis habere debet animæ ſalutem tamquam finem perfectum, ad quem bene agendo ſanitati reſtitutus peruenire contendat. Quapropter caueat ne nimis indulgens in huiuſmodi fides obſignando, in perpetuum ſeipſum damnet.

Antequam huic rei operam dare Incipiant, ad Archiepiſcopale palatium accedant, & propria manu ſuum nomen in libro ad id deputato ſcribant: ne manus ab alio fingi, & fraudari poſſit.

Nemini fidem obſignabunt, quem aliàs non curarunt: exceptis iis, qui grauiter ægrotatent, aut aduenæ eſſent, neque Bononiæ commorari ſoleant.

Caueant ne ipſi fides huiuſmodi offerant, aut cuiquam ciborum vetitorum vſum perſuadeant: ſed requiſiti tantum reſpondebunt quæ verè Chriſtiana cõſcientia dictante ſe agere poſſe intelligent; neque leuioribus de cauſis vnquã, aut alio humano reſpectu ad eaſdem fides concedendas adducentur.

Chartis illis, in quibus fides impreſſę ſunt, ne verbum quidem addent aut dement, cum ipſas obſignabunt, præter nomina propria, & valetudinis ipſius, cum ea exprimi poſſe videbitur; ſin minus dicant; ob ægritudinem mihi notã: cæterum ſi iuſtè ſe fidei impreſſæ ſubſcribere non poſſe videant ob aliquam circumſtantiam, penitus à ſubſcriptione abſtinebunt. Et cui infirmitati ſat erunt oua & lacticinia, nequaquam concedent carnes.

Monentur demum omnes, qui ſecus fecerunt, & Chriſtiani medici officium hac in re tranſgredientur: præter peccatum mortale, quod incurrunt, abſolui non poſſe, niſi ab iis, qui caſuum reſeruatorum facultatem babebunt; & pro caſuum qualitate, teneri etiam ad alias pœnas temporales atbitrio Illuſtriſſimi Archiepiſcopi. Et in caſu contemptus, contra contemnentes, tamquam contra ſuſpectos de Religione procedetur.

Dat. Bonon. in Archiep. palat.

N. Vic. Gen.

ANIMADVERTENDA à RR. parochis ciuitatis, & diœceſis Bononiæ ſuper obſeruatione Quadrageſimæ.

CVm inter cæteros Eccleſiæ Dei operarios, parochi in primis teneãtur ad reddendam rationem villicationis ſuæ, animarumque ſuæ cuſtodiæ cõmiſſarum; atque inter cætera ſanctæ Eccleſiæ ieiunia, Quadrageſimæ ieiunium ſolemnitet præcipiatur ab initio naſcẽtis Eccleſiæ ſanctorum Apoſtolorũ temi pore inſtitutum, ſub pœna peccati mortalis, exceptis tamen legitimis tantum caſibus; Ideo Parochi omnes & ſinguli omni ſtudio, & ſolicitudine curare debẽt, vt ab hac obſeruatione ſancta, fraus omnis, errorue penitus abſit.

Quapropter nemini fidem aliquam ſubſcribent, niſi prius videant aliam fidem à medico ſubſcriptam iuxta formã impreſſam boc modo, videlicet vt antequam ſubſcribant eorum licentiam, qui aliam fidem à medico habent ægritudinis: in qua ob ægritudinem in lecto, aut certè domi commorari illos debere medicus aſſerat; de hac re certiores fieri curent, & omni diligentia cõſcientiæ propriæ ſatisfacere conentur. Quod ad reliquos attinet, qui fidem habebunt medici eorum ægritudinis, quamuis non eius generis ſit, vt in lecto, aut domi conſiſtere cogantur, parochi fidem non ſubſcribent, niſi prius huiuſmodi ægrotos coram colloquantur, qui ægroti expreſsè in conſcientiæ ſuæ onere affirment ſe vere, niſi cum graui ſalutis periculo

culo, quadrageſimale ieiunium conficere non poſſe.

In repentinis caſibus, in quibus temporis anguſtijs huiuſmodi licentiæ accipi non poſſunt, ſi accidat vt vetitis cibis vtendum ſit, non peccatur mortaliter; debet tamen qui ijs vſus eſt, quamprimũ id ad deputatos referre, & ab ijs licentiam accipere.

Pauperum item miſerabilium, qui medicum aduocare non poſſunt, fidem Parochi ſubſcribẽt, eamque ad eoſdem deputatos mittent: Curabũt tamen diligenter, ut medicus quamprimum ad ægrotum huiuſmodi inuiſendũ accedat, & fidem, vt ſupra dictum eſt ſubſcribat. Quòd ſi medicus deſit, moneãt Illuſtriſſimum Archiepiſcopum, aut ipſius Vicarium, qui de medico prouidebunt.

Conditiones, quæ ponuntur in licentijs, videlicet vt vetitis cibis ſeparatim ab alijs, qui eas habet, veſcatur: iccirco ponuntur, vt ſcandala auferantur, atque vt ſint comedentibus pœnitentiæ loco, atque ita ab ijs accipiantur, ijs commodis conuictus ſeſe priuãtes, quæ hac remota cauſa haberent. Huiuſmodi autem conditiones de iis intelligantur, qui commodum domicilium habẽt, vbi plures inſimul cohabitent. Hæc autem diligentia ad parochum ſpectabit.

Opportunè admonebunt etiam intra Miſſarum ſolemnia, famulos, famulas, aliosque, qui, quæue coquinariã rem tractant, vt cum certo ſcirent dominos licentias non habuiſſe, abſtineant à ciborum prohibitorum emptione, & coctione, ne ſint tanti ſceleris miniſtri; illud iis inſuper adiicientes, quòd ſicut tẽporali lege puniuntur coqui, fartores, ſutores, aliudque genus huiuſmodi hominum, qui à lege prohibita vel coquãt, vel vendant, vel contra prædictos ordines faciant: etiam ipſis cauendum eſt ne hanc legem violent, cum præter temporales pœnas, etiam ſpirituales incurrantur.

In parochiis vbi pauperes multi ſint, parochi penes ſe habeant impreſſarum licentiarum aliquem numerum, quas tamen gratis eiſdẽ dent pauperibus; quòd ſi iiſdem parochis licentiæ deficiant, eas in Archiepiſcopali palatio Illuſtriſſimi Archiepiſcopi iuſſu paratas habebunt.

Curent vt rectè teneant, atque intelligant edictum hoc anno promulgatum ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo ſuper obſeruatione Quadrageſimæ, populumq; ſæpius moneant de iis, quæ in ipſo continentur: & præſertim de obligatione quotidiani ieiunii ad quã tenetur, præter Dominicos dies, exceptiſque iis, quibus iuxta ſacros canones hoc ieiunium remitti poteſt.

In omnibus ſupradictis rebus parochi ea diligentia, & charitate vtantur, ad quam ſui officii munere ſunt obligati: pœnam peccati mortalis à ſacris canonibus præſcriptam, caſumq; hunc inter caſus reſeruatos comprehendi notificent; cuius aſolutio non dabitur, niſi à deputatis ſacerdotibus, præter pœnas temporales, quas incurrent; & in caſu contemptus, aut ſpretus contra eos per viam ſancti officii inquiſitionis procedendum eſſe affirment.

Declarent verò per huiuſmodi licentias vetitorum ciborũ non intelligi, nec ieiunio liberari eos, quibus conceduntur, ſi poſſunt ieiunare.

Iis autem, quibus licentias concedẽt, earum loco iniungent, vt aliqua opera pia exerceant, prout eorum ſtatus requirere videbunt.

Caueant parochi ne culpabiles ſeſe exhibeant in harum ordinationum exequutione, alioquin etiam ipſi tanquam fautores, & complices tenebũtur ad pœnas, quæ à ſacris canonibus pro qualitate exceſſuum conſtituuntur.

Dat. Bonon. in Archiep. pal.

N. Vic. Gen.

FOR-

FORMVLÆ
quibus fides fieri ſolitæ ſunt pro ijs, qui Quadrageſimam obſeruare non poſſunt.

Fides medicorum pro infirmis ſeu valetudinarijs, qui domo exeunt.

EGo N. medicus phyſicus, fidem facio quòd N. ægrotat, ægritudo verò eſt . . . vt quamuis domo exeat; tamen exiſtimem, ipſum ſine graui ſua corporalis ſalutis periculo, quadrageſimale ieiunium obſeruare non poſſe: hacque in conſcientia mea aſſero. In quorum fidem & cet. præſentem mea manu ſubſcripſi, & meo ſigillo communiui, hoc die . menſis . ann. .

Fides parochorum pro eiſdem.

EGo N. Curatus parochiæ S. N. fidem facio N. quem ego coram alloquutus ſum, mihi in conſcientia affirmaſſe cum fide, & teſtimonio medici phyſici: ſe quamuis domo exeat, ſic tamen valere, vt non poſſit ſine graui corporalis ſalutis periculo Quadrageſimam obſeruare. In quorum fidem, & cet.

Formula licentiæ eiſdem concedendæ à RR. Deputatis.

EGo infraſcriptus deputatus, cum viderim, & apud me habeam fidem medici phyſici, & ipſius etiam parochi de infirmitate N. eidem concedo licentiam, vt cibis vetitis in hac Quadrageſima vti poſſit per dies . . Hac tamen conditione, vt ijs veſcatur ſeparatim, non in aliorum conſpectu: niſi neceſsitate ad aliter agendum aſtringatur, iuxta monitiones, & præcepta ſuper hoc edita: & feria quarta à carnibus, feria autem ſexta, & alijs vigilijs, quæ ſunt de præcepto ſanctæ Eccleſiæ, non ſolùm à carnibus, ſed etiam ab ouis, & lacticiniis abſtineat. In quorum fidem præſentes propria manu ſubſcripſi, & ſigillo ad id deſtinato muniui.
Dat. in Archiepiſc. palatio die. menſis anni . . .

Ego N. Deputatus.

Fides medicorum pro infirmis in lecto ægrotantibus, ſeu qui domo exire non poſſunt.

EGo N. medicus phyſicus, fidem facio N. ægrotare: morbum verò eſſe . . . . . . ita vt non poſſit ſine graui periculo ſalutis corporis, Quadrageſimã obſeruare, & cogatur in lecto manere, aut ſaltem domi. Atque id in conſcientia affirmo. In quorum fidem, &c. præſentes mea manu ſubſcripſi, meoq; ſigillo ſignaui. Die . menſ. .

Fides parochorum pro iiſdem.

EGo N. Curatus parochiæ S. N. fidem facio N. ita ægrotare, vt affirmat, & teſtatur D. N. medicus, vt in lecto, aut ſaltem domi commorari cogatur. In quorum fidem, &c.

Formula licentiæ eiſdem concedendæ à R R. Deputatis.

EGo infraſcriptus Deputatus licentiam cõcedo N. vt poſſit vti cibis prohibitis in hac Quadrageſima per dies . . . cum viderim, & apud me habeam fid. m tam medici, quàm curati: qui de ipſius infirmitate teſtimonium perhibent, ita vt aſtringatur in lecto, aut ſaltem domi commorari. In quorum fidem &c. præſentes mea manu ſubſcripſi, & ſigillo ad id deſtinato ſignaui. Die &c.

Ego N. Deputatus.

CHRISTIANA DOCVMENTA

ad eos, qui peregrinos, & viatores hoſpitio, ſeu mercede excipiunt, pertinentia, ad vſum ciuitatis Bononiæ edita vulgari ſermone, necnon Trãſalpinorum commodo latine reddita.

HOſpitalitatis officia, quæ erga peregrinos aduenas, cæterosquẽ iter agentes à Chriſti fidelibus exercentur, ſanctorum Patrum exemplis ita

comprobata eſſe ſcimus, vt per ea maxime Deo placuerint quidam, Angelis hoſpitio receptis: atque ipſemet Chriſtus Dominus noſter electos æterna gloria dignos fore teſtetur, eam ob cauſam, quam ipſe protulit dicẽs. *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me*. Quàm autem feruens illa charitas noſtra tempeſtate refrixerit, cuius Abraham, Loth, alijque illi ſanctiſſimi viri zelo inflammati, viatores ad ſe diuertere humaniſſimis precibus quodammodo compellebant dicẽtes: Domine ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum; Ingredere benedicte Domini; cur foris ſtas, præparaui domum, & locum camelis; mane apud me etiam hodie &c. Nihilominus non iccirco illis, qui noſtris temporibus hoſpitantur, diuinæ miſericordiæ gratia deficiet, ſi huiuſmodi artem ea, quæ Chriſtianum virum decet, fide, atque integritate profiteantur. Cum enim ij non ſolum à legibus vbique admittantur, ſed etiam certis quibuſdam regulis, modus eorum officio, ac pretijs, & mercedibus ab hoſpitibus exigendis præſcribatur; dubium non eſt, prout in ſacris literis legitur: *Si peregrino, qui inter portas illorum eſt, dabunt vt comedat, aut vendent ei, populus Sanctus Domini erunt*; & hoſpitalitatis officio licet non gratis, eo tamen quo poſſunt modo ſatisfacient; & ipſi præter exiguum illud pretium, quod ab hoſpitibus exigere ſolent, ſempiternum à Deo præmium conſequentur.

Verùm ea eſt noſtrorum temporum conditio, vt etiam opus hoc Deo acceptiſſimum, vel antiquæ originis obliuione obſoleſcat, vel inhumanitatis, atque auaritiæ vitio corrumpatur, & penitus deformetur: maximeque cauponibus timendum ſit, ne qui aliqua ex parte Sanctiſſimis illis patribus in eo munere ſucceſſerunt: benedictionis loco, perpetuam maledictionem ex eo ſibi acquirant.

Quamobrem præter cætera, quæ pro paſtorali ſui gregis cuſtodia, totiuſque corporis Eccleſiæ ſuæ curatione Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus Dominus Cardinalis Palæotus Archiepiſcopus Bononiæ conſtituit: vt huic quoque ægro membro opportuna remedia compararet, hæc documenta promulgari iuſſit; quibus licet nemo maiore culpa, aut grauiore pœna etiam temporali teneatur, quàm aut ſacrorum canonum, aut magiſtratuum huius vrbis edictis aſtringitur; tamen ex ijs facile caupones omnes intelligent, qua ratione hoſpitalitatis iura tueri, Deo placere, ipſiuſque metuendam ſententiam euirare poſſint, cum dicet: *hoſpes eram, & non collegiſtis me: ite maledicti in ignem æternum*.

De eo, qui hoſpitio, ſeu cauponæ præfectus eſt.

IN aſſidua igitur cogitatione ſit ille qui cauponam exercet, ſe plurimis vndique periculis eſſe circumſeptum: quibus niſi occurrat præſentibus remedijs, in certum ſalutis diſcrimen adducitur. Cogitet ſe à Deo creatum, eoque propoſito baptiſmi ſacro fonte ablutum eſſe: vt Chriſtianæ legis, quam profitetur, præceptis inhæreat: atque immortalis vitæ, poſt mortalis huiuſce curſum particeps efficiatur; meminerit melius eſſe, cum vno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Ideoque ſi cauponam ſeſe exercere non poſſe videat abſque animæ periculo, & iactura, eligat artem aliam: aut potius paupertatem, & mendicitatem ipſam amplectatur: aut certè ſi illam rite exercere ſe poſſe confidat, regulas ſibi præſcriptas ſeruet: hoſpites ſine Dei offenſione cum moderatis quæſtibus, & mercedibus excipiat: atque in hoc munere Dei gloriam præcipuè, & proximi auxilia ſibi proponat; abſit verò turpe lucrum, cæteraque omnia procul abſint, quæ

Chriſtianis

Chriſtianis virtutibus repugnant, atque hoſpitalitatem ipſam in primis deprauare poſſunt.

Atque vt hæc eo melius, & cum conſcientiæ ſecuritate efficere poſſit: illud ſedulo curet, vt ſacerdotem eligat virum doctum, religioſum, & timentem Deum: quo cum agat de ijs caſibus, qui in cauponaria arte quotidiani ſunt, aut frequentius euenire ſolent; quærarque ab eo, quæ ſit vendendi, emendi, & ſoluendi recta, & iuſta ratio: ab eodemque in ſpiritualibus exercitationibus inſtrui, & dirigi ſtudeat.

Parabit autem, ac ſternet ſibi iter ad bene viuendum, faciliuſque bona omnia aſſequetur: ſi quaſi Ducem omnium actionum ſuarum generalem confeſſionem præmittet, & diligentiſſimo examine præuio animã peccatis omnibus expurgabit: vt ſic emundata Chriſtianam diſciplinam efficacius apprehẽdat; qua in re vti poterit eo libello, qui de modo confitendi, eiuſdem Illuſtriſſimi Domini Cardinalis Archiepiſcopi iuſſu olim editus fuit.

His iactis Chriſtianæ diſciplinæ fundamentis, cum ad illum totius domus, & familiæ ſuæ adminiſtratio pertineat: ab eoque non ſolum domeſtici, verum etiam peregrini, atque exteri uiatores exemplum ſumere debeant: cauendum illi eſt inſuper, ne dum loquitur, ſeu aliquid iubet, aut tractat, ſcandalum, aut offendiculum proximo ponat; Verum ſciat ſe maximam laudem coram Deo, & hominibus adepturum, ſi ille, qui caput aliorum miniſtrorum eſt, in charitate, in fide, in modeſtia, in patientia cum omnibus ſe geret.

De cauponis familia.

Sciat præterea ea, quæ Chriſtianis omnibus ſunt communia, ab ipſo in primis præſtanda eſſe, cum quaſi in conſpectu omnium ad hoſpitium ſuum vndequaque confluentium conſtitutus ſit. Ideoque ſi vxorem habet, diligat eam ſicut ſeipſum: cum ea motum honeſtate, fidei deuotione, & chriſtianæ charitatis vnione viuat, ſacramentum enim hoc magnum eſt in eccleſia Dei.

Si filios habet, Chriſtianè inſtrui eos curet, & ad doctrinæ Chriſtianæ ſcholas ire iubeat, cogatque: & de eorum in ijs progreſſu ſæpius à magiſtris certior fieri non prætermittat: eaſque moniriones, quas ad puerorum inſtitutionẽ Illuſtriſſimus D. Card. inprimis iuſſit, ſæpius legat, atque ad earum præſcriptum filios erudiat, & in viam ſalutis dirigat: vt illorum optima, & chriſtiana educatione exteri ædificari, & ad ſimilia excitari poſſint.

Filias item ſi habet, iiſdem prorſus regulis, & præceptis gubernet, eaſque hoſpitum conſpectu, & colloquijs prohibeat.

Ancillæ verò, aliæque mulieres non niſi honeſtæ, & pudicæ, & maturæ ætatis domi ſint, aut verſentur: inhoneſtas, & impudicas omnino longe arceat, & repellat.

Cumque ipſe caput ſit familiæ, peruigilare debet, de ea rationem Deo redditurus: atque iccirco, concubinarios, blaſphemos, periuros, peccata ſtatis ab Eccleſia diebus non confitentes, non communicantes, decipientes aliquo modo aduenas, doctrinam Chriſtianam, aut certe orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, Decem præcepta legis ignorantes, aut alios quoſcumque turpiore aliquo vitio notatos, in familiam non recipiat: neque ſi receperit, de ipſorum vita certior factus, cum ſuis diutius eſſe patiatur.

In feſtorum dierum ſanctificatione præeat omnibus exemplo, vt cæteros domeſticos auctoritate antecellit: efficiatque vt eorum ſinguli miſſæ ſacro interſint, cæteraque obſeruent, quæ in edictis de hac re promulgatis habentur: affigat verò Domi tabellam illam, quæ ab Illuſtriſſimo Domino Cardinali Archiepiſcopo diuulgata fuit: in qua ratio dies feſtos ſanctificandi explanatur, & eorum feriæ adnotatur.

Digitized by Google

Quotidie veſperi ad orationem communem ex præſcripto Illuſtriſſimi D. Archiepiſcopi vnum in locum ſuos omnes conuenire iubeat, & de hoc ſancto orandi inſtituto hoſpites moneat; iiſq; indulgentias explicet, quas Summus Pontifex elargitur: & vt ipſi etiam hoſpites conueniant, pie roget, atque hortetur.

De cauponæ diuerſorio, & cubiculis.

VBi non incommodè fieri poſſit, curet cauponæ magiſter, vt in pariete, qui viam reſpicit, ſiue in ipſo porticu, alicuius Sancti viri imago, ſiue hiſtoria pingatur, qui peregrinatus fuerit: veluti Abraham, Loth, Iob, Sunamitidis, Sareptanæ, ſeu alteriuscuiuſlibet, prout ipſius deuotio monet, atque expoſcit: quæ chriſtianos viros in eo diuerſorio commorari oſtendet, atque illius, quam in eo quærunt Chriſtiani viatores, ſpem præbebit charitatis.

In ingreſſu autem cauponæ, pietati conſentaneum eſſet, vt peregrinorũ, atq; aduenarum oculis dum ſcalas aſcendunt, ſiue ad cubicula ſeſe cõferunt, alia ſacra imago vel Chriſti Saluatoris, vel Beatę Virginis in muro, vt diuturnior ſit, depicta offerretur.

Obſcœna verò ſcripta, turpeſq; picturæ vbique omnino deleantur, demandeturq; hæc à magiſtro cura alicui ex ſuis domeſticis, qui moneat etiam peregrinos & viatores omnes, ne carbonibus, pennicillis, aut alia re muros deturpent.

Quòd ſi cauponæ Domini oratorium in diuerſorio extruere poterunt, vbi ſit altare; ſacra imago, & vaſculum aquæ benedictæ: eos vehementer hortamur, vt ne ſuam pietatem hac in re deſiderari patiantur; in eo enim & communis oratio veſperi habebitur, & hoſpites cũ adueniunt confecto itinere Deo gratias decentiùs agere poterunt. Sin minus ob ædium anguſtiam, ſiue aliam ob cauſam id fieri poſſit, alium locum magiſter cauponæ orationi deſtinabit: vbi item ſit ſacra imago, & vaſculum aquæ benedictæ, & lampas ardeat ſaltem orationis tempore, atque alia his ſimilia locum illum orationis eſſe oſtendant.

In ſingulis cubiculis cõmodiore qui videbitur loco, Crucifixi Domini noſtri, aut Beatæ Virginis imago muro affigatur: coràm qua hoſpites cubitum cũtes, ſeu manè ſurgentes genuflectere, ſeque, ac ſuas actiones omnes omnipotẽti Deo commendare poſſint.

Admonitiones verò illas ab Illuſtriſſimo D. Cardinali Archiepiſcopo olim editas, ad patres familiàs ſpectantes: aliaſque etiam tum ad communem, tum ad feſtorum dierum orationem pertinẽtes, eo domicilij loco affigi curet caupo næ magiſter: vbi in omnium conſpectu ſint, & legi facile poſſint, ne ab hoſpitibus ignorari ſpiritualium exercitationum theſauri omittantur.

Profanos, turpeſque libros auertat; imo ad familiæ ipſius, & peregrinorum vtilitatem, pios, deuotoſquę paratos habeat, vitas Sanctorum, Roſarium Beatæ Virginis, Pharetram diuini amoris, Ioannem Gerſonem, aliaque huiuſmodi ſpiritualia opuſcula: quę mores rectè inſtituere, & animos ad æternæ ſalutis poſſeſſionem incitare, ac ſtimulare poſſunt.

Denique ita in omni apparatu, inſtructione, & ſupellectili domus ſeſe exhibeat: vt ex omni parte honeſtatis, elegantiæ, & religionis ſpecies ab hoſpitibus commendetur.

De Hoſpitibus ipſis.

CAuẽdũ illud eſt in primis cauponæ magiſtro, ne cubicula, aut vllam domus partem lenonibus, meretricibus, hiſtrionibus, præſtigiatoribus, circulatoribus, & cingaris locet; neq, huiuſmodi improbitatis miniſtros vnquam hoſpitio recipiat, niſi itineris cauſa; eaque tum demũ conditione, vt dum in hoſpitio ſunt, rectè viuant; curet tamen vt quamprimũ diſcedant, iterque ſuum proſequantur: ne ipſorum corruptis moribus Chriſtiana diſciplina in hoſpitio labefactetur.

Aleas

Aleas, teſſeras, ceteroſque ludos, qui à legibus prohibentur, hoſpiti quamuis petenti non accommodet; quòd ſi quis aliunde illas habeat, prohibebit ne publicè in ſuo domicilio iis vtatur: niſi ludus delectationis honeſtæ, & leuandæ moleſtiæ cauſa tolerari poſſe videatur.

Blaſphemantes nequaquam ferat: ſed ſi quis hoſpitum, tantum facinus auderet, vt aperiat os ſuũ in blaſphemias ad Deum, & eos qui in cælo habitant: cum ſemel atque iterum de publico edicto, pœniſque in blaſphemos conſtitutis admoneat: tunc non pœnitẽtem, ſed in peccato permanentem hoſpitio diſcedere cogat, eiuſque nomen ad curiæ Archiepiſcopalis miniſtros referat.

Caueatque etiam ne in ſuam domum ducantur vagæ mulieres, cantatrices, aut fidicinæ, aut ludos varios exercẽtes, ſeu in comedijs, & paſtoralibus hiſtrionicam artem profitentes, quibus hoſpites inter comedendum, vt plurimum oblectari ſolent; nam hac fraude diabolus laqueos abſcondit, quibus animæ fidelium irretitæ, ab eo facile capiuntur; cantus tamen alios muſicos, honeſtaq; oblectamenta, quibus fœminæ non interſint, tolerare poterit.

Vt autem debitę dormientium honeſtati noctu conſulatur, viris & mulieribus ad ſe diuertentibus (niſi indubitanter, & certiſſime illi pateat eos coniuges eſſe) diuerſa omnino cubicula diſtincte aſſignare debebit.

Pauperes peregrinos, ceteroſque viatores egentes ita commẽdatos habeat: vt meminerit panem egentium vitam eſſe pauperis, hominemque ſanguinis eſſe, qui pauperem defraudat, & quaſi qui occidit proximum ſuum: memineritque ſe Deo maxime placitum, ſi non ſolum viliore pretio hoſpitij res ijs accommodet aut vendat: ſed etiam porrigat illis manum ſuam, atque eleemoſynam, ſi poterit, abſcondat in ſinu eorum, vt Deus delictis ſuis ignoſcat.

A ſacerdotibus, religioſiſque viris in ſuum hoſpitium receptis omnem prorſus iniuriam amoueat: efficiatque vt à ſuis miniſtris debitus iis honos ſemper exhibeatur, ſunt enim Sancti Deo. In eadem verò menſa mulieres quamuis coniugatas veſci non patiatur: ſed ſacerdotibus menſam, & cubicula ſeparata apparare ſtudeat.

Si quis ex hoſpitibus in morbum inciderit, Chriſtiani cauponis erit, parochũ admonere, atque omnem operam adhibere, vt ante omnia ægroto ſpiritualia remedia adhibeantur.

Quòd ſi nimia paupertate prematur ægrotus, & curationis pretium ſoluere nequeat: illum caupo ad Xenodochium ſeu publicum hoſpitalitatis locum adduci curet, ibi ſæpius viſitet, atque eleemoſynis etiam iuuet.

Ad pietatis verò partem Chriſtiano viro digniſſimã vt cum maxime faciet, ſi caupo aliquem ex ſeruis, aut aliis ſuæ familiæ miniſtris conſtituat: cuius ſit, hoſpites per vrbem deducere, vt eccleſias inuiſant: reliquias Sanctorum, quæ in iis aſſeruantur, venerentur: atque alia pietatis officia exequantur: diebus autem feſtis eos ad eam eccleſiam comitetur, vbi conſueta feſtorum dierum oratio haberi ſolet.

De menſa & cibis.

Feria ſexta, & Sabbatho caueat ne cui carnes etiam laxitudinis, aut malæ valetudinis prętextu miniſtrentur: niſi qui eis veſci volent, prius à medico, & parocho licentiam in ſcriptis obtinuerint, ad cuius præſcriptum caupo ſe gerat: atque his ſanctis regulis ſubiici nolentes, de pœnis, quæ iis iniunguntur, admoneat.

In vigiliis Sanctorum, Quatuor temporum, Quadrageſimæ, ceteriſque ieiuniorum diebus ab eccleſia ſancta inſtitutis, monitiones, prouiſiones, edicta, quæ de hac re promulgata ſunt omnino obſeruet: curetque vt qui licentiam prohibitorum ciborum obtinuerint, non corã aliis, ſed ſeorſum in diſtinctis cubiculis menſas habeant.

Si quis autem vetito cibo vti voluerit, & præceptis ab Illuſtriſſimo D. Cardinali Archiepiſcopo ſuper hoc editis parere

parere recuſabit, illius nomen caupo ad Archiepiſcopalē Curiam confeſtim referat.

Porrò ad menſam cum benedictione accedendum eſt, atque ab ea recedendū cum gratiarum actione: idque pia quadam humanitate ab aliquo hoſpite effici curabit caupo: qui ſi deficiat, vnum ex ſuis familiaribus ſufficiet, vel ipſemet illud explebit.

Præter autem omnia ſupradicta, ſciat caupo non huc omnia afferri: ſed aliqua quæ ſilentio prætereuntur, cauponum ipſorum conſcientiæ examinanda, & facienda relinqui. Plura ſunt enim Archiepiſcopalia edicta, & prouiſiones, quæ quotannis hac de re promulgari ſolent. Hæc autem tantum monuiſſe placuit Illuſtriſſ. D. Cardinali Archiepiſc. vt ſciat caupo, ſe huius artis recta & Chriſtiana exercitatione æternas diuitias in cælo, & caducas etiam in terris comparare poſſe: dum in id incumbat, vt hoſpites ea, quam expreſſimus diſciplina in ſuum tectum recepti, lectis aptè inſtructis, equis diligenter curatis, rebus eorum fideliter cuſtoditis, vecturarum iuſto pretio quæſito, monetis, ſi opus ſit, ſine vſura cōmutatis, in charitate Chriſti recreentur.

Rogamus verò enixè omnes, vt hæc documenta in ſuis ædibus affigant, legant ſæpius familiæ, ipſiſque hoſpitibus aperiant, eorum animis imprimere conentur verbo, & opere, amplectantur denique, & ſolicitè exequantur.

Datum Bononiæ in Archiepiſcopali palatio &c.

N. Vicarius generalis.

EX CONGREGATIONE REFORMAT.

DE FABRICERIIS SIVE OPERARIIS.

ANTIQVVM olim fuit inſtitutum in diœceſi Bononiæ, in ea præſertim parte, quæ ad Alpes vergit, vt Eccleſiarum bona tam mobilia, quàm immobilia, quæ à pijs fidelibus pro reparatione fabricæ relinquuntur, adminiſtrentur à laicis, qui operarij, ſeu fabricerij appellantur. Cum autem animaduerteret Illuſtr. D. Card. Archiep. plurimam vtilitatem Eccleſijs hinc afferri, ne bona Eccleſiaſtica diſpergantur: quinimo cum accidunt Rectorum obitus, hac ratione caueri, ne hæc bona indebite occupentur, aut alienentur: adſunt enim illico deſtinati eorum cuſtodes. Iccirco tum vt optimo huic inſtituto, & muneri rectè gerendo conſuleret, tum ut illud per vniuerſam diœceſim, atque ipſam vrbem Bononiæ, ubi opus ſit, extenderet: regulas huiuſmodi operarijs, ſeu fabricerijs præſcripſit, adhibito conſilio, & conſultatione prudentum virorum: quarum hic ſummarium tantummodo afferemus, ex quo inſtituti huius vtilitas, & reliqua, quæ nos breuitati conſulentes omittimus, percipi facile poterunt.

Summarium prouiſionum quas Illuſtriſſ. D. Card. Archiep. præſcripſit ijs, qui operæ, ſeu fabricæ eccleſiarum præficiuntur.

IN qualibet Eccleſia duo laici conſtituantur, quorum vnus ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo eligetur, alter à communitate loci in diœceſi exiſtente, ſiue ſi in ciuitate ſit, à ſocietate Sanctiſſimi Sacramenti, ſiue alia congregatione laicorum, quæ in huiuſmodi Eccleſia erit, aut ad quos ipſius Eccleſiæ iura aliquo modo ſpectare poterunt: quòd ſi plures etiam nonnullis in locis deputari ſoleant, eadem ratione deputentur, duo ab ipſo Archiepiſcopo, & duo à laicis, vt ſupra dictum eſt.

Eorum

Google

Eorum officium durabit, prout Illuſtriſſimus Archiepiſcopus ex eorum adminiſtratione, eccleſijs ipſis proſpici cognoſcet.

Eligatur pariter alius ſecularis vir, fide, & integritate probatus, & opibus ſatis affluens, pro vnaquaque huiuſmodi eccleſia, vbi operarij erunt: penes quem pecuniæ deponentur, & depoſitarius appellabitur.

Cum in poſterum aliqua legata pecuniarum, eccleſiæ cuius Operæ præfecti ſunt, relinquentur, ſiue eleemoſynæ colligentur pro reparatione fabricæ: diligenter ipſi eas exigant, ſtatimque depoſitario conſignent, à quo acceptæ pecuniæ fidem accipiant, & afferunt.

Similiter omniũ bonorum ſtabilium eccleſiæ pro fabrica relictorum inuentarium conficiant, & reddituum rationes deſcribant: quorum omnium copiã eidem depoſitario conſignent, vt omnia diſtinctè percipiantur.

Inuentarium item facient eorum bonorum mobilium, ſeu ſupellectilis, quæ in cultum diuinum, & ſeruitium altaris, ſacriſtiæ, & huiuſmodi ſacrorum pertinent: veluti paramenta quot, qualia ſint, candelabra, vaſa, cruces, & huiuſmodi alia: quod quidem inuentarium Rectoris manu ſubſcriptum apud ſe habebũt; quòd ſi in dies aliquid huiuſmodi ſupellectilis ſacræ ad ornatum, vſumque eccleſię relinquetur, aut donabitur: illud in eodem inuentario adnotabunt, vnà cum nomine illius qui reliquit, aut dono dedit, cui pariter idem Rector ſubſcribat.

Omnem tamen ſupellectilem Rector ipſe aſſeruare debebit, neque operarij aliquid ex ipſa apud ſe habeant, niſi ſolum inuentarium.

Quæ quidem omnia inuentaria, in ipſo ſui officij ingreſſu ſtatim Illuſtriſſimo Archiepiſcopo, aut eius Vicario generali conſignare debebunt.

Bona ſtabilia, quæ ad fabricam eccleſię ſpectant, nonniſi per ſubhaſtationem locentur; quòd ſi plures conductores eſſe contingat in vnius eccleſiæ opera, ij nonniſi in ſolidum conducant. Locatio verò fiat coram Vicario foraneo, ſeu Viſitatore generali plus offerenti, quique idoneam præſtet cautionem ſoluendi debitis temporibus, & huiuſmodi bona non alienandi.

Locationes non ad longius tempus fiant, quàm ad triennium; fieri tamen poſſint ad breuius tempus, ſi ita expedire videbitur. nec ex his locationibus onus vllum eccleſijs iniungi intelligatur: ita vt Opera non teneatur, nec etiam ad expenſas litium reficiendas, aut aliud quidpiam ſimile.

Cum aliqua locatio fiet, viſitent omnia illa bona, ſiue prædia quæ locantur: terminos, & confinia recognoſcentes, & adnotantes.

Si quid Operæ debetur, id magna diligentia vtantur, vt quamprimum exigant: quod ſtatim, vt dictum eſt, depoſitario conſignabunt.

Expenſæ fiant ex ea tantum pecunia, quæ ex fructibus & redditibus Operę habebitur: nunquam autem capitale attingatur: ſed ſi qua caſu ex eo pecunia reliqua eſſet, bonorum ſtabilium emptioni, pro Operæ beneficio, applicetur.

Expenſæ verò nonniſi pro fabrica eccleſiæ, ſiue neceſſario ornatu, ſiue ædium canonicalium inſtauratione fiant: admonito ſemper Illuſtriſſ. D. Cardinali Archiepiſcopo, qui eam pecuniæ ſummam erogari mandabit, quam neceſſariam eſſe exiſtimabit; neque iccirco intelliguntur Parochi, ſeu Rectores eximi ab hoc onere inſtaurationis, & aliarum rerum huiuſmodi: nam & ipſi ea omnino præſtare tenebuntur, quæ in Viſitationibus, aut Synodis, ipſis præcipientur.

Singulis autem annis tam depoſitarius, quàm ipſimet Operarij, ſeu fabricerij teneantur reddere rationem omnium redditũum, & expenſarum illius anni, certæ perſonæ ab Illuſtriſſimo Archiep. deputandæ.

EX

EX CONGREGATIONE

REFORMATIONIS AD SANCTIMONIALES

SPECTANTIA.

COLLECTOR.

PRAETER ea, quæ ſuperius in Concilio Prouinciali Bonon. I. prouiſa ſunt, de regimine ſanctimonialium: cum plura in dies accidere ſoleant, quæ nouis prouiſionibus indigent: huius congregationis, quæ de Reformatione habetur titulo, nonnulla adijcere voluimus, quæ in ea de clauſuris monaſteriorum monialium, & earundem bonis temporalibus, ab Illuſtriſſ. Archiepiſcopo ſunt reformata. ſufficiet tamen pauca quædam tantummodo ex plurimis afferre, quæ tanquam exempla ſint; nam cum hæc Congregatio ad inſtar fluuij ſemper nouas quaſi vndas vel coercitas, vel ad rectum curſum directas, prout rerum reformatio, & reparatio poſtulat, vberrimè emittat: ſi omnia quæ ab ipſa emanant, hic collocare vellemus, perpetuus ſane hic eſſet noſtræ collectionis fluxus. Quare omittimus in hac monialium materia inſtructiones varias, veluti ad deputatos ad bonum regimen ſpirituale, ad factores, tam rurales, quàm vrbanos, & alia huiuſmodi.

Sup par. 4. pag. 258.

Quod attinet ad clauſuras, quamuis hæc eſſe debeat certa omnibus regula; poſtquam moniales in clauſtra monaſterij ſe receperunt, vbi renuntiantes ſeculo, & mundo ſepultæ, viuant ſoli Domino; propterea nemini quicunque ſit, audendum, aut tentandũ eſſe, illarum quietem perturbare, aut alijs eas rebus, ſeu negocijs diſtrahere: quin à ſacris canonibus, & conſtitutionibus ſummorum Pontificum, graues ſunt pœnæ contrauenientibus conſtitutæ. Attamen quia variæ neceſſitates oriuntur pro corporis ſuſtentatione, vt iuſtis ſubſidijs non ſint deferenda in caſibus à iure conceſſis: & ne hoc prætextu pietatis, aut aliquo alio colore debeant ſacræ conſtitutiones violari: viſum fuit hic certas, & particulares formulas licentiarum adſcribere, quæ ijs tantum, qui in illis nominati erunt, poterunt concedi: adiectis conditionibus, & alijs circunſtantijs, quæ erunt omnino obſeruandæ, ſub pœnis ſpiritualibus, & temporalibus declarandis.

Et quoniam in aliquibus caſibus, neceſſe eſt etiam concedere aliquando licentias ingrediendi earum clauſtra, pro aliqua neceſſitate ſpirituali, aut temporali; ideo prius formulæ præſcribentur illis concedendæ, qui ad crates tantum, ſiue allocutoria accedere poterunt: deinde alia pro ijs, qui intra clauſtra monaſterii erunt ingreſſuri.

Formulæ licentiarum pro ijs, qui ad crates tantùm, ſiue allocutoria accedere poterunt.

Pro Confeſſore.

COncedimus licentiam tibi. N. confeſſori ſancti. . . vt poſſis celebrare miſſam in eccleſia dicti Monaſterij, & confeſſiones audire in confeſſionali tantum ad id deputato, tempore, & hora decenti poſt ortum ſolis, & vſque ad horam completorij; quod confeſſionale duas habeat claues, quarum altera ſeruetur ab Abbatiſſa, altera maneat apud confeſſorem: nihilque extra confeſſionem ibi agas: nec in alio loco poſſis abſque licentia Abbatiſſæ loqui cum vllis monialibus. Sacramentum autem communionis non poſſis miniſtrare niſi in loco, aut feneſtella conſueta, cum debito cultu, & cæremoniis; Dona verò cuiuſcunque generis nullo colore à qualibet moniali, ſeu alia intra clauſtra monaſterii manente accipias, ſub pœnis in Bulla S.D. Clementis 8. impoſitis, ac alijs etiam arbitrio noſtro reſeruatis.

Pro

Pro Cappellano celebraturo tantum Miſſam, qui non eſt confeſſor: vel pro quocunque alio Sacerdote deuotionis cauſa celebraturo.

TIbi .N. admiſso ad celebrandam miſſam in monaſterio N. concedimus licẽtiam, vt poſsis ad rotam petere claues eccleſiæ, & indumenta ad miſſam celebrandã, à moniali ad id ex officio deputata, hisque acceptis miſſam deuotè celebrare: eaque peracta, indumenta, & claues eidem moniali reſtituere, nullo antea, vel poſtea colloquio, vel minimo negocio cum eadem, vel quauis alia, interpoſito: nec dona etiam minima quomodolibet accipere, ſub pœnis in Bulla S.D.N. Clemen. 8. impoſitis, & arbitrio etiam noſtro imponendis.

Pro prædicatore Verbi Dei in eccleſia Monialium.

TIbi R. P. N. ordinis N. à ſuperiore tuo & à nobis approbato, licẽtiam concedimus, vt in eccleſia exteriori monaſterij monialium N. quæ clauſa ſit, nullique auditores præſentes adſint, exceptis cappellano & ſocio tuo, poſſis ex ſuggeſtu verbum Dei die.... prædicare cum deuotione, & iuxta ſanctæ eccleſiæ Catholicæ Romanæ doctrinam; & peracta concione, ſtatim ab eccleſia diſcedas, nullo prorſus colloquio, aut quouis negocii genere ad crates, rotas, aut alia loca intermixto, ſub quouis pietatis, aut etiam conſanguinitatis prætextu, nec munere vllo etiam minimo accepto, iuxta formam Bullæ, ſub pœnis &c.

Pro deputatis ſpiritualibus ad bonum regimen Monialium.

TIbi N. ad ſpiritualia negocia monaſterii monialium N. à nobis ſpecialiter deputato, facultatem per annum tantum duraturam cõcedimus, vt extra dies tamen feſtiuos ſine alia ſocietate, præterquam alterius deputati, poſſis ad crates alloquutorii publici cum Abbatiſſa, & aliis deputatis monaſterii, in caſibus tibi ſcripto à nobis datis alloqui: dona verò nulla accipies, ſub pœnis in Bulla. &c.

Pro deputatis ad regimen bonorum temporalium monaſterii monialium.

TIbi N. ad temporalia negocia monaſterii monialium N. à nobis ſpecialiter deputato, facultatem per annum duraturã cõcedimus, vt extra dies tamẽ feſtiuos, ſolus, vel cum alio tantum ex deputatis, poſſis ad crates publici alloquutorii agere cum Abbatiſſa, & aliis deputatis Monaſterii, non autẽ cum aliqua alia, de rebus ſolum, quas tibi in ſcriptis mandauimus, nec munera aliqua etiam leuia accipies, ſub pœnis in Bulla &c.

Pro patre, matre, & fratribus, aut aliis conſanguineis valde coniunctis.

TIbi .N. patri monialis .N. licentiam concedimus, vt poſſis ad crates alloquutorii publici loqui cum dicta moniali N. hora competenti poſt ortum ſolis, & ante occaſum, non tamen diebus feſtis, nec interim dum conuentualis miſſa, aut alia diuina officia celebrãtur, ſub pœnis &c.

Pro famulis, aut aliis, qui ferunt eleemoſynas ad monaſterium.

TIbi N. concedimus licentiam, vt poſſis eleemoſynas, ſeu alia neceſſaria ſubſidia ad monaſterium, N. ſiue ad Monialem N. ferre: & hęc immittere in rotam, ſeu tradere factori, vel factoriſſæ: & ſi opus fuerit de aliqua re cum dicta moniali loqui, non niſi præſente Abbatiſſa, aut aliqua moniali ab ea deputanda; non autem literas, aut ſchedulas vllas niſi Abbatiſſæ tradere, & ſtatim diſcedere, aliter incurras in pœnas arbitrio noſtro &c.

Licentia

Licentia communis pro iis, qui neceſſe habent tractare aliqua in monaſterio.

TIbi N. qui nobis iuraſti habere iuſtam cauſam alloquendi .N. in monaſterio N. licentiam damus, vt die , non amplius, quàm per horam, poſt ortum ſolis, & ante completorium, quando nec conuentualis miſſa, nec veſperæ celebrantur, & ſolus ad crates clauſas alloquutorij publici, intus auſcultatrice deputata ab Abbatiſſa, ſemper præſente, alloquĩ poſsis; & non aliter, nec alio modo, ſub pœnis. &c.

Pro laboratoribus, ſeu colonis quando alloquuntur Moniales ad crates, ſiue ad alloquutoria.

TIbi N. villico Monaſterij N. damus licentiã per annum duraturã, vt ad crates alloquutorij publici poſsis cũ Abbatiſſa tantum, ſiue eius Vicaria, aut alia ab ea deputata, de rebus tantum, ac redditibus agrorum à te cultorum agere, nec aliis negociis te ingerere, vel nuntium cuiuslibet ad vllam, quæ intus ſit, ſiue ad aliquem extra manentem deferre, ſed ſtatim diſcedere debeas, ſub pœnis. &c.

Pro aduocatis, procuratoribus, & notariis.

COncedimus tibi N. & N. vt poſſis ad crates clauſas alloquutorij publici die . aliis omnibus remotis, agere cum Abbatiſſa, & aliis monialibus deputatis de litibus, & cauſis ad dictum monaſterium ſpectantibus; non tamen ante ortum ſolis, nec poſt occaſum, nec dum miſſa conuentualis, aut veſperæ dicuntur; quòd ſi contingat contractum aliquem debere celebrari, ob quem neceſſario requiratur aliarum præſentia, & feneſtellam etiam, aut crates aliquantiſper aperiri; tunc ſtatim contractu peracto claudantur, nec de aliis rebus ſermo habeatur, ſed protinus omnes diſcedant ſub pœnis. &c.

Pro mercatoribus, ſeu aliis ementibus, vel vendentibus res alias.

TIbi N. licentiam damus per ſpatium ſex menſium, vt poſſis ad monaſteriũ N. ad rotam, vel crates clauſas alloquutorii publici cum Abbatiſſa, aut aliis monialibus intereſſatis præſente tamẽ Abbatiſſa, vel præfecta laborum, & operũ, de venditione, & emptione dictarum rerum agere, & non de alia quauis re, nulliſque literis, aut nuncio ſub quocunque prætextu intus, aut foris deferẽdis; idque non niſi orto ſole, & ante completorium: nec dum miſſa conuentualis, aut veſperæ celebrantur, nec die aliquo feſtiuo. Quòd ſi laborerium, de quo ageretur, tale eſſet, quod non poſſet per rotam ingredi, illud factori, aut factoriſſæ deferendum Abbatiſſæ tradas. ſub pœnis. &c.

Pro factore rurali.

TIbi N. factori deputato monaſterii N. concedimus licentiam per ſex mẽſes, vt poſſis de rebus tãtum ad officium tuum pertinentibus loqui cum Abbatiſſa, aut ab ea deputatis ad crates clauſas alloquutorii publici hora competẽti poſt ortum ſolis, & ante occaſum: non autem interea dum conuentualis miſſa, aut veſperæ celebrantur: dum verò loqueris, nullus alius ſecularis ſit præſens: neque de aliis rebus loquaris, aut tractes, quocunque prætextu: nec literas, aut nuncium quocũque modo intus, vel extra deferas, ſub pœnis. &c.

Licen-

Licentiarum formulæ pro ijs, qui neceſſitate vrgente, erunt intra clauſtra Monaſteriorum admittendi.

Pro confeſſore miniſtraturo Sacramenta.

TIbi N. confeſſori, & curato monialium N. a nobis deputato licẽtiam damus, vt iuramento prius præſtito, ſi infirma fuerit aliqua monialis, atque in lecto iacens, de licentia Abbatiſſæ, intus cotta, & ſtola alijſque officio tuo neceſſarijs tecum delatis, abſq; vllo tecum ſocio poſſis ingredi clauſtra dicti monaſterij, ſociatus ſemper duabus, aut tribus grauioribus monialibus ad id deputatis, & dato campanulæ ſigno, vt ceteræ omnes moniales in tuo aduentu, in eccleſiam, aut cellulam ſuam ſe recipiant; ipſæ verò comitatus vt ſupra, recta via ac cedas ad cellam ægrotantis ad cõfeſſionem audiẽdam, interimq; cameræ oſtiũ maneat apertum, peractaque ſacramentorum adminiſtratione ſtatim diſcedas. Quòd ſi contingat eam mori, & ſepulturæ; tradi debere tunc etiam cœmeterium funeris cauſa ingredi poſſis, non aliter ac ſupradictum eſt, ſub pœnis, &c.

Pro medico phyſico, & Chirurgo.

LIcentiam concedimus tibi N. Medico phyſico ad annum duraturã, vt iuramento prius præſtito, ſepta monaſteriorum N. & N. ingredi poſſis ad curandum infirmitatem earum, quæ in infirmaria communi in lecto, vel vbi ea non fuerit, in propria camera in lecto iacent, nec ad crates ſe transferre poſſunt: iureiurando te obſtringentes, vt omni honeſtate ſeruata non ingeras te in alias vllas res, nec cum alijs monialibus, aut domicellis in monaſterio manentibus loquaris; ſed recta eundo, & redeundo comitatus ſemper duabus grauioribus monialibus ad id ab Abbatiſſa deputatis, præcedenteque ſemper ad tui ingreſſum campanulæ ſigno, & non niſi poſt ortum ſolis ingrediaris, & ante occaſum exeas. ſub pœnis, ſi contrafeceris. &c.

Pro operarijs, fabris, baiulis, alijſque auxiliarijs, & artificibus.

TIbi N. fabro lignario, ſeu baiulo, aut cæmentario, ſiue . . . licentiam concedimus, vt iuramento prius præſtito clauſuram Monaſterij ſancti N. ingredi poſſis ſociatus duabus ad minus monialibus ex antiquioribus ab Abbatiſſa deputatis: atque in eo operam tuam per dies . . præſtare, quam quantocitius perficere curabis, nec ad alia loca monaſterii accedes, neque aliis te rebus, aut colloquiis vllo pacto immiſcebis, tractando tantum cum Abbatiſſa, aut aliis deputatis ad illud opus, ita vt antè ortum ſolis non ingrediaris, & ante occaſũ ſemper exeas, ſerues que in omnibus præſtitum in manibus noſtris iuramentum ſub pœnis. &c.

Pro villicis, ſeu colonis.

TIbi N. villico Mon. S. N. licentiam damus, vt quando res ad agros, & officium tuum pertinentes, ad crates in alloquutorio publico expedire non poteris, & frumenta, vinum, aut alia omnino neceſſaria intra clauſuram erunt deferenda, tunc in hoſpitium, ſeu foreſteriam tantum cum dictis rebus admitti poſſis, præſẽtibus monialibus deputatis, vbi de aliis rebus quibuſcunque extra officium tuum loqui non debeas, nec etiam ibi comedere, aut amplius quàm neceſſitas deponendi dictos fructus poſtulat, manere; cum in factoris æde, vt poſſis cibum ſumere, tibi commoditas erit præbenda. Atque hanc ob cauſam ante omnia iuramentum præſtare debebis in manibus eorum, qui à nobis ſunt deputati, ſub pœnis &c.

Pro factoribus Vrbanis.

Tibi N. factori deputato ad res omnes monaſterii N. concedimus licentiam per annum duraturam, vt ſi aliquando ex magna neceſsitate oportuerit te ingredi ſepta monaſterii, (cum alioquin res, & negocia tua ad crates in alloquutorio publico expedire debeas) vt tunc non niſi poſt ortum ſolis, & aſſociatus duabus monialibus ſenioribus deputatis, & dato ſigno campanulæ, recta via pergas ad locum vbi opera tua fuerit neceſſaria; & quamprimum inde te expedire procures, ita vt omnino exeas ante occaſum ſolis: nec interim cum aliqua alia loquaris, aut literas, ſeu nuntiū intus vel extra deferas: & in omnibus iuramentum in manibus noſtris ſeu eorū quos deputauimus præſtes, ſub pœnis &cet.

Pro Olitore, aut alio huiuſmodi operario.

Concedimus tibi licentiam, per ſex menſes duraturam, vt iuramento prius præſtito, quando ab Abbatiſſa vocatus, neceſſe fuerit, te ingredi clauſtra monaſterii S. N. horti, aut viridarii colendi, ſeu fructus legendi, aut alterius ſimilis operis cauſa, nō aliter quàm recto itinere, in locum deputatum pergas poſt ortum ſolis, aſſociatus ſemper duabus monialibus ſenioribus ab Abbatiſſa deputatis; nec in alium locum tranſeas, nec cum alia vlla ſub quocunque prætextu loquaris; aut literas, vel nuncium intus, ſiue extra deferas: ſed in omnibus iuramentum in manibus noſtris præſtitum obſerues; & ante ſolis occaſum exeas, ſub pœnis &c.

FORMVLA iuramenti præſtandi ab admittendis intra clauſuram monaſt. monialium.

Ego N. Sacerdos ætatis XL. annorum confeſſarius electus, & deputatus monaſterii ſancti N. Bonon. polliceor, & iuro me eos tantū ob caſus clauſuram monaſterii ingreſſurum, quos vrgens neceſsitas afferet, hoc eſt, vt infirmarum monialium confeſsiones audiā, iiſdem Oleum ſanctum præbeam, earundemque animas ex ritu S. Eccleſiæ Deo commendem (*Si medicus erit,*) vt infirmarum curationi vacem. (*Si alii*) vt murum ædificem, *aut* panem coquēdum feram, *vel* farinam afferam, & pendam, *vel* vt tabulata accommodem, vel cancellos, aut ianuas, (*& ſic deinceps, prout vniuſcuiuſque erit ars, & occaſio monaſterium ingrediendi, quæ ſemper explicetur.*) Quibus caſibus ita me habebo, vt nonniſi claro die ingrediar, & ante ſolis occaſum egrediar; & præter munus meum, quod rite adminiſtrare curabo, nihil aliud omnino in monaſterio agam, neque colloquiis vllis vtar, ipſeque met (*ſi confeſſarius erit*) perſonaliter ſtola indutus, & ſuperpelliceo accedam. (*Si medicus erit.*) alios medicos mecum non ducam, niſi qui aliis etiā monaſterijs medeātur, & facultatem in ſcriptis de nouo pariter habeant. (*Si alij erunt*) neque colloquiis vllis vtar, ipſeque met perſonaliter accedam, nec vllum meo loco mittam, niſi obtenta à Superioribus licentia in ſcriptis. Ita me Deus adiuuet & hæc ſancta Dei Euāgelia.

ANIMADVERTENDA à DD. deputatis, ſiue Aſſumptis monaſteriorum Monialium, quæ Archiepiſcopali curæ ſubijciūtur circa bona temporalia.

Cvpiens Ill. & Reu. D. Card. Palæot. Archiep. Bonon. vt bona temporalia monaſteriorū monialium, quæ Archiep. curæ ſubiecta ſunt, recte adminiſtrentur à DD.

à D D. deputatis, ſiue aſſumptis ſecularibus, qui pie admodum huiuſmodi adminiſtrationis onus ſuſcipere non ſunt grauati: vt moniales eorum operæ, & diligentię acquieſcentes, ſanctiùs religioſæ diſciplinæ obſeruationi vacare poſſint; hæc quæ ſequuntur pauca capita illis in memoriam reuocãda eſſe cenſuir, quæ tum ipſi exequantur, tum à procuratoribus, ſiue factoribus monialium executioni mãdari curent: reliqua eorumdẽ charitati, & diligentiæ commẽdans, prout viderint perfici debere, & poſſe, ad illius monaſterii, cuius curam gerunt vtilitatem, & redditum temporalium incrementum.

Cum itaque munus eorum ſit, pręeſſe adminiſtrationi temporalium bonorum Monaſterii, quod illis hanc ob cauſam aſſignarũ eſt; rectè omnia noſſe ſtudeãt, habeantq; inuentarium omnium rerũ, ex quibus monaſterii redditus emanãt; veluti prædiorum, ædium, adnotentque loca vbi ſunt, confinia, & reliqua huiuſmodi locationum, cenſuum, redditum, operarum, eleemoſynarum, legatorum piorum, &c.

Item inuentarium vbi deſcriptus ſit numerus omnium monialium, conuerſarum, famulorum, ſiue famularum, qui intra clauſtra, & qui extra commorantur.

Cum autem aliqua puella in monaſterio accipi debebit, eorum cura ſit, vt rectè monaſterium cum affinibus puellæ conueniat, pro expenſis neceſſariis, & victus ratione.

Curent, vt cellerariæ, ſiue procuratrices monaſterii, itemque procuratores, ſiue factores, ram rurales, quàm vrbani libros habeant; in quibus ordine deſcribant redditus, & expenſas tam maioris ſummæ, quam minoris, ordinarias, & extraordinarias, quas in dies fieri continget.

In expenſis autem animaduertant, ne maiores ſint quàm redditus, illas metiãtur, ſumma circumſpectione vtentes, vt victus ratio, reddit ui, & monialium neceſſariis commodis reſpondeat.

Interdum infra annum ſe conferant ad viſitanda monaſterii prædia, videant an rectè colantur, an coloni rectè ſe gerant, & fidelitatem, diligentiamq; quam debent, rebus monaſterij exhibeant; an pacta obſeruent arbores plantandi, inſerendi, vites item augendi, & cetera huiuſmodi: animaduertant etiam an aliqua monaſterii bona melius eſſet locare ad breue tempus; cumq; villicos, ſeu colonos officio ſuo deeſſe cognoſcent, Illuſtriſſ. D. Card. Archiepiſcopum admoneant, vt cum eorum conſilio monaſterio proſpicere poſſit.

Curent etiam in primis ne monaſterium æs alienum vllum vel minimũ contrahat: omniaque emantur, quoad eius fieri poterit, numerata pecunia: & quæcumque ad victum, & veſtitum monialium pertinebũt, ſuo tempore procurentur; neque id quidem minutatim, ſed in magna ſumma, vt res meliores ſint, & minore pretio coemantur.

Cum accidet, vt agere debeant cum monialibus de rebus, quæ ad eorum officium pertinent, non niſi ad crates alloquantur, & ſuperiores tantum vnà cum diſcretis: alias verò moniales minime alloquantur, nec vnquam in monaſterium ingrediantur, niſi licẽtiam in ſcriptis ab Archiepiſ. obtinuerint, quæ illis concedetur vrgente ſolum aliquo maximæ neceſſitatis caſu.

Nullum negociũ particulare ſuſcipiẽt tractandũ alicuius monialis, nam neque eas alloqui poſſunt, vt ſupra dictum eſt: ſed illa monialis, quę monaſterio pręeſt, ipſamet iubeat vt monialibus à procuratoribus, ſeu factoribus, aliiſuè miniſtris, prout occaſio poſtulabit, neceſſaria operã præſtetur. quòd ſi indigebit aliqua ipſorum deputatorũ opera; ipſa quæ ſuperior eſt, non monialis, cũ deputatis agat.

Similiter in adminiſtrationẽ ſpiritualem monaſterii nequaquam ſe ingerãt, veluti de eligẽda Abbatiſſa, aut alia ſuperiori, de cappellanis, aut confeſſariis, & aliis huiuſmodi, ſed totũ pęnitus hoc negocium relinquant Illuſt. Archiepiſc. pertractandum, aut RR. ipſius aſſumptis ſpiritualibus; qnãuis ſiquid ipſis ſuccurrat animaduertendũ de his rebus, id eidem Illuſt. Archiepiſ. explicare poſſint.

A monaſterio, ſiue ab aliqua monialium nihil penitus emant pro ſe, ſuis cõſanguineis, aut familiaribus, veluti frumentum, vinum, cannabũ, linum, paleas, & ſimilia; neque conducant domos, terras, aut aliud quidpiam, quod ad ipſas pertineat, neque munera licet exigua mittant, aut recipiant.

Curent, vt cuiuſlibet anni initio Prioriſſa, procuratrix, factores, alijque qui pecuniam adminiſtrant, aut quamcumq; monaſterij rem, reddãt rationes dati, & accepti, fiantq; acceptilationes: omniaque approbentur à R. D. Vicario, aut alio, quem Illuſtriſſimus D. Cardinalis Archiepiſcopus deſtinabit.

Si verò plures erũt deputati huiuſmodi pro quolibet monaſterio, cupit Amp. S. Illuſtr. vt ſimul congregentur, ſaltem decimoquinto quoque die, ſicque agant vnà de rebus ad monaſterij temporale regimen ſpectantibus.

Neque verò permittant, vt rurales factores, aut vrbani quidquã faciant, quod ſit alicuius momenti, niſi ipſis deputatis monitis, & Abbatiſſa, alijſque qui monaſterii regimini præſunt, & vbi opus fuerit ipſo etiam Illuſtriſſ. D. Card. Archiepiſ.

Dat. Bonon. &c.

N. Vic. Gen.

ANIMADVERTENDA circa Viſitationem, quam habere debebunt ij, qui contermini ſunt prædijs & bonis Monaſteriorum monialium, quæ regimini Archiepiſcopali ſubijciuntur.

Magnifice Domine.

CVm ſciuerit Illuſtriſſ. D. Card. Paleotus Archiepiſ. noſter, Dominationẽ veſtram confinem eſſe prædijs, & bonis Monialium S. N, neque eius Illuſt. Amp. ignota ſit veſtra pietas, & charitatis ſtudium, quo pia opera proſequimini, ideo libenti animo adducta eſt ad cõmendanda bona eiuſdem monaſterij S. N. Dominationi veſtræ, eamque de nonnullis admonendam, quæ pro dictorum bonorum cõſeruatione ipſius charitati curanda, atque animaduertenda erunt.

Primùm itaque cupit Illuſtriſſ. D. Cardinalis Archiepiſcopus, & D. veſtram enixe rogat, vt viſitationem habeat diligentẽ huiuſmodi bonorum prædicti Monaſterii, quæ ſunt ſibi contermina; viſitetque prædia, domos, agros, arba, fundos, ſingula etiam prata, vineas, hortos, olíueta, pomaria, &c. huiuſmodi.

Quærat quàm latè poſſeſſiones pateãt, qui termini ſint, quæ pars, & quanta ad ſemẽtem ſit deſtinata, an aliqua lis pendeat, aut ob confinia, aut ob riuos, aut ob quemuis alium prætextum; qui ſint litigantes, an ſit riuus aliquis, ſiue fluuius, ſeu cuiuſuis generis aqua, quæ eã vaſtet.

Inſuper quærat an huiuſmodi poſſeſſiones, prædia, aliauè loca ſuperius enumerata locata ſint ad 29. annos, aut ad breue tempus, qui ſint cõductores, quod locationis pretium, & an debito tempore ſoluatur.

An terræ colantur, an arbores plantentur, an vites, an ſepes, an alia, quæ ad rectam agriculturam pertinent.

An procuratores, ſiue factores rurales ſuis temporibus omnia viſitent, an ijdem, aut aliqua monialis in prædiis alãt particularia animantia, veluti pecudes, boues, equos.

An vtilius ſit monaſterio locare bona illa ad viginti nouem annos, aut ad breue tempus, aut eorum curam ab ipſo geri monaſterio.

Quot ſint coloni, an numero ſufficiãt, an ſuperfluant, an habeant omnia, quæ ad agriculturam exercendam, quod ad eos pertinet, ſunt neceſſaria.

Viſitatione peracta Dom. Veſtra non ſolum coram, de omnibus Illuſtriſſimum Archiepiſcopum admonebit, ſed etiam in ſcriptis quæcumque illi videbuntur prouiſione indigere, adnotabit, & Illuſt. eidem Archiepiſ. adnotata conſignabit. bene ualeat in Domino.

Dat. Bonon. &c.

N. Vic. Gen.

DE

DE CONGREGATIONE OECONOMIÆ MENSÆ ARCHIEPISCOPALIS BONONIAE.

QVEMADMODVM Illuſtriſſimus D. Cardinalis Archiepiſc. in toto ſua Paſtoralis administrationis progreſſu, illud in primis propoſitum ſibi eſſe voluit, vt ſacrorum Canonum, & Conciliorum optima quæque institutiones, in ſua eccleſia in vſum, quoad eius fieri poſſet, adducerentur; id quod in toto huius Collectionis opere, facile vnuſquiſque poteſt animaduertere; ita etiam illam, inter ceteras, institutionem amplexus eſt libentiſſimè, ab iiſdem ſacris Canonibus, & Concilijs emanatam, de Oeconomia Menſæ Archiepiſcopalis. Quapropter Oeconomos de clero elegit, Oeconomia Congregationem erexit, illis locum in Archiepiſcopalibus ædibus aſſignauit, ab eaque poſtquam ſe vt cum maxime leuari expertus eſſet per multos annos, vt facilius Oeconomi ſuo munere perfungerentur, curauit vt in eadem congregatione regulæ aliquot perficerentur: quas quidem non integras afferemus, ſed veluti quoddam earum compendium, & præcipua capita huic Fori Archiepiſcopalis titulo inſeremus.

Sciendum tamen eſt, huiuſmodi regulas deſcriptas fuiſſe tantum ad vſum eccleſiæ Bononienſis, & non aliarum, quæ fortaſſe habent diuerſos mores. Item hæc ordinari, iuxta ea, quæ generaliter, & vt plurimum ſolent obſeruari. Sed ſi aliquis caſus contingat, qui diuerſa indigeat prouiſione, tunc aliter ab Illuſtriſſimo Cardinali Archiepiſcopo, ſeu eius Vicario præcipi ſolere.

SVMMARIVM PRÆCIPVORVM capitum earum rerum, quæ obſeruandæ ſunt in Oeconomia Archiepiſcopalis Menſæ, ab Illuſtr. D. Card. Archiep. Bononiæ instituta.

ANtiquiſſima traditio Cōcilij Chalcedonenſis, & ſacrorum canonum eſt, vt Epiſcopi Oeconomos Mēſæ Epiſcopalis de proprio Clero constituant, qui gubernent eccleſiæ res cum arbitrio ſui Epiſcopi; primum vt non ſine teſtimonio ſit gubernatio rerum Eccleſiaſticarum, & ex hoc eueniat eaſdem diſpergi, ac Epiſcopali dignitati obtrectationē generari: deinde vt Epiſcopi hoc tēporalis administrationis onere leuati, facilius & plenius ſpirituali gubernationi vacare poſsint. Quamobrem cum Illuſtriſſ. D. Card. Archiepiſcopus noſter deputauerit quatuor ſacerdotes probatæ integritatis & ſcientiæ, nempe duos ex ipſo capitulo eccleſiæ Metropolitanæ, tertium ex capitulo Collegiatæ inſignis S. Petronij, quartum verò ex clero Bononienſi, & cōgregationem Oeconomię Archiepiſcopalis instituerit; in qua quæcunque conſultatione indigēt, ad ipſam ſpectantia examinātur, & deliberantur, hæc præcipue capita, quæ ſequuntur, eadem cōgregatio ab Oeconomis animaduertenda, & præſtanda eſſe iudicauit.

Ante omnia verò illud manifeſtum eſt, atque Oeconomis omnino perſuaſū eſſe debet: licet ipſi administratores ſint rerū mobilium, & immobiliū Menſæ Archiepiſcopalis; omnimodam tamen diſpenſationē earum Illuſtr. D. Card. Archiep. reſeruari: eorum autem curam, & conſilium tantūmodo in ipſarum administratione ab ijs requiri. Atq. ita in rebus dubijs eiuſdem administrationis, ſi fortaſſe inter ſe non conueniant, ſemper Illuſtr. Archiepiſc. ſententiam explorare debebunt, & ad eam ſe conformare, ipſiq. in omnibus obtēperare, tanquam Domino

bonorum quæ adminiſtrant, ad cuius nutum, ſi res poſtulabit, loco etiam cedere debebũt, eumq. alijs, qui ab Illuſtriſſimo Archiep. ad libitum deputabuntur relinquere. eiuſmodi verò hoc munus eſt, vt libenter ipſi illud ſuſcipiant, charitatis officio adducti, & in temporalibus negocijs leuent, quantum fieri poteſt, ſui Paſtoris ſolicitudinem.

Cum autem vniuerſum Oeconomorũ officium tum in rerum immobilium, tum in rerum mobilium Menſę Archiepiſcopalis adminiſtratione verſetur; prius hic quæ ad bona immobilia ſpectãt explicabuntur, deinde de mobilibus breuiter agetur, poſtremo quæ ad nonnullos Oeconomiæ miniſtros pertinẽt ſubijciẽtur.

Curanda ab Oeconomis circa bona immobilia, & primum circa fabricam eccleſiæ Metropolitan.

BOna immobilia, quæ Oeconomorũ cura indigent, ſunt partim in ipſa ciuitate Bononię, veluti eccleſiæ Metropolitanæ fabrica, Aedes Archiepiſcopales, Canonicales, Seminarij, alięq; ædes quę locantur, officinę, cenſus, & cetera huiuſmodi: partim ſunt in diœceſi, veluti prædia, agri, ædes, tam ad vſum Illuſtriſſimi Archiepiſcopi, quàm eæ, quas incolunt villici, aliaque ſimilia.

Quod attinet ad eccleſiæ Metropolitanæ fabricam, cum ipſa nullos, aut ſane ita exiguos redditus habeat, vt ex ijs vix quidquam reparari, aut inſtaurari poſſit; ideo atque Illuſtr. Archiep. huiuſmodi operis totum onus ſibi incumbere cognouerit, atque ex ipſa menſa Archiep. huiuſmodi ſũptus ſibi deſumendos eſſe animaduetterit, ſi eccleſiam Metropolitanã anguſtã admodum, & eo qui eam decet, ornatu carentẽ, in hanc quam hodie cœptam cernimus, auguſtiorẽ, magnificentioremq. faciem, redigere voluerit: hác ob cauſam Oeconomi qui reddituũ menſæ Archiepiſcopalis ſunt gubernatores, operam ſuam in hac re diligentiſsime ſibi impendendam eſſe intelligant.

Nihil autem in ipſa faciant, moueant, aut de nouo incipiant, niſi cũ conſenſu Illuſtriſſ. Archiep. & niſi res ipſa, præſente architecto in congregatione œconomica ſit diligẽter examinata, & probata. Marmora, ferra, vitra, ligna, cæmenta, aliaque id genus omnia ad eiuſdem eccleſiæ fabricam ſpectantia, & quę ſuperſunt ex ruderibus, & cõtignationibus veteris eccleſiæ partis, quæ deiecta eſt, vbi hodie præsbyterium cum choro eſt ædificatum, diligenter aſſeruari curent; neque etiam alijs locis pijs dono, ſeu cõmodato dari permittant, niſi facultate ab ipſomet Archiepiſcopo obtenta in ſcriptis, & ſchedula ſignata.

Circa fabricam ædium Archiepiſcopalium.

PRæter eccleſiæ Metropolitanę fabricam Illuſtr. Archiepiſc. ſui muneris partes illas etiam eſſe exiſtimauit, vt de corẽ domus habitationis ſuæ diligeret, ampla redderetur, & cõmoda hoſpitalitatis officiis exercẽdis: cũ pręſertim, quo tẽpore ipſe Bonon. eccleſiæ adminiſtrationem adijt, anguſtiores eſſent ædes Archiep. præ ciuitatis amplitudine, & hoſpitum quotidie confluentium numero. Quapropter cum illas partim à fundamẽtis exædificandas, partim ampliandas, & reſarciẽdas eſſe cenſuerit, opuſque hoc incœptum iam ſatis percrebuerit; hanc ob cauſam etiam ad Oeconomos in hac fabricæ parte plurima pertinebũt, & præſertim vt quæcunque de ipſarum ædium Archiepiſcopalium incœpta inſtauratione ex ipſo architectorum conſilio conſtituta ſunt, diligẽter perfici curent. & tria præcipue in hac impenſa animaduertãt, primum vt ita fiat, vt paulatim ædificiũ, & commode creſcat, neque ob eam cauſam reliquis neceſſariis impenſis detrahatur, aut æs alienum contrahatur; deinde vt ea ſit ſtructuræ ratio, quæ deceat modeſtiam epiſcopalem, & eorum qui in ædibus his excipiuntur, commodum ſpectet ad quos, & Archiepiſcopalem dignitatem, atque ornatum ciuitatis, tota hæc inſtauratio dirigitur: tum vt ſtabiliatur ſemper antea ab Architecto certa ratio & forma totũ ędificiorum, quam poſtea

in ædi-

in ædificatione ſequantur, ne ſuceeſſu temporis eam immutate, ac ædificium deſtruete opotteat cũ expenſarum iactu ra: quod idem etiam in cæteris quibuſcunq. fabticis ab ipſis obſeruãdum erit.

Quare œconomorum erit, huiuſmodi fabricam ſæpius viſitare, & ſemper cura re, vt ædificij totius partes nullo auxilio quatenus fieri poſſit indigeant; id quod præſtabunt, ſi ſtatim atque vel rimula contigerit, illi occurri mandẽt, & remedia de architecti conſilio huiuſmodi neceſſitatibus exquirant.

Circa fabricam ædium canonicalium.

QVamuis Illuſtriſſ. D. Car. Archiepiſcopus id inter cætera ſummopere exoptarit ſemper, vt ædes canonicales ampliarentur, & reficerentur, quò vnà cum R R. Canonicis fratribus ſuis cohabitans, facilius Eccleſiæ cultui uacare poſſet; tamen cum id hactenus ob varia impedimẽta, & magis vrgentium expẽſarum tam fabricæ Eccleſiæ ipſius, quàm ædium Archiepiſcopalium occaſiones fieri non potuerit: cupit ab œconomis, vt illę ipſę ædes, quales ſunt cano nicales, cum interuentu ipſius capituli Metropolitani ſæpius viſitentur, & quæ reparatione indigent, in dies reparẽtur: nam quamuis ipſæ ædes, vt in ipſis habi tent canonici, ſint ab initio conſtructæ, & ad eos præcipuè pertineãt; tamen Ill. Amp. S. vbi res poſtulauit, earum curam numquam neglexit, & in poſterum libẽter pro viribus earum reparationem adiuuabit. Quin etiam cũ iam ſummi Pontificis Clementis VIII. permiſſu, & procurante eodem Archiepiſcopo, ea ædiũ canonicalium pars, quæ Monti pietatis conceſſa erat, libera ſit; cupit vehementer Illuſtriſſ. Archiepiſ vt in ipſum vſum canonicorum, pro quibus illæ extructæ ſunt, conuertantur, & ab ipſis canonicis poſthac habitẽtur, & quatenus omnibus canonicis non ſufficerent, capituli & ca nonicorum diligentia atque induſtria in hoc maximè verſetur, & œconomi etiam vnà cum architecto operã ſuam & auxilium menſæ Archiepiſcopalis, conſulto Archiepiſcopo, ad abſoluendum opus interponant.

Circa fabricam ædium Seminarii.

POrrò eandem diligentiam ab ipſis requirit Illuſtriſ. Archiep. tum vt ædes Seminarii coemptæ rectè ſe habeãt, tum vt in dies augeantur, & cùm ita res poſtulabit, inſtaurationem aliquam in ipſis deſiderari non patiantur. Quod munus quãuis congregationis ſit ab eodem Archiepiſcopo de Seminario deputatę; tamen cum oporteat ſępius, vt præter ſeminarii redditus, etiam & Archiepiſcopalis Menſę aliquid attribuatur, iccirco ipſorum erit etiam huic rei vnà cum eadem congregatione proſpicere.

Circa prædiorum Archiepiſcopalium locationes.

AD œconomos pertinebit, contractus quoſcumque locationum, renouationum, inueſtiturarum, emptionum, & venditionũ perficere: ante tamen quàm quidquam ſtatuant, oſtendẽt ſcripta Vicario generali, & ſyndico Mẽſę Archiepiſcopalis, cum quibus vnà congregatis coràm Illuſtriſſ. Archiepiſcopo, aliiſuè ab ipſo ad id deputatis agent.

Cogitabunt autẽ quæ prædia vtilius ad pecunias locari poſsint, quæque ad dimidiam partem fructuum; cõtractuſq; locationum examinabunt. & redditus quomodo augeri iuſtè poſſint inueſtigẽt.

In contractibus locationum quæ habentur cum villicis, mentionem expreſſam fieri iubeant, vt huiuſmodi conductores dies feſtos chriſtiano more obſer uent: quòd ſi quibuſdam caſibus aliquid quod ad culturam agrorum pertineat, aut alia opera agere coloni cogantur, id ijs non aliter liceat, niſi obtenta à Parocho licentia: tum vt Miſſæ ſacrificio interſint diebus feſtis, & doctrinam Chriſtianam ediſcant.

Item

Item in ijſdem contractibus mentio fiat expreſſa, vt cappellæ, & oratoria quę Illuſtriſſ. Archiepiſcopus in prædiis ædificauit, ad miſſas celebrandas, vnà cum ſupellectili neceſſaria, eis in inuentario aſſignata, decenter cuſtodiantur; neque in ipſis ſarmenta, aut aliud quidpiã agriculturæ inſtrumentũ reponatur,

Expreſſa item mentio fiat in ipſis cõtractibus, vt in ædibus prædiorũ Archiepiſcopalium, quas habitant cõductores, ſiue alij quicumque, nullę choreæ, luſuſue prohibiti, aut indecentes exerceantur: eoque minus diebus feſtis, quos maximè decet ſanctificatio; neque ſicarii, aut criminoſi in ipſis ſub aliquo prætextu excipiantur.

Circa viſitationem prædiorum Archiepiſcopalium ab Oeconomis faciendam.

PRædia Archiepiſcopalia, agroſque ſaltem bis quolibet anno duo ex œconomis, qui ab Illuſtriſſimo Archiepiſ. deſtinabuntur, perſonaliter viſitabunt: aut ſi id ipſi vrgente aliqua neceſſitate agere non poterunt, ab alio perito, & fideli viro uiſitari curabunt, rerumq; omnium ſtatum diligenter perquirent; & cultura, arboribus, vitibus, aliiſq; rebus quæ fructum afferre poſſunt, à villicis, colonis, ſeu cõductoribus prędia, agroſque augeri curabunt: illud animo certũ infixumque habentes, huiuſmodi bona maiori, aut certè non minori diligentia eſſe cuſtodiẽda, quàm ipſa patrimonialia; atque idcirco in ipſorum reparatione, & incremento nullis expenſis omnino parcendum eſſe, eorumque domos, aliaque ædificia, ſi inſtauratione, aut reparatione aliqua indigere viderint, opportune inſtaurari, & nulla interpoſita mora reparari facient.

In hac autem viſitatione illud præcipuè animaduertent, vt villici, aliiq, qui in iis prædijs, ædibuſue commorãtur, debitis temporibus communicent, dies feſtos ſanctificent, non autem ſint blaſphemi, non factioſi, & facinoroſi; ſed tales ſint, quales decet eſſe colonos rerum eccleſiaſticarum.

Curãda ab Oeconomis circa bona mobilia.

QVæcumque in Archiepiſcopalibus ædibus, ſiue in Eccleſia Metropolitana, ſiue in ædibus ipſis prædiorum, aut alibi, bona mobilia, ad Illuſtriſſimum Archiepiſcopũ ſpectantia erunt, ea diligenter cuſtodiri curabunt œconomi, & fideliter in inuentario deſcribi. In domeſtica autem ſupellectili, ſi contingat aliquid noui addendũ, ſeu conficiendum eſſe, quod non leuis expenſæ ſit; id agant, non niſi admonito prius Illuſtriſſimo Archiepiſcopo, eiuſque conſenſu accepto, caueantque ne quidquam comparetur, quod luxum, aut ſuperfluitatem redoleat; nam Epiſcopus non ornamentis vanis, verum dignitatis ſuæ auctoritatẽ fide, & vitæ meritis quærere debet.

Quapropter ipſi ita ſacrorum conciliorum diſciplinam, dignitatiſque Archiepiſcopalis decorem perpendant, & conſuetudinem temporum examinent, vt ſi qua ſuperflua ſunt reſecẽtur, & quæ neceſſaria ſunt, non prætermittantur, præſertim in ſupellectili, quæ hoſpitalitati inſeruire debet; & modeſto cultu cubicula, lecta, ſellę, aliaque huiuſmodi, tũ verò ſacræ imagines in quolibet cubiculo depictæ, ſiue affixæ; & denique omnia, quæ in huiuſmodi ædibus habẽtur, eorum dominum eſſe Epiſcopum oſtendant, non autem vanos ſæculi ſumptus vlla ex parte præſeferant.

De loco congregationis Oeconomiæ.

VT cõmodiores ſint Oeconomi ijs qui ipſorum opera indigent, nec teneantur ijdem in ædibus Archiepiſcopalibus habitare; propterea curabũt inter ſe, vt vnus ex ipſis, quolibet die ſaltẽ ſemel exhibeat pręſentiam ſuam in loco illis aſſignato ab Illuſtriſſ. Car. Archiep. pro congregationibus; vt poſſit alijs Oe-

conomis poſtea referre quæ acciderint,ē & ſinr cū aliis exequenda. Cæterū ſaltſem el qualibet hebdomada omnes con gregabūtur,in eodē loco cōgregationis: ibi enim aſſiduè fere eſſe debebit ratiocinator,& libri œconomiæ; aliaq; ſcripta ad eam pertinētia,in cubiculo ibi adiuncto, in ſcriniis ligneis ad id fabrefactis aſſeruabūtur, quorum claues œconomi cuſtodient; eorumque ſcriniorum partē habebit etiā ratiocinator, vt in ea ſuos item libros & ſcripta aſſeruet. In ſeparato autem ſcrinio in eodem cubiculo aſſeruabuntur libri, & ſcripturæ maioris momenti; quæ duabus clauibus cuſtodientur, quarum vnam Illuſtriſſimus Archiepiſcopus apud ſe habebit, alteram Oeconomus ſenior ex duobus canonicis Metropolitanæ baſilicæ.

Ceterum cū Oeconomi agere ſæpius debeāt cum aliis miniſtris Archiepiſcopalibus, veluti Vicario generali, præfecto domus, & reliquis familiaribus Illuſtriſſimi Archiepiſcopi, voluit Amplit. ſua Ill. vt œconomiæ quędam quaſi certa reſidentia tribueretur, ad quam omnes certis horis ad expedienda ſua negotia conuenire poſſent.

De libris oeconomiæ.

IN œconomiæ libris deſcribendis, ſeu cuſtodiendis par omnino ratio ſeruetur, quæ à diligentiſſimis mercatoribus ſeruari ſolet: vt ſtatim atque aliquid ſcire voluerit Illuſtriſſimus Archiepiſ. ſiue alii quicumque ad quos id pertineat, de dato, & accepto, oculis ordine diſtinctæ ſe offerant rationes: in quibus plenè omnia annotentur, veluti in quē vſum conuertantur pecuniæ, cui dentur, quando, cuius ſyngraphæ vigore, & cetera huiuſmodi: & ipſę etiam ſyngraphę de verbo ad verbum in huiuſmodi libros referantur.

Inter ceteros verò libros habebunt libros inuentariorum accurrate perfectorum, videlicet, Inuentarium prædiorum, domuum, agrorum, cenſuum, locationum, decimarum, penſionum, itē conductorum, villicorum: item bonorū mobilium cuiuſcumque generis, ſiue in Archiepiſcopali palatio ſint, ſiue alibi, quę ad Archiepiſcopū pertineant; item omnium familiarium, ſiue aliorum quorumcumque miniſtrorum domeſticorum, & ſalariorum quæ ipſis dantur, & cetera huiuſmodi.

De ſyngraphis, ſeu vt vocant mandatis pecuniariis.

PEcunias omnes ſtatim atque exactę fuerint, œconomi in Monte pietatis deponi curent, neque inde earum aliquā vel paruam ſummam extrahi permittāt, niſi per ſyngraphas ſiue mandata pecuniaria: hæc verò à ratiocinatore fiant ſcientibus œconomis, & ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo ſubſcribentur, itemq; ab vno aut altero ex ipſis œconomis, quoties ordinarias quaſdam expenſarū ſummas excedent, vigintiquinque aureorū.

Quòd ſi accidat eundem Illuſtriſſimū Archiepiſcopum Bononia abeſſe, non proinde illis liceat pecunias accipere à Monte, niſi ſyngraphæ pariter ab eius Illuſtr. Amp. ſubſcribantur, vbicumque is fuerit: niſi tamen ipſe diſcedens aliter fieri aliquam ob cauſam iuſſerit; pecunias verò, quæ ad illum mittentur, per eaſdē ſyngraphas ab œconomis ſignatas, & à ſe ipſo ſubſcriptas exigi vult vbi cumque ille fuerit: ſin pecuniæ exigendæ ſumma ordinaria erit, ſufficiet huiuſmodi mandata ab œconomis tantùm ſubſcribi.

De expenſis quotidiani victus.

IN victu quotidiano, œconomi ſolicitè animaduertent, vt regulæ quæ de hac re ſunt præſcriptæ præfecto domus, Architriclino, opſonatori, diſpenſatori, aliiſque de refectorio, ſeu ipſius etiā Illuſtriſſimi Archiepiſcopi quotidiano victu, pœnitus obſeruentur; meminerintq; id à sacro Tridentino concilio præſertim præcipi, vt Epiſcopi non ſolum modeſta ſupellectili, & menſa, ac frugali victu contēti ſint; verùm etiam in reliquo vitæ genere, ac tota domo caueant, ne quid appareat, quod à ſancto hoc inſtituto ſit alienum, quodque non ſimplicitatem,

tatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præſeferat.

De hoſpitibus accipiendis.

CVm varij ſtatus, & conditionis eſſe ſoleant hoſpites, qui in Archiepiſcopalibus ædibus accipi ſolent, nimirū Cardinales ipſi, Epiſcopi, Nuncii Apoſtolici, aliique prælati eccleſiaſtici; tum verò Principes ſeculares, ſeu principum oratores, aliique Proceres huiuſmodi, & nobiles viri, demum pauperes peregrini, exteri præſertim: præcipua œconomorum cura eſſe debet, vt horum vnuſquiſque iuxta conditionem ſuam excipiatur, & tractetur: quare præfecto domus, cum accidet eos excipi, præſcribēt victus rationem, & reliqua ad hoſpitiū ſpectantia, quæ modeſtiæ eccleſiaſticæ terminos non excedant, & ad hoſpitum naturam, quoad eius fieri poſſit, accommodētur. Aſſignētur verò huiuſmodi hoſpitibus aliqui ex familiaribus Illuſtriſ. Archiepiſcopi, qui ipſis aſſiduè inſeruiant, dum Bononiæ commorabuntur; curabuntque vnà cum præfecto domus, cuius hoc præcipuè munus eſt, vt eo præſertim tempore lectio ad menſam, & in Refectorio ſilentium, modeſtia, veſpertina oratio, colloquia ſpiritualia poſt cœnam, & à prandio, cæteraque eccleſiaſticæ diſciplinæ antiqua inſtituta, inter comedendum, loquendum, eundum, domi, foriſque exerceantur; vt hoſpites cuiuſcumque generis ij ſint, in charitate Chriſti recreati, & optimo morum exemplo ædificati diſcedant.

His hoſpitum generibus addi poſſunt ſcholaſtici, qui ſtudiorum cauſa Bononiæ commorantur, præſertim exterarum nationum: cum ad Archiepiſcopalem hoſpitalitatem pertineat, eos ſæpius cōuiuas adhibere, præſertim in Refectorio, vt hinc eccleſiaſticæ diſciplinæ aliquem fructum colligant ab ipſo contubernio familiarium Illuſtriſſimi Archiepiſcopi.

Sed inter cætera in primis curabunt œconomi, vt Archiepiſcopales ædes ſēper pateant pauperibus, & peregrinis, & hoc præſertim tempore, pauperibus Anglis, Scotis, & Hybernis, qui pro fide catholica exulant; atque per benignè excipiātur, quemadmodum multis ab hinc annis conſuetū eſt Illuſtriſſimo Archiepiſcopo, nec non & alijs ſeptentrionalibus pauperibus.

De eleemoſynis.

QVamuis Illuſtriſſimus Archiepiſc. in eleemoſynarum largitione vtatur opera plurium hominum, tum eccleſiaſticorum, tum etiam ſeculariū: & inter cæteros ſacerdotis capellani ſui, cui quolibet menſe aſſignātur pecuniæ pauperibus in dies diſtribuendæ: tamen ſibi reſeruat quoſdam extraordinarios caſus, quibus ipſemet maioris ſummæ eleemoſynas ſecreto diſtribuere debebit. Porrò œconomi officij ſui ſolicitudinem huic quoque rei impartiri debebunt, & mādata pecuniaria, cum ab ijs pecuniæ hanc ob cauſam requirentur, ſine cunctatione ſignare, ſiue ad Illuſtriſ. Archiepiſcopum ſubſcribenda mittere, aut poſcēti eleemoſynario illa ſtatim tradere. adnotari tamen debebuūt in ſeparato libro omnes pecuniæ ſummæ, ipſaque mandata, quæ eleemoſynarum cauſa ſignabuntur, & diſtribuentur.

De procuratoribus, ſiue factoribus tam rerum vrbanarum, quàm ruralium.

INter cæteros ſui oneris coadiutores, & miniſtros habebunt œconomi duos procuratores, ſiue factores, quorum vnus rebus vrbanis vacet, alter ruralibus. Vrbanus quidem procurator eligetur vir non ignarus iuris, & diligens, cui honeſta merces aſſignabitur: is pecunias menſę Archiepiſcopalis exiget, & in iudicio etiam vbi opus fuerit, vnà cum ſyndico eiuſdem menſæ comparebit. Quare habebit inuentarium eorum omnium, qui eidem menſæ contribuunt, eos verò ante ſolutionis tempus per menſem ſaltem moneat, vt pecunias ſoluendas comparent, benignitatem in primis, atque humanitatem

manitatem erga omnes præferentes. Ruralis autem procurator eligetur vir peritus, fidelis, diligẽs, & laboribus aſſuetus, qui hinc inde ſemper equitare poſſit ad inuiſenda prædia, non ſolum meſſis, vindemiæ, & ipſius exactionis, ſed etiã quolibet alio tempore; vt fiant ſementes opportunè, & reliqua agãtur, quæ ad agrorum culturæ optimã rationem pertinẽt. ipſi verò etiam honeſta merces annua conſtituetur. numquam autem diſcedet niſi monitis, & conſultis œconomis; habebitque pariter inuentarium omnium bonorum immobilium menſæ Archiepiſcopalis, tam prædiorum, agrorum, & domuum, quàm eorum qui ea cuſtodiunt, colunt, aut conduxerunt. Quòd ſi aliqua de ſolutionibus, aut alijs rebus lis vel controuerſia oriatur, vnà cum ſyndico in iudicijs comparebit: vt res eccleſiæ integræ conſeruẽtur, & quæ iure debita ſunt exigantur, nec à quopiam quouis prætextu minuantur.

Prohibẽtur ramen huiusmodi factores, ne in exigendo redditus, nimis ſeueri ſint, & præſertim ne res hominibus neceſſarias pignoris loco à debitoribus auferri permittant, puta veſtes, ſtrata, farinam, triticum, quibus pro vitæ ſuſtentatione indigent; neque patiantur, vt ſoluere renuentes, ad longum tempus in carceribus detineãtur, ii præſertim, qui ſuis laboribus ſuis victum familijs parant.

Item curabunt, vt colonis pauperibus cum opus erit, frumenrum ad ſerendum, & etiam ad victum neceſſarium mutuo detur, donec de alijs colonis, qui nõ ſint adeo pauperes prouideatur.

De Syndico menſæ Archiepiſcopalis.

QVi officio hoc perfuncturus eſt, in iure ciuili ſit verſatus, oportet; nam debet eſſe defenſor iurium menſæ Archiepiſcopalis, & in cauſas ipſius ſolicite incumbere. Eligetur igitur non ſolum vir valde peritus, atque diligens, ſed etiam rerum eccleſiaſticarum amantiſſimus aliquis ex procuratoribus, ſeu cauſarũ patronis ciuis Bononien. cui ab œconomis, totius mẽſæ ſtatus plenè declaretur, & iura cognoſcenda tribuãtur: iſq; ſemper in grauioribus rebus in congregationẽ, & conſiliũ adhibeatur, eiq; inuentarium omnium iurium eiuſdem menſæ exactè deſcriptum ab œconomis dabitur, ne cum caſus accidat, illa ipſi noua, atque incognita reddantur.

De Ratiocinatore.

MIniſter huiuſmodi præ ceteris aſſiduus eſſe debebit in ipſis œconomiæ cubiculis, eius munus erit ſyngraphas, & mandata ſcribere: in libros, rationes dati & accepti referre, eaſque ſubducere, & alia adnotare, cum ita œconomi iubebũr. Quapropter & fidelitate, & diligentia præd tus ſit, & ſcribendi, & Arithmeticæ peritia: nullam autem vmquam ſyngraphã ſcribet, quin prius ab œconomis mandatum accipiat. ipſi verò, quia aſſiduus eſſe debet, nõ ſolum honeſta merces dabitur; ſed etiam victus quotidianus, & cubiculum in ædibus Archiepiſcopalibus aſſignabitur.

Curanda ab Oeconomis circa officium Præfecti domus, & diſciplinam familiæ Archiepiſcopalis.

VT hanc præcipuam partem ſui muneris œconomi exequantur, quæ ad diſciplinam familiæ Archiepiſcopalis pertinet; cum ipſi plurimis aſſiduis negociis detenti vt plurimum eſſe debeant, neque huic rei ſedulo, vt par eſt vacare poſſint; conſtituetur ab Illuſtr. Archiepiſcopo, Præfectus domus vir Integer, peritus, & ſacerdos: qui ipſis abſentibus, & præſentibus, ſit eorum veluti coadiutor, & conſiliarius; ita tamen vt nihil graue faciat, œconomis incõſultis, & quicquid ab ipſis præcipietur ad regimen domus pertinens, diligẽtiſſimè perficiat,

perficiat, ae regulas, quæ illi peeuliariter præſcriptæ ſunt obſeruet. Præter autem expenſarum quotidianarum rationes ab ipſo ſeruandas, de architriclino, de expenditore, de diſpenſatore, de cellæ penuariæ cuſtode, aliiſque huiuſmodi miniſtris: diſciplinæ domeſticæ curam gerere debebit: vt non ſolũ qui Archiepiſcopo inſeruiunt vitiis careant, ſed etiam virtutes amplectantur, atque in ipſis quotidie proficiant, exemploque ſint cæteris omnibus, concordiæ, modeſtiæ, continentiæ, ac quæ nos tantopere commendat Deo, ſanctæ humilitatis.

Omnes autem quoſcumque in poſterum familiarium Illuſtriſſimi Archiepiſcopi numero adſcribi contigerit, niſi minora quædam munera obituri ſint, & viliora officia exercituri, (vt idem Archiepiſcopus ſemper conſueuit,) clerici ſint, in habitu clericali, & tonſura incedant, eoque per modeſto, neque ſerico, neque coloribus, alionè luxu, exornato: cæteri verò qui ſeculares erunt, pariter eo vtantur habitu, quem decet Archiepiſcopi familiares, & qui reliquis diſciplinæ domeſticæ partibus reſpondeat.

Quòd verò ad nõnulla quæ præterea animaduertenda ſunt à præfecto domus de regularum Archiepiſeopalis familiæ obſeruatione: ſummatim curet vt qui ſacerdotes ſunt, frequenter Miſſas celebrent, alii ſaltem bis quolibet menſe cõmunicent: officiis diuinis ſingulis diebus feſtis, quibus illuſtriſſimus Archiepiſcopus ipſis intereſſe ſolet, & ipſi deuote interſint, in eccleſia Metropolitana; oratorium, quod in eadẽ eccleſia habetur, bis ſaltem ſingulis hebdomadis frequentẽt: in Refectorio, cum illis mandabitur, legant: Miſſæ ſacro Illuſtriſſimi Archiepiſcopi quotidie niſi impediti præſentes adſint: Ad veſpertinam & communem orationẽ in cappella ædiũ Archiepiſcopaliũ quotidie ſtatis horis accedãt: colloquia ſpiritualia, in quibus puncta coram Illuſtriſſimo Archiepiſcopo meditationum piarum aliquando proponi ſolent, non intermittant.

Ita demum ſe gerãt Oeconomi in hac muneris ſui parte exercenda, vnà cum Præfecto domus, vt Illuſtriſſ. Archiep. iuxta illud Apoſtoli Pauli, in omnibus oſtendat, ſe eſſe domui ſuæ bene præpoſitum; *Nam*, vt idem ait, *Si quis domus ſuæ praeeſſe neſcit, quomodo eccleſia Dei diligentiam habebit?*

DE VISITATIONE.

COLLECTOR. *PLVRA ſuperius in concilio Prouinciali primo Bonon. ſtatuit Illuſtriſsimus D. Car. Archiepiſc. quæ ad viſitationem pertinent: quod ſanè munus eſt inter alia Epiſcopalia insigne, & Eccleſiaſtico regimini valde neceſſarium. Cum autem ibi præſcribantur quæ ad viſitationem perſonarum, locorum, rerum, ipſum viſitationis tempus ſpectant;*

Sup. par. 4. pag. 243. *& non ſolum ad ipſam perſonalem Epiſcopi viſitationem ea omnia dirigantur, ſed etiam præcipiatur, vt uiri idonei pro locorum regionibus uiſitatores diſtribuantur: hic reliquum erat, ut cum uiſitatio ſit quodammodo perpetua conditarum legum nutrix, poſt hæc omnia, quæ huc uſque attulimus, colligeremus magis peculiariter, quæ ad uiſitationem haberi ſolitam ab Illuſt. Archiepiſcopo, eiuſque miniſtris attinent.*

Verùm nos animaduertentes, hæc multiplicia & pene infinita eſſe, quæ inquirenda ſunt, & de quibus parochi & alij multi ſunt interrogandi, neque ea quidem omnibus communia, ob locorum, & perſonarum uarietatem; & præterea plures commentarios, & tractatus de ratione uiſitandi à grauibus auctoribus editos fuiſſe; operam potius dedimus, ut illa omittẽtes, quæ unicuiq; apud eos legere, facile eſt: ea hoc loco adiiceremus, quæ Bononienſis Eccleſiæ regimini magis accõmodantur, nec apud alios ita inueniuntur, & ad formulam quandam practicam in ipſo uiſitationis actu pertinent, quam ſolitus fuit Illuſtriſsimus Archiepiſcopus adhibere, & quã ſuis uiſitatoribus præſcripsit, cum illam agnoſceret ſatis aptam, & rebus gerendis appoſitam: illud unum ante oculos præcipuè habens, ut quod ipſe expertus eſt utile, poſsit etiam Reuerendiſsimo

rendiſsimo Coadiutori, & aliis in hoc Bononienſis Eccleſia Archiepiſcopali munere ſucceden tibus uſui eſſe: aliorum Epiſcoporum inſtituta, pro regionum more, aliis, prout placuerit relinquens. Quod autē ſpectat ad uiſitatores ipſos Bononien. diœceſis, ſciendū eſt, quòd licet Illuſt. Archiepiſcopus, prout ſe offerunt occaſiones, nouos uiſitatores conſtituere, eoſque in dies ad uiſitandum mittere ſoleat, tamen generalem unum uiſitatorem ab ipſo deputatum fuiſſe, qui aliis præſit in diœceſi conſtitutis, qui ſunt Archipresbyteri, ſeu Plebani, in ſuo quiſque Plebanatu: is aſsidue in circuenda tota diœceſi, & modo in hac, modo in illa parte viſitanda occupatur, cuius auctoritas, decreta, ad quæ conficit, & ordinationes viſitationum, ad alia non extenditur, quæ ad forum Archiepiſcopale tantum pertinent.

SVMMARIVM

eorum, quæ ad viſitationem ab Illuſtriſſ. D. Cardin. Archiepiſcopo haberi ſolitam, pertinent.

QVo tempore Illuſtriſſimus D. Cardinalis Archiepiſc. viſitationis munus obire decreuit, licet eum id caſus poſtulat, & improuiſas etiam interdum viſitationes habeat; tamen vt plurimum ſolet per literas, & certos nuncios admonere primum Plebanos, parochos, aut rectores eccleſiarum, quas eſt uiſitaturus ſequentibus literis.

Literæ communes ad Parochos, ſiue alios rectores eccleſiarum, viſitationis Archiepiſcopalis tempore.

REuer. *Paroche* Ex præſcripto ſacri concilii Tridentini quod viſitationem quotānis habendam decernit, Illuſtriſſ. Archiepiſcopus noſter intra viginti dies accedet ad viſitandam per ſeipſum, iſtam diœceſis Bononiēſis partem. Quoniā verò ſtudebit, quàm celerrime, debita tamen cum diligentia, viſitationem ipſam abſoluere, vt omnia opportunius parata ſint, & hæc ſancta actio rite perficiatur, ad Dei gloriam, & animarū iſtarum ſalutem:

Mandat primùm vt intra miſſarum ſolemnia frequenti populo non ſolum de hac viſitatione illum certiorem facias, ſed etiam ipſum decretum concilii Tridentini recites, & explices ſeſſ. 24. cap. 3 in ea parte quæ in ipſo initio habetur, vbi præcipitur Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, & Epiſcopis vt propriā diœceſim viſitent: vt populi eò diligentius & trāquilliore animo, maioriq; pietate quæcūque in viſitatione conſtituentur, amplecti poſſint, ſcientes hanc actionem ex iis eſſe, ad quas omnes Epiſcopi obligantur.

Deinde in cōcionibus, & ſermonibus, quos ad altare, aut è ſuggeſtu habebis, argumentum ſumes, quo valide incites gregem, vt veniente paſtore, ſe comparet ad detegendas plagas ſuas, atque ad accipiendam, iuuante Domino, ſalutis medicinam, quapropter vt magis commoueas, declarabis quantum, qualeque ſit Epiſcopi onus in viſitatione faciēda, & exemplis, & rationibus, quæ etiam ex ipſo ſacro concilio Tridentino, & aliis probatis auctoribus deſumere poteris, huius curæ ſolicitudinem explicare conaberis, nempe medici ad ægrotos, parētis ad filios, patrisfamilias ad operarios, vt maiori ſtudio, & propenſione tamquā ægroti medicum, tamquam filii parentē, & tamquam operarii patrē familias expectent; ſicque bonos mores tueantur, prauos corrigant, & ad religionem, pacem, innocentiamque accendantur.

Atque eos item hortaberis vehementiſſimè ad recipiendum ſacroſanctū Euchariſtiæ ſacramentum ab ipſo Illuſtriſſ. Cardinali Archiepiſcopo, ac proinde ſe prius deuote comparent, peccata confiteantur: tu verò pro confeſſionibus audiendis interim aliquam diei partem conſtitues.

Cum autem Illuſtriſſ. Archiepiſcopus ſacramentum Chriſmatis ſit adminiſtraturus; monebis eodem modo omnes & ſingulos, qui adhuc confirmati non ſunt, vt ad illud ſanctè recipiendum ſe præparent eo die, & in ea Eccleſia, eoq; ordine, qui in ſeparata indictione promulgata præſcribitur.

Ceterum ad aliquas pias preces ad li bitum habēdas hoc toto ante viſitationem tempore populū excitabis, vt Deus pro ſua miſericordia huius actionis progreſſus in viā ſalutis dirigere dignetur.

Cum autem plurima ſint, de quibus in viſitatione agendum erit; conſiderabis primùm, qualis ſit grex tuus, quibus morbis laboret, quibus donis Deus illū proſequatur: an in eo aliqua tabes ſit homicidarum, adulterorum, cōcubinariorum, aleatorum, criminoſorum, nō communicatorum, dies feſtos violantiū, quæ omnia diligenter adnotabis: & ſtatim in ſcriptis eorū nomina, ſi opus erit, Illuſt. Archiepiſcopo deferre non prætermittes, ac eum de reliquis rebus, quæ maiorem, & diligētiorem prouiſionem requirunt, commonefacere.

Ad hæc parabis libros omnes, quos à ſynodis & viſitationibus aliàs iniunctos habere debes; & vt recēti eos memoria ſeruare poſſis, nūc iterum percurres, pręſertim de Baptiſmo, & Matrimonio: vt cum de aliqua re interrogaberis, ſtatim aptè reſpondere poſſis, & Illuſtriſſimi Archiepiſcopi ſollicitudinem leuare.

Quod ad Eccleſiæ tuæ ornatum attinet, & reliqua, quæ ad excipiendum Illuſtriſſimum Archiepiſcopum pertinent, cōſtitutiones ſeruabis, & quę tibi de hac re mandata fuerint à R. Archidiacono, ſeu ab œconomo Menſę Archiepiſcopalis, quorum vnus præmittetur, vt has potiſſimum expenſas curet diligenter, præſtare non prætermittes. Bene uale in Domino. Bononiæ, &c.

N. Vic. Gen.

VNo vel duobus diebus ante aduentum Illuſtriſſ. Archiepiſ. præmittitur Archidiaconus, vel œconomus, vel vnus ex familiaribus, qui præter literas antea miſſas aduentum Ill. Amp. ſuæ certo die & hora adfuturum denunciet.

Quæ autem ab Illuſtriſſ. Archiepiſcopo deferri ſolent, pauca ſunt, vt minus iter impediant, & vix ſarcinarum duarū pondus occupent: nempe neceſſaria indumenta Illuſtriſſimi Archiepiſcopi tā purpurei, quàm violacei coloris, cappæ pontificales eorundem colorum, mitræ, pluuialia, aliaq; huiuſmodi: tum Crux argentea leuis, quæ vt facilius in itinere præferatur, ligneæ haſtulæ apponitur, at gento, auroq; exornatæ, cuius operis etiam eſt baculus paſtoralis: huiuſmodi verò rerum quæ ad ſacra pertinent, ſacerdos cappellanus curam gerit.

Comitatus, & iter.

CVm plura accidere poſſint in viſitatione, in quibus variorum etiam miniſtrorum opera neceſſaria eſſe debeat Ill. Archiepiſcopo, ſæpius enim eccleſiæ præſertim quæ longius abſunt ab vrbe, carent miniſtris, & vnus tantummodo ſacerdos eſt vnà cum clerico, nec functiones vbi opus eſt perfici poſſunt, niſi maximo incommodo aliarum eccleſiarum propinquiorum, quæ etiam in pluribus in locis diſtant, clerici conuocentur, ſiue conſecrāda ſit Eccleſia, ſiue aliud agendum, in quo non vnius, aut duorum tantummodo ſacerdotum præſentia neceſſaria eſt, ſed plurium; iccireo ex Illuſtriſ. Archiep. inſtituto in viſitationibus eiuſdem, præter tres, aut ad ſummū quatuor qui neceſſarii ſunt quotidiano victui, & itineri, adhibētur vt plurimū infraſcripti, qui etiā in ſacerdotis officio Archiep. in ſuis functionibus adiuuant, nempe,

R. Archidiaconus.

R. Viſitator generalis,

R. Theologus Illuſtriſſimi Cardinalis.

Ex RR. Oeconomis vnus, vt præſit eleemoſynis, & reliquis expenſis.

Cappellanus vnus, qui & Magiſtri cęremoniarum officio fungitur.

Præfectus cubiculi.

Clericus, qui à cubiculo inſeruiat.

Notarius, qui & ipſe clericus, & familiaris eſt Illuſtriſſimi Archiepiſcopi.

Hæc de comitatu aut ſimilibus; Quod autem ad iter attinet, œconomi eura eſt eccleſias viſitandas diſtribuere ſingulis diebus, pręmittere aliquem, qui hoſpitiū compararet; ipſe verò Illuſtriſſ. Archiepiſ. ſacrum Miſſę ſummo mane celebrare ſolet, cum iter eſt faciēdum, niſi ad aliquā eccleſiam viſitandā ſe conferat, vbi Miſſam celebrat: omnes autem familiares ipſius

ipſius cottis induti ipſi interſunt,& inſeruiunt. Ante diſceſſum verò ſemper, irinerarium iuxta formam breuiarii, genibus flexis recitatur.

Hoſpitium, & victus ratio.

HOſpitium in ipſis ædibus canonicalibus parari ſolet:in quibus,etſi anguſtiſſimæ ſunt,ipſe Archiepiſcopus libẽter commoratur, cum vno ſaltem ex familiaribus;quòd ſi amplæ ſunt,totam familiam ibidem eſſe vult,niſi enixe rogatus ab aliquo nobili,aut ciue Bononiẽſi, ad eius ædes diuertat. Expẽſas quamuis concilium Tridentinum ab ijs,qui viſitantur fieri mandet;tamen Illuſtriſſ. Archiepiſcopus eorum inopiæ rationẽ habens,maluit ſpõteillos his oneribus ſubleuare, nec quemquam inuitum compellere.quòd ſi ab ipſo Archipresbytero id expetente illum excipi contigerit, præſcribitur ab œconomo victus ratio, & menſæ modeſtia:in qua ſemper & lectio adhibetur, & poſt ipſam colloquia aliqua habentur ſpiritualia.

Oratio veſpertina quotidie habetur in ipſa eccleſia, antequam ad refectionem accedatur.

Aduentus ad Eccleſiam.

SI eccleſia eſt Archipresbyteralis alicuius loci inſignis, vbi populus frequens:Illuſt.Archiepiſcopus Pontificali habitu indutus ingreditur,& etiã in nõnullis locis inſignioribus ſub vmbella excipitur à clero,qui illi obuiam procedit, vt in Pontificali.

Ad has etiam eccleſias curatur,vt veſperi potius accedat, cum commodiùs omnia ad viſitationem pertinentia parari poſſint,& ſequenti die mane perfici.

Ad alias verò eccleſias minus inſignes, rochetto,& mozetta indutus accedit,cleto itidem obuiam procedẽte,quibuſcumque horis;omniaque nõ interrupta, ſed continuata viſitatione perficit: niſi accidat ad aliquas eccleſias eũ peruenire veſperi,in quibus quieſcendũ ſit.

Cetera in excipiendo Archiepiſcopo fiunt, vt in Pontificali.

Viſitatio ipſa.

SI eccleſia erit Archipresbyteralis, mane Ill. Archiepiſcopus,cappa indutus,illum præcedentibus domeſticis, alijſque presbyteris cum cottis, accedit ad Eccleſiã cum cruce ,quæ antefertur.

In Eccleſia parata ſunt omnia à cappellano,ſeu magiſtro cęremoniarum,ad Miſſam,& alias cęremonias viſitationis, prout in Pontificali.

In medio Miſſæ habet non longũ ſermonem ad populum,ſedens ante altare: niſi propter magnam populi frequentiã in magna eccleſia,in ſuggeſtũ aſcendat.

Poſt miſſam præbet ſacramentum Euchariſtiæ ijs omnibus,qui ad illud ſuſcipiendum accedunt.

Tum induit pluuiale violaceum, & tam in eccleſia, quàm in cæmeterio facit abſolutiones mortuorum, quæ in Pontificali.

Poſt quas ſumit pluuiale albũ,& incipit viſitationem ab ipſa Euchariſtia, ad Baptiſteriũ,inde ad ſacra olea,ad ſacras reliquias:tum ad altaria,& cappellas,& ſacras imagines, item ad ſacriſtiam, & cæmeterium ſe conferens,antequam ab ipſa eccleſia diſcedat.

Notarius verò deſcribit omnia decreta,quę ſuper viſitatis rebus fiunt,in libro ad id compoſito.

Quæ autem inquiruntur in viſitatione, ea ſunt, de quibus plures tractatus ſunt editi:quæque Illuſtriſſ. Archiepiſc. eo tempore præcipuè ſibi inquirenda,& loco quem viſitat, maximè neceſſaria eſſe exiſtimat.

A prandio ſi chriſma adminiſtrandũ eſt,adminiſtratur poſt veſperas celebratas;cuius temporis interuallo aduocantur ſeorſum ipſe Archipresbyter, aliiq; clerici:quos omnes Illuſtriſſ. Archiepiſcopus alloquitur;itemque ſcholæ doctrinæ Chriſtianæ, confratriarũ,ſiquæ ſunt, deputatos cuſtodes, & priores.quòd ſi quid ſtatuendum eſt, adnotatur, & notario præſcribitur,

Viſitantur poſtea ædes canonicales, hoſpitalia,ipſæ cõfraternitates,& alia ; in quibus inquiruntur ea omnia, quæ ſa-

Tr a cra

cra Tridẽtina ſynodus præcipit,& in tra ctatibus de viſitatione cõprehenduntur.

Harũ autem omnium rerum viſitatio diſtribuitur in duos, aut tres dies in oppidis, aut vno die conficitur, prout negotiorum multitudo, vel paucitas requirit.

In ſingulis verò Eccleſijs Archipreſbyteralibus, & etiam curatis offeruntur à parochis libri, quos Illuſt. Archiepiſc. conſcribi mandauit, videlicet baptizatorum, cõfirmatorum, matrimoniorum, & mortuorum, cum toto ſtatu animarum,& populi ſui.

Reliquarum eccleſiarum, præter Archipresbyterales,& curatas inſigniores viſitatio eodem ferè modo fit, niſi quòd omnia non interpoſitis horis, aut pluribus diebus: ſed vno eodemq; die,& tempore perficiuntur. Accidit enim vt viſitatio duarum, vel trium eccleſiarũ fiat etiam à prãdio, prout occaſio, tempuſq; patitur: in qua viſitatione omnia item adimplentur breuiter, & loco congruẽter: ſemper tamẽ Illuſt. Archiepiſcopus populum qui conuenit alloquitur, poſt viſitatam eccleſiam, eique ſermones accommodat, ſi villici ſint, ſi mercatores, ſi nobiles, ſi pauperes,&c.

Poſt omnia peracta, quæ ad viſitationem pertinent Eccleſiæ, ædiũ canonicalium, hoſpitalium, locorum piorũ &c. viſitat etiam infirmos, ſi qui adſunt: & egenis eleemoſynas diſtribuit, nulloq; ex loco diſcedit, quin ſigna aliqua pietatis erga pauperes,& loca pia relinquat: diſtribuit quoque grana benedicta,& varios pios libellos, veluti doctrinam chriſtianam, pias preces, imagines ſanctorum,& alia huiuſmodi.

Eo autem viſitationis tempore, ſi cõſecratio aliqua facienda eſt, aut benedictio: nempe eccleſiæ, altariũ, cæmeterii, aut campanarum: omnia peragere ſolet Illuſtriſſimus Archiepiſcopus, admonito prius populo cum ſermone aliquo breui, de illius actionis grauitate, & reuerentia, quæ illi debetur: quas omnes actiones perficit ex pręſcripto libri Pontificalis.

SVMMARIVM eorum, quæ ad viſitationem à miniſtris Archiepiſcopalibus facienda pertinent, & præcipuè de generali Viſitatore.

QVod pertinet ad viſitatoris munus, ſatis illud patet ex ſacro cõcilio Tridentino: nempe vt viſitationũ omnium ſit ſcopus, ſanam orthodoxamque doctrinam, expulſis hæreſibus, inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere; populum cohortationibus,& admonitionibus, ad religionem, pacem, innocentiamq. accendere: & cetera prout locus, tempus, & occaſio feret, ex viſitantium prudentia ad fidelium fructum conſtituere.

Hæc autem omnia duplici maximè ratione præſtanda eſſe, concilium docet; primum exemplo vitæ, morumq; ipſius viſitatoris; deinde eorum, quæ præcipiũtur prudẽtia,& diligenti executione.

Primùm itaque meminerit viſitator, ea omnia, quæ ad cleri, populique opinionem iuſtè acquirendam faciunt, ita amplecti: vt eum ad aliquem locum viſitandum accedit, tamquam is qui probatus medicus ſit, auide excipiatur, eiq; detegantur libenter plagæ, morbiq;: vt ijs cognitis, medicina parari poſſit.

Quare comitem habeat clericum, qui & idem notarius ſit: in itinere ſint diligentes: in hoſpitio circumſpecti: in victu temperantes: ſilentio gaudeant potius, quàm inanibus colloquiis, à quibus caueant; modeſtiam in omnibus præſeferant: munera quæcumque etiam exigua fugiant: deuotionem pręcipuè profiteãtur; præſertim vt quotidię ſacrum faciat viſitator, clericus inſeruiat, & ſæpius etiam communicet.

Secundum caput erat eorum, quæ ad ipſam viſitationem pertinent; quæ cum latiſſimè pateãt, & ſibi perſuadeat Illuſtriſſimus Archiepiſcopus, eum qui huic muneri obeundo deſtinatus eſt, rectè noſſe, quæ viſitatoris officio congruunt, ac quæ uiſitari poſſint, & debent, qua ratione

ratione viſitanda, quid inquirendum nõ ignoret; ideo hęc omittuntur, de quibus graues auctores multi diffuſe egerunt: quorum aliquem nihilominus viſitator ad manus ſemper habere debebit; & iuxta ordinem, qui ſibi aptior uidebitur, quanta maxima fieri poterit diligentia ſuæ viſitationis capita dirigere: vt clare pateant, quæ remedijs indigent, eaque cum in congregationes afferuntur, facilius examinari, & applicari poſſint.

Eorum verò diligentia, & inquiſitio vt ſabitur præterea in iis omnibus, quæ in libro Archiepiſcopali varijs in locis præcipiuntur, videlicet.

De doctrinæ Chriſtianæ ſcholarium progreſſu.

De prędicatione verbi Dei: & fidei ſanctę puritate inuiolabiliter conſeruanda.

De ſacramentorum adminiſtratione, eiuſque ritibus.

Quæ ad eccleſias pertinēt, præter ſtructuram, ornatum, ſupellectilem ſacram, & rerum omnium tam eccleſiæ, quàm canonicalis domus recognitum inuentarium, nempe tituli beneficiorum, diuina officia, miniſtri ordinum ſingulorū, functiones, pia legata executioni non mandata, aliaq; huiuſmodi.

Quæ ad congregationes, & confratrias, hoſpitalia, & loca pia pertinent, & præſertim ad congregationes caſuum conſcientię, cæremoniarum ſacrarū, &c.

Tum an decreta quæ quotannis in ſynodis promulgantur, obſeruentur: & ſi qua etiam occurrunt de blaſphemis publicis, de ſortilegis, & ſuperſtitioſis, & pręſertim de hæreſi ſuſpectis: de vſurpatoribus bonorum eccleſiaſticorum: de non reſidentibus clericis: & de non incedentibus in habitu, & tonſura: de concubinarijs: de non communicantibus rempore paſchali: de non ſanctificantibus dies feſtos: de non ieiunantibus Quadrageſimæ tempore, & aliis diebus ab eccleſia pręceptis, & alia huiuſmodi. Laborabit etiam in reconciliatione ſimultatum, ſi quæ aderunt: amouere conabitur odia, aliaſque abuſus, & quæ prouiſione ipſa Illuſtriſſimi Archiepiſcopi indigēt, ſtatim perſcribet, vt iis conſulatur.

SVMMARIVM eorum, quibus eccleſiæ nullo pacto carere debent.

CVm autem in diœceſi magna viſitationis vtilitas, & neceſſitas ſit, vt eccleſiæ honeſte, & cum debito cultu cuſtodiantur, eaque res volumen integrum requireret, quod Deo auxiliante Illuſtriſſ. Cardinalis Archiepiſcopus ſuo tēpore edet, vbi omnia exacte explicabuntur. Nunc ſufficiat viſitatori, vt in memoriam illi reuocentur nonnulla tantummodo, quæ deeſſe nullo modo debent in eccleſijs, quæque ſi deſint, ſtatim perfici mandabit.

Eccleſiæ omnes Archipresbyterales, aliæ Parochiales, & ſimplices in diœceſi.

1 ANimaduertat viſitator vt vnaquæq; eccleſia bene tecta ſit, & nullibi ruinam minetur, intus dealbata, & imaginibus ſanctorum vt decet exornata.

2 Feneſtræ claudantur vitro, aut tela linea, ne auibus aditus in eccleſiam pateat.

3 Portas habeat firmas, quæ ſeris, peſſuloque muniantur.

4 Item turrim campanilem, vbi campanę ſint; ſin minus pilę latericię arcuatæ in ſumma parietis parte, quæ aptior videbitur, vbi campanæ collocentur.

5 Si habet cœmeterium, circumdatū ſit muro, & pariter ab eo cancellis animalium ingreſſus arceatur, in cuius medio crux lignea ſit, aut marmorea, quæ illum locum ſacrum eſſe doceat.

6 Exterius eccleſia colore rubro ſit tincta, vt ab aliis ſecularibus domicilijs diſtinguatur.

7 In fronte eccleſiæ exterius depicta ſit imago ſancti, cuius titulo eſt decorata.

8 Ita ab omni habitatione ſit ſeiuncta, vt circumdari poſſit.

9 In qualibet eccleſia ſint ſaltem tres ſepulturæ, quarum vna ſacerdoti, quæ rectoris ſumptu fabricetur: altera viris: tertia mulieribus, quę ſocietatis corporis Chriſti, aut aliorum piorum fidelium eleemoſynis fabricetur.

10 Sacrarium vnum apud altare maius humi decenter ſitum.

11 Altare maius in qualibet eccleſia excedat ceterorum altarium magnitudinem, quæ tamen ad præſcriptā formam cōſtructa ſint; illud autem ſit in eminentiori loco: & clathris ligneis, aut ferreis ab eo ſeparentur laici ab eccleſiaſticis, ut intra ea conſiſtere poſſint diuina officia celebrantes.

12 Vbi Altaria non erunt conſecrata, altaria portatilia ſacra rectè firmata ſint, & in ligneis tabulis apte coniuncta, & coagmentata.

13 Habeant ſingula altaria tobaleas ſaltem tres maiores, & tres minores, illis ex vtroque latere cooperiantur ad terram vſque; hæ cooperiant ſaltem totam altaris tabulam: dealbentur, & mutentur ſaltem quater ſingulis annis.

14 Quælibet altaria vmbellam habeant quod baldachinū vocant, ſuperiùs cōcinne compoſitam: & ſcabellum ligneum inferiùs, ſuper quo ſacerdos celebrans ſtare poſſit.

15 Item Iconam in ligno, aut tela depictam, coronicibus exornatam vbi fieri poteſt, aut ſaltem in pariete deuotè depictam: aliæ autē picturæ ſacrarum imaginum hinc inde ordine diſpoſitæ ſint.

16 Adſit crux aurata in altari maiore collocata, pro qua deferenda in proceſſionibus etiam haſta, & vexillum in ſacriſtia aſſeruetur. in reliquis altaribus ſingulis ſint pariter cruces ſingulæ ligneæ, vel alterius materiæ, decenter exornatæ.

17 Sint in altari maiore duo gradus lignei, in quibus candelabra collocentur.

18 Item duo ſaltem candelabra ferrea ad vſum dierum ferialium.

19 Item quatuor ſaltem candelabra lignea, depicta, vel aurata, vel ænea pro diebus feſtis.

20 Quatuor vrceoli ad vſum ſacrorum, vna cum peluí.

21 Tabellæ ſecretorum totidem, quot ſunt altaria in qualiber eccleſia; itemque tabellæ in ſacriſtia affixæ vbi ſint orationes pro ſingulis indumentis Miſſæ, & præparatione ipſius.

22 Tintinnabula ſaltem tria.

23 Quælibet eccleſia curata, aut ſimplex, vbi celebratur quotidie, aut ſæpius, habeat ſaltem tria pallia, vnum pro defunctis nigrum, alterū pro diebus ferialibus viride, tertiū ex aliquo colore puta albo, aut rubro, ſericum tamen pro diebus feſtis: ſitque pro vnoquoque horum palliorum genere planetæ totidem eiuſdem operis, & coloris; & pluuiale ſaltem vnum ſericum, ad deferendum ſanctiſſimum Sacramentum: necnon amictus, ſtolæ, aliaque ad Miſſam ſpectantia, quæ mūda ſint, & integra.

24 Calicem ſaltem vnum argenteum, auratum, itemque patenam vnam pariter argenteam & auratam.

25 Octo corporalia, totidem pallas ad tegendum calicem, & quater ad minus quolibet anno dealbentur, & mutentur.

26 Quatuor vela ſerica.

27 Cotylam, ſeu capſulam vnam decentem, in qua hoſtiæ aſſeruentur.

28 Purificatoria ſaltem 24. quæ ſingula ſingulis hebdomadis, bis, vel etiam ſæpius mutentur.

29 Linteola ſaltem duodecim ad abſtergendas manus in celebratione miſſarum.

30 Quælibet eccleſia curata habeat Tabernaculum ſaltem ligneum in altaris maioris medio cōſtitutum, apte fabricatum, depictum, & vbi fieri poterit auratum, intus verò ſerico circumtectum, quod ſera firme claudatur; in quo tabernaculo nihil vnquam reponatur aliud, præ-

ter

ter ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentũ, quod ſingula quaque hebdomada renouari debeat.

31 Tabernaculum paruum argenteum, aut ex aurichalco, inauratũ, ad deferendum ſanctiſſimum Sacramentum proceſſionis tempore.

32 Item pixidem argenteam, aut ex aurichalco inauratam, ad illud aſſeruandum.

33 Duo conopæa, alterum pro diebus ferialibus, alterum pro feſtis diebus.

34 Velum ſericum longius ad deferendum ſanctiſſimum Sacramentum ad infirmos.

35 Vmbellam vnam.

36 Laternam vnam, quæ haſtæ imponatur.

37 Tobaleas duas pro communione.

38 Lampadem ſaltem vnam æneam.

39 Scabellum paruulum vnum, quo faciliùs ſanctiſſimum Sacramentum accipi poſſit ex tabernaculo.

40 Locus ad aſſeruanda ſacra olea ſeparatus ad latus altaris maioris; vaſa autem ſint, niſi ſumma eccleſiæ paupertas, ea ſtamnea eſſe patiat, argentea: cum inſcriptione quæ indicet qualia ſint olea: habeantque thecam ligneam ex coiro coopertam. claudantur verò, & ſera firmentur.

41 Similiter vbi adſint ſacræ Reliquiæ, aſſeruentur in aliquo loco in eccleſia honorifico apud altare maius, & claudantur, & ſera firmentur.

42 Vlterius habeat vnaquæque eccleſia mantilia ſaltem quatuor, quorum vnum pro ſacerdotibus, alterum pro clericis aſſidue in ſacriſtia ſit appenſum, & ſæpe dealbentur, & mutentur.

43 Item duo ſuperpellicea honeſta, & munda cum manicis more Romano.

44 Stolæ duæ decentes, quarum vna nigra ſit, & in officijs defunctorũ adhibeatur; altera alba, quæ Baptiſmo, & alijs ſacramentis miniſtrandis, & non alij profano vſui inſeruiant.

45 Vas ſaltem æneum cum aſperſorio pro aqua benedicta.

46 Triangulum ligneum, in quo figantur candelæ iuxta ritũ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in officijs ſacris hebdomadæ ſanctæ & ſimul inſtrumentũ ligneum, quo cum cãpanæ non pulſantur, officia denuncientur populo.

47 Thuribulum æneũ cum nauicula, vbi argenteum eſſe non poſsit.

48 Feretrum pro mortuis, & pannum nigrum ad illud tegendum.

49 Duo puluinaria ex corio, aut ſerico.

50 Vas amplum ad lauanda corporalia, & purificatoria, neque alij vſui inſeruiant.

51 Scala lignea, portatilis, longa, quæ ad feneſtras eccleſiæ perueniat, ad ipſius vſum, quæ tamen extra eccleſiam aſſeruetur.

52 Ferrum vnum ad conficiendas hoſtias, in locis ab oppidis diſtãtibus.

53 Miſſale vnum, ſignaculis diſtinctum in folio impreſſum.

54 Confeſsionale vnum, ad præſcriptum morem confectum.

55 Pulpitum, ſiue ſuggeſtus, ad ſacras cõciones.

56 Vbi commode fieri poteſt, mulieres à viris ſeparentur: ſedilia verò apte diſponantur.

57 Ad valuas eccleſiæ, interiùs tamen vas aquæ benedictæ, marmoreum ſeu lapideum.

58 In ijs eccleſijs, in quibus ſacriſtia non eſt, omnem operam nauet viſitator, vt fabricetur: quòd ſi fabricari nullo modo poterit, fiat armarium latum, & eccleſiæ accõmodatum; in quo paramenta, aliaque omnia in loco decenti aſſeruentur.

Quæ in notula prætermittuntur, prudentia viſitatoris ſupplere debebit; atque ita ſe gerere, vt ditiores eccleſiæ, & quæ maiorem populũ habent, etiam affluentiores ſint ſacra ſupellectili, & ornatiores; in reliquis omnia prouideantur pro ratione redditũum.

Ea

Ea quibus amplius eccleſiæ Archipresbyterales carere non debebunt.

CVm eccleſiæ Archipresbyterales, ſint tanquam magiſtræ aliarũ, quæ illis ſubiectę ſunt; præter prædictas res curabit viſitator, vt inſuper habeant omnino hæc, quæ ſequuntur.

1 Integra ſerica paramenta duo, albi, & rubei coloris; hoc eſt, pallia, planetas, dalmaticas, pluuialia, ſtolas, manipulos, &c.

2 Saltem duo Miſſalia magna in folio ſignaculis apte diſtincta.

3 Saltem duos calices, cum velis, & alijs, quæ ad ſacrificium miſſæ celebrandum pertinent.

4 Graduale vnum, & Antiphonariũ, ad Miſſas, & veſperas concinendas.

5 Candelabra, cruces ſint ex aurichalco, & omnia duplicentur.

6 Curetur vt quoad fieri poteſt, omnia altaria cancellis circundentur.

7 Lampades ad minus duæ ante ſanctam Euchariſtiam ardeant, tempore ſaltem, quo Miſſæ, aut veſperæ celebrantur.

8 Thuribulum, & nauicula ſint argentea.

9 Fons baptiſmalis ad præſcriptum conſtitutionum Illuſtriſs. Archiepiſcopi.

Eccleſiæ ſine cura.

1 HAc eccleſiæ, ſi amplæ ſunt, & à populo frequententur, in ijſque quotidie celebratur, ornatæ eſſe debent quantum fieri poteſt; atq; habere ſupradicta omnia, quæ mox adnotata ſunt, præter eas res, quæ tantummodo eccleſijs parochialibus ſunt neceſſariæ.

2 Quòd ſi exiguos redditus habebũt, & ipſæ exiguæ erunt, carebuntque populo, neque ita frequenter in ijs celebratur; ſufficiet eas habere eã ſacræ ſupellectilis partem, quam prudens viſitator neceſſariam eſſe iudicabit.

Oratoria.

IN Oratorijs nequaquam Miſſas celebrari permittet viſitator, niſi qui huiuſmodi Oratoria habent, licentiam ab Illuſtriſs. Archiepiſcopo ſignatam, quæ quotannis renouetur, obtinuerint; atque ipſe viſitator res neceſſarias, & in licentia præſcriptas in eodem Oratorio reperiri cognouerit: nempe vt bene tectum ſit, ſi in agro, aut in via ſit; & ianuis, clauibuſque firmiter claudatur. ſit altare iuxta formam præſcriptam extructum, picturiſque decenter ornatum. ſi autem in aliquo palatio, aut domo ſit, præter hæc omnia, in ſuperiori ipſius parte nemo habitet, aut aliud quidpiam exerceat, ſed cubiculum ſit vacuum, ſiue ipſum tectum. Ad hæc habeat tobaleas ad Miſſæ ſacrificium celebrandum mundas atque integras: calicem ex omni parte alia ſupellectili ſacra munitum: planetam vnam, pallium vnum, albam, amictum, ſtolam, manipulum, eaque integra pariter & munda: cãdelabra duo, crucem vnam, vrceolos duos, campanulam: ſitque decenter in reliquis partibus depictum, & ornatum: feneſtraque ſi vna, aut plures ſint, vitro, aut tela claudantur: adſit ſcabellum ligneum, iuxta formam aliàs præſcriptam: cãdelabrum item pro eleuatione ſanctiſsimi Sacramenti: item tabellę tam vna ſecretorum, quàm altera ad indumenta ſacerdotum. huiuſmodi autem ſupellex oratoriorum niſi adſit ſacriſtia, in armario congruo, & loco vbi minus impediat, diligenter aſſeruetur.

Libri, quos viſitator à ſingulis Parochis haberi præcipiet, præter eos, qui ſuperiùs in adminiſtratione ſacramentorum mandati ſunt.

Biblia ſacra, ex non prohibitis
Breuiarium Romanum
Calendarium annuum
Miſſale integrum cum ſignaculis
Concilium Tridentinum
Catechiſmus Romanus
Aliquod Homiliarium approbatum
Aliquæ ſummæ approbatæ
Reſolutorium dubiorum Miſſæ, cum libello de Miſſæ cæremonijs iuſſu Illuſtriſſimi Archiepiſcopi edito.
Archiepiſcopale Bononienſe.
Prouiſiones, ſeu decreta ſynodalia, quæ quotannis promulgantur.

Hos libros omnino, nullo excepto, habere debebit parochus vnuſquiſq; : qui cum pauci ſint, & parochorum commodum, & facultates ſpectauerit Illuſtriſſ. Archiepiſcopus, ſeuero decreto viſitator ſtatuat, vt ab vnoquoque comparentur, & legantur, & obſeruentur. ſunt enim maxime neceſſarij, neque ſine his officio ſuo parochi rectè perfungi poterunt: præſertim vt congregationes caſuum conſcientiæ vtiliter habeantur.

De Decretis viſitationum.

CVm lex inualida cenſeatur, quæ obſeruatione careat; idcirco curabunt viſitatores, vt decreta viſitationum ita conficiant, vt tempus executionis euicunque rei opportunum præſcribatur: iniungantque illas pœnas, quæ caſuum qualitati erunt conſentaneæ; quę cum in vſus pios conuerti debeant, curabunt ijdem, vt decretis non parentes, monito tamen prius Illuſtriſſimo Archiepiſcopo, ſeu eius Vicario generali, puniātur poſt lapſum ſtatim præfixi temporis executionis terminum.

De Vicarijs Foraneis.

CVm Illuſtriſſimus Archiepiſcopus præter Vicarium generalem totius ciuitatis, & diœceſis, Bononiæ reſidentem, aliquot etiam Vicarios in diœceſi inſtituerit, qui Foranei appellantur, propter ipſius nimiam latitudinem; quibus auctoritatē in ſcriptis tribuit cauſas cognoſcendi vſque ad certam ſummam, teſtes in partibus examinandi, & alia quædam iuxta facultatem Apoſtolicam peragendi; vt ab ipſis faciliùs Parochi, & eccleſiarum Rectores expediantur; neque quamlibet ob leuem cauſam Bononiam ſe conferre debeant, ſuo incommodo, & eccleſiarum, ob ipſorum abſentiam detrimento: inter cetera horum Vicariorum Foraneorum muneta, voluit vt ipſi hoc quoque Viſitationis officio perfungerentur, ſinguli in ſuo Vicariatu; ita tamen, vt quemadmodum Vicario generali in omnibus ſubijciuntur, quæ attinent ad Vicariatum Foraneum; ita etiam à viſitatore generali in viſitatione exercenda omninò pendeant.

Etſi verò ſingulis annis decreta in Synodis promulgantur, de legatis piis denunciandis; atque idcirco Illuſtriſſimus Dominus Cardinalis Archiepiſcopus deputauit etiam certum hominem, qui legatorum piorum Prouiſor dicitur; cuius eſt, illa inquirere, & ad ipſum ſtatim, atque aliquis vita functus eſt, teſtamenta deferri, aut eorum copia tranſmitti debet, vt legata pia in Archiepiſcopali Foro non ignorentur: tamen ad hæc voluit etiam Amplitudo ſua Illuſtriſsima, vt hoc præcipuum onus Vicariis Foraneis in Viſitatione incumberet: in qua non ſolùm huiuſmodi legata ipſi etiam diligentiſsime inquirant

quirant: populoſque de ipſis denunciandis, quæ præſcripta ſunt, edoceant; ſed etiam curent, vt illa fideles quantocyus exequantur, pro illarum animarum ſalute, quæ ipſa reliquerunt: ſaluis tamen in omnibus Sedis Apoſtolicæ prouiſionibus promulgatis, ac etiam in poſterum promulgandis.

FINIS
SEXTAE PARTIS.

ARCHIE-

Digitized by Google

ARCHIEPISCOPALE BONONIENSE SIVE DE BONONIENSIS ECCLESIAE ADMINISTRATIONE.

GABRIELIS CARDINALIS PALAEOTI PARS SEPTIMA.

Quæ ad extraordinarias actiones, ac magis præcipuos perſonarum ſtatus pertinet.

COLLECTOR.

CVM omnia, quæ ad muneris Epiſcopalis adminiſtrationem pertinent, triplici potiſſimum ratione contineri videantur. Primum, vt norit Epiſcopus, quæ ad ſe ipſum ſpectant: quale, quantumque ſit eius officium: quibus difficultatibus implicatum: quibus remedijs ſubleuandum: ac quis tandem finis ſibi in paſtorali cura debeat eſſe propoſitus: aliaque huiuſmodi: quæ cum ex ſacræ Theologiæ fontibus hauriantur, atque ad theoriam potius generalem ſpectent, merito locum illi in huius libri initio tradendum duximus.

Secundum eſt, quod ad populum dirigendum in viam Domini pertinet. Quo in genere, cum varia admodum, & multiplicia contineantur; operam dedimus, vt quæ res propoſitæ magis eſſent accommodata, atque ad certam formam, ac faciliorem praxim ab Illuſtriß. Archiepiſcopo fuiſſent redacta, ſequentibus libri partibus diſtinctè, atque ordine, pro vt res ipſa poſtulare viſa eſt, perſequeremur.

Tertia nunc ſupereſt Epiſcopalis curæ ratio, quæ à paſtoris ſermonibus, & cohortationibus ad populum habitis, pendet, quam in finem huius tractationis reſeruandam cenſuimus, vt hoc, tanquam viuæ vocis ſigillo, cetera omnia ſuperius tractata concluderentur.

Et quamuis ipſe Archiepiſcopus diuerſis rationibus, ſupra à nobis allatis, non ita omnibus diebus, hunc concionandi morem ſecutus fuerit; certum eſt tamen, nec deſiiſſe eundem, vbi ſe occaſio obtulit, tum in ciuitate, tum in reliqua diœceſi, ad excolendos piæ plebis animos, hoc inſtitutum tam ex ſuggeſtu, alioue ſuperiore, quàm inferiore loco, libenter retinere.

VERVM cum dupliciter, vt notum eſt, hoc munus prædicandi ſoleat ab Epiſcopis exerceri. Primo generalibus ad populum concionibus, quibus ſacrum Euangelium explicatur, aliaue argumenta in ſanctorum ſolemnitatibus, ſeu etiam ad morum diſciplinam, atque huiuſmodi alia vniuersè ad populi vtilitatem proponuntur: licuiſſet nobis iuſtum etiam commentariũ, ex varijs eius in hoc genere colloquijs habitis, colligere, qui edi potuiſſet.

Attamen

Digitized by Google

Attamen animaduertentes hæc ipſa argumenta compluribus authorum libris, ac concionum voluminibus copioſè, & eruditè conſcripta, atque communi omnium lectioni expoſita reperiri; viſum fuit nobis ad ſatietatem etiam uitandam, ea hic minime inſerere; præſertim cum ex his nonnulla in ſuperioribus partibus, quantum opus fuit, ut inſtitutum Illuſtriſſimi Archiepiſcopi innoteſceret, quibuſdam in locis attigerimus.

Supra par. 2. pag. 33. 59. & 64. & part. 3. pag. 92. 101. 118. 137. 151. &c:

Alterum uerò concionum genus non uniuerſalibus argumentis, aut admonitionibus continetur; ſed ad proprias, & extraordinarias quaſdam actiones deſcendit: atque illud eſt, de quo nunc loquimur, in quo ſumma Epiſcopi uigilantia, ac ſollicitudo eſt neceſſaria: ſiquidem certos perſonarum gradus attingit, quorum munera explicari, perſonasque ipſas, quæ in illis uerſantur, peculiari aliqua ope adiuuari opus eſt, ſiue etiam quia nonnulla tempus affert, quibus uarios ordines ſeorſum alloqui, & ad aliquod opus pium excitare oportet.

Nos igitur, cum huiusmodi argumenta in aliorum authorum commentarijs uix unquam, aut perrarò admodum tractata, pro ut Epiſcopalis exigeret praxis, inuenerimus, excerpſimus aliquot eiuſdem Archiepiſcopi ſermones, qui ad certos, ac magis inſignes perſonarum ſtatus diriguntur, cum quibus etiam ipſe Archiepiſcopus ſeparatim in aliquam eccleſiam, aut in ædes ſuas accerſitis, ſermonem ex re nata, & cum fructu olim habere conſueuit.

Quoniam autem ſermones hi perpauci uideri poſſent, præ multiplici perſonarum ſtatu, ac magna, & neceſſaria rerum, quæ emergere ſolent, uarietate, redigimus lectori in memoriam, Illuſtriſſimum Archiepiſcopum, hæc non omnibus Epiſcopis, ſed ſucceſſoribus ſuis tantum in Bononienſi eccleſia conſcribere; quibus facile erit, pro ea, quam populi huius notitiam habituri erunt, ad horum ſimilitudinem, ſi eis uidebitur, alia meliora ad eas, quæ ſuccedent neceſſitates, pro ingenio ſuo accommodare; cum ſatis nobis ſit, quid ille in huiusmodi caſibus obſeruauerit, nunc parua hac concionum imagine oſtendere: ex qua ſucceſſores eo acrius induſtriam, ac uigilantiam ſuam in uerbo Dei diſſeminando, ubi res poſtulauerit, ualeant exercere.

INDEX

Google

SERMONVM CARD. ARCHIEP. QVI IN HAC SEPTIMA PARTE CONTINENTVR.

1. Ad Clerum vniuerſum ciuitatis, & diœceſis Bononienſis.
2. Ad Canonicos, & Capitulum Metropolitanæ Eccleſiæ.
3. Ad generalem congregationẽ Archipresbyterorum diœceſis Bonon.
4. Ad Parochos ciuitatis Bonon.
5. Ad presbyteros non curatos, De ſacro Miſſæ celebrando.
6. Ad Senatores, & Magiſtratus, qui adminiſtrant Rempublicam.
7. Ad Doctores, & publicos Gymnaſij lectores.
8. Ad Medicæ artis profeſſores.
9. Ad Scholares Academiæ Bononienſis.
10. Ad Societ. ſtudioſorum Perſeuerantiæ.
11. Ad Optimates, & Primarios vrbis Bononiæ viros.
12. Ad Aduocatos, & patronos cauſarum.
13. Ad diſceptantes litibus in iudicio.
14. Ad Moniales triplici voto obſtrictas.
15. Ad diuerſorum ordinum ſtatus ſimul collectos.

SERMO PRIMVS.
Ad Clerum vniuerſum Ciuit. & Diœc. Bonon.

Videte vocationem veſtram fratres. 1. Corinth. 1.

CVM veſtrum hunc cœtum intueor fratres, filijque chariſſimi, ſubit animum meum Chriſtianæ illius militiæ recordatio, cuius imaginem S. Ioa. in Apocal.[a] & s. Dionyſ. Areopagita in libris ſuis[b] expreſſam reliquerunt. Nam ex quotẽpore Saluator noſter à ſũmo cęlo egreſſus, humana hac ſe carnis fragilitate inducens, in terras delapſus eſt, vt audiret gemitus cõpeditorum, & ſolueret filios interẽptorum, ac principem huius mundi eijceret foras, noſque eriperet è poteſtate tenebrarum, & transferret in regnum lucis. Exinde cum triumphator glorioſus deuicta morte in cælum aſcendit, captiuam ducens captiuitatem, curauit ille populum relinquere ſibi acceptabilem, qui eius veſtigia ſequens, ſatanæ regnum diſſipare, Chriſti nomen propagare; atque in omnes gentes longe; lateque diffundere, verbo, & exemplo contenderet.

a. Apocal. c. 5.
b. S. Dion. Areopag. de cæleſt. Hierar. c. 14. Et S. Hiero. in c. 7. Daniel.

Hoc in numero licet Chriſtiani omnes, qui ſacramento Baptiſmatis ſunt abluti, ſanctæque Chriſti fidei nomina dederunt, in vniuerſum cenſeantur; potiſſimum tamen ij, qui Clerici dicuntur, huic ſe muneri addixiſſe, hocque vitę nexu ſeipſos deuinxiſſe exiſtimantur; ita vt, ſicuti cum pictorem aliquem nominamus, cum intelligimus, qui pingendi artem, & agricolam, qui agri colendi opus exercet; ſic cum clericum appellamus, cum ſignificamus, qui in ſortem Domini ita ſit vocatus, vt hoc præcipuum munus profiteatur, ſe Chriſti militẽ ſtipendiarium conſtitutum, ad debellanda vitia, ad profligandũ dæmonem, ad virtutes, & mores reuocandos, ad pietatẽ, iuſtitiam, ſanctitatemque in Chriſtianũ orbẽ inducendam, ad eademque omnia agenda ſe vigilem, & paratum præbeat, quibus Chriſtus in nobis vincat, Chriſtus regnet, ac peccatum tanquam illius hoſtis teterrimus, quoad eius fieri poteſt, exterminetur.

Hoc non tantum nomen ipſum CLERICI, ſed habitus ipſe, & inſignia, quæ geritis, & ritus, quibus initiati eſtis, ac cætera, quæ ad ordinem veſtrum pertinent, magnis referta myſteriis, abunde declarant, in vnum id vos præcipue incũbere, aut incumbere debere, vt Dei gloriam, ſanctamque eius religionem, quibuſcunq. rebus intrepide anteponatis.

Hinc primum intelligere poteſtis, dilectiſſimi, quam præclarum, honorificũque munus ſortiti eſtis, qui ſaluatoris noſtri cooperatores, atque adminiſtri delecti eſtis. Nam cum Deus omnipotẽs mũdũ vniuerſum ſolus nutu ſuo regere poſſet, qui poteſt quicquid vult, & cui voluiſſe, feciſſe eſt[c]; Angelorũ tamẽ miniſterium adhibuit, & inferiora etiã hæc omnia iis inſtrumentis, quæ ſecundæ cauſæ vocãtur perfici voluit[d]: ſic ad diſciplinã moreſque hominum inducendos, ad religionem amplificandam, vos potiſſimum clericalis ordinis milites, ſocios, adiutoreſque vocauit. Agnoſcite hinc præſtantiam muneris, ſublimitatemque veſtrã; neq; id oneris, aut laboris, ſed magni priuilegii, ac diuinæ erga vos liberalitatis loco reputate. Nam ſi terreni principis ſe nunciũ, familiarem, miniſtrumuè prædicari, quiſque ſibi laudi & exiſtimationi eſſe ducit; qua eum voluptate, honoreq. tangi par eſt, qui Regi ſeculorũ, omnipotentiq. Deo operã ſuã impertit? qui dixit[e]: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* pariq, eos honoris gradu, dignatus eſt?

c. S. Cypr. in Symb. Apoſto. ſuper illis verbis: Crucifixus ſub Pontio Pilato &c.
d. S. Thom. p. par. q. 22 ar 3. ad 2.
e. S. Ioã. 20.

Verùm id præterea accedit, nos ad hoc muneris, non prout cæteros ex quodam charitatis & fidei debito teneri, ſed ex debito iuſtitiæ, vt aiunt, adſtrictos eſſe, quod multo fortius, arctiuſq; eſt vinculũ. Qua de cauſa diceretis? quoniam nobis ideo beneficia eccleſiaſtica aſsignata

fuerunt,

fuerunt, vt eſſent ſtipendij loco; vt nobis aſſidue laborandum, & militandum eſſe intelligeremus. Quis hoc dicit? Dauid propheta, aut potius Spiritus ſãctus per os Dauid; ſic enim ait in pſalmo [a]: *Dedit illis regiones gentium, & labores populorum poſſederunt, vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem illius requirant.* Hinc canones appellant redditus eccleſiarum, *vota fideliũ, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum* [b]. Vultis adhuc clarius hoc intelligere? Rationẽ huius nominis animo repetite, cur eccleſiarum, quas poſſidetis, redditus, beneficia ſint appellata. Nam vt ex hiſtoricorum monumentis conſtat, prædia quædam olim, ſeu poſſeſſiones militibus aſſignata fuerũt, vt hoc munere obſtricti, eo animoſiores ad tutandam Rẽpublicam redderentur; Ideoque beneficia tunc vocata fuerũt, & beneficiarij clientes, quibus feuda conceduntur, iurantque fidelitatem, ſeruitiũ, homagium, & alia, quæ ijs nota ſunt, qui in iure ciuili verſantur. ſic & noſtra hæc quæ vulgo beneficia (vtinam non veneficia potius his qui male vtũtur) dicimus, quòd inde ſcilicet obligamur, in ſanctitate, & iuſtitia Deo ſeruire omnibus diebus noſtris, & alios prędicationis verbo, ſacramentorum adminiſtratione, laudabilis vitæ exemplo à peccatis auertere, & in Dei gratiam reſtituere.

a Pſal. 104.

b. in vita Vrban. papæ vt in Brem. & c. Quia 16. q. 1.

Quid hinc ſequitur? Quod in prouerbijs dicitur [c]: *Fili ſi ſpoponderis pro amico tuo, illaqueatus es verbo oris tui; diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum, ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.* Qui conſcripti ſunt in exercitu milites, rebus alijs omnibus nuncium remittunt, quocumq; eos bellum vocet, ſemper pergere parati: alioquin exauthorantur, priuantur cingulo militari, & vt deſertores ignominia plectuntur. Quid nobis accidet, ſi, cum alijs duces ad pœnitentiam eſſe debeamus, inuitemus ad petulantiam? ſi, vt aliorum peccata redimamus, nos grauioribus culpis cumulemus, & adijciamus iniquitatem ſuper iniquitatem? ſi, cum alios ſanare debeamus, & à periculis eripere, eos ad interitum pertrahamus? Ecce dedit nobis Dominus labores populorum, non ad inertiam, non ad voluptatem, non ad propria cõmoda: ſed vt inquiramus, & cuſtodiamus legem Domini, nec reſpiciamus in vanitates, & inſanias falſas, ſed in lege eius meditemur die ac nocte.

c. Prou. c. 6.

Hæc ego dum mecum aliquando cogito, & in veſtrum hunc cœtum nunc præſens oculos conijcio, occurrunt mihi verba illa beati Pauli Apoſtoli ad Corinthios, cum diceret [d]: *Videte vocationem veſtram fratres*; Quamuis enim vt iam diximus, eadem verba omnibus ſint communia, qui Chriſtiano nomine cenſentur; quòd ſcilicet meminiſſe debet vnuſquiſq;, ſe non temere, aut fortuito in hanc lucem eductum; ſed tanquam Dei filium paterna eius prouidentia regi, & tamquam ſtationarium militem in hoc mundi certamine collocatum, ne locum deſerat, ſed munus ſibi aſſignatum, fideliter ad necem vſque tueatur: quod Apoſtoli, & alii pluribus in locis nobis inculcare non deſinunt [e], admonentes viros, vxores, viduas, filios, ſeruos, & alios, vt vnuſquiſque maneat in vocatione ſua. Hoc tamen loco verba hæc, *Videte vocationem veſtram*, videntur præcipue ad clericalis ordinis miniſtros referri poſſe, quæ cum tria tantum ſint, maximam vim, ac momentum ad id, quod inſtituti noſtri eſt, habentia; ſumpſimus eadem ſigillatim examinanda, vt ex his vnuſquiſque non ſolum muneris ſui neceſſitatem agnoſcat; ſed quod in primis refert, hic tamquam in ſpeculo, morum ſordes, linguæ errata, actionum deformitatem, intueatur. Quæ omnia cum ex triplici capite oriantur, vt à ſacris theologis traditum eſt [f], videlicet ab ignorantia, infirmitate, & malitia, nos in præſentia in explicandis ſingulis Apoſtoli verbis, quæ argumenti loco ſumpſimus, ſingulos hoſce malorum fontes indicare, atque adeo obſtruere conabimur, cum ægritudinis cauſa, & origine planè cognita, atque perſpecta, facile ſit medicamentum ad eam curandam aptum, & accommodatũ adhibere.

d. 1. ad Cor. c. 1.

e. 1. S. Petri c. 2 & 1. Cor. c. 7. ad Epheſ. c. 4 1. ad Tim. c. 2

f. S. Th. 2. 2. q. 161 art. 2. & in 1. 2. q. 78. ar. 1.

Primum eſt verbum *Videte*, quod nos illius culpæ admonet, quæ ab inſcitia,

ac rerum imperitia proficiſcitur. hoc ſiquidem verbum ab oculis corporis ad animum plerumque transfertur; vnde ſicut Propheta ait [a]: *Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus*; & Chriſtus Dominus apud S. Matthæum [b]: *Videte ne contemnatis vnum ex iſtis puſillis*; ſic hoc loco: *Videte fratres*, idem eſt, quod diſcite, intelligite, cognoſcire, aperite oculos mentis, expellite tenebras cordis, & diligenter attendite rem veſtram.

a, Pſal. 45.

b, S. Matth. c. 18.

Hoc igitur Apoſtoli verbo, tamquam in limine, nobis ſe ignorantiæ culpa obijcit, vnde infinita prodeunt mala. Nam Iſaias dicebat [c]: *Captiuus ductus eſt populus meus: quia non habuit ſcientiam*. Et Oſeas [d]: *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi*; & multa hoc argumento congeſta fuerunt à Gratiano, & alibi à ſacris Theologis [e].

c. Iſai. c. 5.

d. Oſeæ c. 4.

e. Gratian. diſt. 36. S. Tho. 1. 2. q. 76. art. 3. S. Bonau. li. 2. diſt. 22. q. 3. & Petr. Sot. lib. de inſtit. ſacerd. par. 2. lect. 2.

Hæc ignorantia cum multiplex ſit [f]; alia, vt aiunt, antecedens: alia conſequens: alia concomitans: Et rurſus, quæ antecedens eſt, alia neſcientia appelletur; alia ignorantia inuincibilis; alia probabilis: conſequens vero, alia craſſa, alia affectata; & cum vtraq; circa ius, vel factum verſetur; nos his omnibus omiſſis, de ignorantiæ crimine in vniuerſum loquimur, vt hinc omnes moneantur, quam omnino ſit neceſſaria rerum ſacrarum ſcientia ei, qui ſe Eccleſiaſticis miniſterijs addixerit. Nam ſi videmus eos, qui opera etiã ignobilia, atq; artes illas, quas mechanicas vocãt, ſunt tractaturi, in primis oportere, vt peritiã adhibeant, & illius rei exercitationem, quam cupiunt perficere: Si enim nec medicus, nec miles, nec pictor, nec ſutor tam audax, & temerarius erit vmquam, vt opus illud obeundum ſuſcipiat, cuius cognitione, & experimento careat, cum & vetus ſit prouerbium, *Quam quiſque norit artem, in ea ſe exerceat*; quanto magis id (vt alios clericos modo omittamus) in parochi munere, cum ad illum pertineat cura animarum, quæ dicitur ars artium, exigendum erit [h]? nam ſicuti artifices quærunt ex rebus vilioribus, & obſcurioribus opera præclara conficere, veluti ex ligno ſtatuam, aut ex lana veſtimentum: ſic parocho ſtudendum eſt ex malis bonos, & ex bonis meliores homines efficere: quod quidem ignorans aſſequi nequit, nam agens agit ſibi ſimile [i], nec effectus vmquam poſſunt eſſe præſtantiores cauſis ſuis, Vnde apud S. Matth. legitur [k]: *Si lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt?* ideſt ſi Chriſti miniſtri, qui lucem debent præferre populo, ignorent ipſi Dei legem; homines rudes, qui tenebris æquiparantur, & qui ideo indigent opera Sacerdotum, vt ab illis illuminentur; quales nam euadent, & in quanta caliginis denſitate perpetuo ſepulti iacebunt? Non enim quod obſcurum eſt, alios illuminare poteſt: & qui illuminandus eſt, alieno indiget lucis ſplendore, quo illuſtretur, alioquin erit perpetuò lucis expers.

f. S. Th. 1. 2. q. 6. art 8. & q. 76. ar. 1. & 2. Siluest. & alij verbo Ignorantia.

h. S. Gregor. in paſtoral. part. 1. c. 1.

i. S. Th. 1. q. 115. art. 1.

k. S. Matth. c. 6.

Quòd ſi quæramus qui tandem ij ſint, qui hoc ignorantiæ nomine à nobis dãmnentur; reſpondemus ex Theologorũ ſententia [l], omnes eos comprehendi, qui auertunt ſe ab earum rerum cognitione, quas illorum officium poſtulat: aut ea ſcire omittunt, vel attentè conſiderare, quæ debent; quod totum duobus omnino præceptis concluditur, vt ait S. Thomas [m].

l. S. Antonin. par. 1 tit. 2. c. 2. 2. 4.

m. S. Th. 1. 2. q. 70. ar. 2.

Quorum alterum commune eſt omnibus vniuersè, quod eſt, vt ſciant ea, quæ ſunt fidei, & vniuerſalia iuris diuini præcepta: alterum, vt ſinguli ſciant ea, quæ ad eorum ſtatum, vel officium ſpectant; nam ſine vtraque harum rerum ſcientia & cognitione, nemo poteſt, vt ipſe ait, debitum actum rectè exercere; ideoque hæc ſunt adeo vnicuique neceſſaria, vt ſi quis eorum expers ſit, teneatur potius muneri illi, aut gradui, ſeu beneficio renunciare [n].

n. ca. Non ſit 1. q. 1. circa finem. & Nauar. in manual. c. 25. n. 133.

Qua ex re apparet, nullius excuſationem accipiendam, aut ætatis, aut conditionis, aut paupertatis ſpecie; præſertim autem eorum, qui in ordinem eccleſiaſticum aſcribuntur, vt aliorum tenebras, & ignorantiam pellant, prout ſunt Parochi, & alii qui curam habent animarum. Nam qua iuſta poterunt ex-

cuſatione

Digitized by Google

cuſatione defendere, ſi ea ſe ignoraſſe fateantur, ob quæ præcipuè ad id fuerũt munus acceerſiti? præterquam quod affectata hæc quodammodo videtur ignorantia, cum non deſint alij multi eiuſdẽ conditionis, & facultatis clerici, qui tamẽ difficultates eas omnes labore, & induſtria ſuperarunt: quorũ exempla quotidie illis ante oculos verſantur; & propterea illos ſibi imitandos proponęre deberent; quod & gentiles multi olim in rebus longe inferioribus, ſumma tamen vigilantia, & animi contentione fœliciter præſtiterunt[a]: voluntatẽ præclaram, & manum vtramque operi, quod cupiebant, admouentes.

a. Val. max. lib. 8. c. 7. de induſtr.

Optima igitur ratione, & ſapientiſſimè ab Apoſtolo hodie admonemur. *Videte Fratres*; ideſt nolite prętermittere, diligenter attendite, & incumbite, vt sciatis. Quod quidem ſaluberrimum Apoſtoli conſilium, vt nos quantum poſſumus in vobis imprimamus, ac multorum in hac parte inopiæ, aut ſterilitati ſubueniamus, legendum vobis dilectiſſimi breui commentariolo comprehenſum proponimus, quid à nobis, Deo iuuante partim ad ſeminarium, & conuictores, partim ad caſus conſcientiæ, ad præceptores priuatos, ad publicos profeſſores, & ad alia quædam fuerit excogitatum.

VOCATIONEM. Hoc eſt ſecũdum verbum ab Apoſtolo traditũ, quod nos ijs erroribus, aut culpis in præſenti adſcribimus, quæ ex humana infirmitate ſolent deriuari. Nam quòd vocationi ſuæ, & officio homines non reſpondeãt: illud plerunque in cauſa eſſe ſolet; quòd alijs ſtudijs adducuntur, quæ ſibi potiora, & vtiliora videntur, decipiunturque falſa rerum imagine.

In primis igitur quod ad verbi notionem ſpectat, multipliciter ſolet hoc *Vocationis* nomen accipi[b], præcipuè verò dupliciter: nam alia interna dicitur, alia externa. Atque internam nunc omittentes, de externa tantum verba faciemus, atq; de illa nominatim, quæ per impoſitionem manuum Epiſcopi, vnicuiq; Indicitur. Quapropter dicimus hoc *vocationis* verbo motum ſignificante, duos terminos comprehendi: alterum, qui dicitur à quo, alterum ad quem: Ille appellatur à quo, quia ab eo diſcedere tanquam à ſtatu ſęculi, rebus fluxis, & caducis implicito admonemur: dimittentes litigandi ſtudium, monſtrum auaritiæ, obſcęnitatem omnem, ſcurrilia ioca, comeſſationes, affectum nimium erga conſanguineos, atque inanes omnes cogitationes. Alter dicitur terminus ad quem, quoniam ad hunc perducuntur clerici per ſacramẽtum ordinis, ſiue per legitimam Antiſtitis manuum impoſitionem cum certa verborũ forma, qui terminus eſt, ac tanquã diuinæ gratiæ theſaurus, nobis huiuſmodi ſacramento collatus; vnà cum omnium virtutum choro, quæ infuſæ dicuntur; quarum aliæ ad affectus comprimendos, aliæ ad contemptum mundi, aliæ ad excitandum ſpiritum, aliȩ ad populum ædificandum, aliæ denique ad interiorem, exterioremque hominem reformandum inſtitutæ ſunt.

b. S. Auguſt. lib. 83. quæſt. q. 68. tom. 4. S. Antonin. par. 1. tit. 5. c. 2. 3. 6.

In hac autẽ cõmutatione, eximia Dei benignitas, ac ſimul ſumma hominis imbecillitas ſpectatur: Deus eſt altiſſimus, à quo vocamur: Homo eſt infimus, & humi poſitus, qui vocatur. Itaque quod ad Deum attinet, nemo mortalium nec verbis exprimere, nec cogitatione ſatis cõſequi poteſt beneficij magnitudinẽ, qua ille nos decoratos eſſe voluit, qui vt inquit Apoſtolus[c]: nos miniſtros, & diſpenſatores miniſteriorum eius conſtituit. Quod autem ad homines pertinet, quis poſſit pro dignitate æſtimare ſummum illum, quem ex ſacro ordinis charactere cõſequuntur, muneris gradum? per quem ſuperiorem etiam Angelis poteſtatem in corpus Chriſti tum verum, tum myſticum obtinent?

c. 1. Cor. 4.

Nam ſi videmus omnia, quæ in hoc orbe condita ſunt, à Deo omnipotente locis ſuis diſpoſita fuiſſe[d], ſydera, cœlos, arbores, plantas, metalla, & alia omnia proprias ſedes tenere: necnon elementa ipſa quoties locum ſuum exceſſerint, fragores ingentes, pericula, horribileſque caſus ciere.[e] Imò ſi in corpore humano omnia membra, & articuli ipſi ita ſunt diſtributi, vt ſi quis eorum loco

d. Geneſ. c. 1.

e. S. Chryſ. homil. 11. ad Epheſ.

motus fuerit, quod in membris luxatis accidit, magnum corpori dolorem, ac perniciē plerumque afferat; volumus ne deinde exiſtimare nos in corpore Chriſti myſtico, quod eſt Eccleſia, hæc temerè collocata, atq; adeo perturbatè diſiecta, nec propriam ſtationē, præcipuumq; munus cuique aſſignatum fuiſſe? Hoc ſanè Apoſtolum non latuit, qui tam multus, tamque frequens eſt in Chriſtiano populo cohortando, vt quiſque vocationem ſuam præſtet, ac functionem ſibi creditam exequatur [a].

a. ad Eph. c. 4.

Nulli igitur clericorum tergiuerſatio in hac vita relinquitur, nā ſicut in familia benè conſtituta, nullus eſſe debet, qui officio vacet, vt veteres dicebāt; Ita in Dei gubernatione, nullus ſuſtinetur otioſus, nullus qui conſertis manibus ſedere debeat, iuxta illud Saluatoris noſtri; *Poſui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat* [b].

b. S. Io. c. 15

Quin comparatur potius hæc vocatio ſpirituali cuidam coniugio, ita vt nemo ſit ſacro characteris ordine inſignitus, cui vocatio ſua nō ſit vxoris inſtar, cum qua ſancto quodam connubij fœdere copulatus exiſtat: nam ſicuti in matrimonio carnali tria bona ſpectantur [c], quæ ſunt fides, proles, & ſacramentum; ſic ex cuiuſque vocatione, quæ coniugij loco eſt, eadem tria bona expectanda ſunt; nempe fides, vt permaneant ſinguli in vocatione ſua, nec eam deſerant: proles, vt quemadmodum ex matrimonio legitimi oriuntur filii: ex alieno verò concubitu, nothi, & adulterini; ſic in ſpirituali hoc coniugio, ſciant omnes prolem eam legitimam futuram, vbicumq; opera, & actiones ab vno quoque eduntur, quæ propriæ ſint ſui muneris, & vocationis; illegitimæ verò, quæ ex alienis negocijs parum ad rem noſtram accommodatis, proficiſcentur; tum ſacramentum quod nos admonet, vt omnia quæ facimus, ad Dei gloriam, & vt ei placeamus, dirigantur [d].

c. S. Augu. de Geneſ. ad literam lib. 9. c. 7. tom. 3.

Addendum & illud eſt, quod vocatio clericorum, non tacita, non dubia, non momentanea cenſetur: verum clara expreſſa, propria, à nobiſque nō acceptata tātum, ſed ſolemni etiam fœdere ſæpius ac ſæpius corroborata, conceptiſq; verbis, vt quid maximè ratum, ſanctum, ac perpetuum, confirmata: quod quidē non tantum baptiſmi ſacramentum, quo primum abluti fuimus, oſtendit, verum etiam character clericalis, quo inſigniti ſumus, habitus quem quotidie gerimus, ſponſio Antiſtiti ipſi Dei miniſtro facta, & vota caſtitatis, atque obedientiæ ſolemnia, quæ in ſacri ordinis ſuſceptione emittimus, & beneficia, quorum nobis collata poſſeſſio, & quorum prouentibus alimur, & ſuſtinemur, apertiſſimè teſtantur.

d. 1. ad Cor. c. 10.

Verùm hic naturæ humanæ morbus eſt, vt aliena potius, quam noſtra curemus, & præceptis omiſſis, quibus aſtringimur, ea plerumque quæ conſilii tantū ſunt, nec nos neceſſariò adigunt, vltro conſectemur; vel quæ à clericali munere ſunt potius aliena, auidè proſequamur: quod multorum nobis mores oſtendunt, qui in ieiuniis, eleemoſynis faciendis, diuinis officiis perſoluēdis: ea ſæpè prætermittunt, quæ à ſancta Eccleſia iuſſa ſunt alia amplectentes, quæ voluntatis potius, quàm neceſſitatis, arbitrii magis, quàm præcepti, immo damni aliquādo magis, quàm meriti, cenſentur; Vnde ſanctus Bernardus ait; *Ingratum eſt Spirituiſancto quicquid obtuleris, neglecto eo, ad quod teneris* [e]; eos ſcilicet homines perſtringens, qui vocationis ſuæ munia plerunque negligunt, & aliena ſumma diligentia, & ſolicitudine obire cōtendunt.

e. Apud S. Antonin. 2. par. tit. 9. c. 1 2.

VESTRAM. Tertium hoc eſt verbum, quod licet per ſe certi nihil ſonet, ſed tantū perſonam deſignet, de qua agitur: attamen hoc loco, cum ſequatur poſt verbū *Vocationem*, nō incongrue iis erroribus, & criminibus adſcribitur, quæ ex malitia proficiſcuntur: Quonia hæc eſt propria culpæ natura, vt perſonā illā afficiat, à qua fuit contracta. Igitur ſi vocatio non impleatur quacunque ex culpa etiam interpretatiua, dicuntur clerici abuti vocatione ſua, recteq; eis dicitur: *Videte vocationē veſtram*; nimirū quia illā deſeritis, etiam ſi per fraudem id à uobis non fiat. Nam lata culpa, æquiparatur

dolo,

dolo:perindeq. eſt,rem aliquam ex induſtria contemnere, ac ita ſegniter in ea obeunda ſe gerere, vt nullam prorſus illius cogitationem ſuſcipias. Quod varie noſtis ſolere cõtingere;non .n. id euenit ſolum,cum nõ ſumma, ac perpetua iuſſis Archiep. præbetur obediẽtia;ſed etiam cum eorum executio tamdiu differtur, tam lentè ſuſcipitur,vt ipſi clerici nomẽ ouium quodammodo amittere videantur : veræ.n.quidem oues audiunt vocem Paſtoris,prout in Euangelio dicitur: & veri illius miniſtri non ſeruiant ad oculũ Archiepiſcopo , ſed eidem, tanquam Deo promptè obtemperare quærant.

Dicitur & *vocatio veſtra*,quia poſitum eſt in vnoquoque veſtrum, omnia cum Dei auxilio præſtare. Non is eſt Deus, qui à ſe vocatos, & ad aliquod munus perfungendũ delectos deſerat, aut ope ſua in medio curſu deſtituat; Sed quos vocat, eoſdem ingenti gratiarum theſauro ſic ditat,vt commode explere queant, quæcunque in eodem iniuncto munere ante ad explicandum difficilia, ac penè impoſſibilia eſſe videbantur. Per magnum eſt, fatemur, ſacerdotem pro rei dignitate,ac ſacrarum legum præſcriptione ſe gerere; Verùm multo maiora ſunt dona optima, ac perfectiſſima, quæ a patre luminũ in eorum ſacerdotũ animos inſtillantur, qui Deo in ſinceritate cordis, fidei veritate, ac vitæ, morumque puritate ſtudẽt inſeruire. Tales vos eſſe (Chariſſimi) & vehementer optamus, & ſummopere confidimus; illud etiam ſæpius vos monentes, vt ordinis, atque officii veſtri memores, cum omni ſolicitudine, patientia, integritate, ac doctrina iter veſtrũ in via ſalutis dirigatis, ac ceteros omnes ad bonorum operum exemplum prouocetis: Hæc perenne ſtudium, aſſiduoſque labores poſtulant. Sed cui mirum id videri debet?

Nam quod in filiis, qui ex coniugio procreãtur vſu venit,vt in lucẽ ſine difficultate,& periculo edi non ſoleant;id ipſum in patribus ſpiritualibus accidit; quod Apoſtolus ſignificauit,dicens: *Filioli mei quos iterum parturio* f.certumque eſt, hæc religionis noſtræ præcipua eſſe fundamenta,plurimum ſcilicet cum Dei gratia laborare, & raro conquieſcere, mercedemque æternam in futuro ſæculo expectare. Vnde in prouerbijs dicitur; *Qui operatur terram ſuam, ſatiabitur panibus; qui autem ſectatur otium, ſtultiſſimus eſt* g. f. Galat. 4. g. Prou. 12.

Poſſemus hic alia multa vocationis huius exempla perſequi, in quibus ſæpe, & non leuiter delinquitur; ſed quia vos pro prudentia veſtra ſatis hęc intelligere non dubitamus, atque optimè noſſe; quæ veſtræ ſint partes: quid populus expectet; quid vos debeatis; & quid nos cupiamus; Ideo nos tantum quod initium fuit ſermonis noſtri, hoc quoque loco, cum ad calcem eius peruenerimus, repetimus; optantes illud cordibus veſtris perpetuo defixum eſſe, tanquam ſummam muneris veſtri, & ſigillum in cogitationibus veſtris obſignandum, quod cæleſti Apoſtoli voce concluditur: *Videte vocationem veſtram fratres.*

SERMO

SERMO SECVNDVS

Ad Canonicos, & Capitul. Metropol. Eccl.

Hortamur vos, ne in vacuum Dei gratiam recipiatis.
2. Cor. 6.

AGimus vobiſcum Reuerẽdi fratres, Iiſdẽ verbis, quibus olim Apoſtolus Paulus Corinthios ſuos allocutus eſt. Nam cum eos videret præter priſca maiorum ſuorum ornamenta, ingenitaſque eis ſcientiæ, ac diſciplinarum laudes, noua etiam illis, ac cæleſtia gratiarum dona plurima à Deo communicata fuiſſe, ita vt ipſe in principio Epiſtolæ ſuæ eos vocet *ſanctificatos in Chriſto, & in omnibus diuites factos in illo* [a]; venerat in magnam ſpem, fore; vt Macedones, & alij multi eorum exemplo prouocarentur ad veritatis agnitionem. Inquit enim [b]: *Glorior de vobis apud Macedones, quoniam & Achaia parata eſt ab anno præterito, & veſtra æmulatio prouocauit plurimos*. Quapropter hæc verba ad eos profert [c]: *Hortamur vos, ne in vacuum Dei gratiam recipiatis*. perinde ac ſi diceret: Talis eſt veſtri apud omnes homines expectatio, tanta eſt vobis in præſenti virtutis exercendæ occaſio per Dei gratiam oblata: vt ſi vos illam agnoſcatis, nec otioſam eſſe patiamini, ingentes inde ſitis meritorum theſauros relaturi, quibus & alios populos, qui veſtra obſeruant exempla, ſitis locupletaturi.

a. Ad Cor. 1. c. 1.
b. Ad Cor. 2. c. 9.
c. 2. Cor. 6.

Hæc igitur eadem verba, nos quoque Reuer. Canonici, habẽda ad vos eſſe duximus: quos cum nouerimus, non ſolum patriæ nobilitate, & paterna quadam ac hæreditaria ingenij laude exornatos; ſed etiam in Cathedrali hac eccleſia ad eiuſmodi dignitatis gradum euectos, vt ipſius Archiepiſcopi ſitis confratres, cõſiliarij, aſſeſſores, necnon alijs permultis gratiarum donis à Deo inſignitos; nõ poſſumus non idem repetere, quod ille Corinthijs dixit: *Hortamur vos, ne in vacuum Dei gratiam recipiatis*. Quibus paucis verbis cum Apoſtolus Paulus ſummam eorum officij complexus ſit, viſum fuit nobis, eadem tanquam veſtris rationibus valdè accommodata, ac præclaro iſto gradu veſtro inprimis digna; eodem ordine, quo ab Apoſtolo fuerunt prolata, vobis explicare.

Complectuntur itaque tres partes: prima illis verbis continetur: *Hortamur vos*: Secunda: *Ne in vacuum recipiatis*: Tertia: *Dei gratiam*: quę omnia ſigillatim perſequemur.

Igitur à primo exordientes, quæri poteſt, cur dixerit: *Hortamur vos*: Nonne habebat ipſe paſtoris, & Epiſcopi poteſtatem? maximè ſanè; nam idem ad eos ſcribens dicebat [d]: *Etſi alijs non ſum Apoſtolus, vobis autem ſum; nam ſignaculum Apoſtolatus mei, vos eſtis in Domino*. Si igitur erat eorum Paſtor, nonne poſſunt Epiſcopi populo iubere, & præcepta cõdere, & legis trãſgreſſores variis pœnis, peccati etiam mortalis reatu obſtringere? Quis de hac re dubitat? Hoc enim crebro in eiuſdem Epiſtolis legimus, dũ ad Timotheum ſcribens ait [e]: *Hæc præcipe, & doce*. & alibi [f]: *Præcipio tibi coram Deo*, rurſus [g]: *Diuitibus huius ſæculi præcipe*. & ad Teſſalonic. [h] *Scitis quæ præcepta dederim vobis*, immò ſcribit aliquando [i]: *ſe iudicaſſe tradere hominem Sathanæ in interitum carnis, vt ſpiritus eius ſaluus fieret*.

d. 1. ad Cor. c. 9.
e. 1. Tim. c. 4.
f. 1. Tim. c. 6.
g. Ibidem.
h. 1. ad Teſ. c. 4.
i. 1. ad Cor. c. 5.

Hæc

Hæc cum ita ſe habeant, cur ergo inquit, *Hortamur*? Sunt qui dicant, licere Prælato vtraque via, pro rerum, temporum, & perſonarum varietate progredi; ſic enim idem Apoſtolus teſtatur, cum dicit g: *Vultis in virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis*? S. Nazianzenus h hæc tanquam inſignia paſtorum quodam in loco refert, videlicet, fiſtulam, & pedum: & S. Gregorius i, virgam, & baculum, alterum ad corrigendum, alterum ad ſubleuandum, vnde illud pſalmi k: *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt*. Addunt alii, Epiſcopos vice medicorum eſſe, quibus nunc vinum, nunc oleum adhibendum, nunc cataplaſmate, nunc ferro, & igne vtendum eſt.

g. 1. Cor. 4.
h. in Apolog. verſ. poſtreme cauſa.
i. S. Greg. moral. lib. 20. c. 8.
k. Pſal. 22.

Quæ quidem omnia cum vera ſint, & ſatis omnibus nota, dubium tamen id relinquitur, cur hoc potiùs loco verbis hortatoriis, quàm præcipientibus Apoſtolus vſus fuerit.

Scimus hic fortaſſe aliquos reſponſuros, verbum, *Hortari*, variè accipi, & modo conſilium, modo præceptum indicare, idque ex ſubiecta materia colligi l. Verum quoniam non debent ſine cauſa verba ſuam proprietatem immutare, aut amittere, vt ſubiectæ materiæ ſeruiant; & nihil repugnat, quin poſſit homo aliquando hortari aliquem ad ea, quæ ſunt præcepti; ſicuti viciſſim, blandis verbis alium reuocare ab iis, quæ iure ſunt prohibita; Idcirco cum ad dignoſcendam propriam rei naturam, ſufficiat eam expreſſim aliquo in loco iure præceptam, aut prohibitam reperiri, licet alibi diuerſis verbis prolata legeretur; propterea exiſtimamus duplici ratione potuiſſe Apoſtolum ad id adduci: primo quia cum viris probis, & prudentibus erat illi ſermo, quibus ſatis eſt cognoſcere volũtatem Prælati ſui, quamuis aliam illis pœnam non comminetur; *Iuſto* enim, vt ait Apoſtolus n, *lex non eſt poſita*, lex ſcilicet illa, quæ eum inuitum compellat pœnæ timore ad eam obſeruandam: ſed ſufficit tantum illum dirigere, & voluntatem antiſtitis ei ſignificare, vt qui ſolo virtutis amore ad id, quod bonum eſt am plectendum ducitur, pluſque ſponte ſua præſtat, quàm lege præſcribatur o; hinc Apoſtolus dicebat p: *Factus ſum illis, qui ſine lege erant tanquam ſine lege eſſem, cum ſine Dei lege nõ eſſem, ſed eſſem in legẽ Chriſti*. At verò cum ad multos, & facinoroſos lex refertur, ibi & pœnæ frænum, & verborum calcaria, & flagrorum ſtimulus eſt neceſſarius, duplicique tunc munere lex fungitur; nam & dirigit, & cogit, cum apud bonos directio tantum, non compulſio, ſit neceſſaria q.

l. Gloſ. Clem. 1. de teſtib. & c. rogo. 11. q. 3.
n. 1. Tim. c. 1
o. S. Th. 1. 2. q. 96. ar. 5.
p. 1. ad Cor. c. 9.
q. Bart. Medin. 1. 2. q. 96. art. 5.

Altera ratio à nõnullis affertur, quod præcepta ad ea pertinent, quæ ad finem æternæ vitæ conſequendum ſunt neceſſaria, vnde dixit Saluator noſter r: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*: Conſilia verò, ſeu admonitiones, ad ea quibus idem finis à nobis expeditius poteſt obtineri; hincque idem ſaluator dixit s: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus* t; Cum ergo Apoſtolus non tam de emendandis, quàm de perficiendis Corinthiis eo loco ageret, vt ex contextu Epiſtolæ apparet, dum ait u: *Vt exhibeamus nosmetipſos ſicut Dei miniſtros, in charitate non ficta, in verbis veritatis, in virtute Dei*; meritò verbis ad id accommodatis vtitur, quæ hortantur potiùs, quàm præcipiant.

r. S. Matth. c. 19.
s. S. Th. 2. 2. q. 108. ar. 4.
t. S. Matth. c. 19.
u. 2 ad Cor. 6.

Hanc igitur duplicem rationem & vobis, Reuerendi Canonici, maxime conuenire putamus, quorum vitæ inſtitutũ, & diſciplina, quam profitemini, nobis maxime ſuadet, vos officii veſtri rationem agnoſcere. Itaque quod ad nos attinet, ſicuti ſatis eſſe in præſenti cenſemus, vos tantum cohortari: ſic vos, quæ veſtræ ſunt partes, ſperare volumus planè intellecturos: oportere, ſcilicet vos ab omnibus vitiis longe abeſſe, quippe quibus iam non ſint præcepta iniungenda, quæ aduerſus facinoroſos ſolent: ſed tantum ſufficiat vobiſcum conſiliis agere, quibus boni ad virtutes perſuadentur. verè enim ſi rem, vt par eſt, æſtimare volumus; quemadmodum canonici non modo ſecularibus viris, ſed etiam aliis clericis dignitate, & officio præſtant; ſic virtutum ornamentis dubium non eſt eos debere

cęteris

cæteris præfulgere, cũ eccleſiaſtici gradus non ſanguinis claritati, aut diuitiarum ſplendori, ſed probitati, innocentię, ac religioni deferantur.

SECVNDVM eſt, *ne in uacuum.* Quid verò hoc eſt, *ne in uacuum?* nempe quod fruſtra, & ſine fructu, ſiue otioſum eſt: etenim dici à ſapientibus ſolet, fruſtra illud factũ eſſe, quod non conſequitur finem, ob quem factum eſt: Vnde cũ poteſtas detur hominibus ob exercitiũ, is qui poteſtate non vtitur, fruſtra eam accepiſſe dicitur. Ad quod vulgare illud pertinet: *fruſtra eſſe poteſtatem, quæ ad actum non reducitur.*

Videte verò, quàm magna in loquendo Apoſtolus modeſtia, ac pietate vtatur: nam ſicut dixit: *Hortamur vos*; ſic ſubiungit: *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*: non inquit, ne vendatis gratiam, pro vt Simon; nõ, ne illam ad ſuperſtitiones, aut ſacrilegia trãsferatis; non, ne ſacramenta ad inuocandos dæmones adhibeatis; non, ne gratiam hanc hypocriſi, aut apoſtaſia peruertatis; non, ne eam luxu, auaritia, ambitione, ſiue alijs criminibus violetis; ſed tantum, ne in vacuum eam accipiatis. Cur verò ita loquitur? nempe fortaſſe, quia indignum exiſtimauit viros graues à communibus hominũ vitijs abhorrentes admonere, ne facinora ea committerent, quæ in perfidos tantum homines ſolent cadere; quoniam eo ipſo oſtendere videretur, eos apud ſe in leui, aut potiùs turpi exiſtimatione eſſe, ex quo eorundem aures ſtatim offenderentur; quemadmodum etiam ſi nos vobiſcum ſermonem habentes, cauendum vobis eſſe diceremus, ne viatores inuadaris, ne ſepulchra effodiatis, ne coniugalem torũ violetis, ne fruges alienas incendatis, aut ab huiuſmodi criminibus vos abſtineatis; quis enim in Canonico Archiepiſcopi conſiliario, & Cathedrali Eccleſiæ miniſtranti, tam nefaria ſcelera ſuſpicetur? vnde prudentiæ ratio requirere videtur, vt aliter cũ claris, & morigeratis viris, aliter cum vulgaribus, & idiotis verba faciamus.

Hoc ipſum tamen: *ne quis in vacuũ gratiam recipiat*; quod eſt, ne quis officium ſibi commiſſum otioſè à ſe tranſigi patiatur; quamuis ipſo loquendi modo, ſi verborum corticem intueamur, lenitate magna aſperſum eſſe videatur; nemo tamen id leue prorſus, aut veniale tãtùm, vt dici ſolet, crimen ſemper eſſe exiſtimet. Nam etſi nequaquam ad ea adſtringamur, quæ conſilii tãtum, & perfectionis ſunt; nihilominus illis gratiis, & beneficijs, quæ à Deo cuilibet donata ſunt, compellimur vti ad illum finem, ad quẽ conceſſa ea fuerunt: ac illis tamquã calcaribus nos ipſos extimulare, vt ad brauium vocationis tendamus, quouſque comprehendamus; alioquin notum eſt, quàm grauiter Saluator aduerſus eum indignetur, qui talentum ſibi traditum ad negociandum abſcondit ſub terra [a]. Et rurſus aduerſus eum, qui repo- a. S. Luc. c. 19.
ſuit in ſudario mnam, quam habuerat, dicens, quòd *omni habenti dabitur, ab eo autẽ qui nõ habet, & quod habet, auferetur ab eo* [b]. b. S. Luc. c. 19.
Id ipſum verò & Prophetæ ſæpius nobis denuntiarunt variis exemplis. Quid enim aliud Ierem. ſignificauit, quàm otioſum, & negligentem? cum ait [c]: *Requie-* c. Ier. c. 48.
uit in facibus ſuis, nec transfuſus eſt de vaſe in vas, & in tranſmigrationẽ non abijt, idcirco permanſit guſtus eius in eo, & odor eius nõ eſt immutatus; Innuens nobis, ſicuti ſapor peruertitur, & odor corrumpitur, vbi vinum non transfertur de vaſe in vas: ſic qui in officio ſuo lentus eſt, ac in fine ad quem tendit incõſideratus, ad nihilũ redigitur, & nihil valet vltra. Ad hos etiã pertinet, quod legitur de Isboleth filio
Saul [d], qui cũ dormiret ſuper ſtratum ſuũ d. 2. Reg. 4.
meridie, & oſtiaria domus purgans triticũ, ipſa quoque obdormiſſet: duo latronum principes domum ingreſſi, ſpicas ſuſtulerunt, & caput Isboleth abſciderunt. Quod Sanctus Gregorius [e] ad pru- e. S Gregor. lib. 1. mor. cap. 19.
dentiam transfert, quæ inuigilare ſemper debet, ac triticum bonarum cogitationum à prauis affectionibus diſcernere, & expurgare, alioquin omnia peſſum eunt. Vnde Salomon dicebat [f]: *Qui negli-* f. Prou. 19.
git viam ſuam, mortificabitur. Et ideo Pſalmiſta admonet [g]: *Meditatus ſum nocte cũ* g. Pſal. 76.
corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum. Quod etiam euidenter patet

conſi-

Digitized by Google

conſideranti: cum tribus præcipuè gradibus Deus colatur, fide, ſpe, & charitate, in omnibus enim his conſtat diligentiam, ac laborem requiri, ignauiam autē ablegari debere. Nam in fide, quàm eſt neceſſaria operatio, cum ſine ea, mortua eſſe dicatur? ſpes autem idem oſtendit; Nam quis ſperet nihil agens? Charitas verò ſolo nomine id demonſtrat, cum eam, vt fructuoſa ſit, ad actum perduci oporteat, neque vnquam otioſam eſſe affirmet Apoſtolus.

Quòd ſi durum nimis aliquibus videretur, inuitos quodammodo cogi homines ad fructum faciendum, cum leges communes diſtinguere ſoleant inter ea, quæ ſunt omiſſionis, & quæ commiſſionis; & punire tantū conſueuerint ea quę prauè committuntur, non ea quæ omittuntur.

Nos reſpondemus, legis Chriſtianæ perfectionem, quæ ſibi finem altiſſimum ſtatuit, media quoque requirere, quæ fini propoſito congruant[a]; ideoque non agnoſcere opera illa, quæ indifferētia dici ſolent, quando ſcilicet conſiderantur ſecundum genus ſuum, non quando ad certum aliquod opus, quod indiuiduum vocant rediguntur, ſed velle omnia certa deliberatione fieri, & ad finem debitum referri[b]: hincque non ſuſtinet homines otioſos, ſed vult eos bonis operibus ſine intermiſſione occupari; nec ei ſufficit aliquem ab hoc, aut ab illo vitio abſtinere, niſi virtutem fuerit amplexus, vnde S. Iacobus inquit[c]: *Vt ſitis perfecti, & integri, in nullo deficientes*; & S. Auguſtinus[d]: *Non dicas, ſecurus ſum, quia nemini nocui, niſi addas, quia bona feci, nudum veſtiui, Deum colui fide, ſpe, & charitate.* Quo argumento multa præclara perſequitur S. Chryſoſt. variis in locis[e]. Et præterea cum omiſſio iuxta morales Doctores, non detur abſque actu vel præcedente, vel concomitante, ideo ille actus qui eſt cauſa, vel occaſio omiſſionis, abſque dubio eſt peccatum, ſaltem vt aiunt materialiter, ab omiſſionis peccato diſtinctum[f].

Quare cū hoc loco Apoſtolus dicat: *Hortamur vos ne in vacuum Dei gratiam recipiatis*, magni hæc eſſe verba ponderis, & momenti, ſtatim qui prudens eſt, intelligere poteſt, quod infra etiam loco ſuo obſeruabimus.

Tertium ſequitur: GRATIAM DEI; Cuius nominis vis, cū latè pateat[g], nos quod ad rem noſtram pertinet explicantes, dicimus, gratię nomine illud hic accipi, quod Deus omnipotens præter naturalem rerum ordinem hominibus aliquando largiri ſolet. Quandoquidem ſacri doctores, res omnes cuiuſcumque generis ſint, in duos quodammodo ordines diſtinxerūt, alia enim naturæ dona, quæ communia omnibus eſſent, vocauerūt; alia gratiæ, quæ peculiariter à Deo, non omnibus, ſed quibuſdam tantum tribuerentur.

Et ſi quis obiiceret; nonne vniuerſa, quæ condita fuerunt, à ſumma Dei bonitate profecta ſunt? nonne omnia, quæ oculis intuemur, & ſenſibus contrectamus, ſunt illius munera, quæ ab illius prouidentia, & gratia proficiſcuntur? Reſpondet inter ceteros S. Auguſtinus[h], vniuerſa quidem à gratia, atque eius beneficentia proficiſci; verùm cum initio Deus omnia conderet, ſingulis etiam rebus proprias quaſdam vires, & facultates tribuiſſe, & quaſi pacto quodā cum rerum vniuerſitate tranſegiſſe, vt illa iuxta formam eis traditam motus, & opera ſua agere fineret: Hincque factum fuiſſe, vt hæc ipſa, quæ in mūdo procreātur, quaſi rebus ipſis, cauſiſque ſuis communibus debita, ob diuinam ordinationem, naturæ ſolius nomen retinuerint; alia autem gratiæ vocata fuerint, quæ naturalem hunc rerum, cauſarumque ſolitum ordinem excederent. Sicuti cum videmus aliquem ſuper aquas ambulare, ignotis linguis ex tempore loqui, infirmos ſola præſentia ſanare; & quod longè præſtantius eſt, cum videmus homines mutata vitæ ratione à vitiis ad virtutes, à fluxarum rerum ad cęleſtium deſideria tranſiſſe, luxum, auaritiam, ambitionē cōculcaſſe, atque in vno Deo ſpem omnem ſuā collocaſſe: hæc & alia huiuſmodi argumenta ſunt non obſcura, cæleſti illum gratia repletum eſſe.

Hæc

a. S. Tho. primæ ſecūdæ q. 91. ar. 4.

b. S. Thom. p. 2. q. 1. ar. 1. & q. 18. art. 9.

c. S. Iac. c. 1.

d. S. Auguſt. in Pſal. 83.

e. S. Chryſoſ. hom. 16. ad Ephe. & homil. 34 in S. Matt. & hom. 8. ad Hebræos. c. 5. & 18. hom. itē ad Hebr. c. 9.

f. Medin. 1. 2. q. 71. ar. 5. fol. 362.

g. Medin. 1. 2 q. 109. in introduct.

h. S. Auguſt. lib. de Ciu. Dei. c. 29. 30. & ſeq.

Digitized by Google

Hæc verò gratiarum dona cum ſint, tamquam fluuius cæleſtis pietatis, qui prodit ex perenni illo, & vberrimo fonte omnis bonitatis, & miſericordiæ, ſolent varijs modis chriſtianis hominibus communicari, largius, parcius, plenius, anguſtius, & tã viris, quàm mulieribus diuitibus, pauperibus, doctis, & indoctis, iuxta Dei beneplacitum, cuius diuiſiones gratiarũ ſunt [a]; nã vt ait Apoſtolus [b]: *Vnicuique datur gratia ſecũdum menſurãm donationis Chriſti: & vnus quidem accipit ſic, alius vero ſic* [c].

a. 1. Cor. 12
b. Epheſ. 4.
c. 1. Cor. 7.

Quemadmodum igitur ab vno, eodẽque fonte deriuãtur aquæ, aliæ ad agros irrigandos, aliæ ad merces vehendas, aliæ ad piſcationem, aliç ad molendinorum vſum, aliæ ad balnea, & valetudinẽ; ſic multiplices fructus, ex diuina gratia, in fideles ſolent proficiſci.

Et quoniam hæc in Corinthios ſe largè effuderat, ideo dicit Apoſtolus hoc loco: *Hortamur vos ne in vacuum Dei gratiam recipiatis*,

Quòd ſi fortaſſe hoc loco dicerent Canonici noſtri: non benè eos cum Corinthiis conferri, cum Corinthii gentiles olim, & idolis ſeruientes, *à tenebris fuiſſent vocati in admirabile lumen ſuum, qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei* [d]; Canonici verò noſtri fuerint tot iam ſæculis in catholica ciuitate geniti, & educati, quæ tot martyres, tot ſanctos viros Chriſto peperit, & qui cũ primum in hanc lucem editi ſunt, ſacris fuerint vndis abluti, & regenerati; ideo non illis eadem, quæ Corinthijs proponuntur, ſatis conuenire.

d. 1. Pet. Epiſt. 1. c. 2.

Reſpondemus, largitatem diuinæ gratiæ multiformem eſſe, quæ aliis, atque aliis pro eorum neceſſitate variè communicatur, vnde quadam proportione, ac ſimilitudine omnes eos, quibus à Deo præter gratiam iuſtificantem, chariſmata etiam quædam alia tribuuntur, ſecundum eorum gradus inter ſe ſimiles eſſe, ita vt omnes verbis iſtis Apoſtoli admoneri poſſint; *Hortamur vos ne in vacuum Dei gratiam recipiatis*.

Quapropter vt ad rem noſtram propius accedamus, ſi quis attentiùs conſiderare, & ſecum meditari velit, quæ ſit iſta gratia, quæ in Canonicos à Deo omnipotente deriuatur, animaduertet eam & magnam, & multiplicem eſſe.

Primum enim cum in Eccleſia militante duo genera ſint Chriſtianorum [e]; alterum quod laicorum dicitur, quibus conceſſum eſt vxorem ducere, terram colere, in bello decertare, de cauſis ſanguinis iudicare, omniaque huiuſmodi, quæ profana dicuntur, pertractare.

e. c. Duo ſunt 12. q. 1.

Alterum quod clericorum dicitur, qui ſe à ſæculi ſtrepitu abducentes, diuino cultui ſe addixerunt, ac procurandæ religionis ſolicitudinem ſuſceperũt, in quorum numero cum Canonici tamquam reliquo Clero digniores, poſt Epiſcopos, præcipue recenſeri ſoleant; quãta hæc eſt Dei gratia, quæ illis cõfertur?

Non ſolum enim genus ipſum vitæ multo eſt laicali præſtantius, quod nomen ipſum demonſtrat cum laici græca voce ἀπὸ τοῦ λαοῦ, quaſi populares, & ex communi ciuium grege dicti ſint: clerici verò ἀπὸ τοῦ κλήρου, quaſi in Domini ſortem, & hæreditatem vocati, vt Sanctus Hieron. tradidit [f]; Verùm etiã quia ad hanc functionem non ipſi ſponte ſe ipſos delegerunt, ſed à diuina gratia uocati ſunt, quod Apoſtolus ad Coloſſenſes indicauit dicens [g]: *Dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum*. Et ad Epheſios [h]: *In quo nos ſorte vocati ſumus*. Cum igitur prçter hçc duo, quorum laici ſunt expertes, & omnibus clericis ſunt communia, amplius multa alia accedant ad Canonicos ſpectantia, quæ illos præ cæteris clericis digniores oſtendunt; quis non affirmabit debere eos omni induſtria curare, ne fruſtra tantum munus à Deo ſuſcepiſſe uideantur? Sicuti enim in aulis Regum cũ multi ſint miniſtri, qui ipſis inſeruiunt: illi cæteris honoratiores uidẽtur, qui in eorum interiora cubicula admittuntur, ac priorem locum in adſiſtendo Regi, eique miniſtrando obtinent: quod ſi ijdem à Regis præſentia diuerterent, atque aliis ſe in rebus occuparent, eo ipſo ſe indignos maioribus beneficiis redderent, ac potius indignationem Regiam aduerſus ſe ipſos prouocarent.

f. S. Hieron. in Epiſtola ad Nepotian.
g. Ad Coloſſ. c. 1.
h. Ad Ephe. cap. 1.

Eodem

Eodem modo,imò magis hæc in Canonicis damnanda eſſent, ſi quando acciderent(quod vix credendum eſt)vt cũ illi pro gradu, ad quem adſciti ſunt, multa poſsint,ad maiorem Dei gloriam, & publicam vtilitatem exercere: ipſi tamen hæc tanquam ad eos non pertineant,prætermitterent. Non ne hoc ſæpius ab eorum & paſtoribus, & amicis dicendum, & inculcandum illis eſſet? *Hortamur vos,ne in vacuum Dei gratiam recipiatis?*

Rurſus Dei gratia illis alio capite impertita oſtenditur, quòd Canonici cum ad hanc dignitatem vocantur, eo ipſo tamquam vnum corpus cum Epiſcopo conſtituuntur: ita quòd ille caput, iſti membra habeantur, eiuſdemque & conſiliarii, & aſſeſſores vocentur: vnde eorum conſilium,& ſæpe conſenſum adhiberi debere, ſatis notum eſt, ex iis præſertim quæ ſcripſit Alex. III. ad Patriarcham Hieroſolimorum [a], & à Cœleſtino III. Innocent. III. atque ab aliis confirmata ſunt [b]; Hincque ſanctus Hieronymus hunc, *Senatum eccleſiæ* vocauit [c]; & S. Ambroſius inquit [d]: *Epiſcopus, vt membris ſuis vtatur Clericis.* Hoc verò munus quale & quantum eſt? præbere enim conſilium in rebus gerendis,quantam ſinceritatem, quantum Dei zelum, quantam experientiam, quantamque prudentiam poſtulat? cum & Tridentinum concilium Canonicos Cathedralis eccleſiæ requirat, magiſtros eſſe in ſacra Theologia, aut doctores, ſeu licentiatos in iure canonico: quòd cerneret eos à conſiliis Epiſcopi ſui eſſe debere, ideoque maiore eos ſcientia, & doctrina, quàm cæteros clericos indigere.

a. c. Nonnit, de iis, quæ fiunt à prælatis.
b. Tot. tit. de iis quæ fiũt à ma. par.
c. c. Eccleſias 16. q. 1.
d. S. Ambr. lib. 2. offic. c. 27.

Cogitate vos quæſo,an fruſtra dictum ſit, aut potius omnino neceſſarium exiſtimetur,ſæpius hoc repetere: *Hortamur vos, ne in vacuum Dei gratiam recipiatis?* Quot enim antiquitus fuiſſe audiuimus, qui cum ad conſilia ſincere proferenda tenerētur; ipſi tamen quamlibet excuſationem facile arripiebant, ne ſuffragia ferrent? verentes, ne conſanguineis, amicis, clericis, de quorum re agebatur, aut etiam Epiſcopo ipſi diſplicerēt? Quot fuiſſe dicuntur, qui incommodum illud, & laborem libenter declinabant, qui in euoluendis quandoque libris, documentis, veteribusque monumentis neceſſarius eſt,ad res probe cognoſcendas, & definiendas? ideoque à dicenda ſententia abſtinuerunt, aut cõgreſſus conſiliariorum deuitarunt, & muneri ſuo minime ſatisfecerunt?

Quot variis nominibus, quæ optimè noſtis, hæc, quæ in controuerſiam veniunt, aut delibetanda ſe offerunt, tamquam ad ſe non pertinerent, minus curaſſe dicuntur? & cum præclara aliqua occaſio Epiſcopum ſuum adiuuandi, & de eccleſia benemerendi,illis à Deo oblata fuiſſet, ex qua lucrum magnum in cœlis referre potuiſſent:ipſi tamen,hæc neglexiſſe, viſi ſunt, nec vllam eorum rationem habuiſſe? Nunquid igitur ſi hæc quandoque emergerent, rectè illis diceretur: *Cauete, ne in vacuum Dei gratiam recipiatis?*

Sequitur aliud genus gratiæ,quod Canonicis à Deo conceditur,dum præficiũtur ab Epiſcopo, tamquam adminiſtratores Cathedralis Eccleſiæ,ad ea exercenda, & exequenda,quæ ex ritu ſanctæ Eccleſiæ,aut ab Epiſcopo ſunt conſtituta, in cultu diuino, in celebrandis horis canonicis, in ſacramentis miniſtrandis, in Clericis in officio continendis,atque in aliis huiuſmodi, quæ ad dignitatem eccleſiæ, variaſque miniſtrorum functiones poſſunt pertinere. Vtinam ne aliquando hic quoque futurum ſit neceſſarium repetere, vt memores ſitis, *ne in vacuum Dei gratiam recipiatis.*

Quantum enim ex canonicorum ſedulitate, & aſſiduitate diuini cultus incrementum, & magni Dei gloria exiſtere poteſt? alioquin ſi in Cathedrali eccleſia, quæ mater eſt aliarum, inueniantur ii, qui aliis præfecti ſunt, aut horis canonicis non adeſſe, aut cum adſunt minime pſalmos,& diuina officia deuote, vt tenentur, recitare: imò potius colloquiis, aliiſvè infructuoſis rebus detineri, aut, tamquam obliti gradus ſui, minime debitam in choro,& in Eccleſia modeſtiam, grauitatemque

præſtare nec cæremonias præſcriptas accurate colere, non ne hoc argumentum eſt ens in vacuum Dei gratiam recepiſſe?

Alia eſt gratia, quod Canonici primarij habentur inter omnes clericos ciuitatis, & diœceſis, prout in Aquisgranenſi Concilio [a] ſub Ludouico Pio relatum eſt dum ait: *Quia euidenti auctoritate liquet, Canonicam inſtitutionem præſtare ceteris inſtitutionibus debere: neceſſe eſt, qui huius profeſſionis cenſentur nomine, procurare qualiter in ſemetipſis eandem inſtitutionem, vita, & moribus exornent potius, quàm dehoneſtent*. Vnde eorum conſuetudo, actiones, cæteraque vitæ inſtituta talia eſſe debent, vt non ſolum reliqui clerici Cathedralis eccleſiæ in eorum veſtigia inſiſtere, ſed etiam cæteri omnes & ciuitatis, & diœceſis clerici, & canonici Collegiatarum Eccleſiarum, ac quicumque miniſtri Eccleſiaſtici, eorum virtutes æmulari debeant; imò non tantum omnes Eccleſiaſtici gradus, & ordinis miniſtri, ſed etiam ſeculares ab ijs ædificari, & rectè viuendi normam ſuſcipere poſſint. Nam cum, vt modo dictum fuit, hi vnũ corpus cum Epiſcopo conficiant, ipſeque Epiſcopus in ſtatu perfectionis ſit poſitus; æquum eſt, vt qui alios perficere debet, habeat illos etiam, qui ſibi cõiuncti ſunt, ad eiuſdem perfectionis gradum aſcendere conantes: taleſq. ſe omni loco, & tempore, & actione præbentes, qui ſanctitate alios anteuertant: & non canonici tantum nomine, & ordine nuncupentur; ſed dignitatem nominis, vitæ, & probitatis ſplendore tueantur.

Quale igitur hoc priuilegium eſt? qualis hæc functio? quàm præclara hæc gratia? ordinem ſcilicet hunc canonicalem, poſt Epiſcopum, cæteris præminere? ac tanquam accenſas faces per totam ciuitatem diſperſas, omnibus luminis ſui radios emittere? omnibus tam facile vitæ ſuæ exemplo documenta præſtare poſſe, quibus populus ædificetur, & fideles omnes in eos oculos conuertant? ſicuti ex altera parte, quàm lamentabile, & indignum eſſet hæc ipſa penè deſpicere, & in precio non habere? vnde ſapienter dictum eſt: *Hortamur vos ne in vacuum Dei gratiam recipiatis*.

Accedit nunc aliud gratiæ argumentũ: quòd ſicut in corpore humano, quod vnum eſt, multa ſunt membra ſuis officijs diſtincta, *nec omnia eundem actum habent, ſed ſibi inuicem ſubſeruiunt, & pro inuicem ſolicita ſunt*, vt ait Apoſtolus [b]; ſic in Canonicorum collegio variæ ſunt ſingulorum functiones, quia ſunt Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi; eſt Canonicus qui dicitur pœnitentiarius: alter, cui præbenda Theologalis committitur: alius, qui Bibliothecarij, Theſaurarij, Eleemoſynarij, Magiſtri fabricæ munere fungitur: & alij, alijs pro Eccleſiarũ varietate muneribus præpoſiti [c]; quorum officia, cum ad Eccleſiam adiuuandam fuerint inſtituta; quanta hinc quoque prouenire poteſt vtilitas, ſi hæc officioſè, ac diligenter exerceantur? & viciſſim quanta perturbatio, ac iactura, ſi horum munerum curatores, hæc obiter quodammodo, ac ſupine pertractent?

Nam, ne ſingulorum horum munerum functiones proprias, & peculiares receuſeamus, quæ vobis ſatis notæ eſſe poſſunt: quanti id habendum eſt, ſi ſacerdos canonicus, debitis temporibus Deo ſacrificiũ offerre prætermittat? aut ad hæc tremenda myſteria nulla præparatione accedere audeat? ſi miſſas ad defunctorum animas expiandas non exſoluat? ſi ſacras cæremonias magnis coniunctas myſterijs, implere non ſit ſolicitus? aut ſuperficie tenus vix etiam eas impleat? quid de Diacono, aut Subdiac. dicẽdũ? quibus ſua onera incumbunt, ſi ea forte prætermittant? Sed maior etiam ferè iactura in alijs muneribus ſe oſtendit, quæ nullos adminiſtros, aut cooperatores habent, qualis eſt Canonicus Pœnitentiarius, Theologus, alijque, quibus ſingulis ſua functio aſſignata eſt, totaque ab eorum pendet miniſterio. Numquid non hic dicendum, aut exclamandum potius eſt, cauete, *ne in vacuum Dei gratiam recipiatis*?

Offert

a. *in concilio Aquiſgranen. c. 115.*

b. *Rom. c. 12*

c. *Io. Molan. lib. 2. de canon.*

Offert nunc ſe aliud quoque donum, quod quidem valde æſtimãdum eſſe prudens nemo negabit; cum non ſolum ad præſentem Eccleſiæ vtilitatem, ſed ad ſucceſſorum etiam Canonicorum commodum, & neceſſitatẽ valde poſſit pertinere. Habẽt enim Capitula Canonicorum, vt noſtis ſuas conſtitutiones, habent menſam capitularem, habent beneficia multa illis vnita, habent varios redditus Eccleſiaſticos, cenſus, decimas, & alia huiuſmodi ſubſidia, illis à maioribus, pro eorum pietate relicta: vt Canonici eorum dignitatem tueri, Eccleſiæ decorem augere, Sacriſtiæ apparatum neceſſarium procurare, ac ſupellectilem congruam amplitudini Cathedralis Eccleſiæ, præter eam, quæ Archiepiſcopo incumbit, ex officio ſuo comparare valeant. Hæc ſanè omnia ſicuti ſummam diligentiam, laborem, atque ſtudium exquirunt, ne bona depereant, ſed augeantur potius, & amplificentur; ſic cum eadem bene culta magnam remunerationem, æternaque à Deo præmia expectent: nonne merito, ac ſine vlla offenſione audiendi illi erunt, qui beneuolentia ducti, auribus Canonicorum inſinuant! *Hortamur vos ne in vacuum Dei gratiam recipiatis*?

Poſtremo cum ſacellano veſtro, qui Sacriſta dicitur, familiarum earum cura commiſſa ſit, quæ habent ædes huic Metropolitanæ Eccleſię cõtiguas, tametſi hæc vobis ipſis præcipuè non immineat, cum tamen ille à vobis deligatur, licet ab Epiſcopo approbandus, à veſtroque quodammodo pendeat arbitrio; quantum poterunt veſtra conſilia, ac ſolicitudines huic animarum curæ prodeſſe, ſi pium aliquod officium in eo impendetis? & quàm large diuinum vobis ſpiritum conciliare valebitis, ſi in ſacramentis, quæ in hac Eccleſia miniſtrantur, vobis religioſe elaborandum quandoque eſſe duxeritis?

Iure igitur quod S. Petrus Apoſtolorum Princeps docuit [a]: *vt vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtret: ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* & Apoſtol. Paulus [b]: *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Dei, & diſpẽſatores miniſteriorum illius*; à vobis quoque id proficiſci exoptamus, præſertim quod idem Apoſtolus de ſe ipſo locutus eſt, dum ait [c]: *Gratia Dei in me vacua non fuit, ſed plus omnibus laboraui*; ſic Diuinam miſericordiam precamur, vt det vobis id ipſum, & verbis profiteri, & factis præſtare poſſe, ad eius gloriam, cultus diuini augmentum, Eccleſiæ noſtrę dignitatem, atque ad ſalutem animarum veſtrarum ſempiternam. Amen.

a. 1. Pet. 4.

b. 1. ad Cor. c. 4.

c. 1. ad Cor. c. 15.

SERMO TERTIVS.

Ad generalem Congregationem Archipreſbyterorum Diœc. Bonon.

Vbi duo, aut tres fuerint congregati in nomine meo, ibi in medio eorum ſum. S. Matt. c.18.

Oſtis dilectiſſimi dudum à nobis conſtitutum fuiſſe, Archipreſbyteros omnes ſimul quandoq; conuocare; cum quibus præter ea, quæ in viſitatione decreta ſunt, alia nonnulla, non ſine aliquo, vt per Dei gratiam ſperamus, fructu, communicaremus. Hæc autem tria præcipuè ſunt. Primum quod vniuerſos vos vnà collectos cóplectitur, ac nobis differendi de multiplici congregationum fructu, materiam præbet. Secundum quod ad vnum quemque veſtrum pertinet, quatenus ſinguli eſtis eccleſiaſtici ordinis, ac inter præcipuos miniſtros noſtros. Tertium quod officii veſtri functionem reſpicit, pro vt veſtræ fidei, ac gubernationi multi ex populo noſtro ſunt commiſſi.

Videte verò, quòd ad primũ attinet, quàm opportunè admodum noſter hic congreſſus in hunc ipſum diem ceciderit, in quo euangelium illud Sancti Matthæi legitur, quod modo in ſacro miſſæ à nobis recitatum audiuiſtis. Inter cætera enim, quæ Saluator noſter cum diſcipulis loquitur, hoc maximè illis affirmat, dicens: *Vbi fuerint duo, aut tres in nomine meo congregati, ibi in medio eorum ſum*. Quæ verba cum ab eo proficiſcantur, qui auctor, & fundamentum eſt veritatis, bono nos, atque erecto animo eſſe iubent, illius clemẽtiam noſtræ huic cõgregationi adfuturam: cum adeo certum ex illius ſermone pignus nobis offeratur, illũ colloquiis, actionibusq. noſtris præſtò futurum, ac laboribus illius cauſa ſuſceptis liberaliter ſuffragaturum.

Quòd ſi quis diceret, nonne Deus infinita vi, & maieſtate ſua omnia complectitur, & vbique locorum, & gentium præſens eſt, cum ſcriptum ſit[a]; *Numquid Cælum, & terram ego impleo?* & in actibus Apoſtolorum[b], *quod in eo viuimus, mouemur, & ſumus?* Cur ergo hic dicitur, quòd *vbi fuerint duo, aut tres congregati, ibi in medio eorum eſt*; cum & ſine tali cõgregatione adſit, & repleat omnem locum? Reſpondemus, ſic ſanè rem ſe habere, cum Deus vbique adſit triplici modo[c], per potentiam, ſicut Rex dicitur in toto Regno; per præſentiã, ſicut paterfamilias in domo; & per eſſentiam ſicut quiſque noſtrum eſt in hoc, vel illo loco. Verùm hoc intelligitur inſpecta illa ratione, qua Deus in rebus exiſtit tamquã cauſa agens; nam & potentia ſua omnibus dominatur, & præſentia cunctis prouidet, atque eſſentia ita illis adeſt, vt eiſdem cauſam quoque quòd exiſtãt, omnino præbeat. At ſi aliam rationem ineamus, qua Deus in rebus eſſe dicitur, videlicet vt ſolet res cognita in cognoſcente, & deſiderante reperiri: tunc peculiari quodam modo dicetur in homine eſſe, quatenus ab illo cognoſcitur, & diligitur, eique adſiſtit per gratiam, & patrociniũ ſuũ[d]. Vnde illud: *ad eũ veniemus, & manſionem apud eum faciemus*[e]. *&, qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo*[f].

Et ſi quis quæreret, quomodo dignoſcatur, an Deus naturali quadã poteſtate tantum adſit aliquo in loco, aut cœtu, aut homine, an verò per gratiam ibi adſiſtat. Reſpondetur id facillime colligi ex verbis ſacræ ſcripturæ, quæ Deum in aliquo loco, vel in aliquo hominũ conuentu

b. *Act. Apo. c. 17.*

c. *S Tho. in prima q. 8. art. 3.*

d. *S. Tho. in in 1. par. q. 8. art. 3.*

e. *S. Io. c. 14*

f. *Et Epiſtola c. 4.*

uentu

uentu eſſe aiont, particulari quadam ratione, prout in Euãgelio noſtro, vbi adiiciuntur illa verba: *In nomine meo*; quibus oſtenditur, tunc Deum per gratiã, & benignitatem ſuam illis adeſſe, qui in nomine eius collecti fuerint; videlicet, vt ei placeant, ei ſeruiant, & obſequãtur: multi enim ſunt, qui vel res gerunt fortuitò, & inconſideratè, non ex certa electione, nec vt Deum colant, atque eius mandatis obtemperent, verùm ad alium finem, diuerſumq. animi propoſitum ſtudia ſua referũt, de quibus Propheta[a]: *Væ filij deſertores, vt faceretis conſilium, & non ex me: & ordiremini telã, & non per ſpiritũ meum*; à quibus Apoſt. ſe alienũ profitebatur cum diceret[b]: *Ego ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aerem verberans.* Vnde, vt Dei gratia prouocetur, intẽdenda eſt mentis acies in illum, ac cum Propheta dicendum[c]: *Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.* Tunc enim, cum hoc conſilio, atque hac cogitatione aliquod opus ſuſcipitur, vt in Dei honorem cedat, efficitur id ſacrificiũ quoddam ſpirituale, quod Deo offertur in odorẽ ſuauitatis.

a. Iſai. c. 30.
b. 1. Cor c. 9
c. Pſal. 26.

Alioquin qui ſibi hunc finem nõ proponit, non eſt quòd à Deo retributionẽ expectet. Quemadmodum enim irridẽdus eſſet colonus, ſi mercedẽ ab eo peteret, cuius vineam non coluiſſet, miles qui ſtipendia ab eo poſceret, cuius gratia non militaſſet; Sic hodie poſſet iis accidere, qui huc curioſitatis tantum cauſa acceſſiſſent, ſiue vt aures, aut oculos oblectarent, vel priuata negotia agerent: non autem, vt Dei opus exercerent, atque illius cultum, & obſequium ſibi in primis proponerent: nam cum ij in nomine Domini huc vnà cum alijs non cõueniſſent, nihil ad eos hæc verba Domini pertinerent, nec in medio eorum illum affuturum pollicerentur.

Rurſus ſi obijceretur; quòd cũ gratia Dei illis detur, qui inuocãt eum, & quorum volũtas in illius obſequium fertur, non videtur neceſſe eſſe, vt multi ſimul in eius nomine congregati ſint, cùm etiã ſingulis illum inuocãtibus communicetur, dicẽte Propheta[d]: *Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum.* Reſpondetur, verum & hoc eſſe, nam: *Omnis qui petit accipit*[e]; verùm cæteris paribus, dubium non eſt, plures ſimul collectos plus Deo placere, & plus ab eo impetrare: nam bonum commune præſtantius eſt priuato; & quanto latius ſe effundit, eo fructuoſius, & efficacius haberi ſolet: ſic plures carbones ſimul collecti maiorem emittunt flammã, & nauigium pluribus remis impulſum, eò facilius in portum inuehitur; & populus prouolutus ad pedes Principis, faciliùs veniã obtinet, quàm ſi ſinguli id agerent. Vnde S. Chryſoſt. ait[f]: *Non pariter exoras, cum ſolus Dominũ obſecras, atque quãdo vnà cum fratribus, tuis id facis: eſt in hoc plus aliquid, videlicet, concordia, conſpiratio, copula amoris, clamor felici ſocietate, ex qua orationes infirmiores ſe ſimul complexæ, validiores in cœlũ euehũtur.*

d. Pſal. 144
e. S. Matth. c. 7.
f. S. Chryſ. ad Popul. Antioch. hom. 79. & S. Baſil. Epiſtola 68.

Hinc priſcis vſque temporibus ſodalitates inſtitutæ, fraternitates, collegia, de quibus apud S. Cypr.[g] Tertullianũ[h], S. Hieronymũ[i], & alios, quod nobis occaſionem præbet in præſenti vos dilectiſſimi, obiter admonendi, vt pias fraternitates huiuſmodi iam inſtitutas diligẽter curare, & adiuuare non prætermittatis: & eas in Eccleſijs, quę illis carent erigere, & promouere ſtudeatis; cum ex illis piè, religioſeq; adminiſtratis, magnus fructus, & Deo accept⁹ ſoleat prouenire.

g. Ser 6. De orat. Dom.
h. In Apolo. c. 2. 30. & 38.
i. S. Hieronym. epiſtol. 60. vbi loquitur de collectis. & in epiſ. ad Galat. c. 6.

Sed, quid ergo dicet aliquis, ſi tantus eſt fructus, qui ex his conuentibus, & cõgregationibus prodire ſolet, cur Euangelium noſtrum dicit: VBI DVO, AVT TRES CONGREGATI FVERINT? cur nõ multo plures nominat, ſed paucis tantum contentum eſſe videtur?

Reſpondetur ex opinione aliquorũ, qui exiſtimauerunt, hanc prouerbialem eſſe locutionẽ, exemplo illius, quod legitur in Deuteronomio[k]: *In ore duorum vel triũ ſtet omne verbum*; & *funiculus triplex difficile rumpitur*[l]. hoc enim ternario numero dicunt includi principium, medium, & finem[m]. Alii dicũt hoc eſſe veluti argumentum à minori ſumptũ, cum oſtendere velit Dominus, adeo grata illi eſſe opera ea, quæ à pluribus in nomine eius exercentur, vt licet duo, vel

k. Deut. c. 17 & 19.
l. Eccle. c. 4.
m S. Th. 2. 2. q. 78. ar. 2.

tres tantum fuerint, adhuc ſe in medio eorum futurum eſſe promittat; ex quo ſequitur, ſi plures his fuerint, eo efficacius, & felicius id quod geritur, euaſurum eſſe [a].

a. Bellarm. libro 1. de Concil. c. 3. & c. 11. & lib. 2. c. 2.

Denique ſiquis argumẽtaretur, exempla, quę diximus, probantia vim magnã, & efficaciam earum rerum, quæ fiunt à congregationibus, ad ea tantum pertinere, quæ verſantur in executione, veluti in dandis eleemoſynis, viſitandis infirmis, ſepeliendis mortuis, componendis, ac ſedandis, quæ quotidie exoriuntur inter fratres diſcordiis, bellando aduerſus infideles, & alijs huiuſmodi, quæ diuerſa ſunt à congregatione noſtra, quæ loquendi tantum cauſa coacta fuit, non agendi; & ideo quantum diſtant opera à verbis, facta à dictis, tantum effectus gratiæ his, vel illis collatos inter ſe differre.

Reſpondetur; in rebus magnis, & grauibus non ſtatim opus aggrediendum eſſe, ſed antea conſultandum, quid agendum, quando agendum, & quomodo agendum; ſic in morbis periculoſis, medicorum antea fit conſultatio, quàm medicina exhibeatur: ſic in bellis gerẽdis, in creãdis magiſtratibus, & aliis huiuſmodi, præcedere ſemper ſolent conſilia: Vnde & cum de moribus corrigendis, diſciplina reſtituenda, de Eccleſiarum cultu, diuiniſque præceptis cuſtodiendis agitur, cum negocium ſit arduũ, & grauiſſimum, multos neceſſe eſt antea ſimul conuenire: tum quia facilius inuenitur, quod à pluribus quæritur [b]: tum quia infirma ſunt ſingulorum iudicia, niſi ab aliis adiuuentur: tum aliis multis rationibus ab auctoribus relatis, quas nũc perſequi non eſt neceſſe. Nobis enim ſufficiat in præſenti vniuersè de congregationum vtilitate hæc attigiſſe, quæ quamuis non ſemper generales habeantur, quòd quandoque propter varia impedimenta non licet, nec expedit: noluмus tamen quemquam exiſtimare, ideo nos fructu, qui ex multorum ſimul congreſſu percipi poteſt, priuandos eſſe. Nã cum dictum fuerit in Euangelio hodierno [c]: *Vbi duo, aut tres in nomine meo congregati fuerint*; his verbis myſterii quadam ſignificatione prolatis, vt modo diximus, intelligendum nobis relictũ fuit: non ſemper neceſſario omnes, nec ſemper maiorem partem, nec ſemper etiam præſcribi certum poſſe numerum eorũ, qui ſimul conuenire debent: ſed pro locorũ, ac perſonarum conditione, pro rerũ gerẽdarum neceſſitate, pro aſus, atq; alijs difficultatibus expedire aliquos, modo plures, modo pauciores ſimul cõuenire ad res conſultandas, dummodo Præſulum auctoritate, atque in nomine Domini conuocentur. Hinc igitur nos in ciuitate, & diœceſi noſtra, cum multiplices cõgregationes inſtituerimus; nũc de ea tantum loquemur, quæ ad ſingulos Archipresbyteros debebit pertinere, quibus mandandũ duximus, vt quiſque eorum ſingulis menſibus parochos ſibi ſubiectos in vnũ accerſat, caſus conſcientiæ examinet, de ſtatu animarum, de eccleſiarum inſtauratione, de cõcionibus habendis, de ſacramentorum adminiſtratione, aliiſq. nonnullis per temporum vices pertractandis agant, quæ paruo libello ſingulis tradendo, atque inſtructione illis à Reuerendo Theologo noſtro coram explicanda continebuntur, vt ſingula deinde nobis deſcripta referantur.

b. c. de quibus 20. diſt.

c. S. Matth. c. 18.

Nunc ad ſequentia capita nobis propoſita accedimus, quæ duo ſunt, ſicuti vnuſquiſque veſtrum duplicem refert perſonam, ac duplicis officii rationem eſtis in die nouiſſimo Deo reddituri: Primum eſt, quod ad vos ſingulos, ac perſonas veſtras pertinet: Alterum, quod ad muneris vobis cõmiſſi ſolicitudinem ſpectat, quod in paſcẽdis ouibus fidei veſtræ creditis verſatur. Vtrumq; difficile, laborioſum, & arduum. Nam quod ad primum; non ſatis eſt, noſſe vos ad clericalem ordinem, ſacerdotumque functionem adſcitos eſſe: niſi præterea diligenter expendatis, ſæpeq; animo voluatis, quid, quale, quantumque ſit hoc miniſterium, vt vinculo illi, quod cum Deo contraxiſtis, reſpondere

valeatis; præclare enim ſcribit: S. Chryſoſt.[a]: *Omnia fere noſtra mala ex quadam incuria, ſeu inconſideratione proficiſci, quòd nos ipſos, nec naturam noſtram noſcimus, nec ſtatum, aut vocationem noſtram attendimus*. & S. Gregorius [b] explicans verba ſancti Lucæ: *Si cognouiſſes & tu, quæ ad pacem tibi*, eandem ſententiam repetit, nos ſcilicet malorum noſtrorum nobis auctores eſſe, quoniam nec præſentem rerum noſtrarum ſtatum intuemur, nec finem inde ſequuturum proſpicimus.

a. S. Chryſ. hom. 32. in act. apoſtol.

b. S. Greg. ho. 39. in S. Lucam.

Quâuis enim Chriſtiani omnes, qui ſacro baptiſmate abluti fuerunt, ad Deum colendum, ſalutemque ſuam quærendã vocati eſſe cenſeantur; tamen ſicut in exercitu, cum omnes Imperatoris legibus pareant, alij tamen equitum, alij peditum, alij centurionum, alii tribunorum officio funguntur: Sic in Chriſtiana militia, clericis potiſſimum aſſignatum id munus videtur, vt in ſanctitate, & iuſtitia Deo ſeruiant omnibus diebus vitę ſuæ. Cum verò inter clericos emineant ſacerdotes, inter ſacerdotes verò Archipresbyteri, vt nomen ipſum clarè demõſtrat; hinc ſatis colligere poteſtis, magnum ceruicibus veſtris pondus imminere, quod ſuſtineatis, ſi attentè vos ipſos, ſtatumque veſtrum expendatis, initia veſtra altius repetentes, cur à Deo conditi, cur in hunc orbem demiſſi, cur hãc vitæ rationem fueritis ingreſſi, quid omnipotenti Deo ſpoponderitis, & quid in hunc vſque diem præſtiteritis. Etenim occurrent vobis in ſancta hac cogitatione tàm multa, tàm præclara, & tàm admiranda, vt ſenſus veſtros rapiant, ac mentem diuini timoris zelo abſorbeant.

Inter cætera verò, quoniam longum nimis eſſet reliqua complecti, offeret ſe vobis illud conſiderandum, placuiſſe diuinæ prouidentiæ, hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam creare, tribuendo illi duplicem facultatem, qua ab aliis animantibus maxime differret, & quibus tanquam cardinibus humana natura perpetuo niteretur, videlicet intellectum, & voluntatem: altero, vt cognoſceret: altero, vt amplecteretur ea, quæ oportet, vt Propheta in pſalmis frequenter ſignificauit.

Cum igitur in his duobus rectè excolendis, ac perficiendis, ſumma ſalutis noſtræ aſſequendæ poſita ſit; Videte quæſo dilectiſſimi eximiam omnipotentis Dei erga genus humanum benignitatem, qui non multorum onerum iugo, ac difficultatibus hominem ſubiiciendum eſſe cenſuit, ſed ſummi boni obtinendi rationem his duabus veluti ſemitis concluſit; intellectu quidem, vt eiuſdem ſummi Dei myſteria, ac diuinę erga nos gratiæ beneficia, iuſtitiam, charitatem, longanimitatem agnoſceremus: voluntate autẽ, vt legem illius, ac præcepta ſeruare, puros, atque integros à ſcelere nos tueri niteremur. Quæ quidem, & ſi quibuſcunque hominibus communia eſſe debent; attamen ſicuti in corpore humano, diuerſa creata membra, oculus, frons, os, manus, crura, pedes, & digiti, non ſolũ ſimul eidem corpori ſeruiunt, ſed etiam aliis, atque aliis functionibus: quarũ quędam, vt nobiliores ſunt aliis, ſic maiorẽ exigunt vigilantiã, atq; alacritatẽ: ſic in hominum vniuerſitate quidam ſunt ordines tanquam aliis præfecti, qui ſicuti aliis præſtant dignitate, ſic paries eorum ſunt, plus aliis cernere, & plus aliis laborare.

Hi ſunt inter cæteros Archipresbyteri, qui duplicem hanc facultatem modo explicatam diligentius, fructuoſius, atque illuſtrius exercere, pro gradus ſui ratione tenentur. Nam vt de intellectu dicamus, dubium non eſt, ſicuti omnes homines ea cognita habere tenentur, quæ ſunt præcipua fidei, atque vniuerſalia iuris diuini præcepta: adhuc tamẽ qui ſacerdotes ſunt, quaſi cæleſtis interpretes voluntatis, alia multa, quæ in ſacris literis, ac ſanctorum Patrum monumentis continentur, perſpecta habere oportet. vnde notum eſt, quod Oſeas dixit[c]: *Quia tu ſcientiam repuliſti, ego repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi*. quandoquidem ſacerdos non tantum inſtitutus eſt, vt Deo incenſum, & panes offerat: ſed etiam vt ſit tanquam publicum quoddam oraculũ[d], ad quod plebs

c. Oſeæ c. 4.

d Leuit. 10

in ſuis

a S. Hier. in Aggeum c. 2.

in ſuis neceſſitatibus, dubitationibus, ac difficultatibus confugiat, reſponſum, ac ſubſidium opportunum acceptura, tanquam ab eo, qui ſit optimè inſtuctus, quid diuina præcepta, ac ſanctorum Patrum monumenta requirant.

Inter alios verò ſacerdotes, hoc Archipresbyterorum munus eſſe ſolet, vt nominis ipſius, & tituli appellatio demonſtrat.

Nec de ijs nos loquimur, qui generales Archipresbyteri, aut paſtores paſtorum, ſiue maiore aliquo titulo, iuxta regionum mores diſtingui conſueuerunt; nam ad eos ſermo noſter non pertinet, ſed ad uos ipſos tantum Archipresbyteros diœceſis noſtræ, quorum ſinguli cum diuerſis parochis ſitis præpoſiti vt noſtis, & gradu alijs ſacerdotibus præeatis, decet etiam ſcientia alios præcellere.

Verùm, Dilectiſſimi, cum ad cognitionem hanc conſequendam, induſtria aliqua, atque exercitatio ſit neceſſaria, ideo ſermonis noſtri initio monuimus vos, congregationes quaſdam in poſterum habendas eſſe, quibus multa huius generis pertractentur, quæ vobis non mediocrem fructum erunt allatura;

Et ſi quis diceret; quid opus eſt tot laboribus, totque congreſſibus, ac diſputationibus? nonne Deus *illuminauit omnem hominem venientem in hunc mundum?* nonne *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine* a?

a. Pſal. 4.

Reſpõdemus, ſi homo ea dona, quibus à Deo initio exornatus fuerat, integra, inuiolataque retinuiſſet, non alia vtique eruditione neceſſaria ad ſtatum illum, aut ſtudio indiguiſſet. Verùm cum Dei legem præuaricatus, Principi tenebrarum aurem præbuiſſet, tanta confeſtim demerſus fuit caligine, vt plurima non agnoſcat, quæ oporteret, aut ſæpe falſa pro veris accipiat, niſi ingenium diligẽtia exerceat, & ad Deum in primis veritatis lumen confugiat. Hinc Gymnaſia publica olim inſtituta, hinc diſciplinæ inuentæ, hinc ſeminaria, totque alia præclara inſtituta, quibus homines, & præſertim hi qui ſe miniſterio Eccleſiaſtico addicunt, edocentur, variæque exercitationes ſapienter excogitatæ, quibus pro regionum more diſciplinæ apprehenduntur; hincque & à nobis colloquia illa inter Archipresbyteros prodita, quæ vobis antea ſignificata fuerunt.

S. Th. 1. par. q. 94. art. 3.

Altera eſt illa facultas hominis, quæ voluntas dicitur, cuius eſt bonum appetere; cum parum referat intelligere, quid verum, & quid bonum ſit, niſi illud conſequi, aut implere valeamus. At vero, vbi deprauata eſt voluntas, ac corruptus affectus, tunc latè graſſantur flagitia, atque abundè ſcelera incipiunt dominari, quod magnorum malorum eſt ſeminarium. Hinc dixit S. Auguſtinus b: *Non vides te erubeſcere debere de bonis tuis, ſi domus tua plena eſt bonis, & te habet malum? Quid enim eſt, quod velis habere malum? Dic mihi. Nihil omnino. Non vxorem, non filium, non filiam, non ſeruum, non ancillam, non villam, non tunicam, poſtremò non caligam, & tamen vis habere malam vitam. Rogo te, præpone vitam tuam caliga tua. Omnia, quæ circa iacent oculis tuis elegantia, & pulchra tibi chara ſunt, & tibi ipſe vilis es, fœdus es. Si tibi poſſent reſpondere bona, quibus eſt plena domus tua, quæ habere optaſti, quæ perdere timuiſti, nonne & tibi clamarent: Sicut tu nos bona vis habere, ſic & nos volumus bonum habere Dominum.*

b. S. Aug. De verb. Domini ſer. 2.

Quòd ſi iuſtiſſimum hoc eſt ſtudium, bonam habendi voluntatẽ, id eo magis in ſacerdotibus vigere debet, qui alijs ſunt tamquam candelabra propoſita in domo Domini, vt luceant ijs qui in ea ſunt, omni tempore. Etenim ſi experimur difficile eſſe, homines per ſe à malo auertere, atque à deteriori parte ad meliorem traducere; quis tandem his perſuaſerit, vt placidi, & moderati ſint, cum ſacerdotes perturbationum duces, & patronos habeant c? Quod quidem adeo neceſſarium eſſe omnibus perſpectum eſt, vt non ſit neceſſe pluribus perſequi, cum res ipſa ſatis loquatur.

c. Nazia. in Iulia. orat. 1.

Poſtquam igitur audiſtis, Dilectiſſimi, vobis in primis elaborandum eſſe; vt duplicem

plicem hanc facultatem, qua alijs animantibus excellitis, tanquam excelſum Dei munus, optimè excultam, exornatamque geratis;

Supereſt nunc, dilectiſſimi, tertia pars ſermonis noſtri, quam diximus ad officij veſtri obligationem pertinere, vt ſcilicet populum fidei veſtræ, ac cuſtodiæ commẽdatum tum cognitione, tum moribus imbuere curetis, atque ad cæleſtia paſcua perducere. Quod quidem maiorem à vobis ipſis diligentiam, ac ſolicitudinem expoſcit, non enim vos ſufficit ea vobis ipſis acquiſiuiſſe quæ ſuprà memorata ſunt, niſi eadem quoque in eos qui vobis ſubiecti ſunt pro eorum conditione transfundere curaueritis.

Multi inani quadam conſcientiæ ſuæ fiducia freti, exiſtimant ſe muneri ſuo ſatisfeciſſe, ſi vitam ſuam integrè, innocenterque agant, ſi nemini nequitiæ, aut improbitatis exemplum præbeant. Non ſatis eſt hoc, Archipresbyteri amatiſſimi, non ſatis hoc eſt; maiorem virtutis fœcunditatem functio veſtra pollicetur, quàm vt veſtri incolumitate ſit contenta. Heli ſacerdos probus erat, ſed quia filios diſsimiles habuit, quos non emendauit, diuinam vindictam non euaſit; Non ſatis eſt vos bonos eſſe, niſi alios quoq; bonos facere ſtudeatis. Nec ſatis eſt, vos vitia præcidiſſe, quibus alij lædi potuiſſent, niſi eos vltro & pietate iuuare, & officijs, ac virtutibus imbuere quæratis.

Verum id quidem eſt, in primis dandam vobis operam eſſe, vt vos ipſos abſterſis omnibus ſordibus, puros, expolitoſque populo exhibeatis; *nam ab immundo, quis mundabitur?* et [a]: *qui ſibi nequã, cui bonus erit?* idque eo magis cauendũ, quod ſcribunt S. Gregor. Nazianz. [b] & S. Chryſoſt. [c] *peccatum illius, qui aliorum curæ præfectus eſt, peſtilentiſſimum eſſe*, nec ita atramento inficit pannum, aut lanam, ſicuti illius culpa in alios peruadit, qui illius fidei crediti ſunt. Nam tanquam venenum quoddam ſubtiliſsimum permanat in eorum viſcera. Summa igitur hæc vobis futura erit, vt quod dixit Apoſtolus [d]: *non quæro, quæ veſtra ſunt, ſed vos*, ſic ipſi curam omnem, & ſolicitudinem in eo defigatis, vt quæratis non commendationem, non plauſum, non temporalia commoda, non hæc cuiuſcunque ſint generis fluxa, & caduca, ſed eos ipſos, ideſt ſalutem eorum, emendationem, atque in virtutibus profectũ. Hinc enim dicimur piſcatores animarum, non piſcantes ad ludum, & ſolatium, ſed ad lucrum vitæ æternæ: nam ſi piſcator, qui piſces capere debuit, referret in rete, aut in ciſta lapides, ſeu lutum, aut ſtramenta, rideretur ab omnibus, qui dicerent, quid feciſti? debuiſti piſces afferre, & nos piſces expectabamus; tu vero portas lapides, aut paleas inutiles: Sic vos debetis quærere animas, & in ijs laborare, cætera tanquam ad vos non pertinentia nihili facientes, & omnino prætermittentes, ne inanis veſter ſit labor apud Dominum, ſed æterna præmia ab eo reportetis, qui vobis gratiam ſuam largiatur in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Amen.

a. Eccleſiaſt. c. 34.

b. in Apolog.

c. S. Chryſoſt. lib. 6. poſt med. de ſacerdot.

d. 2. Cor. c. 12.

SERMO

SERMO QVARTVS

Ad Parochos Ciuitatis Bonon.

Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.
S. Ioan. X.

POſtquàm vos hodie fratres RR. huc vnà conueniſſe video, qui adminiſtri noſtri eſtis in animarùm curatione: opportunum eſſe cenſui nonnulla vobiſcum de ijs rebus agere, quæ ad communis noſtri huius officij rationem, ac paſtoralis curæ adminiſtrationem pertinẽt. Atque inter multa, quę nobis hoc argumento ſe offerunt, in eo potiſſimùm verſandum eſſe duximus, quod ſacro Euangelio traditur; quo dicitur; *Bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis.* Quamuis enim Euangelium illud ſatis notum omnibus ſit, & peruulgatum, tamen ſicut in aquarum fontibus perennibus accidere ſolet, vt quo plus fodias, plus liquoris haurias, & aqua ipſa dulcior, vberiorque ſemper fluat; ſic in ſacris Euãgelij theſauris, quo plus quæras, & inueſtiges, plus myſterij ſemper, plusque vtilitatis ad vitam noſtram inſtituendam inuenies.

Scopus igitur Euangelij ille eſt; nobis ideam quandam boni Paſtoris, ſiue Epiſcopi, ſiue Parochi effingere, & ſecundum artem perfectæ doctrinæ nobis virtutes oſtendere, quibus eum inſtructum eſſe oportet, & vitia, quibus carere debet; nam his duobus conſtar iuſtitia chriſtiana; diuertere ſcilicet à malo, & ſequi bonum [a]. vnde dicitur [b]; *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ.*

a. Pſal. 33.
b. Pſal. 4.

Sed mirabitur fortaſſe aliquis (cum de bono Paſtore, eiuſque munere ſit agendum, quod multiplex eſt, ac penè infinitum, eſt enim ars artium vt noſtis, & quam plurima poſtulat) cur hic rem vnam tantum, & alteram exprimit? Siquidem Apoſtolus ad Timoth. ſcribens non vnum tantum, ſed multa recenſet Epiſcopo neceſſaria; Inquit enim [c]: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hoſpitalem, doctorem, ſanctum, continentem.* & rurſus cum de vitiis agit, à quibus abeſſe Epiſcopum oportet; multa commemorat, ait enim: *Oportet eum non vinolentum eſſe, non percuſſorem, non litigioſum, non iracundum, non turpis lucri cupidum.* Quare igitur hoc loco vna tantùm virtus proponitur? cum dicitur, *bonum Paſtorem animam ſuam pro ouibus ſuis ponere,* & vnum tantùm vitium, cum dicitur *Mercenarium, ſi videt lupum venientem, fugere, & oues dimittere?*

c. 1. ad Tim. 3.

Reſpondendum eſt, quòd ſicut argentarii, & ratiocinatores paruo ære magnam ſummam numerant; & alibi Saluator noſter omnia præcepta, vnico incluſit, dicens [d]: *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem.* & Apoſt. [e]: *in hoc vno tota lex, ἀνακεφαλεῖται.* Quod perinde eſt, ac ſi diceret, in hoc vno, *recapitulatur: Diliges proximũ tuũ ſicut te ipſum.* ſic nunc paucis multa complexus eſt, & tanquam ſigna potiſſima ad dignoſcẽdum bonum, ſeu malum Paſtorem, nobis relicta eſſe voluit; exemplo medici, qui rogatus de alicuius valetudine, ſignum aliquod exprimit adeo clarum, & euidens, vt inde alia multa coniicere liceat, quibus bonæ, aut aduerſæ valetudinis ratio conſtare ſolet. Nam ſi dicat medicus, defecit pulſus, virtus langueſcit, aut alia huiuſmodi, ex hoc vno lethali ſigno, facile reliqua diiudicamus, tametſi non memorentur.

d. 2. Ioa. 15.
e. ad Gal. 5.

Cum ergo inquit Saluator noſter: *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus*

bus ſuis. Hinc licet, Dilectiſſimi, à maiori colligere, multo magis obſtrictũ eum eſſe, alia quæ minora ſunt, & inferiora præſtare, ſicut alibi cum dicitur: *non concupiſces*; inde ſequitur, multo minus licete fornicari. Et cum præcipit diebus feſtis non operari, nec fodere: igitut multo minus licebit laſciuire, aut turpia, probroſaquè exercere.

Quòd ſi dicas, nihil hic mandatum eſt Parocho de eleemoſynis erogãdis. Reſpondent viri ſancti, hoc tanquam minime dubium prætermitti: nam ſi animam ſuam effundere cogitur, quanto magis pecuniam largiri? Si dices, nihil de reſidentia cauetur; quæ eſt dubitatio? cum longè minoris ſit, manere in eccleſia, quàm ſe mortis periculo exponere?

Si dices, non iniungitur Parocho, vt prædicet; quid rurſum id dubitationis habet? cum in prædicando, verba effundantur, hic ſanguis ipſe emittatur? Idem igitur, etiam ad alia omnia, quæ obijci poſſent, recte pertinet.

Et ſi quis quæreret, an Parochus viſitare gregẽ aſſidue debeat, an officio & charitate omnes complecti, an ſubditorum crimina debita ratione inquirere, & corrigere? an illorum neceſſitatibus, tam ſpiritualibus, quàm corporalibus prouidere, & huiuſmodi alia obire? ſatis hoc vno, quod mortem etiam ſi opus ſit, appetere fortiter debet, omnibus ſit manifeſtum, omnia illa, quæ ſupra memorata ſunt, ab illo multo magis eſſe præſtanda.

a. Iob 2.

Nam pellem pro pelle, vt ait B. Iob [a], *& cuncta dabit homo*: nihilque mortalibus hac corporis vita iucũdius eſſe ſolet; hincq; S. Thomas concludit [b], mortem de ratione martyrii eſſe, quoniam tunc maximè teſtificamur, nos Dei honorem cæteris omnibus rebus anteferre.

b. S. Th. 2.2. q. 124. ar. 4

Quòd ſi in aliis rebus quibuſcunq; præter mortis euentum, hoc aſſereremus, tũc non cõſtaret nos verè martyres eſſe, quamdiù ſcilicet vita ipſa, quæ rerum omnium pretioſiſſima cenſetur, à nobis retineretur. Vnde in eo verſatur extremus gradus fortitudinis, maximæque charitatis ſignificatio: & ideo Apoſtol. dicebat [c]: *Nondum vſque ad ſanguinem reſtitiſtis*.

c. ad Heb. 12

Hæc igitur nos commonefaciant (Dilectiſſimi) conditionis, & profectus noſtri; hincque diſcamus, quouſque nobis ſit progrediendum, & quantum à meta propoſita, firma ſaltem animi præparatione, diſtemus, ideoque quiſque ſecum dicat: ſi tanta difficultate ſoleo pecunias in pauperes conferre, quomodo ſanguinem pro his effundam? Si ego toties monitus à Prælato meo, vt viſitem, vt ſcribam, vt prædicem, vt orem, vt commiſſo mihi gregi diligenter inuigilem: ſi in his inquam non magni laboris, aut periculi ei non obſequor, quomodo vitam, cum oportuerit pro gregis ſalute profundam? quæ quidem res ſemper nobis ante oculos verſari deberet, & tanquam viuum quoddam exemplar animis noſtris perpetuò defixum eſſe.

Sequitur alterum caput, quod ad id ſpectat, quod fugiendum eſt; inquit enim: *Mercenarius autem videt lupum venientem, & fugit*. Quòd ſi dicas: Nonne grauius homicidium eſt, aut ſacrilegium, aut vſura? Reſpondemus, quamuis etiam concedatur hæc peccata eſſe grauiora: non tamen effici, quin illud ſæpe ſit mortale, licet ex leuitate materiæ fieri poſſit, ut aliquando ſit ueniale. Imò poteſt interdum conſiderari hoc peccatum grauius homicidio: quia ibi proximi corpus, hic eius anima perimitur; ibi vnus, hic multi periclitantur, nempe ſalus animæ paſtoris, & plebis. Vnde eo etiam magis cauendum eſt hoc malum, quia parochi officio propius aduerſatur, ac uitium cenſetur adeo intus cordi defixum, vt difficile poſſit euelli: ſi quidem fuga mercenarii oritur ex prauo quodam male affecti cordis germine, & ex rerum temporalium laqueis, quibus animus irretitus cõprimitur, ac diuina charitate prorſus expoliatur; qua ſublata tanquam radice, omnes rami arboris palleſcunt, & defluunt. Nam ſi radix mala, & rami inutiles: & quemadmodum præſtantiſſima eſt virtus, Charitas, quæ inde dignoſcitur, ut

a. Th. 2.2. q. 125. art. 4. in corp.

modo

modo diximus, cum quis ſalutem gregis, commodo anteponit ſuo; Sic viciſſim dicimus, timorem hunc mercenariũ, tamquam charitati aduerſarium, in vitium exire pernicioſiſſimum; quod quoniam frequens valde in multis, & minus notum eſſe ſolet, ideò cautiùs eſt obſeruandum, ac vitandum.

Animaduertendum eſt igitur, fortitudinem magnam eſſe virtutem, quæ hominem propenſum reddit, vt animã pro Dei gloria exponat, ſemperq; cum charitate, cum zelo Dei, cum mundi contemptu, & chriſtiana magnanimitate coniuncta eſt. *Paratus ſum* (inquit Apo-
a. Act. 21. ſtolus [a], *non tantùm alligari, ſed etiam mori, pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Hęc cum inter duo extrema medio loco ſit collocata, procul à ſe pellit audaciã, & timorem; & vtrunq; ſignificauit pſal-
b. Pſ. 79. mus, quo dicitur [b]: *incenſa igni, & ſuffoſſa, ab increpatione vultus tui peribunt*. Nam, vt explicat ibi s. Auguſtinus, incenſa ſunt, quæ furore inflammato, & arrogantiæ tumore perpetrantur; ſuffoſſa verò, quæ ignauia nimia comprimuntur; vtrumque autem in die iudicij condemnabitur. Peccant autem homines frequentiùs timoris vitio, quàm audaciæ: propterea quòd ſolet audacia legibus coerceri, & Magiſtratus auctoritate puniri: cæterum timori aut nunquã, aut raro pœna eſt iniuncta. Quapropter illius culpa latiſſimè patet.

c. S. Ioa. 10. Et propterea comparatur lupo [c], qui multiplex eſt, & ſobolem ex ſe numeroſam gignit. Nam ſi quis quærat: cur tu Paroche non confers eleemoſynas in pauperes? Reſpondes plerunque: timeo ne alijs largiens, ipſe egeam; ecce lupum auaritiæ. cur non viſitas? cur non circumis plebem tuam? vereor inquit laborem: ecce lupum ignauiæ. cur non prædicas? terrent me inquit hominum ſermones: ecce lupum ambitionis. cur non defers concubinarios? timeo inquit vitæ meæ, ne illi offenſi, mihi inſidientur: ecce mercenarium. cur non religioſe omnia agis? cur non humiliter? cur non manſuetè? negligent me, inquit: ecce lupum vanitatis, & ambitionis. Contra hos clamat Ezech. [d]: d. Ezech. 13.
Non aſcendiſtis ex aduerſo, nec oppoſuiſtis manum veſtram. & alibi dicitur [e]: *cuſtodi* e. 3. Reg. 20.
virum iſtum; qui ſi lapſus fuerit, animam illius de manu tua requiram. Et in Eccleſiaſtico [f]: *Noli quærere fieri iudex, niſi* f. Eccleſ. c. 7.
valeas, virtute irrumpere in iniquitates: ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in agilitate tua.

Hæc eſt igitur fundi noſtri calamitas, quòd timemus, vbi non eſt timendum: timemus mala pœnæ, & non mala culpæ, aduerſus id, quod ſcribit S. Petrus [g]: g. 1. Petr. c. 4.
Nemo veſtrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor, ſi autem vt Chriſtianus, non erubeſcat. ſi miles ſtipendiarius tempore belli, cum ſonat claſſicum, & tuba ciet omnes, nollet ille cum hoſtibus congredi, dicens, timeo tormenta bellica, aut nudatos gladios: nonne vt deſertor hic plecteretur? Nos qui verè milites ſumus, non tantùm non deſeramus officij noſtri caſtra, veritatem, honeſtatem, iuſtitiam, integritatem: ſed etiam glorioſum nobis exiſtimemus, ſi pro his tuendis, damna aliquot referamus; ſicut Duces belli libenter cicatrices ſolent oſtendere; *nam*, vt Princeps Apoſtolorum ait [h]: *Si quid patimini propter iuſtitiam, beati*. h. 1. Petr. 3.

Et ne quis temerè excuſet ſe, quaſi hoc humanis impar ſit viribus, fatemur quidem permagnum id eſſe, ac maxime difficile, ſponte mortem oppetere, vltro iugulum offerre. Quapropter philoſophi omnes fatentur, fortitudinem eſſe virtutum omnium difficillimam, ac verſari circa ea terribilia, & ardua, quæ poſtrema ſunt, ac quæ natura humana vehementiſſime refugit, & horreſcit: hinc delectatio illa, quæ actus virtutum comitari ſolet, in hoc fortitudinis, ac martyrii opere minime requiri S. Thom. & alii i. S. Th. 2. 2. q. 123. ar. 8. & Ariſt. 2. Ethic. c. 3.
pleriqve affirmant [i]. Quòd verò idem ſit impoſſibile homini, nemo opinor, qui ſani ſit capitis, vnquam audebit affirmare: nam videmus Decios, Curtios, Codros pro patriæ ſalute, vel potius pro mundana gloria id factitaſſe. Quòd ſi illi liberæ voluntatis imperio obſequentes tantum edere facinus potuerunt, natura

tura ſummè repugnante: quanto id nos faciliùs præſtare poterimus ductu, & impulſione ſpiritus sancti, *in quo omnia ſe poſſe aiebat Apoſtol.* [a] ? Christi præcepta, quæ ſeruentur, impoſſibilia Hæretici blaſphemabant: in eos ſæpius inuehitur S. Hieron. & catholicam aſſertionem firmat, anathema eſſe, qui Chriſti præcepta impoſſibilia dixerit [b]. Hoc idem Concilium Tridentinum de fide tenendum proponit [c]. Mors eſt in olla Eliſei, mors eſt colocyntide amarior in actu martyrii; ſed infundatur diuinæ gratiæ farina, & omnia ſtatim dulceſcent. Aquis Marath amarius nihil. virga Moyſis immiſſa, ſtatim dulces ſunt effectæ. Crucis ſanctiſſimæ lignum immergatur torrenti amaritudinis, qui Sanctos in martyrio videtur obruere; & ſtatim omnia ſuauia fiunt, & dulcia. Nihil enim, vt ait s. Bernardus [d], ad medendum noſtris vulneribus magis accommodatum, & opportunum, quàm Chriſti crucis, & paſsionis meditatio. Et s. Auguſtinus [e] ſæpius inculcat, quæ dura, & difficilia ſuapte natura ſunt, gratia accedente diuina, fieri mollia, & facillima. Hoc eſt, quod dicit ſacer pſalmus [f]: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum*; Quod nobis præſtet is, qui cum patre, & ſpiritu ſancto viuit, & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

a. ad Philip. 4.
b Lib. 3. in Matth. in explanat. c. 5. & lib. 1 & 3. cont. Pelag. & in expoſitione Symboli ad Damaſ. Alij citat Bellarm. lib. 4. d. iuſtifica. c. 11. & 12
c. Seſſ. 6. c. 11 & c. 18.
d. s. Bernard. in serm 22 & 43. in Cantic.
e. s. Aug. in trac. de laudibus charitatis non procul à princ. tom. 9. & serm. 9. & de ſ[?] per. 48. S. Th. in 1. 2 q. 107. ar. 4
f. Pſal. 118.

SERMO QVINTVS.

Ad Presbyteros non curatos, De ſacro Miſſæ celebrando.

Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus ſuis placuit Deo, & inuentus eſt iuſtus: & in tempore iracundiæ, factus eſt reconciliatio. *Eccleſ.* 44.

HEC verba ſumpta ex Eccleſiaſtico quamuis proprie referantur ad Patriarchas veteres Noe, Abraham, Iſaac, & alios; ſoleatque Sancta Eccleſia eadem Chriſto Domino applicare, atque ad Pontifices, qui magni ſunt Sacerdotes transferre; quoniam tamen in ijs agitur de Sacrificio, & eius fructu; ac de alijs myſterijs, quæ omnibus ſacerdotibus ſacrum miſſæ celebrantibus ſunt communia, viſum fuit nobis RR. Presbyteri, poſtquam ſinguli qui hic adeſtis, ſacro hoc eſtis ordine insigniti, atque in offerendis ſacrificijs altiſſimo Domino noſtro miniſtratis, opportunum valdè, de his hodie vobiſcum nonnulla agere; vt ex paucis his verbis, vos muneris veſtri inſtitutum, præſtantiam, ac finem plenius agnoſcentes, eo vos digniores, & Deo acceptiores ſacerdotes exhibeatis. Perſequemur igitur ordine, quantum licebit, ſingula verba propoſita, vt ita clarius omnia explicentur.

Primũ dicitur, ECCE SACERDOS, cuius nominis, atque officij originem, excellentiam, & fructum oſtendit Apoſtolus ad Hebræos dicens [a]: *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus*

a. ad Hebr. cap. 5.

cōſtituitur in ijs, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis: Quæ verba oſtēdunt nobis, non ſolum rationē ſacerdotij, cur olim inſtitutum ſit, nempe vt offerat ſacrificium Deo; verùm etiam finem, & fructum huius ſacrificij, qui eſt per ſacrificiorum oblationes, ſibi, & alijs gratiæ infuſionem, & remiſſionem peccatorum à Deo impetrare.

Munus ergo ſacerdotis, duo reſpicit: quorum alterum ſpectat ad ipſius ſacrificij ſubſtantiam: alterum ad eius præcipuum effectum, videlicet ad virtutum ſemina inſerenda, & peccata auertenda.

Verùm, vt clarius hoc explicemus, ſciendum eſt, cum ſacerdotis, & ſacrificij nomina coniuncta ſint, nec alterum ſine altero conſiſtat, vt Concilio Tridentino declaratum eſt [a], ipſam ſacrificij oblationem vniuersè ſumptam, de iure naturæ dici. Naturaliter enim vnuſquiſque ſuam agnoſcens imbecillitatem, nec ſe propriis viribus ea conſequi poſſe intelligens, quæ ſibi deſunt: interiore quodam impulſu recurrit ad eum ſuperiorem, à quo poſſit adiuuari [b]: ſiquidem inferiora naturaliter ſubſunt ſuperioribus, à quibus eorum facultas, vigor, & conſeruatio dependet.

a. Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 1

b. S. Th. 2. 2. q. 85. ar. 1

Quare homo naturali rationis ductu, rebus quibuſdā, quæ ſenſu percipiuntur, vtitur, eaſque Deo offert; vt his tanquam inſtrumentis debitum honorem, atque obedientiam teſtetur illi, qui omnem hunc mundum regit, & cuius poteſtati parent omnia, & cui ſe ſubiectum agnoſcens, ab eo auxilium palam, ac demiſſe petit.

Sacrificiorum autem cum olim eſſent tria præcipua genera [c]; videlicet, Holocauſtum, quod totum incendebatur ad reuerentiam diuinę Maieſtatis, & perfectionis. Secundum ſacrificium, pro remiſſione peccati, cuius pars reſeruabatur ſacerdoti. Tertium, hoſtia pacifica, pro gratiarum actione, vel pro ſalute, & proſperitate offerentium: cuius pars vna Deo offerebatur, alia cedebat ſacerdoti, tertia vſui offerentium.

c. S. Antoni. 1. p. tit. 14. c. 5. & 2.

Hæc tamen omnia imperfecta, vnum illud ſingulare ſacrificium adumbrabant, quo Chriſtus ſe Deo patri eſſet oblaturus, vt in Epiſtola ad Hebræos explicat S. Paulus, & latè ſanctus Thomas declarauit [d].

d. S. Th. 1. 2. q. 102. ar. 3. & 2. 2. q. 85. ar. 2. & ſeq.

Sacrificium ergo hoc vnum vti finis, & complementum omnium ſacrificiorū veteris legis, verè, & propriè ſacrificium eſt, quod ſcilicet offertur in menſa altaris per ſacerdotes rite ordinatos, & quaſi iure publico conſtitutos, non ſolum pro peccatis populi, ſed etiā pro ſemetipſis, qui circundati ſunt infirmitate, prout ab Apoſtolo ad Hebræos [e] declaratum eſt, & in Tridentino Concilio cautum fuit [f].

e. ad Heb. c. 5

f. ſeſſ. 23. c. 1

Alia verò ſacrificia Chriſtiani populi ſibi cum hominibus veteris legis communia, non adeò proprie appellantur ſacrificia, non enim ſunt à lege noua inſtituta, aut poſt aduentum Chriſti cognita tantum, ſed à lege ipſa naturæ manarunt; vnde metaphoricè, & ſecundum ſimilitudinem quandam dicuntur ſacrificia; & hæc tripliciter, ſicuti eſt triplex hominis bonum [g].

g. S. Th. 2. 2. q. 85. ar. 3. ad 2.

Primum eſt bonum animæ, quod Deo offertur interiori quodam ſacrificio per deuotionem, orationem, & alios huiuſmodi interiores actus; & hoc valde bonum, acceptumque Deo eſt ſacrificium, de quo in pſalmo [h]: *Holocauſta medullata offeram tibi cum incenſo arietum*; quod quidem dicitur ſacrificium ſpirituale, de quo beatus Petrus [i]: *Superædificamini domos ſpirituales, ſacerdotium ſanctum, offerētes ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo.* Et hoc complectitur omnes actus virtutis, qui Deo offeruntur, & in eum diriguntur, vt ait ſanctus Auguſtinus [k]: inter quos maxime numeratur actus pœnitentiæ; de qua Dauid [l]: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*.

h. Pſ. 65.

i. 1. Pet. 2.

k. S. Aug. lib. 10. de Ciu. Dei c. 16.

l. Pſalm. 50.

Secundum eſt hominis bonum, quod dicitur corporis; & hinc ſurgit ſacrificium illud, quod Deo offertur, præcipuè per actum martyrii; deinde per abſtinen-

ſtinen-

ſtinentiam corporis, & mortificationem. Nam de martyrio dicebat Apoſtolus [m]: *Ego enim iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat*, ſcilicet vt ſacrificari debeam. Et in Sapientia dicitur [a]: *Quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos*. De actu abſtinentiæ corporis dicit Apoſtolus [b]: *Exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem*. De actu diuinæ laudis, quæ fit ore laudes canentes Deo, idem Apoſtolus teſtatur dicens [c]: *Offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo*, ideſt fructum labiorum confitentium nomini eius.

m. 2. Tim. 4.
a. Sap. 3.
b. ad Ro. 12.
c. ad Hebr. 13.

Tertium eſt hominis bonum in rebus externis ſitum, quarum ſacrificium Deo offerimus: vel per nos, cum bona noſtra illi conſecramus: vel per alium, cum illa proximis propter Deum communicamus, atque in eleemoſynas conferimus; docente Apoſtolo [d]: *Beneficentiæ autem, & communionis nolite obliuiſci; talibus enim hoſtijs promeretur Deus*. Et de actibus iuſtitiæ in vniuerſum dicitur [e]: *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ*.

d. ad Heb. 13
e. Pſalm. 4.

Verùm in his animaduertendum illud eſt maxime, non omnem actum virtutis dici ſacrificium; ſed illum tantum, qui Deo offertur, ideſt qui ad eius laudem, & gloriam exercetur: hoc enim eſt de ratione vera, & propria ſacrificii, vt Deo offeratur [f]. Poſſunt enim alioqui virtutes ſecundum moralem rationem exerceri, pro ut Gentiles multi fecerunt. Sed quia Deo non dicantur, ſacrificii nomen non merentur [g]. Sicuti ſi quis naturali charitate in alium afficiatur, & miſeriæ illius commiſeratione tangatur: hoc ad ſacrificii rationem non pertinet. Nam & virginitas, non vt virginitas, ſed quia Deo dicata, laudatur: nec ieiunium, nec fortitudo, nec alia huiuſmodi, niſi in Deum dirigantur, virtutes, aut virtutum actus appellari merentur, vt s. Auguſtinus declarauit [h].

f. s. Th. 2. 2. q. 85. ar. 2
g. S. Th. 2. 2. q. 81. art. 4 ad 1.
h. S. Aug. de Ciu. Dei lib. 14. c. 25.

Hinc etiam illud elicitur, omnes Chriſtianos dici ſacerdotes, quia debent offerre Deo animas ſuas: & hoc eſt ſpirituale ſacrificium virtutum: & ita nos vocat ſanctus Petrus Apoſtolus dicens [i]: *Genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta*, & in Apocal. [l]: *Feciſti nos Deo regnum, & ſacerdotes*: non tamen, vt dicantur ex æquo omnes Chriſtiani eſſe ſacerdotes: nam hæc poſitio hæreticorum eſt damnata in Conc. Trid. [m], qui externum ſacrificium prorſus abrogare moliebantur. Nos etenim dicimus, quod attinet ad internum, & ſpirituale ſacrificium, omnes Chriſtianos æque ſacerdotes cenſeri poſſe; ſed quod ſpectat ad externum, ſecus eſſe, cum illud tantum iis competat, qui ex ritu nouæ legis initiati ſunt [n].

s. Th. in 1. 2 q. 65. art. 2
i. 1. Petr. 2.
l. Apocal. 1.
m. Conc. Trid. ſeſ. 23. c. 4 Alphonſ. de Caſtr. in verb. Sacerdotium hæreſ. 1.
n. s. Th. 2. 2. q. 81. ar. 4

SACERDOS MAGNVS. Dicitur magnus hodie ſacerdos, ſi cum veteribus comparetur, quoniam eorum ſacerdotium non conferebat ex opere operato gratiam, nec remittebat peccata. At noſtri ſacerdotes vtrumque per ſacramentum faciunt, & offerunt non ſanguinem hircorum, ſed Chriſtum ipſum; ideo magni procul dubio ſunt hi noſtri ſacerdotes, illis collati. Si igitur tanta perfectio ab illis exigebatur, dicente ſcriptura [o]: *Mundamini qui fertis vaſa Domini*. & in pſal [p]: *Sacerdotes Dei induantur iuſtitiam*; quanta in nobis erit hodie neceſſaria, qui maiores illis ſumus?

o. Iſai. c. 52.
p. Pſ. 131.

Dicitur præterea *Sacerdos magnus*, quia facit res magnas, imò maximas, & præter modum admirabiles, qualis eſt panis in corpus Chriſti tranſubſtantiatio: & quia impetrant à Deo gratiam, & iuſtificationem pro ſe, & aliis, qua nihil poteſt eſſe maius. Nos enim abutimur nimium hoc nomine in rebus terrenis, cum appellamus aliquid magnum; nam in puſillo, quid poteſt eſſe magnum? aut quid magnum eſſe, quod non ſit æternum? vt ait s. Gregorius?

QVI IN DIEBVS SVIS PLACVIT DEO. Hoc oſtendit ſacerdotes illos veros eſſe, qui non tantum externa, ſed interna offerunt Deo ſacrificia, & ideo illi placent: vnde di-

Digitized by Google

citur in Geneſi [a] : quòd *Deus reſpexit ad Abel, & ad munera eius ; Ad Cain autem, & ad munera illius non reſpexit ;* quoniam hæc carebant interiori illo affectu, quo delectatur Deus. Hincque intelligimus illud præcipue ſacerdores conari debere, vt Deo placeant. Placent autem, quando ſe ipſos offerunt Deo in ſacrificium, & odorem ſuauitatis. Et hanc ob cauſam dicunt aliqui [b], ſpirituales hoſtias, ſimpliciter loquendo, meliores eſſe hoſtiis corporeis. Nam ſpirituale ſacrificium actus eſt virtutis, qui reddit hominem Deo gratum, & quo nemo poteſt male vti. At ſacrificia exteriora poſſunt communia eſſe bonis, & malis ; & ideo ſi fiant ab immundo corde, & à Deo auerſo, non placatur illis Deus, Iſaia dicente [c] : *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus? plenus ſum ; holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Incenſum abominatio eſt mihi.* Et ſanctus Matthæus [d] : *Miſericordiam volo, & non ſacrificium* : quamuis hoc non contigat ratione ſacrificii, quòd in ſe ipſo omnia ſpiritualia ſacrificia longe antecellit, cum in illo offeratur pretioſiſſima hoſtia Chriſtus Dominus noſter ; ſed ratione offerentium, quibus venenum fit in mortem, ſi indigni, ſi polluti offerant.

Quæ tamen omnia, quoniam à ſacris Theologis variis diſtinctionibus plenius fuerunt explicata, nec ita hoc loco videntur neceſſaria : ad ea, quæ ab ipſis tradita ſunt, vos in præſenti reijcimus [e].

Quòd ſi ſpirituale, & externum ſacrificium ſimul iungantur, & externum illud à puri cordis munditia oriatur ; tunc dubium non eſt, hoc ſacrificium, quod vtraque hoſtia, & oblatione nititur, longe perfectius, quàm ſimplex illud ſpirituale, cenſendum eſſe.

Dicimus etiam, cum hic debeat eſſe finis omnium actionum noſtrarum, vt Deo placeant : cum vt ait Apoſtolus [f] ; *ſiue manducatis, ſiue bibitis, omnia in Dei gloria facite.* Et alibi [g] : *Serui obedite Dominis carnalibus, non ad oculum ſeruientes, ſed vt ſerui Chriſti.* Ideo cum ſacrificia offerre poſſimus in triplici genere bonorum, de quo ſupra : curandum eſt, vt in vnoquoque eorum, mens noſtra cupiat in primis Deo placere ; nam nullus labor noſter, aut opus noſtrum poteſt eſſe meritorium, niſi Deo probetur, & illi per gratiam acceptum ſit. Vnde S. Eccleſia de ieiunio loquens ait [h] : *Tunc nobis proderunt ſuſcepta ieiunia, ſi tua erunt placita pietati.*

Imò vt amplius dicamus ; cum aliquod opus aggredimur, hæc tria curare debemus. Primo, vt placeamus Deo, qui in cælis eſt, quod præ cæteris eſt neceſſarium. Secundo, vt rectæ conſcientiæ noſtræ ſatisfaciamus. Tertio, vt cæteros homines exemplo noſtro exciremus, ad colendum, & venerandum Deum. Nam licet nobis ipſis, & proximis placeremus ; adhuc tamen nihil ageremus, niſi hoc a Deo reciperetur. Vnde Apoſtolus ſcribebat [l] : *Non qui ſe ipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat.*

Et propter hanc cauſam dicunt multi, hoc pertinere ad ſapientiam : quoniam ille demum eſt ſapiens, qui ita ſe gerit, vt placeat Deo. Et Ieremias [k] : *In hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire, & noſſe me.* Nam quid prodeſt ſcientiis affluere, omneſque diſciplinas notas habere, niſi didiceris quomodo placeas omnipotenti Deo?

Additur autem huic verbo. QVI IN DIEBVS SVIS PLACVIT DEO, vt oſtendat veram ſacerdotis ſapientiam, qui nouit tempora, & rationes illorum. Alij enim ſunt dies hominis, alij dies Dei. Sunt dies hominis, qui nobis in hac vita aſſignati ſunt, ad operandum : ideoque dicuntur dies noſtri, quoniam ijs vti arbitratu noſtro poſſumus, ſiue in rebus diuinis, & æternis

pro-

a. Geneſ. c. 4.

b. Caiet. ſum. v. 3.

c. Iſai. c. 1.

d. S. Matth. c. 9.

e. Sotus poſt s. Th. in 4. diſt. 14. q. 1 ar. 8. S. ſit ergo articuli reſolutio.

f. 1. ad Cor. c. 10.

g. ad Epheſ. c. 6.

h. In oratio. ſabbathi in 4. Domin. Quadrag.

l. 2. ad Cor. c. 10.

k. Ierem. c. 9.

procurandis, ſiue in rebus terrenis amplectendis. Qui ergo intra horum dierum ſpatium, animum ſuum conuertit in eam cognitionem, & ſolicitudinem, quomodo Deo placeat; ille verè eſt ſapiens, quia cogitat finem. Subſequuntur enim deinde dies illi, qui dicuntur Dei; in quibus ille exercet iudicium ſuum, tempuſque illud non tàm miſericordiæ, quàm iuſtitiæ cenſetur. Felices igitur ſacerdotes illi, qui in diebus vitæ ſuæ, dum ſpatium illis ſuppetit, in id vnum intendunt neruos ingenij ſui, vt Deo placeant: Infelices verò, qui id quærunt tantum, vt placeant hominibus: nam hi in tempore nouiſſimo confundentur, cum dicat Dauid *propheta*[a]: *Confuſi ſunt, qui hominibus placent.*

a. Pſal. 52.

INVENTVS EST IVSTVS. Hæc verba proprie vix poſſunt alteri, quàm Chriſto conuenire. Nam gratia, & iuſtitia initio fuit primo parenti, & Angelis in ipſa eorum origine, & creatione communicata: ſed non inuenta fuit in eis; quoniam Angeli multi in cælo, & Adamus in paradiſo defecerunt. Alij potuerunt quidem amiſſam iuſtitiam recuperare, veluti Sancti, & iuſtificati omnes fecerunt: ſed iſti non ſunt inuenti iuſti quolibet tempore, vel momento vitæ ſuæ. ſolus verò Chriſtus inuentus eſt iuſtus, qui peccatum nunquam fecit. Vnde apud S. Matthæum legitur[b]: *Vnus eſt bonus Deus.* & ſanctus Auguſtinus dicit[c]: quòd Deus non fecit Chriſtum de non iuſto iuſtum, pro vt in aliis hominibus, ab eo factum eſt. Nam Chriſtus iuſtitiam intus habebat ingenitam, quia Deus erat non ſolum eſſentialiter, ſed etiam hypoſtatice, vt Theologi aiunt.

b. S. Matth. c. 19.

c. S. Aug. lib. 3. ad Maxim. c. 11.

Sed hæc Eccleſiaſtici verba initio propoſita, transferuntur etiam ad Pontifices, & Sacerdotes: qui diuinæ largitatis munere ditati, iuſtitiam, & æquitatem in omni vita coluerunt, qui propterea diuinæ participes effecti iuſtitiæ, iure, ac merito, iuſti appellari poſſunt.

Inquit etiam: *Inuentus eſt iuſtus*; vt vos admoneat, exploranda eſſe diligenter, & examinanda conſilia, & facta hominum, qualia, & quanta fuerunt; & ſicut lapide indice, ſiue lydio probatur aurum, an verum, adulterinumuè ſit; purum, an permixtum; & ad libram expenditur, iuſtinè ponderis ſit, an ſecus. Sic in nouiſſimo die examinabuntur omnes, non ſuperficie tenus, ſed quàm accuratiſſime. Ideo curare debet quiſque pro virili ſua; vt tunc inueniatur iuſtus, non ſolum quod ad fidem attinet, & religionem; ſed in moribus, & toto vitæ curſu, vt deprehendatur fuiſſe fidelis ſeruus Dei, & vigilans, & ſolicitus ſalutis ſuæ; ne alioquin tamquam fur, cum furto ipſo in manibus deprehendatur.

Hæc igitur verba, quanti ſint ponderis, & quàm frequenter recolenda, vnuſquiſque ſecum conſideret; cum maxime ad ſalutis noſtræ incolumitatem pertineant. Ita vt, cum incertus ſit mortis noſtræ articulus, quæramus nos tales exhibere, vt iuſti quolibet momento inueniamur à Domino.

FACTVS EST RECONCILIATIO. Hoc eſt officium peculiare ſacerdotum, vt concilient Deum populo[d]: & propterea dicuntur mediatores Dei, & hominum, & legatione apud Deum fungi, & plorare debere pro peccatis populorum. Hac enim de cauſa relicta fuerunt eccleſiis eorum bona, & prouentus: vt ipſi lachrymis, ſacrificiis, orationibus redimãt peccata populorũ. Quod ſcribit Ioel proph.[e] *Inter veſtibulum, & altare plorabunt ſacerdotes: & dicent, parce Domine, parce populo tuo.* Vnde in ſcriptura quandoque legitur, Deum propter probitatem, & innocentiam ſacerdotis, ignouiſſe populo

d S. Antoni. in 3. p. tit. 14. c. 17.

e. Ioel. c. 2.

flagitioſo: ſicut legimus, Deum propter Lóth pepercisse ciuibus Segor, quod etiam S. Ambroſius adnotauit [a].

[a] S. Ambr. lib. 1. de Abraham c. 8.

Et hinc colligimus, tanta debere ſacerdotem virtutum copia florere, & bonitate vndique circumfluere: vt cum Deo ille acceptiſſimus ſit, poſſit etiam illius furorem auertere, & diuinam vltionem mitigare: ac veluti ſepem ſeſe obijcere, atque interponere, inter iram Dei, & populi delicta [b].

[b] Ezec. c. 22. vbi S. Hieron.

Hinc quæſo cogitent ſacerdotes omnes, quonam modo poſſint pro alijs auxilium implorare, & Deum illis conciliare, ſi eiſdem ſacerdotibus iratus ſit Deus, & offenſus. Quamobrem dicebat S. Gregorius [c], & iure quidem eos qui non ſunt in Dei gratia, debere maxime cauere à cura animarum; quoniam non ſunt apti, vt pro aliſs poſſint intercedere.

[c] S. Greg. 1. par. paſtor. c. 10.

Cogitent etiam ijdem vnumquodque horum capitum, quæ modo memorauimus, diligenter ſecum reputantes, ſi ijs virtutibus careant, quid poſſint proficere. Quid verò ſi virtutum loco vitia prius inſeruerint? Et qui debent placere Deo, ſtudeant placere Diabolo? Qui debet eſſe iuſtus, ſit rapax, auarus, litigioſus? Et qui debet aliorum offenſiones ſedare, ipſe potius aduerſus ſe diuinam prouocet vindictam? Quid iſte faciet? cuius criminis non erit reus? Quæ ſupplicia illi non conuenient?

Poſtquam igitur intellexiſtis Reuerendi ſacerdotes, quàm præclarum munus geritis, & quanta vobis occaſio offertur, vt diuinam miſericordiam non vobis ſolum, ſed & vniuerſo populo impetrare valeatis; veſtrum eſt, eo nunc ardentius excitari, vt ſicuti charactere, vitæ inſtituto, habitu, ac functione ab alijs differtis; ſic ſanctitate, religione, innocentia, ac puritate, alijs antecellatis; & quemadmodum in fœcundo ſolo iactum ſemen copioſe multiplicatur; ita ex vitæ ueſtræ actionibus, crebra prodeant virtutum exempla, quibus populus ædificetur, & Deus glorificetur, gratia, & intercelsione Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui Dominus eſt dominantium, & viuit ac regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

SERMO

SERMO SEXTVS.

Ad Senatores, & Magiſtratus, qui adminiſtrant Rempublicam.

Diligite lumen ſapientiæ, omnes qui præeſtis Populis.
Sapient. c. 6.

POSTQVAM ea eſt humanæ naturæ conditio, vt non ſolum homo, licet ratione præditus, atque intelligentia illuſtratus, ſe ipſum ſine aliorum præſidio regere, & tueri nequeat a. Verùm etiam ipſæ Ciuitates ad retinendam in Populis religionem, pacem, iuſtitiam, mutuamque ſocietatem, Magiſtratuum auctoritate indigeant, tùm Eccleſiaſticorum, tùm Politicorum, pro varijs eorum functionibus: exiſtimauimus operæ pretium eſſe (Viri clariſsimi) nonnulla, pro vt diuina nobis gratia ſuppeditauerit, vobiſcum hoc argumento communicare, quos ad iſthæc ciuilia, quæ geritis munera, adſcitos eſſe nouimus. Non quia prudentiam veſtram noſtra ope, aut conſilio indigere iudicemus; ſed potius quia, quemadmodum anima cum corpore magnam habet neceſsitudinem, & huius actiones illa tamquam ſuperior dirigit: Sic Eccleſiaſticam auctoritatem cum Politica maximè conuenire, & hãc illi vt digniori ſubijci, atque inſeruire nouimus, quandoquidem vtraque ad communem Populi ſalutem, diuerſis licet gradibus, fuit inſtituta.

Ex varijs autem Magiſtratuum veſtrorum in Ciuitate noſtra ordinibus, cum duo ſint præcipui, ad quos reliqui omnes referri videntur: Primus eorum qui ſummi Pontificis auctoritate ærarium, annonam, vectigalia, ſtipendia, atque alia quædam iuris publici munia erga perſonas, domos, familiaſque administrant, qui quòd in vnum ſimul conueniunt, ac communi conſilio deliberãt, Senatores, ſeu Quinquaginta Viri dicti ſunt. Alter eorũ, qui cauſas, & lites de bonis, & prædijs, ſeu facultatibus inter aliquos controuerſis, iis poſtulantibus dirimunt, & decernunt, quos communi nomine Magiſtratus vocamus: ſiue ſinguli ſeorſum, ſiue plures inter ſe collatis ſuffragiis iudicent, ac ſententiis latis de cauſis decernant. Idcirco cum quædã ſint, quæ vniuersè ad omnes, atque ex æquo pertineant, ſiue eorum functio in adminiſtrandis negotiis publicis, ſiue etiam in rebus priuatis diiudicandis, ac examinandis litibus, verſetur; & alia ſint prætérea, quæ propria tantùm, & peculiaria cuiuſq; adminiſtrationis eſſe videntur; proptérea his, quæ priuata ſunt, ſeparatim relictis, ab iis primum, quæ omnium adminiſtrationi communia cenſentur, exordiemur: vt intelligamus ſcilicet, quæ fuerit olim origo iſtarum adminiſtrationum, & quam ob cauſam fuerint in Ciuitatibus inſtitutæ; tùm quæ media in his exercendis, ac (prout oportet) debito fine concludendis, adhibenda eſſe videantur.

Noſtis viri Clariſsimi, olim quoſcunque ad huiuſmodi munia vocatos, etiã Reges, & Principes cenſere ſolitos fuiſſe a, ſe ad ſolam ſubditorum populorum vtilitatem præeſſe debere, ſicuti parentes filiorum curam ſuſcipere tenentur; ideoque ad principatum ſubeundum, tamquam ad onus, & rem plurimis implicatam moleſtiis, ac periculis, inuitos accedere conſueuiſſe b, à qua cupiebant quamprimum liberari.

a. Ariſt. Eth. 3 Polit. c. 8

b. Plato in p. & 7 lib. de leg. Lamprid. in vit. Alex. Seu.

Poſtea verò mutata temporum conditione, ac degenerante nimis humanæ

naturæ

naturæ ratione, cæpiſſe homines, quam antea infirmitatem putabant, nunc ſanitatem cenſere: & ſicuti infirmi hanc ſanitatem cupiunt ſolatij, & commodi cauſa: ſic homines conuerſos eſſe, vt non tantum appetant Magiſtratus, ſed vltro etiam has dignitates ambiant, & modis omnibus affectent.

Itaque corrupta, ac peruerſa proprij finis, qui loco principij in his, quæ ad mores pertinent [a], ratione: mirum nihil eſt, ſi in adminiſtrationibus publicis maiores quotidie ſurgunt perturbationes, & ſolicitudines: ſi frequentius ciuium querimoniæ, & ſeditiones audiuntur: ſi Ciuitates, grauiores ſuſtinent calamitates: ac in ſumma, ſi populorum ſtatus quotidie in deterius labi videtur: quoniã qui eis præſunt Magiſtratus, diuerſo admodum ab eo, quod olim inſtitutum fuit, conſilio, ad hæc munera accedunt.

a. Ariſt. 2. Phiſ. tex. 91 & 7. Ethic. c. 8.

Et quamuis inter vniuerſos, qui huiuſmodi muneribus funguntur, non dubitamus, multos quoque inueniri nobiles, & claros viros: qui inter magnos labores, ac vigilias, quas in his impendunt miniſterijs, aliena potius, quàm propria commoda libenter procurant; attamen quod ab authoribus grauiſſimis prolatum, & frequenti omnium opinione receptum (& vtinã non pluribus & quotidianis experimentis probatum eſſet) hoc videlicet ſtudium quærendi, quæ ſua ſunt, late admodum in Magiſtratibus vigere, minime potuimus ſilentio prætermittere.

Illud addentes, quod ſatis ex veteribus legibus perſpectũ eſt [b], tanti olim æſtimatum fuiſſe hoc conſilium, vt Magiſtratus ad publicam ſolum vtilitatem ſuſciperentur, vt illicitas quaſcumque artes, per quas alienus ab hoc fine ingreſſus ad hæc publica munia aperiretur, grauiter damnarint: & non ſolum ambitum omnem, quem comperiſſent, pœnis publicis, & ignominia, ad aliorũ exemplum mulctarent: ſed eos etiam, qui hæc munia appeterent, eo ipſo indignos iudicarent, cum id non leue eſſet argumentum, eos à vero, & proprio Magiſtratuum fine abeſſe, atque ad ea, quæ ſua ſunt, quærenda, propius accedere.

b. Ariſt. lib. 3. Polit. c. 4. Plato l. 23. de Repub. vel de iuſto. Plutarch. in præceptis gerendæ Reip.

Amplius nec ſatis id putabatur, eũ, cui Magiſtratus deferebatur, ſibi in animum propoſuiſſe, ſe ad eam adminiſtrationem accedere pro Reipublicæ incolumitate, atque ciuium tutela; ac vt ijdem in tranquillitate vitam degerent, ab hoſtibuſque tuti, ac minimè inter ſe iniurij conſeruarentur.

Verùm præter ea requirebatur, vt ij, qui fidei, ac gubernationi eorum committebantur, rectè, honeſtè, atque ex virtutis præſcriptione viuerent; ſiquidẽ, id tantum curare, vt populus mutuos inuicem contractus, ac legitimas conuentiones cuſtodiat, iuſtaque libertate potiatur, non implet debitas Magiſtratus partes, cum hæ potius confœderationes dici poſſint; ſed amplius oportet eos ſolicitos eſſe, vt inſtar bonorum Paſtorum, gregem ſuum, quàm beatiſſimum eſſe cupiant, & talem efficere pro viribus enitantur.

Hoc tanquam fine præcipuo, & ſcopo indubitato ſibi propoſito, tùm ad media deſcendendum eſt, quibus hoc ipſum munus exerceri debet. Ac primum ab ijs inchoandum, à quibus in eo perfungendo abſtinendum eſt: vt ſicuti ingreſſus purus, ſimplex, totuſque ad publicum bonum conuerſus, requiſitus eſſe debet: ſic & eiuſdẽ tenoris ſint media, ab omni lucri cupiditate aliena, prout ſacris legibus [c], ac etiam veteribus olim græcorũ, & latinorũ decretis, accurate cautũ fuit. Quis eſt enim qui ignoret, eos, qui alijs præſunt, magnis etiam pœnis propoſitis olim ab omni quæſtu reuocatos fuiſſe? Quis non nouit integritatem ſummam requiſitam in Magiſtratu, vt non ſolum ab omni malo, ſed & ab omni ſuſpitione prorſus eſſet alienus? Quis non legis Iuliæ repetundarũ meminit, in omnes tàm grauiter animaduertentis, qui munuſculis etiam oculos adieciſſent? Quod & Iuſtiniani conſtitutionibus confirmatum, & iteratum ſæpius fuit [d]. Vnde & olim traditum legimus: *duobus maximè collabi Rempub. ſolere.*

c Exod. 23. Deut. 10. Iob. 15.

d. Authent. vt Iudic. ſine quoquo ſuffrag. c. 1 Et Authent. de mand. Princip. cap. 7. Et Authent. de non alien. reb.

Digitized by Google

a. Val. max. lib. 4. c. 3.
b. Cic. ad Quin fr. epiſtola 1.

lere[a] *: Venere, & cupiditate eorum qui præſunt*. Hincque etiam ſcripſit Cicero[b] *: nihil eſſe negotij continere eos, quibus præſis, ſi te ipſum contineas*. Et ideo laudat Quintum fratrem, quòd in Aſia nullum ſignum, nulla pictura, nullum vas, nulla veſtis, nullum mancipium, nulla conditio pecuniæ eum à ſumma integritate, & continentia deduxerit.

c. Cic. ad Quin fr. epiſtola iã prima.

Poſt hæc, vbi omnes vitijs aditus fuerint excluſi, ſcimus id quoque à ſapientibus viris accuratè cõſcriptum, atque exemplo obſeruatum fuiſſe: vt qui alijs præeſſent, exemplum illarum rerũ omnium, ac virtutum præbere contenderent, quas in alijs fulgere optarent[c]; & ideò in hominibus audiendis, in rebus cognoſcendis, tanta lenitate, diligentia, moderationeque vterentur, vt nulla alia poteſtas ab ijs, quibus præeſſent, deſiderati poſſet.

Sed nec hoc ſatis eſt; verùm id prætereà ex Chriſtiana diſciplina conſiderandum ab vnoquoque eſſe ſcimus, qui ad eam curam vocatus eſt: vt quiſque hoc ſibi munus magni à Deo beneficij loco datum eſſe reputet, quòd ei ſe miniſtrum, & quodammodo coadiutorem præbere debeat. Nam cum Deus per ſe omnia poſſit exequi, cum ſit omnipotens: quemadmodum tamen voluit inſtrumenta cauſarum, quæ ſecundæ dicuntur, in mundi huius machina gubernanda adhibere; ſic quiſque veſtrum, cum ſe ad hæc munera gerenda adſcitũ fuiſſe videat: agnoſcere debet, ſe ad diuinum miniſterium quodammodo iuuandum accerſitum fuiſſe, ac ſummi Regis coadiutorem interim in cœlis, ſi ſapienter ſe gerat, haberi, Hincque non tam oneris, & laboris aſſiduitate, ex ijs quæ ſibi ſingulis diebus gerenda incumbunt, commoueri, aut retardari debet; quàm ſingularis inſtar priuilegij, & diuinæ liberalitatis beneficio ſibi peculiariter tributo excitari, & inflammari: adeo vt nullum nec tempus, nec cauſam, nec locum prætermittat, quo poſſit publico hoc miniſterio perfungi: ac potius in varia rerum publicarum cura tacitè ſecum exultare, quem Deus tãta fuerit benignitate, & gratia dignatus.

Quid hinc ſequetur? non ſolum quòd veſtri quicunque in hoc impenſi greſſus, & ſermones, & actiones longe leuiores reddentur: ſed etiam quòd magna ijdem ſentient ſe in graui negociorum mole, hilaritate perfundi, tamquã veri diuinæ maieſtatis miniſtri, nempe vacui prorſus priuato omni affectu, & publicam tantum intuentes vtilitatem. Legimus Alphonſum Aragonum Regem ſæpè dicere ſolitum[d]; ſi ſibi contigiſſet naſci temporibus ijs, quibus Reſpublica Romanorum maximè floruit, ſe Senatui ſuaſurum fuiſſe, vt è regione curiæ templum Ioui Poſitorio conſtrueret: vbi Senatores antequam Senatum ipſum ingrederentur, odia, perturbationes, cupiditates, ac nequitias omnes tamquã venenum è viſceribus eductum deponerent, ſinceramque mentẽ, ac boni publici auidiſſimam inducerẽt. Hanc enim vnam rationẽ maxime omnium ad incolumitatem Reipublicæ, ac diuturnitatem accommodatam arbitrabatur. Hoc regium documentum vos amplecti ſummopere deſideramus, cum præſertim ex ſaluberrimis Apoſtolorũ Principis monitis depromptum ſit, qui ſcriptum reliquit[e]: *Deponẽtes omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & inuidias, & omnes detractiones: ſicuti modo geniti infantes, rationabiles, ſine dolo lac concupiſcite.*

d. Ant. Panor. de dictis, & factis Alphõſi Regis lib. 3. ... prima.

e. S. Petr. epiſt. 1. c. 2.

His iactis fundamentis, cum ea erũt gerenda negotia, quæ conſilij communicationem expoſcunt: ſatis vniuſcuiuſque veſtrum prudentiæ notum eſſe ſcimus, ea maturè prius cogitanda, & præmeditanda eſſe, quàm in conſilium veniant, quoad res ipſæ, de quibus agendum erit, occaſio, & tempus poſtulabunt. Inde qua decet modeſtia, ac libertate ea à ſingulis proferenda eſſe, quæ illis ſincera dictabit conſcientia, cupientibus publicum cæteris priuatis rebus anteferri. Tùm alijs benigne audiendis non ſolum ſe comparare, ſed etiam vt in eorum ſententiam concedant, vbi meliora intellexerint, ſe accingere, vt ita ſe fideles Dei miniſtros perpetuo præ-

præbentes, & cætera, quæ in conſilijs ſeruari oportet, implentes [a]: ſumma mentis puritate ex conſeſſu abſcedant: & quod reticendum erit, dimiſſo conſilio, inuiolabiliter obſeruẽt: & quod executioni fuerit mandandum, incorruptè, & integre præſtent.

a. Ianell. lib. de Polit. christiana tract. 3. c. 1. & ſeq.

De alijs verò rebus, ſeù negocijs, quæ iudiciario more erunt dirimenda, ſiuè à ſingulis, ſiuè à pluribus ſimul collectis fuerint terminãda, cum ſatis omnibus perſpectum eſſe poſſit, ex ijs etiã, quæ à variis Doct. in hoc genere fuerũt pertractata, quæ nam in vero iudicio, Chriſtiano etiam more requirantur, & quæ vitanda, & quæ amplectenda ſint [b]; nos in iis recenſendis non immorandũ duximus: id tantùm attingentes, quod vbi iudex quod iuſtum eſt, iuſtè iudicabit: dubitare non debet, quin magnam hoc nomine apud Deũ, & homines laudem mereatur, quippe qui finem litibus, & controuerſiis impoſuerit, vnde & pax, & concordia in populo vigeat [c], quod inter homines maxime ſalutare, & ab omnibus, ſũmis eſt votis optandũ.

b In tract. 4. idem Ianell. de iudicio ciuil. c. 8.

c. S. Thom. 2.2.q.58. art. 12.

Hincque ſeprima beatitudo, qua dicitur: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*, aſſeritur à ſacris theologis dono ſapientiæ reſpondere, tùm quoad meritum, tum quoad præmium [d]: pacifici enim dicuntur, quaſi pacem faciẽtes, vel in ſemetipſis, vel in aliis. Quod aliud nihil eſt, quàm ad debitum ordinẽ redigere ea, in quibus pax conſtituitur; nam *pax, eſt tranquillitas ordinis*, vt ait S. Aug. [e] Cum autem ordinare, ſit actus ſapientiæ: ideo qui lites dirimunt, & pacem conciliant, meritò dicuntur habere donum ſapientiæ: quo quidem dono, quia homines maxime ſimiles filio vnigenito Dei, qui eſt patris ſapientia, redduntur; propterea conſequuntur iidem, vt filii etiam Dei vocentur.

d. S. Thom. 2.2 q.45.

e S. Auguſtinus lib. 19. de Ciuit. Dei c. 13.

Illud potius quærendum videtur, quodnam ſubſidium, aut quæ cautio ſit ineunda, vt hæc ipſa, quæ diximus, ex ſententia ſuccedant. Quamuis enim hæc à nobis ipſis magna ex parte pendere, & ad manum quodammodo parata videantur: vſus tamen ipſe quotidie docet, hæc præſtare longe difficillimum eſſe: ſiuè id accidat ob hominis infirmitatem, ac corruptam illius conditionem: ſiue ob dæmonis aſtum, ſiue quacunque alia ratione id fiat. Propterea initio ſermonis ex verbis Salom. id præfati ſumus, quod ille inquit: *Diligite lumen ſapientiæ, omnes qui præeſtis populis.* Niſi enim ſapientiſſimus ille Rex vſu longo didiciſſet, facile omnes in aliis regendis, aut eorum rebus iudicandis labi, ac decipi; non ita hoc lumen ſapientiæ illis, qui præſunt aliis, optaſſet. Hæc verò ſapientia, quale, quantumue donum *Dei* ſit, & virtutes omnes excellat, non eſt neceſſe multis recenſere, cum ipſemet Salomon dicat [f]: *Præpoſui ſapientiam Regnis, & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius*.

f. Sapien. 7

Verùm cum duplex eſſe poſsit ſapiẽtia, altera vera, altera falſa: ſicuti aurum aliud eſt verum, aliud falſum; & margaritas ſcimus alias pretioſas, alias efflictas; cumque ſapientia, quæ falſa dicitur, omnino ſit reſpuenda, ac cauendum, ne illi adhæreamus; de qua Ieremias [g]: *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec diues in diuitijs ſuis: ſed qui gloriatur, in hoc glorietur, ſcire, & noſſe me.* Et hinc in prouerbiis dicitur [h]: *Sapientia hominum non eſt mecum, & noui ſcientiam ſanctorum*; Ideò laborandum in primis eſt, vt vtramque diſcernamus, nec alterius ficta imagine decipiamur. Tùm vt eam, quę cum virtute coniuncta eſt, cum adhuc & duplici modo poſſit obtineri, nos qua perfectiore licet ratione, ad munera noſtra cumulatè implenda adipiſcamur.

g. Ierem. 9.

h. Prouerb. 30.

Itaque quod ad primum attinet, cũ à fine potiſſimum diſcerni ſoleant bona, & mala, omneque agens agat propter finem: idcircò qui finem ſibi in terrenis opibus, aut humana gloria, & eò magis in turpitudine, aut aliis flagitiis præſtituit, eoque curam ſuam, labores, induſtriamue confert: hæc quamuis aliquibus ſapientia videatur, iuxta illud Prophetæ [i]: *Sapientes ſunt, vt faciant mala*: hæc tamen verè non eſt ſapientia: cum ſcriptum ſit [k]: *In maleuolam animã*

i. Ierem. 4.

k. Sapien. 1.

non

non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Verùm ſicuti prudentia carnis dicitur, & non ſimpliciter prudentia, quæ inimica eſt Deo[a]. Sic hæc ſapientia videtur cum tali prudentia conuenire[b], vt abſolutè non ſit ſapientia, quæ altiſſimam cauſam reſpicit; ſed quandocunque à fine deflectit, tunc modo terrena ſapientia, modo animalis, & quandoque diabolica ſapientia nuncupetur[c].

Quando autem de altera ſapientia loquimur, cum hæc quoque variis modis interdum ſumi ſoleat[d]; nos in præſenti, de ea tantum agemus, quæ in diuinarum rerum contemplatione uerſatur, ac ſumma ſolicitudine quærit, vt res humanæ ad diuinas regulas ordinetur: cuius cum uarii gradus conſiderari poſſint,[e] ad duos tamen potiſſimum redigi ſolent[f]: ſicuti duplex eſt rerum cognitio; altera quæ legendo, audiendo, & inueſtigãdo acquiritur; altera quæ ſpiritus ſancti munere, pijs, ac fidelibus Dei ſeruis diuinitus infunditur, quod non minimum eſt inter cæleſtia ſpiritus ſancti dona; de qua ſic legitur[g]: *Præpoſui illam Regnis, & Sedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius: arena eſt exigua, & tanquàm lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. ſuper ſalutem, & ſpeciem dilexi eam, & propoſui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile eſt lumen illius*.

Hæc verò hominem plerunque non ſolum extra corporis ſenſum rapit, miraque eum altiſſimarum rerum cognitione illuſtrat; ſed etiam incredibili ſuauitate, quæ à carnalibus hominibus guſtari nequaquam ſolet, recreat, & replet[h]: de qua, cum multa à S. Doctoribus, varijs, atque admirabilibus exemplis fuerint commemorata[i], nos hic alia non adiiciemus, cupientes huius potius vos Dei gratia verè participes fieri, quàm verbis ad eam aſſequendam admoneri.

Nunc reliquũ eſt, vt illud, quod apud Iob legitur, nos quoque dilectiſſimi, inquiramus. Quærens enim ſanctus ille vir, à quibus, & qua ratione hæc pretioſa margarita inueniri poſſit, inquit[k]: *Sapientia vbi inuenitur? & quis eſt locus intelligentiæ? non inuenitur in terra ſuauiter viuentium: abiſſus dicit, non eſt in me: & mare loquitur, non eſt mecum; Vnde ergo ſapientia uenit? abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium: volucres cæli quoque latet. Deus intelligit uiam eius, & ipſe nouit locum illius, & dixit homini: Ecce timor Domini, ipſa eſt ſapientia, & recedere à malo intelligentia.* Quibus ex verbis cum intelligamus à Deo ſolo ſapientiam petendam eſſe, alibi etiam clarè docemur, verum initium illius obtinendæ, eſſe timorem Domini. Vnde ad eam parandam, dubium non eſt, à vitæ puritate, & innocentia eſſe exordiendum; tum per illius mandatorum obſeruationem eſſe progrediendum, ſanctoque hoc deſiderio intima cordis noſtri, cum orationis ſtudio excitanda, cum dicat Salomon[l]: *Optaui, & datus eſt mihi ſenſus, & venit in me ſpiritus ſapientiæ.*

a. ad Rom. 8. S. Thom. 2. 2. q. 55. ar. 1.
b. S. Th. 2. 2. q. 47. ar. 2. & q. 55. art. 8.
c. S. Iacob. 3. S. Th. 2. 2. q. 45. art. 1.
d. Ioan. ex phil. christ. 4. par. trac. de don. Spi. ſancti c. 8.
e. S. Th. 2. 2. q. 45. ar. 5. in reſponſ.
f. Gran. in feſto S. Tho. Aquin. cõ. 2.
g. Sap. c. 7.
h. S. Th. 2. 2. q. 45. ar. 3.
i. 2. Hier. ep. 22. ad Euſtoc. Io. Caſſ. collat. 19. c. 4. Bernard. in cant. ſerm. 85.

Hæc autem, cum in omni actionum genere debeant eſſe vnicuique veſtrũ propoſita, tùm vero præcipuè in iis exercendis, quæ ad hæc ipſa veſtra munera ſpectant, obſeruari oportet: vt ſcilicet, cum alijs iuſtitiæ, atque integritatis exempla miniſtrare debeatis, vos ipſos in primis iuſtos, ac innoxios mẽte, verbis, atque operibus ipſis præbeatis.

Quare intra limites authoritatis, & iuriſdictionis vobis delatæ conſiſtẽtes, ab aliarum rerum, quæ ad vos non pertinent, & præſertim Eccleſiaſticarum tractatione, ac diffinitione uos abſtinere curetis: illud attente memoria repetentes, quod Ozæ accidit[m], qui auſus extendere manum ad arcam Dei, fuit ab eo, propter temeritatem, morte percuſſus. Itemque, quod ſcriptum fuit de Ozia Rege laico, qui cum incenſum inſtar ſacerdotis adolere uellet Domino, reſtiterunt ei ſacerdotes dicentes[n]. *Non eſt tui officij Ozia, vt adoleas incenſum Domino*; & quia noluit parere, fuit lepra percuſſus in fronte. Quod & præclaris multis rationibus, & tremendis exẽplis, quàm graue id peccatum ſit, perſecuti ſunt ſancti Doct.[o] *Et vos ſi plurium*

k. Iob. 28.
l. Sapien. 7.
m. Paralip. 1. c. 13.
n. 2. Parab. c. 26.
o. S. Chryſ. in verb. Iſaiæ Vidi Dominum. ho. 5.

Vrbium deſolationes, Regnorum euerſiones, aliaſque calamitates, peſtem, bella, annonæ penuriam altius animo reputabitis: inter cætera peccata grauiſsima, quæ Dei iram concitarunt, hoc potiſsimum in cauſa fuiſſe animaduertetis; tuncque vaſtationes, clades, & flagella demum graſſata eſſe intelligetis, cum iuſtitiæ hic ordo peruerti cœptus eſt: & ſeculares Eccleſiaſticam iuriſdictionem, quæ Vicarii Chriſti eſt, vſurpare auſi ſunt.

Deinde illud etiam vobis curandum erit, vt non ſolum ab iis cauere ſtudeatis, quæ ad vos non pertinent; ſed in iis etiam, quæ muneris veſtri ſunt, circumſpectè admodum ambuletis: memores, quod Ioſaphat dixit ad Iudices à ſe ipſo conſtitutos [a]. Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iuditium, ſed Domini: & quodcumque iudi caueritis, in uos redundabit. Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite, non enim eſt apud Dominum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum.

a. 2. Paralipomen. c. 9.

Itaque per hos gradus incedentes, viri clariſſimi, dubitare nihil debetis, quin theſaurum hunc cæleſtem, uobis ſuperna gratia aliquando communicari ſentiatis: per quem tanquàm à tenebris excitati, poſt hæc contemplatione, & actione cum Deo coniuncti, feliciter in publicis negotiis tractandis exultetis: & ſimul tutum vobis, atque aliis, qui veſtra authoritate, ac opere adiuuabuntur, aditum ad æternam beatitudinem patefaciatis. gratia, & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt Dominus dominantium, & viuit ac regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

SERMO SEPTIMVS.

Ad Doctores, & publicos in Gymnaſio lectores.

Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, fulgebunt ſicut Stellæ.
Daniel 12.

QVOTIES in eam cogitationem venio, quibus artibus, atque inſidijs, olim primi progenitores noſtri à nequiſſimo dæmone circumuēti fuerint, vt à Dei obedientia deſciſcerēt, ac ſanctum illius præceptum violarent, nullū arbitror eſſe vitę inſtitutum, ex his quę publice probata, & in hominū exiſtimatione ſunt poſita, in quo vel maiore periculo laboretur, vel cautiùs inuigilare oporteat, ac eorum, qui ſe literarū ſtudijs, ſcientiarumq; cognitioni tradunt.

Fuerat primus parens noſter in altiſſimo felicitatis gradu à Deo collocatus, excellentibus animi dotibus, ac ſingularibus naturæ muneribus inſtructus, rerū omnium copia affluens, ac veluti terreſtris Angelus, qui vniuerſo orbi præſideret, in Paradiſo conſtitutus. At princeps tenebrarum, liuore tetro in genus humanum accenſus, conceptumque prius virus euomere, atque hominem ex beatitudinis arce deijcere cupiebat. Sed quid ageret? cum bonis omnibus, quæ optari poſſunt, homo tunc cumulatus videretur: ſi opes, diuitias, regnumque mūdi polliceretur, quid proficeret? cum homini imperiū in vniuerſa à Deo creata datum eſſet; eodem dicente [a]: *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & vniuerſis animantibus terræ*. Et propheta teſtante [b]: *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues, & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi: Volucres cæli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas eius*. Si perpetuā corporis valetudinem, vitiumque firmitatem ſponderet, quorſum hoc? cum il-

a. Geneſ. c. 1.
b. Pſal. 8.

le ca

le ea naturæ conditione eſſet prædirus, vt non morbis, non imbecillitati ſemj eſſet obnoxius, non languore vllo conficiendus, ſed perpetua florens iuuenta, mortem etiam ipſam poſſet ſuperare? Si delicias, voluptates, aliaſuè illecebras deferret, quàm ſtulta oblatio? cum ille in amęniſſimo paradiſi horto conſtitutus, rerum omnium varietate, & copia, quæ oculos, aures, ſenſuſque omnes oblectare poſſunt, circumflueret.

Quemadmodum igitur veteranus miles, aut dux exercitus, omnibus exploratis, quibus munitiſſimũ oppidum poſſit expugnare: eò tandem ſe conuertit, quò murus fragilior, ac minus firmus facilius admotis cedat machinis, ac tormentorum vi dirui queat, illuc copias militares, illuc apparatus omnes bellicos intendit. Sic callidus dæmon inueterato aſtu, omnes nocẽdi vias edoctus, qua inermem magis præſenſit hominẽ, incautum eſt adortus. Quare agnoſcẽs eum ad intelligendum natura propenſiſſimum, nihilq; ſuauius ei eſſe, quàm multiplicem rerum ſcientiam quotidie adipiſci; habere illum tamen fines ad cognoſcendum præſcriptos, nec cum homo eſſet, licere ei in arcana Dei myſteria, eo non largiente, penetrare, ſeu velle plus ſapere, quàm oportet ſapere.

Quid fecit Cacodæmon? temerariam libertatem ſuadere aggreſſus eſt. *Eritis* inquit[a], *Sicut Dij, ſcientes bonum & malum*; hocque inſano indebitæ ſcientiæ ſtudio, eum ſupra ſe attollere, ac erroribus implicare enixus fuit. Hincq; ille qui antea cœleſtibus tutus præſidijs, atque vndique munitus, & inſuperabilis videbatur, proſtratus conc idit, & captiuus abductus eſt.

a. Geneſ. 3.

Quid hinc factum eſt? ſicuti ſerpentes quidã afflatu noxio ſolent appoſita omnia ita inficere, vt ad quæcunque, ſiue plantas, ſiue fruges, ſiue animantia peſtifer ille halitus peruenerit; eadem veneni vis in eos, qui illa tetigerint, aut guſtauerint, transfundatur. Sic exitiali hac dæmonis fraude accidit, vt humanum genus hoc cæco ſcientiarum ſtudio, tanquam veneno à primo parente hauſto, ita fuerit infectum, ac peruerſum: vt quod alioquin erat præſtantiſſimum, atque ad homines cum Deo coniungendos aptiſſimum: iam illius abuſu, ac falſa quadam illius quærendi, atque ad arbitrium exercendi, imagine extimulatum, tot fuerit erroribus, fraudibus, periculis, & commentis circumuentum; vt inde cæperint homines, non ſolum inani literarum faſtu, ac ſtudiorum oſtentatione ſe efferre, atque ſatanico illo veneno intumeſcere, ſed etiam multiplici errorum lapſu implicari. Vnde illud Apoſtoli[b]: *Scientia inflat*. Et alibi[c]: *Videte, ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum*. Et rurſus[d]: *Doctrinis varijs, & peregrinis nolite abduci*.

b. 1. Cor. 1.
c. ad Colloſ. 2.
d. ad Heb. 13.

Et Lactantius ait[e]: Dæmones eſſe vocatos, quod ante Plato in Cratylo tradiderat, quaſi δαήμονας à peritia, & ſcientia; quoniam ſemina illa eorum ſuperbiæ, & ebrietatis, ob quam à Deo receſſerunt, ipſi cum ſcientia coniunxerunt, quæ eos inflat; quod & S. Aug. ſcriptum reliquit[f].

e. lib. 2. c. 15.
f. S. Aug. lib. 9. de ciuit. Dei c. 20.

Hincque poſtea tot hæreticorũ monſtra à dæmone propagata inualuerunt, quę ſcientiarum varietatem, & diſciplinarum vbertatem iactitantes, tot pariter errorum ſegetes protulerunt. Quid aliud olim Nouatum, Neſtorium, Manichæum, Sabellium, & alios ab catholica Eccleſia pręcidit, quàm quòd ingenii viribus fidentes, ſolos ſe ſapere exiſtimantes, apud infirmos ſibi gloriam venantes, ſe dęmoni ipſi, cuius vexilla ſecuti ſunt, addixerunt?

De his ſcribit Lirinenſis[g], quòd volabant per vniuerſa ſacrę legis volumina, vbique ſcientiam, copiam, varietatemque profundentes: & quod ex ſua perſuaſione proferebant, id aliquo doctrinę titulo adumbrare conabantur; vt rudibus tenebras offunderent, ac quadam diſciplinarum farragine, imperitos ſeducerent.

g. Vincent. Lirin. in lib. aduerſus Hæreſes.

Quorſum hęc dicat aliquis? an ergo

huc nos ea de cauſa accerſiſti; vt noſtrũ in ſcientiarum diſciplinis vitæ inſtitutum, nobis exprobrares, atque bonarum artium ſtudia accuſans, nobis illarum commercium interdiceres?

Minime verò: Nam ſcientia à Deo eſt, & in Cantico Annæ dicitur[a]: *Deus ſcientiarum Dominus*[b]: Et *eum docere hominem ſcientiam*. Immò Saluator ipſe Apoſtolis ſuis iniunxit[c]: *Docete omnes gentes*. Et antea per Prophetas dixerat[d]: *Quia tu ſcientiam repuliſti, & ego repellam te*. Et: *ignorans ignorabitur*[e]. Et in themate ſupra à nobis propoſito ex Daniele dicitur[f]: *Qui ad iuſtitiam erudiũt multos, fulgebunt ſicut ſtellæ*. atque alia huiuſmodi multa ſunt in ſacris literis, quæ teſtantur obſtringi hominem ad ſcientiarum cognitionem. Vnde & Apoſtolus ſcripſit[g]: *Alios in eccleſia poſitos fuiſſe Apoſtolos, alios Euangeliſtas, alios Doctores*. Et apud Gratianum[h] collectæ ſunt ſanctorum multorum auctoritates idem affirmantium.

a. 1. Reg. 2.
b. Pſalm. 93
c. s. Matt. 28
d. Oſea 4.
e. 1. Cor 14.
f. Daniel 12.
g. ad Ephe. 4
h. In Decretis Gratian. diſtin. 37.

Quoniam verò ex altera parte negari nõ poteſt, quin impius ille Satan, magnũ homini vulnus hac vna ratione inflixerit; dum falſo illo cæleſtes ſcientias acquirendi colore, eum à Dei obedientia auertere, atque in has præcipitare miſerias conatus eſt. Propterea memorare oportet, non deſinere illũ inueterato ſuo aſtu, poſtquam hoc ſibi oſtium per ſciẽtias ad nocendũ homini iam ſemel apertũ fuiſſe agnoſcit: multiplices alias quotidie vias ſtruere, quibus hoc cognoſcendi ſtudium hominibus ingenitum[i], eximiaq; eum ſuauitate coniunctum, nouis aſſiduo inuentis peruertat, atq; in tranſuerſum agat: id moliens, vt hoc docẽdi, diſcendi, ac cognoſcendi inſtrumento, alijs, atque alijs fraudibus oblito, hominem paulatim à recta ſemita abducat, atque omnino perdat.

i. Ariſt. in princ. Metaphyſ.

Quapropter eum cautè admodum, & circumſpectè in eo homines verſari deceat: exiſtimauimus ad officii noſtri rationẽ, ac veſtram etiam, Doctores celeberrimi, & eorum, qui ſub veſtra diſciplina daturi ſunt operam ſtudiis, vtilitatem pertinere, nonnulla hoc argumento attingere, quibus labores veſtri poſthac & tutiores, & Deo acceptiores ſint euaſuris quandoquidẽ acerrimus, & nequiſſimus hoſtis hic noſter, nullum iampridem intentatum relinquere ceſſat angulum, vt homines hac ſtudiorum occaſione perdat, extrema illis proponens, nunc vt ſapere nitantur pluſquam oportet, pro vt initio ab eo factum eſt; nunc vt ſciẽtiam omnem negligant, ac ſi quam apprehenſuri ſunt, eam deprauatam, aut fœdatam ſordibus hauriant. Quod præcipue aduerſus gymnaſiorum vſum inducere molitus eſt, ex quibus, cum tàm amplum, ac ſolidum Chriſtiano Orbi fructum prouenire cognoſceret: aliis, atque aliis artibus ea perturbare non deſiit, ac modò in vniuerſum tollere, modò ex parte minuere, modo erroribus corrumpere, nũc figmentis inquinare, interdum turpitudine, & prauitate multa deformare, aggreſſus eſt.

Itaque cum priſcis vſque temporibus cerneret ille, frequentiſſimis auditorum claſſibus, præclaras multas Academias variis in locis, cum ingenti ſacroſanctæ Religionis incremento celebrari, & præſertim in Alexandrina Schola, quàmplures tùm diuinarum, tùm humanarum rerum cognitione, quamplurimùm præſtitiſſe, qui multiplici doctrina, & eloquentia chriſtianam Religionem illuſtrarunt; prout de Panteno, Clemente Alexandrino, Origene, & aliis relatum eſt[k]. Ille ſuſcitauit Iulianum eum, qui Apoſtata dictus eſt, proditorem Chriſtiani nominis, & diuinæ legi rebellem, qui gentilium libros Chriſtianis interdicere auſus eſt, falſo pietatis colore. Dicebat enim irridens, Chriſtianorum lege cautum eſſe, ne rebus inutilibus, & ſuperſtitioſis, quas vt fabulas traducerent, occuparentur[l];

k. Euſeb. lib. 5. hiſtor. eccl. c. 10.

Atqui fraudulentum illius conſilium fuit, vt dum fideles ab earum rerum cognitione arceret, illi earundem rudes, & inermes, gentilium errores non facile poſſent redarguere, atque hac ratione illorum impietas nullo repugnante, magis inualeſceret:

l. Niceph. Eccleſ. hiſt. lib. 10. c. 26

Digitized by Google

Verùm illius fraus ſatis tunc etiam detecta, & reiecta fuit: ſiquidem præter egregium librum, quem ſcripſit ſanctus Baſilius de vtilitate capienda ex libris gentilium, S. Gregorius Nazianzenus aduerſus Iulianum duas celeberrimas orationes edidit. Et ſanctus Cyrillus lib. octo, & alij multi. donec deinde Iouianus Imperator nefarium illud Iuliani decretum contraria lege abrogauit[a].

a. Niceph. in hiſt. Eccleſiaſt. lib. 10. c. 39.

Poſthæc quod Principi tenebrarum hac via non ſucceſſit, alia ferè contraria aggreſſus eſt; ſi quidem agnoſcens ingenium hominis facile in ſublime ferri, nec ſuis contentum finibus, libenter etiam ſupra ſe aſſurgere; Idcirco hac occaſione multorum leuitatem allicere conatus eſt: vt inueſtigandi, ſcrutandi, ac cognoſcendi ſpecie, permulta vana, curioſa, ac ſæpe falſa, & ficta veris adiicerent, aut abſurda intermiſcerent: quò nouitate hac alijs peritiores, atq; admirabiliores apparentes, adumbratis eorum commentis, non ſolum veteres diſciplinas, & receptas traditiones corrumperent; ſed etiam in ipſa arcana Dei myſteria, ac tremenda religionis ſacra virus ſuum traijcerent. Vnde tot hæreſes, ſchiſmata, diſſidia, atque opinionum varietates in eccleſia Dei exortæ fuerunt, & membra ipſius eccleſiæ pene diſciſſa, & conuulſa aliquando fuere.

Sed nec paſſa eſt ſumma Dei prouidentia, & miſericordia, tam peſtiferis zizanijs, quamuis diù ſerpſerint, ac longe, lateque ſe in agros fertiles effuderint, ſincerum, fœcundumque illius triticum opprimi, aut extingui; ſed ſummorum Pontificum auctoritate, & vigilantia, tum Synodorum frequenti indictione, ac diſputationibus, præſtantiſſimorũ doctorũ ex omnibus Chriſtiani Orbis partibus, ſingulis fere ætatibus collectorũ; denique diuini illius ſpiritus incendio, qui ignem in terrã diſpergit, vt ardeat; factum eſt, vt ſanctum illius verbum ſem per reuireſceret, ac vehementius quotidie, & ſolidius confirmaretur[b].

b. In tomis Conciliorũ.

Poſtea verò, cum ſubinde aliæ iniuriæ, & inſectationes aduerſus Academias, & ſtudia literarum inique exorirentur: quæ niſi magnis ſumptibus eadem exerceri, immodicisque ſtipendijs frequentari permittebant, varijſque alijs impedimentis damna illis ingentia inferebant; factum eſt tamen perenni ſummorum Pontificum vigilantia, vt his omnibus incommodis aſſidue obuiam iretur: ac per ſingulas ferè ætates, nouæ conſtitutiones ad gymnaſia inſtauranda, ac literarum ſtudia publicè promouẽda ederentur, quæ ſatis notæ ſunt[c].

c. In Decret. toto tit. de Magiſtr. & Clem. 1. de Magiſtr.

Adhuc verò iſtis minimè acquieſcens Satanas, nouũ poſterioribus ſeculis monſtrum proferre auſus eſt, quo ſtudia generalia, & Academias publicas concuteret. Nam cum ſtudiorum fundamenta nimium fixa, atque inconcuſſa eſſe animaduerteret: quædam extrinſecus alia obſeruanda eſſe duxit, quæ interdum Academias conſequi ſolent: veluti in publicis profeſſoribus æmulationes, contentiones, inanes ingenij oſtentationes, altercationes, quibus veritas amittitur, curioſitates, impoſturas plurimas, quibus falſa pro veris venditant. Inde in ſcholaribus ſectas, rixas, obſcœnitates, petulantiam, ſummam vitæ licentiam, nullum ferè Dei timorem, & alia huiuſmodi, quæ ideò dæmon Seminaria filiorum ſuorum appellabat. Auctorem huius peſtilentis dogmatis protulit Ioannem Witcleff Hæreſiarcham peſſimum, qui latè zizania hæc diſſeminare conatus eſt.

Verùm hæreſis hæc In Concilio Conſtãtien. vt pernitioſiſſima fuit damnata: cum non ſtudiorum vſus, ſed abuſus ſit improbandus: nec ideò vinum tollendũ, quia ebritatem interdum pariat: aut cibaria prohibenda, quòd crapulę aditum præbeant: ſed vitioſus eorum vſus ſit corrigendus, vt in omnibus, quæ in Orbe creata ſunt, rebus frequenter accidit: quæ naturæ quodam corruptæ vitio, atque ipſo temporis lapſu, ſordes contrahunt, niſi extergantur, & expoliantur.

Quibus rationibus, atque alijs, cum peruerſa hæc Iſtius Witcleff hæreſis vnà cum alijs illius erroribus in Concilio Conſtantien. fuiſſet damnata[a]. Non de-

a. Conc. Conſtant. ſeſſ. 8. Alphonſ. de Caſtr. verb. ſcientia.

deſtitit idem monſtrum alia figmenta excogitare: quibus infirmiores ſaltem hominum mentes tranſuerſas ageret, atque ſuo ipſius conſortio addiceret, quærens etiam creaturas facere in tentationem, & muſcipulam [b]. Attamen diuinæ placuit ſemper benignitati, eccleſiam ſuam ſanctam per fideles ſuos miniſtros non deſerere: & quæ obſeruanda, cauendaue erant, ſeu falſa, ac noxia, ſeu etiam curioſa, vana, atque inutilia, ac mendacijs periculosè admixta detegere, prout notum eſt [c].

b. Sapien. 14.

c. Clem. in Strom. lib. 1. Theodoret. de græc. aff. lib. 1. & 2. in fi. S. Hier. ep. 26 ad Pamac. Conc. Later. ſeſ. 8. Concil. Trid. ſeſ. 22. de obſerua. & euitan.

Quamobrem & ſi aduerſus memoratas obiectiones, hæc gymnaſiorum, & Academiarũ diſciplina inconcuſſa ſemper ſteterit; quia tamẽ negari non poteſt quin ab aduerſarijs motæ controuerſiæ nonnulla præcauenda doceant, multaq; obſeruanda demonſtrẽt, quæ nos in literarũ ſtudijs efficiant aduerſus omnia certamina, & impedimẽta tutiores [d]. Ideo illud in primis sũma vobis cura animaduertendum exiſtimamus; vt ſicuti trapezitæ aurum purum ab adulterino ſecernere magna ſolertia contendunt; ſic vos ea tantum, quæ ad ſanam doctrinam pertinent, vt ait Apoſtolus, amplecti, atque aliis tradere elaboretis: illudque memineritis, vt veteres traditiones, probataque decreta tanquam maiorum depoſita cuſtodiatis: cauentes quod ait Apoſtolus [e]: *Ne doctrinis varijs, & peregrinis abducamini*; quæ mores nouos, inuſitatos, atque à Chriſtiana Republica alienos inducunt, ſiue etiam quæ poſſent bonos mores corrũpere: cum, vt dicitur illo carmine græco, quod citat Apoſt. [f]: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.*

d. S. Aug. li. 16. de ciu. Dei c. 2.

e. ad Hebr. 13.

f. 1. Cor. 15.

Imo ſicut etiam ex vipera conficitur theriaca ad venenum expellendum, & ex ſentibus, & dumis ſtruuntur ſepes, ac maceriæ ad arcendos fures, & feras, ne agris noceant. Sic prudentiæ veſtræ erit, quæ noxia ſunt ſcientiis, bene diſcernere; & in eo maxime induſtriam exercere, vt ex vitioſioribus ſeminibus quæ antea diſperſa fuerunt, vos, & vobis ipſis, & aliis qui ſtudiis veſtris operam daturi ſunt, fructum faciatis: ſicuti & ex inimicis, cordatos viros proficere poſſe iampridem notum eſt.

Quòd ſi quis adhuc acrius vrgeret, vt paulò certior aliqua ei ratio oſtenderetur, qua poſſet ſe tutum, & incolumem in tot difficultatum laqueis, & periculis tueri. Reſponderi poſſet, nihil magis appoſitum cenſeri verbis iis, quæ ex Daniele, initio ſermonis depromſimus, dum ait [g]: *Qui erudiunt alios ad iuſtitiam, fulgebunt ſicut ſtellæ.* Quo loco, non ſolum proprium Doctorum munus paucis attingit, ſed etiam eximium, ac ſingulare præmium, quod illis à Deo præparatum eſt, declarat.

g. Daniel 12.

Primum igitur cum inquit: *Qui erudiunt alios ad iuſtitiam*: indicat hoc munus ex iis eſſe, quæ dicuntur ad alterum. Nam doctor reſpicit diſcipulum, ſicut pater filium, & dominus ſeruum. Duæ autem cum ſint officii huius partes: Primo erudire alios, quod eſt, ex rudibus illos peritos, & inſtructos reddere: Secundo ad iuſtitiam, qui eſt finis, videlicet vt iuſtitię ſcientiam aſſequantur.

Propterea cum duplex ſit iuſtitia: altera vitæ, altera doctrinæ; neceſſe eſt, vt Doctor, qui ad iuſtitiam alios erudire debet, vtramque ipſe antea præſtet; primo quidem iuſtitiam vitæ, quæ in eo verſatur, vt talem ſe exemplo ſuo præbeat, qualem ſe ipſe erga Deum, & homines profitetur: hoc enim propriè eſt, iuſtum eſſe quoad ſe ipſum, quando verax eſt in verbis, & factis [h], & implere nititur quod Deo infans in baptiſmo, ac adultus in pœnitentia, item quod hominibus, quando ad gradum Doctoris, atque ad publice profitendum adſcitus fuit, ſolemni iuramento ſpopondit.

h. S. Th. 2. 2. q. 109. art. 1. & ſeq.

Hanc igitur vitæ iuſtitiam, quæ ad ſe ipſum ſpectat, Doctor exercens, curabit hoc ſui exemplo, audirores pariter erudire: vt ipſi in eorum vita, & moribus eandem pręſtare diſcant iuſtitiam, & veraces eſſe, omnibus in rebus contendãt.

Altera eſt iuſtitia, quæ doctrinæ dicitur, quod eſt verum, & proprium obiectũ intellectus: cum ſcilicet ea docẽtur, quæ ſanã, integram, ſalutaremq; doctrinã decẽt, quod præcipuũ Doctoris munus eſt.

Nam

Nam ſi nemo nomen artis temere ſortitur, ſed ſutor vt quis dicatur; neceſſe eſt, vt calciamenta conficiat; vt faber, vt pictor, vt citharœdus, artis peritia facit: & nullum ſine actu nomen, ſed omne concretum nomen ab actu ſumitur; eò magis qui ſe Chriſtianum doctorem profitetur, ea in primis tradere debet, quæ in ſchola æternæ ſapientiæ diſcuntur, ac ſub illo Magiſtro; cuius Cathedra in cælo eſt: ſecum omnino ſtatuens, omnia ipſius ſtudia, & quæ alijs tradit, ſiue in linguis, ſiue in artibus liberalibus, ſiue in contemplatione naturæ, ſeu quauis alia facultate; talia in primis eſſe, quæ non ſolum nihil prorſus à vera Religione, boniſq. moribus diſcrepent; ſed etiam auditores ad Deum ſcientiarum omnium authorem cognoſcẽdum, & colendum dirigant. Nam ſicut medicina illa, quæ ex natura ſua, corpori nullam vtilitatem affert, inepta eſt. Sic ſciẽtia, quæ nihil adiuuat ad animæ languores curandos, nec ſerenitatem conſcientiæ inducit, nec eam ſummo bono coniungit, inanis prorſus eſt cenſenda.

Deinde etiam, vt eadẽ, quę traditis, talia ſint, quæ cum receptis, & veteribus auctorum eiuſdẽ diſciplinæ ſententijs congruãt; neuè facili negocio nouas opiniones, ab antiquis diuerſas inducere quęratis; cum vſus doceat, multos, qui acri ſunt ingenio, & captandæ ab auditoribus laudis ſtudioſi, facile in nouarum rerum traditiones labi, vt cæteris acutiores videantur: vnde magnũ aliquando rebus publicis detrimentum eos attuliſſe conſtat.

Videte verò (Viri doctiſſimi) hęc ipſa iuſtitiæ traditio, & explicatio, quàm vobis præclarum, inſigneq. præmium erit allatura. Nam thema ex Daniele propoſitum, ait: *Qui erudiunt alios ad iuſtitiam, fulgebunt ſicut ſtellæ.* Quæ verba non exiſtimetis hyperbolicè, aut per modũ amplificationis prolata fuiſſe; ſed propriè, & peculiariter vobis perſuadete, ad Doctores pertinere: quippè qui, præter eſſentiale illud præmium, quod omnibus ſanctis poſt hanc vitam erit cõmune, vt diuina fruantur viſione: hi præterea, qui actum docendi rectè exercuerint, coronã illam ſplendidiſſimã, quam aureolam ſacri Theologi vocant, adipiſcentur: quæ non ſecus ac maiores ſtellæ in firmamento ſplendeſcet.

Quẽadmodum enim in humana hac noſtra militia, propter ſingularem aliquam victoriam aduerſus hoſtes partam, ſolent trophæa erigi, & tanquam virtutis inſignia, ac perpetua laudis monumenta victoribus decerni. Sic Chriſti militibus, quibus in hac vita aduerſus triplices maximè hoſtes dimicandum eſt, carnem, mundum, & dæmonem; triplex quoque triumphus decretus eſt, quæ aureola vocatur, pro vario certaminis genere, quo maxime excelluerint, & hoſtem debellauerint.

Nam aduerſus carnẽ, cuius conflictu hominis natura exagitatur, virginitatis aureola proponitur. Aduerſus mundi perſecutionẽ, & tyrãnidem, quã fideles Dei ſerui vſque ad ſanguinis effuſionẽ ſuſtinent, altera aureola martyribus eſt præparata. At verò aduerſus dæmonẽ, qui falſis erroribus, & occultis inſidijs homines ſeducere nititur, tam in fide, quàm in moribus, tertia eſt aureola cõſtituta, in eorum gratiam, qui ſanam doctrinam, & veritatis lucem vnà cum vitæ probitate diffundere conantur, quæ aureola Doctoribus eſt aſſignata.

Atque hæc doctrina per quã huiuſmodi aureola comparatur, cum à facultate animi noſtri, quæ dicitur rationalis, proficiſcatur: Doctores etiã dum eã exercent, Chriſto Domino Saluatori noſtro ſimiles reddere conſueuit, qui quæcunque audiuit à Patre, nota fecit nobis.

Id tamen non omittendum, hanc aureolam, non omnibus Doctoribus, ſed ijs tantùm deſtinatam eſſe, qui docẽdi munus, ſiue verbo, ſiue ſcripto in ijs, quę ad ſalutem tam noſtram, quàm aliorum pertinent, exercuerint; ſiue ad depellendos errores, qui aduerſus fidẽ & mores poſſunt excitari: vel ad inducendas virtutes, per quas diabolus à cordibus hominum expellatur. Quòd ſi munere

hoc Doctor, aut nunquam, aut raro ſa- tum fungatur, quamuis ad Doctoris gradum aſcenderit; aut ſi alium finem in docendo, quàm Dei gloriam, & diſcipulorum mentes veritate fidei erudire, ac tenebras peccati expellere, ſibi conſtituerit; ſed potius ad humanam laudẽ, & temporalia ſtipendia comparanda, labores, & induſtriam ſuam direxerit; hic profectò ad hanc aureolæ claritatem, perpetuumq; triumphum, non eſt quod audeat aſpirare.

Quapropter hac præclariſſimæ huius mercedis ſpe excitati (Doct. celeberrimi) contendite, vt poſthac eos vos in munere veſtro exhibeatis, quos quicunquæ gymnaſia veſtra frequentant, veræ ſcientiæ, ac ſalutis per vos (Deo iuuãte) adeptæ, auctores agnoſcant, & vos merita apud omnes laudis exiſtimatione perfruamini.

Hoc poſtulat à vobis ſanctiſſimus ille pater, & paſtor noſter Petronius, qui cũ iſtius præclariſſimi veſtri muneris in hac Vrbe inſtituendi primus auctor fuerit, debet à vobis hoc ipſo honore: qui in veſtrũ redundabit fructũ celebrari. Sanctũ & ſalutare hoc fuit eius cõſilium, cum à Theodoſio Imperat. Catholico impetrauit, vt hæc noſtra patria, generali omniũ ſcientiarum Academia decoraretur, & alijs ſingularibus priuilegijs auctoritate & conſenſu Celeſtini primi Pontif. maximi inſigniretur. Hoc ſibi vult profeſſio illa fidei, quam emittitis. Id vos ipſi cum aliquem Doctoratus laurea exornatis, celebri, & toto ferè terrarum orbi vulgato teſtimonio pollicemini. Hæc demum via eſt, per quam facile vobis iter ad cælum paratum eſt: vbi tanquam ſtellæ in æternum illud firmamentum adſciti, fulgeatis in perpetuas æternitates.

SERMO OCTAVVS.

Ad Medicæ artis profeſſores.

Aſa Rex in infirmitate ſua non quæſiuit Dominum, ſed magis in Medicorum arte confiſus eſt. 2. Paralip. c. 16.

SI, quis paulo attentiùs ſecum cõſideret, tàm varia eſſe morborũ genera, & infirmitates vſque ad eo frequentes, quibus humanum genus aſſiduo afflictatur, vt non dum hæc potuerint authorum libris comprehendi, pro vt ipſimet in eorum monumentis teſtantur [a], & vos (viri peritiſſimi) vſu, & experientia optime noſtis: Non poterit non vehementer mirari, hominem inter omnia animantia præſtantiſſimum, atq; ad imaginem & ſimilitudinem Dei factum, his corporis miſerijs, animiq; perturbationibus, atque alijs externis afflictionibus, ad eum vitæ ſtatum redactum fuiſſe: vt non defuerint olim graues viri, ac ſapientes habiti, qui eundem nõ naſci, ſeu quàm ocyſſimè mori, optimũ eſſe reſponderint.

a. Plin. lib. 6. c. 51.
b. Aug. lib. 22 de Ciuit. Dei c. 22.

Verùm quoniam, quod ad corporis morbos, atque ægritudines artinet, medicinæ poſtea præſidium, priſcis vſque temporibus inuentum eſt, qua infirmitatum damna pellerentur, & membris priſtina reſtitueretur incolumitas: magnũ pij, atque eruditi viri argumentum hinc ſumpſerunt, agnoſcendæ diuinæ beneficentiæ, gratiasq. illi agendi, quæ imminuendæ, atque adeo tollendæ calamitatis huius, vitæque diutius protrahendæ ſubſidium nobis largita eſſet.

Sed tamen quia alij inuenti ſunt, qui hanc medendi, & ægros curandi artẽ improbarũt; & inter cæteros olim extitere Anabaptiſtę, & eiuſmodi quamplures ingenio abutẽtes viri, qui medicinæ vſum

varijs

Digitized by Google

variis ſuis commentis tamquam diuino cōſilio repugnantem damnarunt, vtentes etiam exemplo Aſæ Regis, à nobis ſupra in themate propoſito; operæ pretium eſſe duximus, hinc ſermonis noſtri exordia ſumere, oſtendentes tantum abeſſe, hanc medicorum artem, ſi ab illis, qua congruit ratione exerceatur, eſſe inter Chriſtianos damnandā, aut inutilem cenſendam: vt potius inter officioſas valde, ac ſalutares diſciplinas ſit connumeranda.

Et quamuis hoc ipſum ad diſputationem potius, quàm ad concionē accedere, aliquibus poſſit videri; quoniam tamen cum eruditis viris nobis eſt congreſſus, quos cupimus pro munere noſtro, ad hanc artem cum virtute obeundam, eo magis excitari; Ideo non alienum, ſed neceſſarium potius cēſuimus, nonnulla antea hoc argumento diligētius examinare, quoniam aliàs ſuperuacaneum foret, medicos officii ſui vlla in parte admonere, ſi hæc illorum ars ſecundum propriam vim, ac naturam, vel omnino inutilis, vel prorſus repudianda iudicaretur.

Fuerunt igitur, qui animaduertentes plurimam morborum partem, quibus homo tam frequenter laborat, ex corporis imbecillitate, membrorumq. fragilitate proficiſci, ſecum argumentarentur in hūc modū, Potuiſſet diuina prouidentia aliter hominem conſtituere, ſi ſibi placuiſſet integrum illum, atque incolumem ab his ægritudinibus tueri, ſicuti & magnam brutorum partem ab eis præſeruauit.

Verùm cum hominem natura fragilem, ac tantis morborum generibus obnoxium, in hanc lucem emiſerit: quod ſumma ſapiētia, vt cætera omnia, factū eſſe cenſendum eſt; ne fas quodammodo exiſtimari poteſt, quærere iſtis morbis auxilio medicinæ obuiam ire: quæ nil aliud agit, quàm vt corrupta inſtauret, & malè ſe habentia reſtituat.

Hi neque iidem hæretici digreſſi ſunt in variis rebus perſequendis, ac animantibus multis recenſendis: à quibus, robore, ſenſibus, fortitudine, agilitate, temperamento, ac vitæ ſpatio ſuperamur: tacitè diuinam hanc erga hominem deliberationem notantes, quæ illum tanta cutis mollitie, & teneritate, quaſi dedita opera conſtare voluerit; vt eum, modicum quid frigoris, caloris, venti, procellæ, ſolis, vmbræ noctis poſſet concutere; cum & reliquæ non ſolū feræ, leones, tigres, lupi, ſed etiam pecora, & armenta minime his cœli, & tēpeſtatum iniuriis ſint expoſita, ipſe tamen tam facile ſingulis hiſce varietatibus periclitaretur.

Rurſus illud ſubdentes, quod alioquin maxime mirum videri poſſet, hominem minimo quoque lapſu, vulnuſculo, aut leui etiam percuſſione terreri, concuti, & affligi; cum alia animantia, corio, pilis adeò ſint obtecta, & munita, vt ab his plagis, & incommodis immunia ferè facta videantur.

Hæc ſoliti fuerunt aliquādo viri veræ lucis ignari, nec ea ſapientes, quæ oportet, ſecum commiſci; concludentes minimè quæri debere, quemadmodum huiuſmodi morbi, qui ex hac fragili corporis conſtitutione manant, Medicorum arte expellantur: hinc taciti notātes humanum hoc ſummi Dei opificium, minus perfectè, quàm oportuit conditum fuiſſe: & eos, qui ægritudinibus opem ferre contendunt, in parum digno, ac neceſſario opere verſari.

Verùm aduerſus iſtorum ineptias ſatis nobis eſſet, gentiles authores afferre, qui iudicio, & doctrina longè præſtantes, ac admirabilem hanc hominis fabricam, vſumq. partium intuentes, eum ſatis pro dignitate, verbis vllis illius decus, ac præſtantiam explicare ſe haud poſſe intelligerent, quaſi in extaſim rapti, ad Dei ſapientiam contemplandam in libris ſuis ſe contulerunt, verba aliquot mirifica proferēres, quæ apud eos leguntur[a].

Nos verò ad eos nunc accedimus, qui veritatis luce illuſtrati, ac ſolidis ſacræ Theologiæ fundamentis innixi, ſapientiſſimè, ac ſanctiſſimè rem hanc totam examinarunt[b]; conſiderantes Deum, cum perfectus ſit in omnibus operi-

a Gal. de vſu part. lib. 1. q 9. & ſeq. c.

b S. Thom. in 1. q. 91. articul. 1.

operibus ſuis, eò magis perfectionem hanc in hominis opificio, quod microcoſmon, atque mundi compendium dixerunt, declarare voluiſſe [a].

a. S. Tho. in 1. in d. q. 91. art. 3.

Cum verò artificis ſit, in opere, quod fabricare ſibi habet propoſitum, ad finem præcipuè reſpicere; cumq. finis, & forma ſint idem numero, prout finis, & agens idèm eſt ſpecie [b]; cumq. materia adhibeatur propter formam, inſtrumẽta autem propter actiones agentis: Sic in formãdo homine placuit diuinę prouidẽtiæ, ad finem potiſſimum, ob quem creabatur homo, conſilia ſua dirigere.

b. Ariſt. 2. phyſic. tex. 70.

Quẽadmodum igitur faber, qui ſerram conficit ad ſecandum, eam ſtruit ex ferro, vt magis idonea & apta ſit ad id; nec eam quærit ex vitro componere, quamuis ſit pulchrior materia, quoniam pulchritudo talis finem ſuum potius impediret: Sic finis proximus humani corporis in hunc mundum, cũ ſit anima ratione prædita, ad operationes rationi conſonas gerendas; ideò oportuit corpus hoc ita conſtitui, quod conueniret maximè tali formæ, & eiuſmodi actionibus [c]. Et propterea ſi quid in conſtitutione huius corporis videtur deficere, id prouidè à Deo factum arbitrari debemus; vt congrua inter corpus, & animã proportio ſeruetur; & ob neceſſitatẽ materiæ, quę ad animę operationes accommodata eſſe debet.

c. Ariſt. 2. phyſic. tex. 74.

Vnde quod attinet ad vires ſenſitiuas interiores, fuit homo eas nactus perfectiores præ aliis animãtibus, quia fini ſuo ſic conueniebant [d].

d. S. Tho. in 1. qu. 78. art. 4.

Quod verò ad exteriores ſenſus attinet, dubium non eſt, in nonnullis à multis animantibus ſuperari; nam quamuis homo perfectiorem habeat tactũ aliis animantibus, qui eſt fundamentũ aliorum ſenſuum: ſuperatur tamen à nonnullis aliis tum olfactu, tum viſu, tum auditu, velocitate, robore, & aliis quibuſdam huiuſmodi. Omitto modò pilos, pennas, & varia alia tegumenta, quibus animalia rationis expertia veſtiuntur; hæc enim nocuiſſent homini, quod nimis craſſa, & terreſtria eſſent ad vſum rationis, & contemplationis, quæ propria ſunt hominis munia. Vnde iſtarum rerum loco datæ fuerunt homini manus, & induſtria, quibus parare ſibi poſſet tegumenta, & alia vitæ neceſſaria; hincq. ſolet manus appellari organum organorum [e].

e. Ariſt. 3. de ani. tex. 38.

Ex quibus intelligimus, tantùm abeſſe, vt quidquam in hominis ſtructura ſit arguẽdum: vt potius, quò magis eius artificium expendatur, eo maiori ſapientia cuncta fabrefacta fuiſſe appareant: hincq. medicinæ præſidium maximè commendandum, quod Dei auxilio, & rationis opere ea poſſit tollere incommoda, quę in humanam naturam ex primi parentis lapſu inuecta ſunt, quæ alioquin cæcis oculis defuiſſe videbantur; vt alia multa omittam, quæ ad corporis noſtri ornamentum, & ad animum excolendũ condita fuiſſe, omnes inueniuntur, latius à Doctoribus alibi enarrata [f].

f. S. Baſil. homil. 3. in dictum illud Attẽde tibi. Et hom. 2. in aliquos ſcripturæ locos, vbi de creatione hominis. S. Ambro. in Examer. lib. 6. S. Nyſſen. de opificio ſeu aterã in fin. & lib. de creation. hominis. c. 3. Theodoret. de prouidẽ. ſerm. 3. Lactan. de opificio Dei c. 8. Cic. lib. 2. de nat. d. Deor. S. Tho. in 1. q. 91. ar. 3.

Fuerunt alij, qui diuerſa ratione vſum medicinæ minimè probandum eſſe dicerent, conſiderantes morbos ferè omnes ex propria hominum culpa, videlicet ex intemperantia, & crapula oriri: Vnde illud vulgatum Theognidis: *Multò plures occidit gula, quàm gladius*. Et quod ait Plin. [g]: *Plurimum homini negocij aluus exhibet, eòq; mores venerũt, vt homo maximè cibo pereat*. Et Seneca latè in hoc vitium inuehitur, inter cætera dicens [h]: *Medicina quondam paucarum fuit ſcientia herbarum, quibus ſiſteretur fluens ſanguis, vulnera coirent paulatim. Deinde in hanc peruenit tam multiplicem varietatem, poſtquam inuentæ ſunt mille cõditurae, quibus auiditas excitaretur, hinc innumerabiles morbi, ſupplicia luxuria, à quibus erant immunes, qui nondum ſe delitijs ſoluerant, qui ſibi imperabant, ſibi miniſtrabant, nihil opus erat tam magna Medicorũ ſupellectile, ſimplex erat ex ſimplici cauſa valetudo, multos morbos multa fercula fecerunt*. Et S Chryſoſt. ſcriptũ reliquit [i]. *Attende Medicorum diſciplinam, qui parcitatem victus, ſalutis nominãt matrem; Nam pedum dolores, capitis vertiginem, ſubitaneas mortes, & cætera. quibus febris, atque languores corporis comparãtur ex lu-*

g. Plin. lib. 26. c. 8.

h. Senec. epiſ. 91.

i. S Chryſoſt. in homil. de Iona.

Digitized by Google

ex luxurijs, & voluptatibus aiunt generari, & tanquam de fonte quodam malorum riuos ad corporum læſionem, & ad animarum perturbationem cõmeare teſtantur. Et rurſus idem in homil. de pœnit. ait [a]: *Pedum dolores, & grauedinem capitis, vomitum, apoſtema, hydropiſim, & phlegmata, milleq. aliorum morborum torrentes, a delicatis cibis, crapulaq. prouenire, dicunt medici: à peſſimo fonte prauos riuulos, bonam corporis habitudinem, & animæ ſanum intellectum non tam lædentes, quàm depopulantes*. Quæ quidem S. etiam Ambroſius affirmat [b]. Quare cum tot morbi ex ingluuie oriantur, mirãtur multi vehementer, cum alia animalia naturam ſequantur ducem, nec amplius appetere ſoleant, quàm eis neceſſe ſit; Cur homo naturali preditus ratione, & ad eam amplectendam, & ſequendam factus, cibo tamen, & potu tam frequẽter abutatur, vt ſe ipſum nimia hac cupiditate præcipitet, & in morbos, ac denique interitum ruat. Hincq. aiunt cum ipſe ſponte ſua, atque aduerſus rationis ſibi à Deo traditæ frænum, ſe ipſum conficiat, indignum videri auxilio medicinæ, qui ſibi infirmitatem accerſiuit. Vnde Democritus dicebat, homines fruſtra à Deo ſanitatem petere, ignorantes quòd poteſtatem eius penes ſeſe habeant. Qua de re multa apud S. Hieron. legere eſt [c], itemq. apud Gratianum in Decreto [d], recenſentem varias ad hæc authoritates, vſque eò, vt qui podagræ morbo, quæ inſanabilis videbatur, curari non potuerant, proſcriptione bonorum, & inedia conualuerint.

a. S. Chryſoſ. homil. 1. de pœnit. prope fin.

b. S. Ambro. de Helia & ieiunio cap. 16.

c. S Hierony. cont. Iouin. lib. 2.

d. Nihil. c. non ſales. c. legimus de con ſec. diſt. 5.

Verùm quamuis certum id ſit, ſanitatem maximè ſobrietate, abſtinentia, & frugalitate conſeruari, quod ſapientes omnes affirmant; attamen negari nõ poteſt, hoc ex priori alia culpa deſcendere, quam nos ex parentum noſtrorũ vitio contraximus, cui obuiam quotidie eundum eſt; ideoq. ei magna fragilitate noſtra ſæpè ſuccũbimus; & quod valdè dolendum eſt, duplici pharmaco hi, qui ægroti ſunt, vt plurimùm egere videntur: Altero ſpirituali, quoniã morbus, originali labe extimulante, frequẽter ex propria ingluuie oritur: vnde qui æger eſt, eo ipſo ſe à præſcripto rationis aberraſſe, ac incontinentem fuiſſe teſtatur; ideoque in primis à culpa medenda, ac peccato expiando exordiri deberet. Alterum eſt pharmacum corporale, quod à Medicorum arte expectatur.

Cum verò dupliciter hi morbi cæteris animantibus non æquè ſint communes, ideò ab eis non eſſe in re noſtra argumentandum planè conſtat; hincq. etiam ſubditur, homines, qui ex naturæ fragilitate in hos morbos incidunt, non idcò fuiſſe remedio deſtituendos; ſed potius miſeratione iuuandos, prout infra declarabitur.

Tertij dicunt; Inutilem eſſe prorſus omnem Medicorum operam; non ſolũ, quia vt ait Apoſt. [e]: *Statutum eſt hominibus ſemel mori*. Et in pſal. dicitur [f]: *Quis eſt homo qui viuet, & nõ videbit mortem?* Sed etiam, quia vnicuique annorum numerus, vitæq. terminus à Deo fuit conſtitutus, quem nullus arte, aut diligentia tranſgredi licet: quod in ſacris literis ſępè nobis eſt traditum, quale illud eſt [g]: *Breues dies hominis ſunt, numerus menſium eius apud te eſt, conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt*. Et in Ecclesiaſtico dicitur, (vbi de creatione hominis loquitur [h]) *Numerum dierum, & tempus dedit*.

e. Hebr. c. 9.

f. Pſal. 88.

g. Iob 14.

h. Eccleſ. 17.

Conſtat igitur in facultate Medici non eſſe vitam producere, ſuis à Deo ſpatijs præfinitam; qua de cauſa olim etiam morbi à quibuſdã diuini vocati ſunt, quòd à Deo immitterentur, & ſecreta quædam, & latens eorum eſſet ratio, cui obuiam ire, hominibus non liceret, iuxta etiam illud [i]: *Non eſt malum in Ciuitate, quod non fecerit Dominus*. Et quòd ab ipſo pendet ſanitas, & valetudo. Vnde in Sapientia legitur [k]: *Etenim neque herba, neque malagma ſanauit eos, ſed tuus Domine ſermo, qui ſanat omnia*. Et in Deuteronomio [l]: *Auferet Dominus à te omnem languorem, & infirmitatẽ*.

i. Ioan. Fernel lib. 1. de abditis rerum cauſis in proœ. Et Franc. Valeſ. c. 28. de ſac. philoſ.

k. Sap. c. 16.

l. Deut. c. 7.

Verùm quamuis hæc non nihil imbecillas mentes turbare videantur: recte ta-

ctè tamen intellecta, nõ ideo vſum medicinæ impediunt, nec eam à Chriſtiano homine propellunt; ſiquidem in ſacris literis clara ſunt eius teſtimonia, quæ ſuo loco afferemus; & vſus ipſe in Chriſtiana Republica paſſim receptus, ſatis docet Medicorum diſciplinam, & artem, debita ratione, ex Chriſtianiſq. inſtitutis adhibitam, ſalutarem eſſe, vt infra etiam declarabimus.

Vnde quod obiiciebatur, terminum vitæ haud quaquam propagari poſſe; noſtis vos optimè (Viri peritiſſimi) etiã ab authoribus veſtris, ea quæ valetudinem ſolẽt lædere, dupliciter diſtingui: quædam tanquam congenita, quæ ex generationis principiis, tanquam in ipſa radice oriũtur, quæ vitari nequeũt [a]; alia eſſe, quæ extrinſecus adueniunt, quæ multum & prodeſſe, & obeſſe poſſunt ex vario vitæ, & diſciplinæ, ac morum inſtituto. Vnde quamuis peculiari Dei iudicio vitam hominum ob illorum merita, & demerita, etiam quoad principia inteſtina poſſe, & ſolere modo contrahi, modo produci, & longius prouehi ſacræ literæ teſtentur, quale illud eſt [b]: *Timeas Dominum Deum tuum, & cuſtodias omnia mandata, & præcepta eius, quæ præcipio tibi, vt prolongentur dies tui*. Et illud [c]: *Iniqui ſublati ſunt ante tempus ſuum*. Et in pſalmo [d]: *Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos*. Quod variis in locis à Doct. notatum eſt, celerius ſcilicet homines propter eorũ peccata extingui: infirmitatibus tamen extrinſecus aduenientibus, poſſe curationis remediis occurri, eaſq. expelli, & ſanitatem diutius conſeruari experiẽtia ipſa ſatis eſt compertum. Hincq. Gratianus in Decreto poſt multa relata, concluſit [e]: *Quamuis certiſſimè ſciamus neminem vltra terminum ſibi à Deo præfixum eſſe victurum, omnibus tamen languentibus non incongrue medemur.*

a. Gal. lib. 1. de ſanit. tuendo.
b. Deuter. 6.
c. Iob 2.
d. Pſal. 54.
e. Gloſ. in c. epiſcopi 17. q. 3. Glo. in c. Dilectiſſimus. 22. q. 1.

Nec repugnat, à Deo ſanitatem pendere, qui vulnerat, & ſanat. Nam vt à ſacris Theologis ſapiẽter reſpõſum eſt [f], à diuina prouidentia non ſolum rerum effectus præordinantur; ſed etiam decernitur, quibus ex cauſis, & quo ordine ea debeant prouenire; inter quas illæ recenſentur, quæ cauſæ ſecundæ vocatur; Ex quibus non immutatur diuina diſpoſitio, ſed potius impletur, quoties opportunè illæ adhibentur.

f. S. Tho. 2. 2. q. 83. art. 2.

Sic medicinæ ſolent tanquam ſecundæ cauſæ, & inſtrumenta quædam adhiberi, vt voluntati diuinæ ſatiſfiat [g]: quẽadmodum & panis, & vini, ac quotidiani cibi adiumento vtimur, quibus vitæ huius ſtatus & conſeruatur, & profertur, prout à diuina ſapientia nobis ratione vtentibus faciendum eſſe Deus mandauit.

g. S. Thom. in pri. par. q. 117. ar. 2.

Quòd ſi quis adhuc pertinaciter vrgeret, non ita rem ſe habere, auctoritate quorundam ſcripturæ locorum, quæ quæ ſibi mutuo aduerſari videntur, veluti cum in pſalmo dicitur [h]. *Poſuiſti terminos qui præteriri non poſſunt*. Et eũ de Ezechia legitur [i], quòd additi ſunt ei quindecim anni vitæ. Poſſunt hæc manifeſtè dilui ex recepta Theologorũ diſtinctione, qui conſiderant terminos vitæ humanæ dupliciter, videlicet prout à diuina prouidentia pendent, & tũc aiunt eſſe omnino immutabiles, nec produci, aut contrahi vllatenus poſſe [k]. Aut prout pendent à ſecundis cauſis, & tũc termini illi immutari poſſunt, quoniam multa ſunt, quæ ſecundarum cauſarum vim impedire queunt [l].

h. Pſ. 103.
i. Iſai. 38.
k. S. Tho. in Iob. c. 14.
l. Adrian. quodlib. 12. q. vlt.

Rurſus alii honeſtiore quadam, magiſq; pia, ac religioſa ratione, medicinæ vſum impugnare aggreſſi ſunt, dicẽtes: Ex infirmitatibus commoda magna hominibus prouenire [m], quod & Gentiles multi, licet nondum lucis fulgore fruẽtes præſenſerũt. Nam Plin. iunior clare inquit, ſcribens ad familiarem ſuum [n]: *Nuper, me cuiuſdam amici languor admonuit, optimos eſſe nos, dum infirmi ſumus: quem enim infirmum, aut auaritia, aut libido ſollicitat? Non amoribus ſeruit, non appetit honores, opes negligit, & quantulumcumque ſit relicturus, ſatis habet: tunc Deos, tũc hominem eſſe ſe meminit, inuidet nemini, neminem miratur, neminem deſpicit, ac ne ſermonibus quidem malignus aut attendit, aut alitur*. Et de Platone legitur: *eum Academiam ſibi elegiſſe in loco inſalubris cæli*

m. Cap. cum pridem. de renunciat.
n. Plin. lib. 4. epiſt. ad Maximin.
S. Hier. lib. 2 aduerſus Iouin.

cœli, non quòd ſanitatem contemneret: ſed
vt inde, impetus libidinis magis frangere-
a. S. Hieron. lib. 2. contra Iouin. *tur* [a]. Et in ſacris literis, & præſertim in
pſalmis, quamplura huiuſmodi legun-
tur: veluti cum dicitur [b]: *Multiplicatæ*
b. Pſal. 15. *ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt*,
runt, (videlicet) conuerti ad Dominũ.
c. Pſal. 31. Et alibi [c]: *Conuerſus ſum in ærumna mea,*
d. Pſal. 77. *dum configitur ſpina*. Et rurſus [d]: *Cum*
occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur,
tur, & diluculo veniebant ad eum. Et ite-
h. Pſal. 82. rum [h]. *Imple facies eorũ ignominia, & quæ-*
e. 2. Cor. 12 *rent nomen tuum Domine*. Hincque &
Apoſtolus Paulus dicebat [e]: *Cum infir-*
mor, tunc potens ſum. Et: *Virtus in infir-*
mitate perficitur.

Cuius etiam rei clariſſima non de-
f. In Breuia. Ro die 31. Maij. ſunt exempla. Nam de filia S. Petri Pe-
tronilla, legitur in eius vita [f], cum illa
aliquando ægritudine laborans in le-
cto iaceret, & quæſitum eſſet à Beato
Petro, cur qui alienos ſanaret, filiæ ſuæ
ſanitatem non reſtitueret; reſpondit,
quia ſic expedit ei. Veruntamen vt ne-
mini de ſua poteſtate dubitandi locum
relinqueret; eam ſurgere iuſsit è lecto,
& conuiuis miniſtrare, quæ paulò poſt
in eundem morbum recidit.

In vita quoque S. Thomæ Cantua-
rienſis quiddam non abſimile conſcri-
ptum legitur, & alibi etiam: Ex quibus
intelligere poſſumus ad noſtram potius
æternam incolumitatem, has corporis
g. Eccleſ. 31 temporales afflictiones à Deo permit-
ti; cum & in Eccleſiaſtico legatur [g]: *In-*
firmitas grauis ſobriam facit animam: tan-
tum abeſt, vt ad Medicos ſit cònfugien
dum, qui ſalubre hoc remedium animæ
noſtræ auferant, cum & multos ſciamus
aduenientibus lãguoribus omnia pror-
ſus pharmaca reſpuiſſe. Et de glorioſa
S. Agatha notum ſit, eam narrare ſoliã,
ſe nunquam corpori ſuo pharmaca vlla
admouiſſe, quamuis illud peculiari ab
h. S. Tho. q. 2. 2. q. 97. art 2. ubi Caiet. ea ratione factum fuiſſe à Theologis
aſſeratur [h].

Verumtamen tam etſi hæc ita ſe ha
beant, ac diffiteri non poſſimus, ex lan-
guoribus corporis, magnam plerunque
mentis incolumitatem deriuaſſe, quod
quotidie etiam ferè experimur. Nihilo-
minus nõ ideò perpetuam hanc eſſe rè-
gulam conſtituendam, docent nos ea,
quæ ſupra ex Eccleſiaſtico, variiſque
ſcripturæ locis attigimus, vbi medicinæ
vſus vehementer commendatur, quam
uis nec omnibus eam expedire Deus
permittat.

Adde quod ea eſt hominum imbe-
cillitas, ac tenuitas, vt unde animum ſu
mere, peccata ſua agnoſcere, ad Deum
conuerti, ac meliorem vitæ ſuæ rationẽ
inire deberent, ipſi tamen huius carnis
pondere preſsi non aſſurgant, ſed deor
ſum potius ferantur; quorum calamita-
tis Eccleſia ſãcta, vt Mater benigniſsi-
ma miſerata, ſolet pro his, qui morbo la
borant, Deum deprecari, orationeſquè
proprias proponere, ac Miſſam pro in-
firmis celebrandam decernere; vt hinc
perſpiciamus conſilium, & ſtudium San
ctæ Eccleſiæ illud eſſe, vt præcedente
ſancta oratione, alijs etiam præſidiis,
iuſtis tamen, & congruentibus, inter
quæ eſt Medicorum opera, infirmo-
rum valetudini proſpiciamus: ac cum
diuina voluntate in primis conuenien-
tes, humanam tamen, ac congruentem
ſolicitudinẽ, receptaquè in Populo au
xilia minimè prætermittamus.

Vltimum, in quo ſolet Medicorum
curatio condemnari, vt alia omitta-
mus, illud eſt; quòd diſciplina hęc mi-
nimè certa, & quæ veritati reſpondeat:
ſed obſcura potius, ac ualde fallax per-
hibetur, ita ut ei minime ſit fidendum.

Primum enim aiunt non conuenire
Medicos in originali cauſa morbi; vt l Cornel. Cel. lib. 1. de medic.
præcipue eorum met authores teſtan- Galenus lib.
tur [l]: ex quo neceſſe eſt, multa abſurda introduct.
ſequi, cum aliter morbi illi, qui ex hoc, ſiue medi-
aliter qui ex illo principio oriuntur, ſint cus. c. 9. &
curandi, pro ut ipſi indicare quærunt. in libro 1.
ſimpl. medic. c. 19.

Deinde innumeras inter eos conten
tiones, in quibus pertinaciſſime inter
ſeſe pugnant, quas vos optimè noſtis; &
ſcripti ſunt hac de re varij à recentiori-
bus commentarii [k], præterquàm quòd k. Ioan Manar. lib. 14. Epiſt. medicin. Epiſt. 2
recentiores huius artis profeſſores, lo-
co pharmaci à veteribus medicis pro-
bari, nouum perſæpe ſubſtituunt, quod
contrariam, nedum diuerſam; pleruq;
nie-

medendi vim habet. De quo cum multa etiam apud noſtros relata fuerint [a]; oſtendentes, quod in nomine morbi, in remedio, in ratione curandi, aliiſque multis grauiſſimis differentiis inter ſe diſcrepant [b], nos plura verba facere ſuperſedemus.

a. Tiraq. de nobil. c. 31. nu. 448.

b. Tiraq. ſupra num. 470. & ſeq.

Subijciunt alij, ea, quæ ex India, Arabia, atque externo Orbe afferuntur, ad capienda ingenia inuenta eſſe, atque in remedio ea poſita, ac magni æſtimata, quæ longe naſcuntur, nec nobis gignũtur, immo ne illis quidem, alioquin non ea venderent [c].

c. Plin. li. 24. c. 1. & libr. 29. c. 1.

Mixturas etiam medicamentorum à multis ſępè damnatas fuiſſe, tùm hiſtoricis, tùm aliis, qui medendi artem profeſſi ſunt, prout de Eraſiſtropho affirmat Plutarcus, & Galenus, & alij [d]; Et in ſumma, medicinam omnem ſiue ſimplicem, ſiue compoſitam, noxiam potius eſſe humano corpori, ſatiuſque fore ab illa abſtinere ex ipſorummet Medicorum monumentis docere quærũt [e]. Vnde illud prouerbium celebratum: *Summa medicina eſt, non uti medicina*. Hincque conſtat hominum millia multa, ſine medicis vitam traduxiſſe, & Populum Romanum ultra ſexcentos annos medicis vſum non fuiſſe, Plinius tradit [f]. Et de Babiloniis, Iberis, & aliis, varij authores idem referunt; quamuis nõ deſint alij, qui id, & fortaſſe uerius, negent [g].

d. Plut. li. 4. Sympoſ. q. 1. Plin. ſup. lib. 22. c. 25. Galen. lib 3. Method. meden. c. 2.

e. Corn. Cel. lib. 5. Plutar. lib. de ſani. tuë.

f. Plin. li. 29 c. 1.

g. Franc. Vallet. de ſacr. philoſ. c. 74

Verùm, quamuis ſuperius dicta magnorum non careant virorum authoritate, non tamen ea ſunt, vt nos huius ſcientiæ præſtantiam, ac dignitatem in dubium vocandam, nedum damnandã putemus; cum præſertim de ea in ſacris literis tam præclara teſtimonia relicta legamus, veluti in Eccleſiaſtico cum dicitur [h]: *Honora medicum propter neceſsitatem: Etenim creauit illum Altiſsimus*. Et deinde: *A Deo eſt omnis medela*. Et paulo poſt: *Altiſsimus creauit de terra medicinã, & vir prudens non abhorrebit illam*. Et paulo poſt: *Fili in infirmitate tua da locum medico, etenim illum Dominus creauit: & non diſcedat à te, quia opera eius ſunt neceſſaria*. Et apud Ieremiam [i]: *Nunquid reſina non eſt in Galaad? aut medicus non eſt ibi* [k]? Sed & in Euãgelio dicitur: *Non opus eſſe bene ualentibus medico, ſed male habentibus*. Et: *Non egent qui ſani ſunt medico*. Immo Saluator noſter Chriſtus Dominus à ſacris ſcriptoribus, medicus ſæpe ſolet appellari [l].

h. Eccl. c. 30

i. Iere. c. 8.

k. S. Matt. 9. S. Marc. 2. S. Luc. 5.

l. Cyrill. li. 9. contra Iul. tom. 2. S. Auguſt. in pſal. 58. & 103. S. Ambr. ſer. 28. de Quadrageſima. S. Ignatius in epiſt. ad Epheſ.

Poſſemus hic multos commemorare Prophetas, Apoſtolos, Euãgeliſtas, Martyres, & ſanctos alios uiros, qui ægrotos ſanarunt, non ſolum virtutis gratia à Deo acceptæ, ſed tamquam medici, qui hac ſcientia floruerunt, & remediis huius ipſius facultatis vſi ſunt, quorum nomina cum ab aliis copioſe relata fuerint [m], & vobis cognita eſſe ſciamus, nos in præſenti prætermittimus.

m. Tiraq. de nobil. c. 31. nu 81. 82. & ſeq.

Non deſunt etiam plurimorum ſanctorum, eorundemq. eruditiſſimorum, tum Græcorum, tum Latinorum authoritates: qui eximiam vtilitatem, quam medicina humano generi affert, monumentis ſuis celebrarunt. Inter cæteros S. Baſilius non uno in loco in eius laudem mirè digreditur. Nam quærens nũquid ex uetæ pietatis propoſito ſit, vti medicina, reſpondet [n]: ſicuti agricultura ad ſubleuandas victus neceſsitates; & texendi ars ad indumenta homini neceſſaria; & ædificatio ad alia humani victus præſidia, fuit à Deo indulta: Sic medicina ad corpus noſtrum uariis noxiis expoſitum, curandum, atque ad operationes conualidandum fuit à Deo moderatore conceſſa. Idem in epiſtola ad Euſtratium medicum, ait [o]: *Quiſquis artis iſtius ueſtra cognitionem, cæteris prætulit ſtudiis, quæ ad tuendam præſentem vitam faciunt, is mihi uidetur decorum aſſecutus ſolertis iudicij, ſiquidem quæ pretioſiſſima omnium eſt vita, cum dolore eſſet tranſigẽda, niſi illam cum ſanitate coniunctã habere liceret; ſanitatẽ verò ars ueſtra ſuppeditat.*

n. S. Baſil. in regul. fuſius diſput. interrog. 55.

o. S. Baſil. epiſt. 80.

Sanctus etiam Gregorius Nazianzenus [p], comparans animarum medicinã, cum corporum curatione, quamuis illã ratione ſubiecti, & finis, & facultatis lõgè aliis omnibus ſcientiis anteferat, ab hac tamen, quæ circa corpus verſatur, varia ſumit argumenta, quibus oſtendit, ignem interdum, & ferrum, & aſperiora

p. S. Gregor. Nazian. in Apolog. 1. pag. 53. Eli Eliæ.

riora

riora remedia ſuſtineri, vt corpus integrum, incolumeq. reddatur.

Eodem etiã argumento multa apud Damaſcenum in Paralellis legere eſt[a], Et apud Tertullianum ſcribentem[b]: *Eſt hac peruerſitas hominum, ſalutaria abÿcere, medicamina vitare, ac mori citius, quàm curari deſiderare. Vnde medicina præſidium cum plures refugiant, plures, ſtulti, plures timidi, & male verecundi facti ſunt.* Et apud alios Theologos, quàm plura, quæ huc pertinent, perſpiei vtiliter poſſunt[c].

a. *Damaſce. in paralel. lib. 2. c. 64.*
b. *Tertullia. aduer. Gnoſtic. fo. 608*
c. *Auguſt. de Ancona de pot. Eccleſ. q. 109. artic. 1.*

Præter hæc, notum eſt, eriam in iure eiuili, in iure Pontificio, in alijſque diſciplinis, magno cum honore, ac celebritate, huius ſcientiæ neceſſitatem, & vtilitatem recenſeri[d]. De cuius encomijs, quoniam præclara multa à varijs authoribus collecta inueniuntur[e]; nos amplius de his dicere ſuperſedebimus, eum & vſus ipſe antiquiſſimus Hoſpitalium, Xenodochiorum, & Noſochomorum, & aliorum locorum: in quæ languentes, & afflicti omnium morborum generibus, magna miſeratione, & pietatis exemplo quouis tempore ſuſcipi, & curari, & nutriri ſolent[f]. non obſcurè hanc medendi conſuetudinem omnium ferè nationũ perpetuò extitiſſe teſtetur.

d. *l. Medicos. l. ſi quis. C. de Profeſſ. & Medicis. li. 10.*
e. *Caſſan. in catal. glor. mun. par. 10. cõſider. 25. & 43. Tiraq. de nobilit. c. 31.*
f. *Tertul. lib. 2. ad vxor. l. omnia priuilegia. C. de Epiſco. & Cler. Et i annot. Martyrol. Rom. in die S. Silueſtr.*

Negari id quidem non poteſt ad eã aptè, & ſcitè profitendam, atque exercendam permulta eſſe neceſſaria, quæ non facile in vnumquemque eadunt. Vnde illud eelebre dictum: *Vita breuis, ars longa, iudicium difficile.* Ex quo factum eſt, vt cũ perfacile cuique videarur, ſe medicum profiteri: difficillimum ramen ſit, dignum ſe, atque idoneum Medicum præſtare; atque ideo ea, quæ ſæpè à cenſoribus huius artis animaduerſa ſunt, non ad medicinæ facultatẽ, ſed ad Medicorum quorundam imperitiam, & inſipientiam arguendam eertum eſt pertinere[g]; cum arduum per quam ſit in tam vario, ancipitiq. fluctu ruta rate perpetuò nauigare.

g. *S. Ambr. pſal. 118. ſerm. 22. Et c. contraria. de conſec. diſt. 5.*

Quid igitur concludendum? Medieos, vt ait Eccleſiaſt. honorandos, quos Deus inſtituit: iraque eos accerſendos, ranquam Dei miniſtros, ad quos diuino primum fræti auxilio confugiamus; non ſicut Aſa Rex fecit, quod in themate propoſuimus, qui in infirmitate ſua non quæſiuit Dominum, ſed magis in Medicorum arte confiſus eſt. Hic enim Rex quoniam abuſus eſt potius hoc præſidio, nec vt Dei beneficium agnouit: ſed totum ſe humanis applicuit remedijs, nulla Dei habita cogitatione; Deus illum neglexit, & mortuus eſt. At verò Naaman Syrus curatus fuit à lepra lotione aquæ[h]. Et Ezechiæ vlcus ſanatum eſt ſuperimpoſito ficuum cataplaſmate[i]. Et S. Ioannes Euangeliſta vſus dicitur balneo, ablutionis gratia, quod ad ſaniratem aliqui referunt[k]. Imò Chriſtus Dominus lutum impoſuit oculis cæci, vt collyrium, & inſtrumẽtum ſanitatis[l], quamuis ipſe eo non indigeret, qui mirabiliter ſanabat: vti tamen voluit, tùm (vt quidam aiunt)[m] ad indicãdum medicinæ vſum, tùm ad maiorem ſuæ virtutis declarationẽ, qui medicamẽto potius rei naturæ contrario ſanitatẽ inducebat[n].

h. *4. Reg. 5.*
i. *4. Reg. 20.*
k. *Euſeb. lib. 4. c. 24.*
l. *S. Ioã. c. 9.*
m. *Frãc. Valeſ. de ſacra Philoſ. cap. 39.*
n. *S. Hieron. in c. Iſaiæ 38.*

Quapropter vt finem tandem faciamus, erat nobis in animo aliqua in vnũ colligere, quæ ad veram, ac Chriſtianam exercẽdæ huius artis diſciplinam eonducere videntur: vt ea vobis ante oculos aſſiduè verſarentur, quibus induſtria veſtra, & labores, ampliſſimis premijs à ſumma Dei liberalitate compenſarentur.

Verùm cum hæc vobis partim pro ſumma peritia, ac prudentia veſtra ſint nota, partim ſummorum Pontificũ conſtitutionibus, Innocentij III.[o] Pij V. & Gregorij XIII. comprehenſa; partim demum à ſacris Theologis ad veſtram inſtructionem, ac ſalutem collecta[p]. Et denique non nulla alia in libello nuper edito, de Chriſtiana medendi ratione, conſcripta fuerint[q]: hæc vobis repetenda minime cenſemus. Pauca quædam rantum pro muneris noſtri ratione, atq; erga vos ſtudio attingẽtes.

o. *Cap. cum infirmitas. de pœnit.*
p. *S. Grego. lib. moral. 12. tit. 14. c. 2. & tit. 22. c. 4. S. Antonin. in 3. par. tit. 7. c. 1. Summiſt. in verb. Medicus. Nauar. in Manual. tit. 25. n. 6.*
q. *Bapiſta Codronc. Imolen. de Chriſtiana medendi ratione.*

Primum eſt, vr ſicuti Parochi animabus curandis fuerunr inſtituti, aſſiduòq. illorum ſaluti inuigilare debent,

nec quicquam prætermittere, quo poſſit illorum incolumitas adiuuari: cum tamen ſciant rectè viuẽdi, atque in virtutibus proficiendi ſubſidiũ, à Dei prouidentia, ac miſericordia in primis pẽdere. Sic Medicos ad curãda corpora conſtitutos, obſtringi quacunque poſſint induſtria, ratione, ac etiã conſilio, morbo laborantibus opem ferre; ſibi nihilominus perſuadentes, illorum ſanitatem, aut interitum à Dei beneplacito pendere, qui dixit per Prophetam ſuum [a]: *Ego occidam, & viuere faciam: ego percutiam, & ego ſanabo: & non eſt, qui de manu mea poſsit eruere*. Et ideo faciles ſucceſſus, non à ſua curatione, ſed à Dei gratia agnoſcendos, eidemq. tribuendos eſſe.

a. *Deuteron. 32.*

Secundum eſt; vt ſicuti Parochi præter examen de eorum doctrina ſumptũ, habent præſcriptos Canones, decreta Conciliorum, aliaſq. conſtitutiones, quibus in munere ſuo obeundo hærere debent, nec arbitratu ſuo alia temerè aggredi. Sic Medicos oportet non rudes, atque imperitos ad curationẽ accedere; ſed theoricè, ac practicè omnia nouiſſe, quæ ſunt neceſſaria, nec à recepto probatorum Medicorum inſtituto temerè diſcedere; & præter iuramentum Hippocratis ab ijs fideliter cuſtodiendum, cætera quoque ab eiſdem, dum ad Medici Doctoris gradum promouerentur promiſſa, integrè obſeruari debere.

b. *Plato, lib. 3. de Rep. circa princip.*

c. *Super eo. de vſuris. & c. nequis arbitretur, cum ſeqq. 22. q. 2.*

Tertium: cauendum illis monemus à fallaci illa ſententia, quam Plato aliquando protulit [b]; licere publicis medicis vti mendacio pro medicamento ad cõmunem vtilitatem. Nam tametſi non defuerunt olim aliqui ex Chriſtianis etiam auctoribus, qui mendacium publicæ rei cauſa excuſari poſſe cenſuerint; attamen poſtquam ſancta Eccleſia decreuit, in ſacris literis cautum eſſe, nemini licere, etiam pro alterius vita mentiri [c]; hodie idem à Catholicis, Deumq. timentibus Medicis ſeruandum omnino erit; quod communiter etiam à Theologis probatum eſſe videmus [d].

d. *S. Tho. 2. 2. q. 110. artic. 3. Magiſt. in 3. diſt. 38. vbi S. Bonauen. Catechiſm. Rom. in 8. præcepto. Auct. obſeruat. in Ioã. Caſſian. Romæ impreſſ. in colla 17. pag. 740. Ioan Molan. in lib. 1 de fide hæreticis ſeruanda cap. 5. & 6.*

Quartum; ad eiuſdem curati ſimilitudinem: ſicuti enim ille non ſolum ſancta Sacramenta, atque alias ſpirituales medicinas plebi ſuæ miniſtrare debet; ſed etiam cum Dei miniſter ſit, curare, vt ſuo ipſius exemplo, ac morum diſciplina, eò facilius alios in via Domini inſtituat. Sic Medicus cum in curãdo corpore ſit Dei miniſter, ad id delectus, vt hoc Dei opificium conſeruet, ac quaſi fugiens retineat; debet ſe talẽ in vitæ ſuæ actionibus probare, vt à Dei timore, ac præceptis pẽdere dignoſcatur; hincq. ſi frugalitatem, temperantiam, & abſtinentiam alijs frequenter ſuadet: ipſe eadem ſectetur, & ſuo exẽplo cæteros ad eandem diſciplinã amplectendam impellat: omniaq. ea auerſetur, quæ in exercenda arte ſua, Deo poſſunt diſplicere.

Quintum; quemadmodum inſtrumẽtum non poteſt deferre actionem principalis agentis, niſi idoneũ ſit, ac opus in quod fertur, bene præparatũ; ita cum Medicus non ſolũ ſit Dei, qui operatur principaliter vitam, & mortem, inſtrumentum animatum: ſed etiam alijs inanimatis vtatur ad id inſtrumẽtis, veluti potionibus, pharmacis, & linimentis; vtiq; nõ poteſt ſanitatẽ per hæc inſtrumẽta ad ægrotũ deferre: niſi ea nõ ſolũ integra, ac quantũ in eo eſt, rectè ſe ex medicorum arte habentia fuerint; ſed etiam in ijs adhibendis omnis ceſſet ſuperſtitio, dæmonũ inuocatio, aut praua quælibet obſeruatio; pariterq. curare debet, vt infirmus ad ea percipienda ſit bene comparatus, ac iuxta Cõſtitutiones Apoſtolicas [e] Deo ſe per confeſſionis Sacramentũ conciliauerit, quod ſupra etiam attigimus.

e. Bulla Pij V. et Greg. XIII. Io. Molan. lib. de pœniteſtam. cap. 48.

Sextum: cum agnoſcatis artis veſtræ propriũ eſſe, ſanitatẽ aliorũ præſeruare, ſeu amiſsã reſtituere, ac morbos expellere. propterea cauendũ vobis maximè memoramus, ne forte Cacodæmonis inſidijs prauus vllus vnquã animo veſtro ſubrepat appetitus nouarũ ægritudinũ quacũq; ſpecie, ſiue experientiæ ſumendæ, ſiue doctrinæ oſtẽdendæ, ſiue lucri quærẽdi ſtudio, quod impiũ nimis eſſet:

eſſet:cũ imo ſãctos martyres Coſmã,& Damianũ vobis aliqua ſaltem ex parte imitãdos ꝓponere debeatis,qui à Græcis ἀνάργυροι vocati fuerunt,quoniã gratis, & nulla mercede accepta medebãtur. Vnde tales vos quoq; ſaltem erga inopes,& afflictos præbere cupimus,ad ſanctorum horum imitationem.

Deniq; ſicut ſolent Medici vere amãtes, & ſtudioſi aliorũ ſanitatis, eos etiã dũ benè ualent, admonere, vt à nimio æſtu ſolis, à vino vehementiore,ab acerbioribus pomis,atq; edulijs noxiis abſtineãt,ne morbũ cõtrahant. Sic opportunè uos eoſdem inſtruere debetis,vt animi morbos,ac vitia declinent,ex quibus corporis ægritudines ſubſequi, authores veſtri, vt noſtis, expreſsè tradiderũt[a]. Et ex ſacro Euang. quo dicitur[b]: *Ecce ſanus factus es*. euidens eſt ob peccata,& Dei offenſiones,infirmitates, ac languores, quãdoq; generari. Idcirco vos,officij veſtri eſſe memineritis, frequẽter eos qui curæ veſtræ cõmittũtur, admonere,& hortari:vt à vitæ turpitudine,ac ſceleribus,ſe maximè abſtineãt; & vos itẽ exemplo cõtinentiæ,& ſobrietatis veſtræ eoſdẽ confirmare. Ita enim fiet, vt tum ope artis veſtræ, tum ſaluberrimis monitis, homines illa duo maxima, & generi mortalium optatiſſima conſequantur, vt ſit mens ſana in corpore ſano; gratia in primis, & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen.

a. Plat. lib. 3 de Repu. Galen. lib. quod animi mores corp. ſeper. ſequantur cap.6.

b. S.Ioan 5. vbi cor. Ianſen. & S. Aug. lib de fide,& operib. tom. 4.

SERMO NONVS.

Ad Scholares Academiæ Bononien.

Bonitatem,diſciplinam, & ſcientiam doce me. Pſal. 118.

QVAE à me officia vniuerſo huic populo, ſingulisq; illius ordinibus, pro paſtorali munere deberi intelligo; ea vobis(Dilectiſſimi) multo magis,ac dupliciter quodãmodo præſtanda eſſe agnoſco. Nam præter generalem illam officij mei rationem, quæ vobis cum alijs, qui in hac ciuitate degunt, communis eſſe debet; vt omnes ſcilicet aſſidua pietate, beneuolentia, ac ſolicitudine complectar: accedit ſingularis alia vobiſcum neceſſitudo, quæ iure proprio partes meas, atque operã omnem expoſcit. *Debitor ſum*,dicebar Apoſtolus[a], *Græcis, ac Barbaris,ſapientibus,& inſipientibus*. & tamen notum eſt, eum erga Corinthios multo plus ſtudij geſſiſſe, cum dicat[b]: *In gratia Dei conuerſatus ſum in hoc mundo, abundantius autem apud vos*. Et rurſus[c]: *Vt ſciatis, quam charitatem habeam abundantius in vobis*. Quod & erga aliquot etiam alios eum oſtendiſſe, eiuſdẽ declarãt Epiſtolæ[d].

a. Ad Rom. cap. 1.

b. 1. Cor. 1.

c. 2. Cor. 2.

d. Epiſto. ad Timot. ad Titũ,& ad Philemon.

Credo vobis non ignotum eſſe, me olim militiæ veſtræ tyronem, ijſdem vobiſcum ſtudijs educatum, in ijſdem Gymnaſijs verſatũ, ipſum adoleſcentiæ curſum vobiſcũ traduxiſſe; poſtea etiã publicè profitẽdi munus per aliquot annos in Gymnaſio veſtro exercuiſſe.

Hoc initio ſermonis noſtri dictum eſſe volumus, vt intelligatis noſtram erga vos beneuolentiam longè eſſe antiquiſsimam; noſque tum ſtudiorum ſimilitudine, tum vitæ ſocietate, tum quotidiana penè olim conſuetudine, vobis fuiſſe coniunctiſſimos. Quòd ſi aliqua deinde nobis honoris, aut dignitatis acceſſio diuina bonitate facta fuit; ſcitote parem quoque bene de vobis merendi voluntatem acceſſiſſe: præcipue verò cũ Epiſcopale munus, regendæq; Eccleſiæ Bononien. cura nobis demandata fuit; cogitantibus ſimul, erga eos,quos tãtopere dilexiſſemus, eo maiorẽ etiã beneuolentiæ vim in hac paſtorali cura eſſe declarandam.

Suſpicetur hic fortaſſe aliquis ex hoc ſermonis ingreſſu argui poſſe, eſſe aliquid in moribus, vitæque veſtræ inſtituto, quod noſtra indigeat animaduerſione. Sicuti enim aduenienti-

bus Medicis, & ſerio cum aliquibus agentibus; indicium eſt, morbos ibidem non deeſſe, qui curandi ſint. Sic Epiſcopus viſitans Eccleſias, Sodalitates, Collegia, piaq. loca: quorſum hæc agit? niſi vt admoneat, emendet, reformet, & coerceat, quæ oportuerit? Pariter igitur, cum in præſenti, Archiepiſcopus ad veſtrum ſe ordinem conuertens, illum officioſe incipiat alloqui; profectò hoc primordio indicare videtur, aliquid ſe in cœtu veſtro agnoſcere, quod muneris ſui partes deſideret.

Hic quæſo animaduertite (Chariſſimi) pro veſtro ingenio, & humanitate, neminē hodie eſſe, qui ſi paulo liberius de rerum ſtatu, hominumq. inſtitutis loquamur, iure negare poſſit, præſentia tempora multum à præteritis differre; multaq. hodie (per Dei gratiam) in melius cōmutata inueniri, quæ olim nimium collapſa, ac relaxata conſpiciebantur.

Immo vt rem totam clarius aperiam: quæ circumfuſa hominum mētibus caligo videbatur, vt videntes non viderent, & intelligentes non intelligerent, eā, certū eſt, poſt effuſam Trid. Concilij lucem, extenuari, ac paulatim homines à tenebris oculos attollere, rebusq; ſuis decentius multo cauere cæpiſſe.

Nam ſi repetamus ſublimiores quoſque & præſtantiores in Chriſtiana Republica gradus, incipientes ab Epiſcopis, Canonicis, Sacerdotibus, à Regularibus, atque ab vniuerſo Clero: à Beneficiorum collatione, à Diuinorum celebratione, à cultu Eccleſiarum, tum à laicorum diſciplina, ab eorum ſodalitatibus, à cura familiari, à filiorum educatione, à matrimoniorum celebratione, & deſcendamus vſque ad milites, tanta olim licentia operam ſuam profitentes; certè multa memorare licebit fœde inquinata, ac deprauata, quæ hodie ſanctiori norma dirigi, ac inſtaurari cæpta dignoſcuntur.

Et quod pluris faciendum eſt, non ægreferunt homines recens hoc viuendi inſtitutum; mirantur potius, & erubeſcunt, ſe tali obrutos pridem caligine, in tanta diu ſepultos ignoratione iacuiſſe: gaudent nunc, exultantque, cum nouam huius ſeculi faciē inchoatam intuentur; & quæ fieri nunquam potuiſſe exiſtimabant, nunc nō magno negotio, in hominū mores inducta, cōmuniq. populorum plauſu excipi cæpta conſpiciunt.

Nec iſta in Vrbe Roma tantùm, atque apud Sedem Apoſtolicam celebrari; ſed in alijs quoque nobilibus Italiæ, & cæterarum Prouinciarum ciuitatibus propagari, ac quotidie efflorеſcere audiuntur, quæ dexteram cæleſtis auxilij ſibi impertitam fuiſſe prædicant.

Igitur vt ad vos redeamus (Adoleſcentes nobiliſſimi) ſi quis hūc reliquarum rerum curſum reſpiciens, nōnulla quoque in cœtum hūc veſtrum, ob cōmunem illam temporum calamitatem lābētiſq. æui decurſum irrepſiſſe ſuſpicaretur, quæ ad meliorem eſſent normā redigēnda; nullam (opinor) ordini veſtro iniuriam faceret, non vos aliqua in re offenderet iniquè.

Sed quænam hæc ſunt, ſubdat aliquis, quæ emendatione aliqua in præſenti egere videantur? Nos non id agimus, vt errata, ſi qua latent in nobiliſſimo hoc veſtro conſeſſu, vobis ante oculos ſtatuamus: vos ipſi pro ingenuitate, ac prudentia veſtra, rectiùs ea poteſtis animaduertere. Id tantùm vos pro paterna charitate, & veteri erga vos beneuolentia, & hortamur, & monemus, & quàm maximè poſſumus ſuademus, vt vos non tantùm ſcholares, ſed Chriſtianos ſcholares eſſe memineritis. Prima, quam profeſſi eſtis militia, Chriſtiana eſt; prius vos huic nomen dediſtis; prius vos eius legibus ſacramento obſtrinxiſtis. Cauete nunc, ne dum ſcientiam toto pectore amplectimini, in eaq. meliorem, aut fortaſſe totum ætatis veſtræ curſum conſumitis, turpiter à priſtina illa defeciſſe videamini. Benè enim monuit S. Chryſoſtomus[a]. Adoleſcentibus in ludo literarū poſitis, non tam placent ſolida, quàm

[a] S. Chryſoſt. in Proœ. in 6. Matth.

quàm picta: & pulchra potius, quàm vtilia ſectantur: nec tam agentia diligunt, quàm ſonantia:& magis gaudent foliorum amœnitate conſpergi, quàm fructuum vbertate nutriri.

Dicetis ergo; quid tandem nobis faciendum ſuades, vt poſthac vberiores, & fructuoſiores in ſtudiis progreſſus faciamus? Nihil ſanè ad id aptius, nihil accommodatius cenſerem, quàm quod illis verbis comprehenditur, quæ per

a. Pſal. 118.

os Dauidis à Spiritu ſancto dicta ſunt [a]: *Bonitatem,& diſciplinam,& ſcientiam doce me.* Quibus vera Chriſtianæ ſcientiæ adipiſcendæ methodus, ac literarum cognitionem hauriendi regula, continetur.

Sicuti enim qui arduas rupes quærunt aſcendere, ac difficilia loca penetrare, non fortuito illuc iter arripiunt, ſed fidis ducibus,ac præſidiis ſe præmuniunt. Sic qui laborioſam virtutis ſemitam ingredi, ac doctrinæ theſaurum abſconditum eruere, ſibiq. illius opes comparare expetunt; cum rem minime vulgarem, aut ad manum paratam aggrediantur: ſed quæ multo labore, non leui induſtria, ac Dei in primis auxilio, qui Dominus ſcientiarum dicitur, indigeat; debent ſibi perſuadere, certos, ac proprios gradus eſſe conſtituros, per quos vt eò perueniatur, Chriſtiano homini prudenter ſit incedendum. Hi autem ſunt illi, quos Propheta ſibi à Spiritu ſancto veluti dictatos fuiſſe declarat, cum ait: *Bonitatem,& diſciplinam, & ſcientiam doce me.*

Noueritis igitur dilectiſsimi, eos qui in ſtudijs proficere, ac ſcientiam literarum conſequi cupiunt: primum debere, hoc ſibi bonitatis fundamentum conſtituiſſe, ſine quo quamuis ædificium in altum quandoque ſurgere poſſe videatur; attamen quàm lubrica, & inanis ea ſpes fuerit, ſtatim detegitur; cum illud rimas agere, nutare, ac ruinam minari incipit, ac denique tamquam nullo innixum robore, ruere conſueuit. Præcedere igitur cùm omnino debeat hoc bonitatis præſidium; cauendum in primis eſt, ne eius imagine quandoque decipiamur, cum tripliciter hæc bonitas nuncupetur. Prima eſt bonitas, quæ naturalis: Altera, quæ moralis: Tertia, quæ ſpiritualis ſiue ſupernaturalis appellatur; quarum ſingularum mentio per ſimilitudinem quandam in ſacris literis inuenitur, vt Sanctus Chryſoſtomus adnotauit [b]. Nam cum apud Sanctum Matthæū legatur [c]: *Sunt Eunuchi, qui de matris vtero ſic ſunt nati*; hic bonitas naturalis. *Sunt Eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus*; hic bonitas moralis. *Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnū cælorum*, hic bonitas ſpiritualis indicari videtur.

b. S. Chryſoſ. in cap. 19. S. Matth. homil. 32.

c. S. Matth. cap. 19.

Inter hos igitur tres gradus, cum BONITAS ſpiritualis ſit, quæ Christiano homini præcipuo in pretio habēda, ac plurimi facienda eſt: declarandæ nobis ſunt notæ quædam ſingularū, ne earum ſimilitudine fallamur: ac in obtinenda ſpirituali, eo magis nobis laborandum eſſe ſciamus. Sunt enim quidam temperamento quodam corporis ſic conſtituti, ac ita quodammodo nati, factiquè videntur, vt neſciant cuiquam nocere, vmquam iraſci, ſint pacifici, continentes, & officioſi: quæ quidem quamuis laus aliqua ſit, quia tamen non ab induſtria, aut labore vllo proficiſcitur, verum virtutis nomen nō meretur, vt ait Sanctus Chryſoſtomus dicens [d]: *Multos poſſum oſtendere, qui ſuapte natura mulierum abhorrent conſuetudinem, eaſq. vt abominabiles fugiunt; hos ne dic quaſo continentes appellabimus? hos laudibus proſequemur? minime. Continentia eſt, voluptatum ſtimulos ſuperare: & in bellis, maxima certamina clariſsimos triūphos pariunt, non quando nemo reſiſtit.* Et aliter de bonitate animantium, ſeu arborum, aliter de hominum bonitate iudicamus; nam vt ait S. Ambroſius [e]: *Illa res, quòd bona eſſent, à natura fuerunt conſtitutæ: ſed hominibus bonitas, ex electione, labore, & voluntate, quam Deus adiuuat, obuenit.* Vnde S. Chryſoſtomus inquit [f]: *Sicut bruta, virtutum, quas habent, mercedem, aut laudem capere non debent. Sic & nos, ſi horum aliquid à natura habuiſſemus:*

d. S. Chryſoſ. homil. 35. in cap. 5. S. Ioan.

e. S. Ambr. lib. de inſti. virg. c. 3.

f. S. Io. Chryſoſt. homil. 13 ad pop. Antioch.

naturæ enim munera, non habentium, ſed datoris ſunt laus & commendatio.

Secunda eſt BONITAS, quæ moralis vocatur, quæ ad virtutem propius accedit, quatenus ex electione prodijt, & habitum immobilem fuit adepta; quia tamèn caret circumſtantia vltimi finis; cum eò non dirigatur, vt Deo ſeruiat, & legi eius obediat, non meretur illa veræ bonitatis nomen, cum radix merendi ſit charitas: *Charitatem autem* ſanctus Auguſtinus vocat[a], *animi motum ad diligendum Deum propter Deum, & proximũ propter Deum*. Hincq. dicit idem Sanctus Auguſtinus[b]: *Multi ſunt, qui ſecundum quandam vitæ huius conſuetudinem, dicuntur boni homines, boni viri, bonæ fœminæ, innocentes, & quaſi obſeruantes ea, quæ in lege præcepta ſunt, deferentes honorem parẽtibus ſuis, non mœchantes, non homicidium perpetrantes, non furtum facientes, non falſum teſtimonium aduerſus quenquam perhibentes: & cætera, quæ in lege mandata ſunt, velut obſeruantes. Quia verò iſta omnia, quæ faciunt, neſciunt ad quem finem referant, inaniter faciunt: Si enim per oſtium non intrant, quid prodeſt eis? vnde gloriantur?*

a S. Aug. lib. 2. de doctri. Chriſt. cap. 7.

b. S. Aug. tract. 45. in S. Ioan.

Tertia ſequitur BONITAS, quæ vocatur ſpiritualis, quæ vera eſt, & meritoria, & Deo grata, quãdo ex ſpiritu illo interiore naſcitur, vt ſoli Deo placeat, qui verus eſt fons, & author totius bonitatis. Nam ut ſcribit S. Dionyſius: Sicuti aqua, vt viua dicatur, neceſſe eſt, vt coniuncta ſit, & continuata cum ſuo principio; alioquin aqua eſt quidem, ſed non viua, at intermortua. Sic hominum bonitas à diuino fonte debet exurgere, & cum eodem fidei, ſpei, & charitatis motu coniungi; vnde dicebat Iſaias[c]: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.*

c. Iſa. c. 12.

Requirit etiam alia nonnulla, quæ hic breuitatis cauſa non perſequimur; ſufficit enim intelligere, id potiſſimum in ea requiri, vt in Deum actiones ſuas referat: & quicunque ſtudijs operam rectè, & vtiliter dare cupit, ille à Deo ingenij lumen, laboris vires, aſſiduitatem, atque fructuoſam præceptorũ induſtriã precetur; tum quicquid ex ſtudijs ſuis boni egreſſurũ eſt, id à Deo, vt bonitatis omnis auctore agnoſcat, omneſq. vitę ſuę actiones eò dirigat, vt in cœlis cũ illo æternis bonis perfruatur.

In hac autem bonitate aſſequenda, eo acriore vobis eſt impetu nunc contendẽdum, quo magis, vt ait S. Ambroſius[d]: *Vicina eſt lapſibus adoleſcentia, quia variarum æſtus cupiditatũ, feruore calentis inflãmatur ætatis*. Et S. Hieron. ad Nepotianũ inquit[e]: *Sicut ignis in lignis viridibus ſuffocatur: ita ſapientia adoleſcentiæ tentationibus, & libidine impedita, non explicat ſuum fulgorem: niſi labore, & ſtudio, & oratione, incentiua iuuentutis vitia repellantur.*

d. S. Ambr. offic. lib. 1. cap. 17. & c. 47.

e. S. Hieron. epiſt. 2. ad Nepotian.

Hoc iacto fundamento, quod potius interiorem renouatæ volũtatis vim reſpicit, tunc ſequitur ſecundus ad ſcientiã gradus, qui dicitur DISCIPLINA. Cuius nomen latè patet non ſolũ apud gentiles authores, ſed etiã in ſacris literis. Nam pro eruditione, pro coertione, pro conſuetudine, pro inſtituto viuendi, pro moderatione, & alijs modis accipitur. vnde illud[f]: *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus*. Et[g]: *Diſciplina tua correxit me in finem*. Et[h]: *Diſciplina tua ipſa me docebit*. Et[i]: *Tu vero odiſti diſciplinã*. Et ſcripſit S. Cyprianus de diſciplina, & habitu virginũ. Et S. Auguſtinus de diſciplina Chriſtiana. Et Boetius de diſciplina ſcholarium, & alij multi hoc titulo.

f. Pſal. 2.

g. Pſal. 17.

h. Pſal. eod.

i. Pſal. 49.

Nos his omiſſis, dicimus hoc loco diſciplinam ex ſanctorũ etiam authorum ſententia[k] rectè accipiendã videri pro ea exteriori virtute, quæ neceſſaria homini eſt ad vitia, obſcœnitates, intẽperantiamq. omnem fugiẽdam, ad bonos mores ſuſcipiendos, ad ſocietatem honeſtam, ac probitatem, innocentiã, integritatemq. in omni cõſuetudine retinendam; ita ut quemadmodum homines multi ex habitu, idiomate, moribus, & viuendi inſtituto, cuius regionis, cuiuſue profeſsionis ſint, ab ignotis etiam facile diſtingui poſſunt: Sic ſcholaris quocũque ſit loco, quicquid operis agat, quicquid audiat, quicquid ſcribat,

k. S. Antoninus in ſum. tom. 3. c. 1. §. 2.

bat, quicquid legat, ſi diſputet, ſi præceptorem comitetur, ſi in Gymnaſio ſit, ſi publicas, ſi priuatas Academias frequentet, idem, ac ſui ſimilis vbique conſpiciatur: videlicet, vt Chriſti Saluatoris ſui in primis diſcipulus dignoſcatur, cum ſancto eius timore perpetuo cõiunctus: ab eoque veram hauſiſſe diſciplinam, atque in ea profeciſſe, planè intelligatur.

Huic diſciplinæ ſe Sanctos omnes tradidiſſe, atque hanc adoleſcentibus vt maximè neceſſariam ſuaſiſſe nouimus. nam inter cæteros S. Cypr. ſcriptum reliquit[a]: *Sicut fructus non inuenitur in arbore, in qua flos prius non apparuit; ſic in ſenectute honorem legitimum conſequi non poterit, qui in adoleſcentia, diſciplina Chriſtianæ cognitione non laborauit.*

a. S.Cyp.lib. de 12.abuſionibus ſeculi c.2.

Verum quoniam pręter hæc, alia multa ad hanc diſciplinam pertinentia, vobis tradenda eſſent maximè neceſſaria, & quæ paucis compræhendi nequeunt, atque vſu potius ipſo, quàm ſermone ſolent ſe in mores inſinuare: operam dedimus ad maiorem, & certiorem veſtrum profectum: vt nobilis quædam, ac præclara ſocietas titulo PERSEVERANTIAE inſtitueretur. Cuius præter nos ipſos, qui eam ex animo ſumus amplexuri, alios etiam vobis ductores inſignes adiungere decreuimus, qui vos per hanc morum ſemitam, ſumma facilitate, & iucunditate etiam deducent, prout ſeorſum ex breui Commẽtariolo noſtro paulò poſt vobis tradẽdo, intelligetis. Hortamur igitur vos in Domino, vt tàm honorificam rei benè gerendæ occaſionem alacri mente arripiatis.

Supra part. 5.fol.364.

Vltimus eſt gradus à Propheta vobis expoſitus, qui in ſcientia cõſtiturus eſt, ad quam poſt præſidium duarum virtutum, quæ ſupra memoratæ ſunt, bonitatis ſcilicet, & diſciplinæ, accedendum eſt, quæ quoniam tanquàm apex laborum, & exercitationum veſtrarum, cenſeri ſolet; cum hanc ob cauſam vos, & ſcholares, & literarum ſtudioſos, & Academiæ Bononienſis milites profiteamini. Ideò cum valdè patens ſit hic campus, in quo vos exercere debetis, variiſque feris, & monſtris expoſitus: ac lubricum valdè ſolum, per quod eſt incedendum, niſi cautè admodum, & circumſpectè vobis hunc curſum perficiendum proponatis; propterea non poſſum ex multis non quædam ſaltem vobis attingere: quibus obſeruatis tutius, ac felicius, hoc vobis debeat iter ſuccedere.

Idcircoq. quoniam externarum ſcientiarum, gentiliumque facultatum curioſitas ſolet ſæpè nobilia ingenia à propoſito ſibi curſu diuertere, atque ad inutilia ſtudia allicere; monemus vos, id memoria retinere, quod de ſe ipſo teſtatur S. Hieronymus, & apud Gratian. in Decreto relatum eſt[c]; illum ſcilicet, cum plus æquo ſe gentilium auctorum lectioni tradidiſſet, grauiter correptum fuiſſe. Et in Carthaginenſi Concilio ſcimus gentilium librorum vſum non omnibus permiſſum fuiſſe.

c. S.Hier. in Epiſt. ad Euſtoch.22. Et apud Gratian. in c. legimus. d.ſt. 37.

Quid ergo ſi & vobis honeſta aliqua, & modeſta ratio proponatur, quæ non liberalium artium ſtudia interdicat, nec bonorum à vobis auctorum lectionem abſcindat; ſed veram in illis verſandi, atque proficiẽdi rationem demonſtret?

Nam & Moyſes omni Aegyptiorum ſcientia eruditus fuiſſe perhibetur: & Dauid in Babylone, Chaldæorum doctrina præſtitiſſe: & Paulus ipſe Apoſtolus, poetarum gręcorum teſtimonijs, veluti Epimenidis, Arati, & Menandri vtitur: & Orthodoxi Patres noſtri tùm græci, tùm latini, adeo huiuſmodi ſcientijs claruerunt, vt eos illis excelluiſſe nemo ſit, qui ex eorum voluminibus non agnoſcat.

S. Hier in Epiſt. ad Magnum orat. 84.

Verùm quia hæc cautè admodum, & magno iudicio amplectenda eſſe ijdem tradiderunt, & exemplo ſuo docuerunt; ideò nos quædam ex ijs nunc attingenda eſſe cenſuimus, quæ vobis non mediocri vſui futura eſſe ſperamus. Scripſit S. Baſil. vt multi veſtrum nouerunt, egregium libellum ad adoleſcentes[d]: *Quomodo ex libris gentilium proficiant*: vtens inter cætera ea ſimilitudine, quòd ſicuti apiculæ diuerſis inſident floribus, & ſparſim ea tantum decerpunt, vnde fauum, & mel conficiant. Sic ex Ethnicorum

d. S. Baſil. homil. 24. ad Adoleſcentes.

corum libris ea ſunt ſumenda, quæ ad virtutes excitandas, mores inducendos, ac Chriſtianam pietatem promouẽdam prodeſſe poſſunt. Alia etiam multa addidit S. Auguſt.[e] monens, vt ſicuti populus Iſrael ab Aegyptijs vaſa aurea, & ornamenta pretioſa abſtulit; idola autẽ, ac ſuperſtitiones falſas ijs reliquit. Sic nos ex ſecularibus libris, quæ vera ſunt, tanquam de metallis quibuſdam diuinę prouidentiæ, quæ vbique infuſa eſt, in vſum noſtrum transferamus, ac ab ijs tanquam iniuſtis poſſeſſoribus vindicemus.

[e. S. Aug. in lib. de doct. Chriſtiana lib. 2. c. 40.]

Hincque in libro confeſſionum[a] anteactam adoleſcentiam ſuam deplorat, quòd nimium curioſis ſcientijs non eo, quod decuit, conſilio traduxerat. Et in libris retractationum[b] accuſat ſe, quòd nimium quandoque tribuerit ſecularibus diſciplinis. Et in Epiſtola ad Memorium Epiſcopum ſcribit[c], minimè vocandas eſſe eas liberales artes, quæ non liberant hominem à peccati ſeruiture, nec in veram aſſerunt libertatem: vt alios multos omittamus, qui hoc argumentum ad reuocandos ſtudioſos ad veram ſcientiarum cognitionem eruditè, & copioſè perſecuti ſunt[d].

[a. lib. 1. c. 12 cum ſequ.]

[b. Lib. 1. c. 1. & ſequ.]

[c. S. Aug ep. 131.]

[d. S. Gre. Nazianz. orat. in laudem S. Baſilij & orat. 21. in laudem S. Athanaſij. S. Hier. Epiſt. 14. ad Da. S. Chryſ. lib. 2. de ſacer. & lib. 4. S. Cyrill. li. 8 contra Iul. S. Greg. in 1. lib. Reg. lib. 5. c. 3.]

Et quia tempus non patitur vt cætera, quæ ad rem pertinerent, nunc perſequamur, & ſperamus etiam, Dei gratia largiente, qui vobis lumen ſuum enixè petentibus non denegabit. Nolumus nos vnum hoc, tanquàm ſigilli loco prætermittere, quo mens veſtra in calce ſermonis huius ſit obſignanda.

Etenim præclaram vobis afferimus ſententiam ſancti Bernardi, qui exponens verba illa Apoſtoli Pauli ad Cor.[e] *Qui ſe putat aliquid, ſcire nondum ſcit, quomodo oporteat eum ſcire:* ait, Apoſtolum animaduertẽtem Corinthios claros maximè opibus ingenij, eloquentiæ flumine, & ſcientiarum varietate, criminibus ſimul affluere; & emendatione magna indigere, cum eorum doctrina prorſus inanis eſſet, protuliſſe hæc verba: *Qui ſe putat aliquid ſcire, nondũ ſcit quomodo oporteat eum ſcire.* Hinc S. Bernar. in ſermone ſuo in Cantica ait; Studia, & ſcientiæ ex fine præcipue commendantur, aut damnantur. Nam[f]: *Qui ſcire volunt eo fine tantum vt ſciant, turpis curioſitas eſt; Qui ſcire volunt, vt ſciantur ipſi, turpis vanitas eſt; Qui ſcire volunt, vt ſcientiam ſuam vendant, verbi cauſa, pro pecunia, pro honoribus, turpis quæſtus eſt. Sed ſunt quoque qui ſcire volunt, vt ædificent, & charitas eſt; Et item qui ſcire volunt, vt ædificentur, & prudentia eſt.*

[e. 1. ad Cor. 3]

[f. S. Bernar. ſerm. 36. in cantica.]

Cum igitur ad aliquos ex his veluti fontibus vniuſcuiuſque ſtudia, & conſilia referri ſoleant; duo illi tantum chriſtiano homini probandi ſunt, qui vel prudentiam, vt saluti ſuæ proſint; vel charitatem, vt alios iuuent, ſibi proponunt, & nunquam ſcientiam à conſcientia ſeiungunt. Quod vos Deus conſequi poſſe largiatur, gratia, & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt Dominus dominantium, & viuit ac regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

SERMO DECIMVS.

Ad Societatem ſtudioſorum Perſeuerantiæ.

Audite filij diſciplinam, & eſtote ſapientes, & nolite abijcere eam. *Prouerb.* 8.

In die Natiuitatis B. Virginis.

HAEC ſunt verba epiſtolæ, quam hodie in ſacro miſſæ in honorem beatæ Virginis ſancta recitat eccleſia, de ſapientiſſimi Salomonis volumine deſumpta, quæ nos opportuna maxime huic loco eſſe exiſtimauimus, propterea quòd cũ ad vos (dilectiſſimi) qui ſapientiæ ſtudia colitis, & qui ſodalitatem veſtram beatæ Virginis patrocinio pridem conſecraſtis, ſermo hic noſter præcipuè dirigatur; nihil aptius, aut commodius à nobis fieri poſſe duximus, quàm ſi ex Sapiẽtiæ libro eandem glorioſam Virginem vobiſcum loquentem, ac ſtudia veſtra inſtituentem induceremus; vt ſicuti Natiuitatis illius hodie à nobis memoria celebratur; ſic eandem audiatis nouam quandam virtutis, & gratiæ adipiſcẽdæ rationem vobis proponentem, per quam hodie vos quoque illi occurrere, atque cum ea coniungi incipiaris.

Quid ergo ait? *Audite filij diſciplinam, & eſtote ſapientes, & nolite abijcere eam.* Tria ſunt paucis his verbis comprehenſa, quibus perfecta ſtudiorum veſtrorum ratio continetur: oſtendunt enim finem vobis propoſitum: tum media, quibus ad finem perueniatis: demum qua ratione adeptum finem diutiſſimè retinere valeatis. Finis eſt, *Eſtote ſapientes*: medium eſt, *Audite diſciplinam*: extremum illud, *Nolite abijcere eam*: quibus verbis virtus perſeuerantiæ continetur, & præclara inſtituti veſtri inſignia celebrantur. Nunc ſingula ordine perſequamur.

Primum eſt, AVDITE DISCIPLINAM: Quid eſt diſciplina? hoc nomen multipliciter ſumi ſolere apud varios auctores ſatis notum eſt. Siquidem tum ad veram rerum cognitionem hauriendam, tum ad animi comparandum affectum, omneſque ſenſus ex præſcripto rectæ rationis conformandos ſolear pertinere [a]. Vnde varij libri de diſciplina Chriſtianorum, virginum, ſcholarium, atque aliorum conſcripti fuerunt.

[a] S. Anton. 3. par. tit. 5 c. 1. §. 2.

Nos his omiſſis, dicimus diſciplinæ verbum ex eorum nominũ genere eſſe, quę ad aliquid dicuntur, & ad aliud referri ſolent, ſicut pater, & filius: dominus, & ſeruus: doctor, & diſcipulus; vnde diſciplina dicitur ea ars, ſeu facultas, quæ diſcitur, doctrina, quæ docetur; diſciplina diſcitur à diſcipulo; doctrina docetur à doctore.

Ait ergo, *Audite diſciplinam*, quæ duo verba, duo nobis oſtendunt; primo diſciplinam apprehendendam eſſe, id eſt, aliquid eſſe diſcendum, & cognitione hauriendum, quod antea neſciebamus. Alterum eſt, *Audite*, quod modum nobis, ſeu rationem adipiſcendæ huius intelligentiæ indicat: ac ſi diceret, cum vobis neceſſaria ſit diſciplina, & rerum cognitio, curate, vt eam audiendo vobis comparetis: cum ſenſus auditus, ſenſus diſciplinarum vocetur [b].

[b] Ariſt. 1. Metaphyſ. cap. 1.

Quæramus igitur nos primum, an diſciplina hæc exterior ſit homini ad ſalutem neceſſaria, & quid ſcire vnuſquiſque debeat. Quod quidem & ſi propoſitione ipſa videatur arduum, & difficile; non indiget tamen vlla diſputatione, cum res ipſa loquatur. Homo enim

vt

a. Plin. in pro œm. lib. 7.

vt inquit ille [a], ex tenebroſo matris vtero in lucem exit nudus, inermis, imbellis, egenus, ac miſerabilis, & tamquam ex naufragio in has terrarum ſalebras proijcitur, nec fari, nec ingredi, nec veſci, nec quicquam omnino niſi plorare noſcens: Ideoque illius intellectum tan quam tabulam raſam veteres prodiderunt [b], in qua niſi characteres imprimãtur, rudis ille, horridus, imperitus, elinguis, rerumque ignarus perpetuo permanebit.

b. Ariſt. 3. de anima text. 14.

Verùm vtinam ſicut illi hominis miſeriam, & calamitatem aliqua ex parte agnouerunt, ſic vniuerſam illius cladẽ, & ærumnam mentis lumine conſequi, & meditatione complecti potuiſſent, ac morbi denique huius exitialis vim, & radicem altiùs introſpexiſſent: illi enim cum ab eis ratio exigitur, cur, cum cætera animantia nunquam, aut raro non finem ſuum aſſequantur; ſolus homo ab eo tam facile detorqueatur, & tot impedimentis, difficultatibus, & calamitatibus circumſeptus deprehendatur: nihil aliud reſpondent, quàm naturæ hãc conditionem eſſe, quam idcirco nouercam aliqui appellarunt.

Sed clementiſſime Deus, cuius bonitatem cuncta mirantur, & prędicant; qui cœlum, & vniuerſa, quæ eius ambitu cõtinentur non neceſſitate, non naturæ impulſu, ſed propria charitatis tuæ magnitudine, & liberalitate condidiſti; qui imples omne animal benedictione; qui ſua uis es vniuerſis, & miſerationes tuæ ſuper omnia opera tua; quomodo fieri poteſt, vt hominem ad imaginem, & ſimilitudinem tuam factum, quem elegiſti ante conſtitutionem mundi, eundem ad dolorum procellas, ad ſolicitudinũ tempeſtates, ad errorum tenebras, & ſupplicia creaueris?

Non poteſt (Dilectiſſimi) in mentem prudentis alicuius, intelligentiſque viri cadere; Deum, quo nihil melius, ſapientiuſque excogitari poteſt, eum initio hominem conderet miro corporis artificio, eximiaque oris maieſtate inſignem, vt omnibus animantibus, & mundi imperio præeſſet; illi deinde naturæ vim vſque adeo infirmam, cæcam, inualidam, & improuidam, qualis hodie conſpicitur, adiunxiſſe, quæ tranſuerſa metu, ſpe, gaudio, triſtitiaque raperetur, ac ſæuo dominatu iræ, & concupiſcentiæ, tamquam furijs agitata, præceps in ſcelera duceretur; tum corpus tot vitæ incommodis obiectum, & omnium ferè rerum iniurijs obnoxium illi tradidiſſe, in quo anima nobiliſſima tanquam vinculis includeretur, vbi perpetuò torqueretur.

Durum hoc nimis, & repugnans æternæ illius ſapientiæ, bonitatis, clementiæ, charitati, & altiſſimo illius conſilio videretur, ſi hoc modulo rem metiremur. Altius hoc repetendum eſt. Nam egimus nos aliquid omnino, aliquid cõmiſimus, quod nos in has miſerias coniecit, indignoſque primæuis humanæ naturæ muneribus, & iuſtitiæ originalis præſtantia ſpoliatos reddidit.

Quapropter cum Sanctis viris reſpondemus [c]; ex parentum noſtrorum lapſu, & peccati originalis crimine, tanquam ex infecta radice, peſtiferum hoc virus in omnem poſteritatem manaſſe; hancque non naturæ conditionem eſſe, ſed peccati pœnam, quam ſi homo non peccaſſet, non vtique pateretur. Olim enim cum manibus ſuis illum ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam Deus effinxiſſet, ampliſſimis etiam eundem muneribus inſtruxerat, ac omni ex parte rectum, & perfectum creauerat.

c. S. Aug. 14 de ciuit. Dei c. 12.

At vbi ille ſe ab eius obedientia ſubduxit, aurémque dæmonis fraudibus præbuit; in tantam illico lapſus eſt caliginem, totque errorum tenebris fuit circumſeptus, vt ad eas diſpellendas, magnis indigeat ingenij neruis, ſumma vigilantia, ac mentis contentione, & quod caput eſt, ſummo diuinæ opis præſidio, ſine quo timidæ ſunt, & incertæ omnes cogitationes noſtræ. Hinc ſæpe monemur [d]. *Notam fac mihi viam, in qua ambulem*. Et [e]: *Doce me iuſtificationes tuas*. Et [f]: *Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris*.

d. Pſal. 142.
e. Pſal. 118.
f. Pſal. 31.

At dices, quomodo ergo tot pauperibus, agricolis, mulieribus, cerdonibuſque

buſque erit conſultum, qui literas non norunt, nec legere, aut ſcribere vnquam didieerunt?

Reſpondemus; hoc ad alterum illud caput pertinere: quid ſit id, quod ſcire vnuſquiſque debet. Qua in re dicimus, hominem dupliciter cõſiderari [a]; aut ſecundum naturam ſpeciei, quatenus ratione, & arbitrio præditus eſt; aut ſecundum naturam, quam vocant indiuidui, ideſt peculiaris illius vocationis, & ſtatus, quem à Deo ſortitus eſt.

a S.Th.1.2. q.76.art.2 Syluestr. in verb. ignorantia.n.6.

Quapropter ſecundum priorem naturam, conſtans eſt ſacrorum theologorum ſententia: ea vnumquemque ſcire compelli, quæ omnibus ſunt ad ſalutem neceſſaria: qualia ſunt, fidei articuli, & vniuerſalia iuris naturalis præcepta, ac communia iuris Eccleſiaſtici mandata, à quorum cognitione, & obſeruatione nemo immunis eſt. Hinc inſtitutum illud fuiſſe noſtis, vt rudes catechizentur, vt pueri doctrina Chriſtiana imbuantur, vt plebs admoneatur, vt iuuentus inſtituatur, vt boni mores paſſim diſſeminentur.

Si verò ſecundum proprium functionis ſuæ ſtatum ſpectetur, iidem affirmant, vnumquenque ea noſſe compelli, ſi ſalutis ſuæ eum cura tangit, quæ ad illius officium adminiſtrandum, ſtatumq; rectè gubernandum, necnon ad res quaſdam proximas, & circunſtantes pertinent: quarum cognitio ab eruditis ſcientia facti appellatur, vt dignè ambulet vocatione, qua vocatus fuit;

H:ncque fit, vt præter illa communia iuris diuini præcepta, non eadem mercator atque Epiſcopus cognita habere debeat; non eadem villicus, & parochus; non eadem miles, & ſacerdos; ſed vnuſquiſque officii, & vitæ ſuæ benè inſtituẽdæ diſciplinam exploratam habeat, cuius rationem Principi Deo reddere tenetur. Vnde omnibus Chriſtianis edicitur: *Audite diſciplinam*.

Sed rurſus mirum illud videtur, cur dicat: *Audite diſciplinam*, cur nos magis adigit ad audiendum, quàm ad videndum, legendum, meditandum, colloquendum, tractandum, diſſerendum, aut alio quouis ſenſu percipiendum?

Dicent fortaſſe qui ſecularibus diſciplinis dant operam, auditum eſſe maximè capacem diſciplinæ, & cæteris ſenſibus hac in parte excellere.

Nos reſpondemus, hoc propoſitę dubitationi non ſufficere, ſed ex fonte ſacrarum literarum id quoque petendum eſſe. Nam cum duplex ſit diſcendi ratio [b]; aut ſponte inueniendo, ſicuti ſanctus Auguſt. atteſtatur in libr. confeſſ. [c] inquiens: *Quicquid de arte loquendi, & diſſerendi; quicquid de dimenſionibus figurarum, & de muſicis, & de numeris ſine magna difficultate, nullo hominũ tradente intellexi, ſcis tu Domine Deus meus*; aut audiendo ab alijs diſcimus, & percipimus: Diſciplina, quę Chriſtiani hominis propria eſt, & ad ſalutẽ neceſſaria, ea eſt eiuſmodi, vt ſolo tantùm auditu percipi poſſit. *Nam fides*, vt ait Apoſtolus [d], *ex auditu: auditus autem, per verbum Dei*.

b S.Th.in 1. q.117.ar.1

c S.Aug.lib. 4. Confeſſ. circ. fin.

d Ad Rom. 10.

Ratio ea eſt, quòd homo naturæ ſuæ viribus, & ingenii induſtria ea tantum conſequi poteſt, quæ a natura proficiſcuntur, & ratione, ac ſenſibus inueſtigari poſſunt: At in his, quæ ſupra naturam ſunt, & rationis humanæ limites excedunt: qualia ſunt ea, quæ fidei ſunt; non poſſumus ea nos ingenii noſtri uiribus inuenire, cum eorum initia ſublimiora ſint, quàm ut eò mentis noſtræ acies poſſit peruenire.

Ideo neceſſarius eſt in iis auditus, quia à Deo ſciente, & uidente, patefacta & reuelata, nobis ab áliis prædicantur, atque à catholica Eccleſia nobis tamquam diuinitus accepta proponuntur [e]; quæ nos cum audimus, non ut uerba hominum accipimus, ſed ut verè ſunt uerba Dei; quibus auditis cor noſtrum inclinamus, quod eſt donum gratiæ, & infuſæ fidei, ac aſſenſum præbemus, tanquam certis, & indubitatis, licet ea non uiderimus, nec ratione humana comperta habeamus; & hæc eſt fides, quæ quod ad ipſas res credendas pertinet, ex auditu prouenit. Non negamus quidem, quin quandoque poſſit Deus cor hominis in his illuſtrare, nullo extrinſecus ſono uerborum adiecto; ſed perrarum id

e S.Th.2.2. q.6. art.1. & 2. Caiet.in 2.2 q.1.ad.3.

eſt,

Digitized by Google

eſt, & paucis largitum; diciturque ille etiam auditus, ſed interior; prout in pſalmo [a]: *Audiam quid loquatur in me Dominus.*

a. Pſalm. 84

Sequitur altera pars; ESTOTE SAPIENTES: qui finis eſt. Cur enim audimus? cur diſcimus? cur ſtudemus? cur ſcholas, & gymnaſia frequentamus? cur ſacras conciones, & ſermones auſcultamus? Nempe vt ſimus ſapientes: illa ſunt media, hic finis: illa inſtrumēta, hoc opus: illa conſilia, hæc executio: illa præparant, hæc perficiunt.

Maxime autem hoc refert (dilectiſſimi) quoniam multi diſciplinæ ordinem non agnoſcentes, aut peruertentes potius, ſtultè labuntur: & quæ ſunt media, tanquam finem vſurpantes, in curſu ipſo ſemper conſiſtunt, finem ſe tenere exiſtimantes; vnde ad extremum, omnem operam luſiſſe, inanique ſe ipſos labore conſumpſiſſe deprehenduntur. Sicuti ſi quis quotidie cæmenta, lapides, ligna, aliamque ad fabricandum materiam diligenter congereret, nec vnquam ædificaret: aut ſi quis milites conſcriberet, commeatum, armamentaque colligeret, equos inſtrueret, exercitumque adornaret, nec vnquam prælium gereret, aut in pugnam deſcenderet; Quorſum tot munimenta, cur tot præſidia, tantus apparatus, tot labores, tot curæ, & ſolicitudines?

Cur igitur monemur hodie, vt diſciplinam audiamus? ecce, vt ſitis ſapientes. Primo vt ſitis; nam non ſatis eſt in chriſtiana diſciplina verbis ſcientiam profiteri, ac magna facundia, diſputandi ſolertia, & verborum etiam fulminibus de Deo, deque æternis rebus dicendi vim declarare. Verum actionibus ipſis, & operibus eſt hæc ſcientia comprobanda. Habent, vt vos optimè noſtis, aliæ ſcientiæ communes locos ad ea, quæ tractant demonſtranda, à coniugatis, ab antecedentibus, à ſimili, à maiori ad minus, & ab alijs huiuſmodi. At in dialectica Chriſti, vnus eſt tantum locus, ab operibus. nam ſcriptum eſt [b]: *A fructibus eorum cognoſcetis eos.*

b. Matt. c. 7

Quod igitur dictum fuit, *Audite diſciplinam*, eſt cuiuſdam prælud ij loco. Fingite enim ſic loquentem; cum libros euolueritis, cum cognitione animos veſtros imbueritis, cum ſtudiorum varietate ingenia veſtra excolueritis, atque eruditione illuſtraueritis, mementote ea omnia huc pertinere, vt ſitis ſapientes: ne forte inani illo, & ſpecioſo doctorum, ſeu dialecticorum, aut iuriſconſultorum, & philoſophorum, ac etiam Theologorum titulo delectati, & decepti, vlterius vobis progrediendum non putetis. Imo date operam, vt quæ cognitione, & diſciplina eritis conſequuti, re ipſa, & ueriſſima ſapientia comprobetis.

Quænam uerò hæc eſt Sapientia? noſtis inſignia multa, & præclara de ea, in ſacris literis, & præſertim à Salomone prædicari. dicam illud tantum, quod ipſe quodam in loco atteſtatur [c]: *Prapoſui ſapientiam regnis, & ſedibus: & diuitias nihil eſſe duxi, in comparatione illius.* c. Sapien. c. 7

Duplex autem hæc Sapientia inuenitur; aliter enim à gentilibus, qui de ea uolumina ſcripſerunt, ſumi ſolet; aliter à Chriſtianis, & Theologis. Hincque Apoſtolus Paulus ſæpe vtriuſque meminit, & alteram cum altera confert: ne falſæ ſapientiæ, quam Ethnici in cęlum efferebant, imagine decipiamur. Vnde ad Corinth. ſcribens ait [d]: d. 1. Cor. 1. *Scriptum eſt, perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. Vbi ſapiens, vbi ſcriba, vbi inquiſitor huius ſeculi? nonne ſtultam fecit Dominus ſapientiam huius mundi? Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt: nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum: Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem vocatis Iudæis, atque Græcis Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam.* Diſcrepant itaque hęc inter ſe multipliciter, quę ad tria redigimus; quarum alia attingunt principium, alia medium, & alia finem.

Quoad initium, dixerunt illi, Sapientiam humanis viribus, ingenijque noſtri facultate, tum exercitatione, induſtria,

ſtria, alijſque ſtudiorum ſubſidijs comparari poſſe. Noſtri humanam quidem hanc induſtriam non excludunt, ſed in primis diuina gratia, & cæleſti magiſterio opus eſſe contendunt; quoniam ipſi inſcitiam noſtram, rectèque viuendi imperitiam, atque in malum, propenſionem, non à natura ipſa, quemadmodum in primis fuit à Deo creata: ſed à crimine noſtro profectam eſſe agnouerunt; ſiquidem Deus hominem rectum corpore, & animo condidit, & quæ ab ipſo proxime procedunt, omni vitio carent [a]: culpa autem integra hominis eſt, dicente propheta [b]: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum*. Ideo vt contraria contrariis curentur, dicunt noſtri, timorem Domini verum ſapientiæ initium eſſe: dicunt in maleuolam animam introire non poſſe ſapientiam: dicunt hanc humilibus, & paruulis communicari: elatis autem, & virium ſuarum fiducia fretis, & ſenſu carnis ſuæ inflatis, eam abſcondi, & denegari: dicunt denique non ſola lectione, ſed oratione: non diſputatione tantum, ſed compunctione; non audiendo ſolum, ſed gemendo; non oris fœcunditate, ſed cordis humilitate obtineri.

a. S. Thom. in 1. q. 49. artic. 1.

b. Pſal. 50.

Quod ad media attinet, dixerunt illi, ſapientiam in cognitione veritatis verſari, quæ ad intelligendi vim tantum ſpectaret, ac mentis acumine, exercitatione, multaque ſpeculatione perficeretur [c]. Noſtri, hac inani, & ſterili ſpeculatione non contenti, eam non ad intelligentiæ tantum, ſed & ad volũtatis vires pertinere dixerunt. Vnde Anaxagoram, & Thalethem, ac huiuſmodi homines ſcientes vocarunt, ſed non ſapientes; eo quòd inquirerent difficilia, admiranda, ac planè diuina: quæ tamen ſunt exiguæ vtilitatis, ſi cum ſapientia, de qua agimus, comparentur.

c. Ariſt. 6. Ethic. c. 7.

Idcircoque veræ ſapientiæ dignitatem non præcipue in eo verſari, quod auditum, ſed quod factum; non quod cognitum, ſed quod amatum; non quod creditum, ſed quod obſeruatum; non quod ex labiis exeat, ſed quod introrſum cor ſentiat, & guſtet; cum uitam in primis bene inſtitutam, ac probitatis, innocentiæ, atque honeſtatis ſplendore fulgentem requirat. Hincque in Eccleſiaſtico ſcriptum legitur [d]: *Fili concupiſcens ſapientiam, conſerua iuſtitiam*, hæc iuſtitia verſatur in obſeruatione mandatorum Dei. Vnde ſcriptum eſt [e]: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm ſcrib. & phar. non intrabitis in regnum Dei*; Cur hoc? quoniam illi dicunt, & non faciunt: Chriſtianos autem oportet vtrũque præſtare, & cum rerum cognitione veram pietatem, religionem, ac vitæ exempla coniungere, cum ex vtroque vera conſletur ſapientia.

d. Eccleſ. c. 1.

e. S. Matth. cap. 5.

Ac ſicut ille laudatur, qui ad cytharæ ſonum concinne vocem flectit, & compoſite ſaltat, corporiſque membra ad illius numerum circumagit, & vertit; Sic in ſapientia, quod ratio dictat, quod intelligentia præſcribit, quod rerum cognitio ſuadet, id à Chriſtiano homine cum vſus venit, cum occaſio poſtulat, cum aliorum ædificatio exigit, impigrè, ſincerè, & libenter quoque præſtandum eſt.

In fine etiam ii ferè omnes diſcrepãt, nam vt nihil dicamus de ea fælicitate, quæ ad mores pertinet, & in perfecta virtutis actione conſiſtit: Sed ſolam alteram conſideremus, quæ in nobiliſſima mentis operatione ab illis collocatur, quæ & diuinarum rerum contemplatio, ac proinde ſapientia appellatur. Nonne videmus, quàm anguſtis huius breuiſſimæ vitæ ſpatiis eam circumſcribant, ac ſeptam teneant? At noſtri ſublimiorem nobis finem, ac longe præſtantiora præmia, ac perpetuam in omnia ſecula fœlicitatem, quæ futuræ erit vitæ, propoſitam agnoſcentes, huius ipſius ſapiẽtiæ finem, non nuda Dei cognitione, ſed dilectione; non ſpeculando ſolum, ſed amplectendo; non videndo tantum, ſed poſſidendo, & fruendo diffinierunt.

Hinc ſequitur, vt humanam ſapientiã diuina ſapientia prorſus non abijciat: ſed vt ancillam, & pediſſequam ſibi miniſtrantem ſecum deducat. Quod ſi eam (quod abſit) cornua quandoque erigentem, ſeque temere extollentem intueatur; tunc illam, vt inſanam prorſus, ac inani tumore laborantem repudiet, ac contemnat. In quam ſententiam multa in ſacris literis, & ab Apoſtolo ſcripta reperiuntur.

Tertia ſupereſt pars: ET NOLITE ABIICERE EAM. Qui de virtutibus ſcripſerunt, in ijs tria conſiderare ſolent, quod eligens, quod ſciens, quod cum immobilitate. Hic iuncta hæc animaduertitis: nam ad electionem pertinet, *Audite diſciplinam*: ad ſcientiam, *Eſtote ſapientes*; ad immobilitatem, *Nolite abijcere illam.*

Poſtquam igitur alias duas partes ſupra complexi fuimus, nunc de tertia agendum reſtat, quæ in primis eſt neceſſaria, ac perſeuerantiæ virtute continetur.

a. S. Bernar. epiſt. 129. Hæc enim virtus, vt ait S. Bernard.[a] *Vigor virium, virtutum conſumatio eſt, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Soror eſt patientiæ, conſtantia filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, propugnaculum ſanctitatis.* Et ſubdit: *Tolle perſeuerantiam: nec obſequium mercedem habet: nec beneficium gratiam: nec laudem fortitudo.* S. etiam Chryſ.[b] hortans ad perſeuerãtiam in oratione, inquit: *Quando dico chariſſimi, roga Deũ, obſecra eum, famulare illi; dicis, Rogaui ſemel, ſecundo, & tertio, & decies, & vigeſies; & quidnam accepi inquis? Ne recedas, quouſque accipias; finis poſtulati; acceptio deprecantis eſt. Tunc ceſſa quando acceperis, immo magis nec tunc ceſſes: ſed tunc perſeuera, agens gratias pro eo, quod accepiſti, vt perſeueret tibi quid acceperis.* Hinc eſt, quod dici ſolet, diabolum ſoli ſemper perſeuerantiæ inſidiari, quia vt idem S. Bernard.[c] aſſerit: *Sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus.*

b. S. Chryſ. ex varijs in S. Matt. locis hom. 17.

c. S. Bernar. ead. ep. 129

Verùm cum videamus veſtram hanc ſocietatem præclari huius tituli denominatione inſignitam eſſe: voſque hoc ipſum præcipue profiteri, vt inchoata à vobis ſtudia, ac diſciplinas vſque in finem continueris; iamque in hunc vſque diem perſpiciamus omnes vos per Dei gratiam magnis itineribus in hunc curſum incitatos eſſe: propterea ſuperuacaneum exiſtimamus, ſponte, vt dicitur, currentibus calcaria addere.

Tantum in memoriam animis veſtris redigimus. immortalia illa præmia, quæ perſeuerantibus ſunt in cælo propoſita: vt intercedente huius beatæ, & glorioſæ Virginis præſidio, cuius vos patrocinio iampridem addixiſtis, ea cumulatè conſequi; atque alios etiam exemplo veſtro ad idẽ brauium comprehendendum excitare valeatis.

Quod vobis Deus per infinitam miſericordiã ſuam largiri dignetur. Amen.

SERMO

SERMO VNDECIMVS.

Ad Optimates, & Primarios vrbis Bonon.

Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.
S. Matth. 18.

In die S. Michaelis Archangeli.

Congreſſus hic veſter (Viri clariſſimi) ac perhonorifica illuſtriorum ferè omnium, qui in hac Ciuitate fulgẽt, ordinum præſentia, maximis priuilegijs, ac ſplendoribus exornata, non nullam nobis pro portione quadam diſcipulorum Domini imaginem refert, qui cum ſe arctâ præ alijs familiaritate cum Saluatore noſtro iunctos, atque ab eo ſibi arcana multa, & diuinæ legis myſteria communicari viderent; in magnam ſpem fuerant erecti, fore, vt in regno quoque cælorum cæteris ſuperiores eſſent futuri; Imo ſicut in aulis Principum hi, qui apud eos gratia, & auctoritate cæteris præſtant, inter ſeſe apertis contentionibus, vel certè æmulationibus occultis decertãt, vt priorem locum apud eoſdem obtineãt; ſic ipſoſmet diſcipulos cupiditas quędam inceſſerat intelligendi, quis eorum maior in regno cælorum futurus eſſet, cum illorum quiſque hunc quaſi primatum varijs rationibus ad ſe pertinere contenderet. Vnde ait S. Marcus [a], & S. Lucas [b], quod in via intrauit hæc in eos cogitatio, & diſputauerant, quis eorum maior eſſet.

a. S. Marc. c. 9. b. S. Luc. c. 9 & c. 22.

In præſenti igitur die, poſtquàm Euangelium hoc legitur, quo vos (Viri præſtantiſſimi) huc conueniſſe videmus, (quorum authoritas cæterorum ſtatum nobilitate, aut opibus, ſiue ſcientia, aut aliis gradibus longe antecellit) quoniã poſſet fortaſſe hæc cogitatio alicuius mentem perſtringere, num quemadmodum vos dignitate, & loco in terris præſtatis, ita etiam excellere, & eminere debeatis in cælis. Idcirco non alienum eſſe exiſtimaui, nonnulla vobiſcum hodie hoc argumento, vt maxime rationibus veſtris ſalutari, intercedente B. Dei Virgine, & glorioſo S. Michaele Archangelo, diſſerere.

Etenim clara eſt Saluatoris Domini noſtri reſponſio, dicentis [c]: *Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Quæ verba cum valdè ſint ardua, atque ad inſtruendos eorum animos, qui ad huiuſmodi gradus aſpirant, valdè accommodata; ideò diligenter examinanda erunt, vt quo quiſque loco, ſeipſum recte cenſere poſſit, facilè perſpiciat.

c. S. Matt. 18

Itaque primum exordiendum videtur à rationibus, quæ Apoſtolorum aliquorũ pulſare mentes poterãt, cur ita ſe dignos putarent, qui aliis eminerent, vt ſcilicet illas cum noſtris affectibus conferentes, quanti hæc ſint, poſſimus dignoſcere.

In primis enim poterant fortè aliqui ex diſcipulis ſecum dicere; Domine nos ſumus aliis clariores, quia ſemẽ Abrahæ ſumus, atque à Regia Dauidis progenie deſcendentes, idcirco aliis præferri debemus. Sic forte hodie quoque poſſent multi arbitrari ad excelſiorem ſe locum adſciſcendos, quòd ſint clara ſtirpe prognati, quod maiorum habeãt imagines, quòd antiqua eorum familia recenſere poſſit nobiles proauos, atauos, ac maiores alios. Quid ad hæc pridem reſpondit Dominus per Apoſtolũ ſuum [d]? *Nõ multi ſapiẽtes ſecundum carnẽ, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes, & infirma mundi eligit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.* Et [e]: *non eſt perſonarum acceptator Deus: ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.*

d. 1. ad Cor. 1

e. Rom. c. 2.

Alij forte dicebant: Nos illi ſumus, quibus tu maiora arcana tua communicaſti, & quos conſiliorum tuorum participes effeciſti; interfuimus enim clariſſimæ illi transfigurationi tuæ in monte

a. S. Matt. 17

Thabor [a], tuque initia gloriæ tuæ nobis aperuiſti, cur ergo non eadem in cælis prærogatiua fruemur? Hodie ſimilibus admodum rationibus poſſent ſibi multi temerè blandiri, quod cum Magiſtratus Ciuitatis ſua illis ſecreta conferant, Principes terrarum quandoque illos conſulant, hique auctoritate, ac conſilio alijs præſtent; idcircò ſe cæteris potiores in cælo quoque futuros

b. S. Ioan. 6.

exiſtimare. Quid verò Dominus ait [b]? *Nonne duodecim vos elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt?* Quo maiora vobis chariſmatum meorum munera impertiui, eò conſtantiorem à vobis fidem, & integritatem, animique puritatem exigo. nam [c]

c. S. Luc. c. 2.

cui plus datum eſt, plus etiam petetur ab eo.

Alij: nos priores cæteris re ſecuti ſumus, diutius tibi adfuimus, ideò alijs præferri debemus, nàm priores tempore, potiores iure eſſe debent; hocque ſibi priuilegium maturitas noſtra iure depoſcit. Ad hæc Dominus: Non ego greſſus corporis metior, ſed animi alacritatẽ, & qui aliorum in me diligendo charitatem an

d. S. Matt. 20

teuerterunt, ideoque [d] *primi erunt nouiſſimi, & nouiſſimi erunt primi*, nec enim ætatem annorum numero, ſed virtutum meritis expendo, hincque *paruulos venire ad*

e. S. Marc. 10

me iubeo, talium enim eſt regnum cælorum [e].

Alii: nos ſumus propinquiores, arctiſſima tibi conſanguinitate cõiuncti, ideò aliis præferendi. Quid Dominus? Non

f. Matt. c. 12

noui carnem, & ſanguinem: *qui* [f] *fecerit voluntatem patris mei, hic frater meus, ſoror, & mater eſt.*

Alii: nos linguis locuti ſumus, prophetauimus, ſermonumque dono floruimus. Sic hodie fortè multis in mentem venit ſe iactare, quòd dicendi copia, & verborum facundia alios obruant, & inuoluant, & aduerſarios magniloquentia perfringant. Quid adhæc Dominus? *Re-*

g. 1. ad Cor. 4

gnum Dei non eſt in ſermone, ſed in virtute [g].

Alii: nos ſapientiæ diuitiis, animique robore præſtitimus, vnde aliis digniores ſumus. Quid Dominus? Iam dixi per Prophetam meum [h]: *non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec diues in diuitijs ſuis, nec fortis in fortitudine ſua, ſed qui gloriatur in hoc glorietur, ſcire, & noſſe me.*

h. Ierem. c. 9.

Hæc, & alia huiuſmodi ſolet humanus ſenſus infirmitati hominũ ſuggerere, dũ morbo hoc laborant, vt aliis præferri cupiant, quæ quidẽ impura alia pariunt vlcera; cum hinc liuor inuidiæ, hinc acerbitas odii, hinc contemptus fratrum, hinc ſcandalum proximorum, hinc præſumptio meritorum, hinc arrogans viriũ ſuarum fiducia ſcaturiat. Quid igitur ad huiuſmodi petitiones reſpondiſſe Dominum legimus? Dupliciter; olim quidem cum mater filiorum Zebedei poſtulaſſet [i]: *Dic vt hi duo filij mei ſedeant, vnus à dextris, & alius à ſiniſtris in Regno tuo:* Ille inquit: *Neſcitis quid petatis: Poteſtis calicem bibere quem ego bibiturus ſum?*

i. Matth. 20

Ac ſi diceret, quod alibi aperuit: Nondum prima diſciplinæ meæ elementa tenetis:, non ſunt viæ meæ, viæ veſtræ. In curſu Domini contraria eſt ſemita incedendum, & aduerſus fluminis impetũ continenter eſt nitendum: Qui vult ſapiens eſſe, ſtultus fiat [k], Qui vult locupletari, indigeat; Qui vult gaudere, lugeat; Qui vult ſaturari, eſuriat; Qui vult vincere, perdat; Qui vult aſcendere, deſcendat; Qui vult præeſſe, ſeruiat; Qui vult maior eſſe, fiat minor.

k. 1. ad Cor. 3

Hodie verò cum diſcipuli aliquid amplius petere videantur, quis ſcilicet eorum maior ſit futurus; (quibus verbis tacitè id cenſetur includi, quæ ratio ab illis ſit tenenda, vt maiores cæteris euadant;) Ideò inquit [l]: *Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Quibus verbis non ſolùm eorum fiduciam inanibus hærentem adminiculis elidit, ſed etiam initia vera detegit, quibus illis ſit ingrediendum; perindè ac ſi diceret, tantùm abeſt, vt vos de priore loco ſoliciti eſſe debeatis, vt nec liceat vobis ad ingreſſum Regni mei vllatenus aſpirare, nec fores ipſas cæli attingere: *niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli* [m].

l. Matt. 18.

m. Matt. 18

Quæ

Quæ verba prout videtis, Dilectiſſimi, ſunt tripartita. Nam pars extrema, qua dicitur: *Non intrabitis in regnum cælorum*, eſt tanquàm finis; priores duæ, ſunt tanquàm media perueniendi ad finem; iſta tanquàm inſtrumenta, illud tanquàm opus, quod his inſtrumentis eſt extruendum. Fingite Dominum dicentem; Finis hominis quis nam eſt? vtique beatitudine perfrui. Ratio autem perueniendi ad hunc finem, quænam eſt? duplex; prima, vt conuertamini; ſecunda, vt efficiamini ſicut paruuli.

Verùm cur hæc duo tantum remedia nobis propoſuit? nõne & alia multa ſunt neceſſaria? Nonne enim eſt ſcriptum [a]: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*? Et alibi: *Niſi pænitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis* [b]? & alia huiuſmodi alijs in locis.

a. S. Ioan. 3.

b. S. Luc. 13.

Reſpondemus, quæ duo hic proponuntur, eſſe illa vniuerſalia chriſtianæ legis præcepta, quibus vera abſolutaque virtutis ratio continetur [c], quod eſt: *Diuerte à malo, & fac bonum* [d]. Hæc enim vbi quis præſtiterit, ille omnem iuſtitiæ partem impleuit. Sic Iſaias Propheta [e]: *Quieſcite peruersè agere, & diſcite benefacere*. Vtrumque autem ſuperioribus thematis verbis comprehẽditur. Nam dum ait: *Niſi conuerſi fueritis*, priorem illam partem reſpicit, *diuerte à malo*. Cum vero ait: Et *efficiamini ſicut paruuli*, alteram complectitur, *fac bonum*: quæ in virtute conſectanda poſita eſt. His autẽ duobus tanquam cardinibus totius chriſtianæ philoſophiæ orbes voluũtur; nam qui vtrunq; bene pręſtat, ille pœnitentiã exercet, ſacramenta colit, cæteraque omnia obit, quæ ad chriſtiani hominis munus pertinent.

c. S. Th. 2. 2. q. 79. art. 1

d. Pſal. 33.

e. Iſai. c. 1.

Hincq; non obſcurè etiam liquere poteſt, cur ab ea parte incæperit, *niſi cõuerſi fueritis*. Nam ſicut agricolæ, cum agrum ſterilem excolere, atque ad frugem bonam redigere cupiunt; ſolent in primis in eo laborare, vt ſaxa euellant, vepres, ac ſentes abſcindant, ac quicquid noxium eſt, radicitus tollant. Inde vites, & arbores frugiferas conſerunt, triticum ſeminãt, vnde meſſis oriatur. Sic in chriſtiana vita, qui volunt hanc animæ noſtræ vineam diligenter excolere, ſolent eam in primis ab omni ſcelere, & maleficio expurgare; Inde virtutes in ea inſerere, & probitate, ac morum innocentia eam exornare; ſic Ieremias Proph. [f] *Conſtitui te ſuper gentes, & regna, vt diſſipes, euellas, diſperdas, ædifices, & plantes*.

f. Ierem. c. 1.

Iure igitur hoc loco initium ſumitur ab hac conuerſione, quę eſt depulſio malitiæ, & amputatio vitiorum.

Quapropter videndum in primis eſt, quid ſit hæc conuerſio, & in quem ſensũ accipiatur. Atqui certum eſt conuerſionem generali nomine accipi pro mutatione, & translatione alicuius rei in aliã, ſiue cum deſinit res vna, & ſuccedit alia; hoc autẽ pertinet tàm ad res naturales, quę materia, & forma conſtant, quàm ad ſpirituales. In rebus naturalibus ſumitur conuerſio, cum ſubſtantia, aut accidens mutatur in aliud: veluti cum granum ſinapis minimum, mutatur in arborẽ magnam [g]; aut aer in aquam, ſiue ignẽ; vel alimentum in ſanguinem, vel alia huiuſmodi, quæ nihil ad rem noſtram. At ſpiritualis animæ cõuerſio, de qua agimus, vim mentis indicat, quæ in illud dirigi cæpit, à quo antea erat auerſa, & aliena. Hincq. dixerunt Sacri Theologi, in qualibet cõuerſione, duos includi terminos, alterũ appellatum à quo, alterũ ad quẽ.

g. S. Luc. c. 13

Promiſcuè verò hoc nomen accipi ſolet, tàm in bonam, quàm in malam partẽ. Nam cum quis à bonitate tranſit ad malitiam, ſeu à Dei obediẽtia ad res flagitioſas; illa dicitur conuerſio, quę includit auerſionẽ ſcilicet ab incommutabili bono (vt Theologi aiunt), & conuerſionẽ ad cõmutabile bonum, quæ ſunt res huius ſeculi. Vnde Apoſt. [h] *A veritate* (inqt) *auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur*. Et Ierem. Proph. [i] *Duo* (ait) *mala fecit populus meus, dereliquerunt me fontem aquæ viuæ*; ecce auerſionem. *Et foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ non valent continere aquas*; ecce conuerſionem.

h. 2. Timot. c. 4.

i. Ierem. 2.

Aliquando autẽ accipitur in bonam partem, ſcilicet cum quis tranſit à vitijs ad virtutes, & tunc à commutabili bono

 tranſ-

transmigrat ad incommutabile, pro vt in Pſalmo [a]: *Et impij ad te conuertentur.* Et Proph. Ioel [b]: *Conuertimini ad me in to to corde veſtro*, Hoc igitur loco ſumitur conuerſio in bonam partem; monemur enim, vt ſi ſalui eſſe volumus, conuertamur ad Deum creatorem noſtrum.

a. Pſal 50.
b. Ioel 2.

Hæc autem conuerſio in adultis vt plena, perfectaque ſit, à duobus veluti fontibus ex parte noſtra, debet etiam proficiſci; ſcilicet, ab intellectu, & voluntate; quæ ſunt duo principia ſpiritualis vitæ, vt ſciamus, & velimus.

Intellectu ſiquidem conuertimur ad Deum per fidem, credentes illum eſſe verum Deum, & qui ſolus beare animas noſtras poteſt. Vnde illud [c]: *Accedentem ad Deum, oportet credere*. Hincque Apoſtolus loquens de Iudæis, qui auerſi erãt à Deo, quoniam carebant lumine fidei, inquit [d]; *Cum autem conuerſi fuerint ad Dominum, auferetur velamen*; quod ſanctus Ambroſius intepretatur de conuerſione per fidem.

c. ad Heb. 11
d. 2. ad Cor. 3

Altera eſt conuerſio deſcendens à voluntate: non enim ſatis eſt, vt credamus vera eſſe, quæ Deus præcepit; ſed etiam oportet, vt erga illa afficiamur, ac eadem diligamus, oblectemuſque nos in ijs obſeruandis. Vnde Dauid [e]: *Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua*. Inquit *pedes*, quoniam iſti ſunt duo pedes, quibus ad Deum accedimus, cognitione ſcilicet, & dilectione.

e. Pſal. 118.

Infideles, & Hæretici carent vtroq; pede; nec enim credunt, nec diligunt mãdata Dei: Chriſtiani Catholici in vera pietate inſtituti, illi vtroque pede conuerſi ſunt ad Deum, at Catholici iniuſti vno tantùm pede conuerſi ſunt ad Deũ; nempe intellectu, quia credunt, & fidem habent integram; verùm altero pede voluntatis, & dilectionis claudicant; nã plus diligunt hæc bona creata, quàm Deum ipſum, ideò conuerſi ſunt potius ad res ſeculi, quàm cæli.

Idem verò eſt, quod valde obſeruate oporter, claudicare altero rãtum pede, vel vtroque pede: quo ad finem ſcilicet ipſum obtinendum. Nam ita praui chriſtiani, qui nolunt deſerere vitæ turpitudinem, excluduntur à Regno cæli, ſicuti hæretici, & Infideles, quamuis illi grauius aliquando, & acerbius, aliis ex cauſis puniantur. Sed veh tibi infelix, & miſerabilis homo, qui re Catholicum profiteris: & orthodoxam fidem colis, & perperam viuis. Quid agis? ſcire enim debes, nihil tibi hanc fidem profuturam, niſi improbitatem vitæ deſeras, & ad Deum conuertaris.

Ex quibus liquido conſtare poteſt (Dilectiſſimi) cur fuerit dictum, hoc loco: *Niſi conuerſi fueritis*; nempè vt oſtenderet omnimodam neceſſitatem huius conuerſionis, quam demonſtrãt hæc verba, *Niſi conuerſi fueritis*. Nam cum doctrina Euangelica conſtet partim conſiliis, partim præceptis; ne dubitandi cuiquam locus relinqueretur, an hoc ad conſiliũ, vel ad præceptũ pertineat. Ideò ex hac verborum conceptione, voluit nobis relictum relinquere, hæc non admonitionis, ſed præceptionis eſſe: nec voluntatis, ſed neceſſitatis; quia cum verba ſint negantia, non affirmantia, arctius cogũt, ſicuti Theologi [d] diſtinguere ſolent inter præcepta negatiua, & affirmatiua.

d. S. Bonau. 1. diſt. 48. art. 1. q. 1.

Sed & amplius huius præcepti neceſſitatem affirmat communis ſchola Theologorum [f] inquiens: pœnitentiæ ſacramentum, cuius virtute ad Deum conuertimur, ſic eſſe lapſis poſt Baptiſmum, neceſſarium, ſicuti nondum regeneratis Baptiſmus ipſe eſt neceſſarius, quod Tridentino Conc. cautum eſt [g]. Nam cum hominis felicitas in eo poſita ſit, vt Deo coniungatur dicente pſal. [h] *Mihi autem adhærere Deum bonum eſt*; id autẽ fiat per charitatem, quæ nititur obſeruatione mandatorum illius; cum à S. Ioan. [i] ſcriptum ſit: *Hæc eſt charitas Dei, vt mandata eius cuſtodiamus*. Idcirco qui committit aduerſus legem Dei, per peccarũ lethale, ſeparat ſe ſtatim ab illius gratia, vt legitur apud Proph. [k] *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum*.

f. S. Thom. in 3. q. 84. ar. 11. 1. & 6. & 9. 86. art. 2.
g Seſſ. 14 ca
h. Pſal. 72.
i. 1. Ioan. 5.
k. Iſai. 59.

Itaque ſiue conſideres hominem cum in hanc lucem vitæ prodit; & dubiũ non eſt, cum filius iræ naſcatur [l], ob veterem culpam progenitorum in eum transfuſam,

l. ad Epheſ. 2

Digitized by Google

ſam, & propagatam[a], indigere illum omninò conuerſione, quam ille per Baptiſmum regenerationis conſequitur; ſiue etiam hominẽ ſpectes rationis vſu fruentem: & quia homo in hoc lubrico, ſæpè labitur in peccata; huic quoque dubium non eſt, conuerſionem eſſe neceſſariam[b], per ſacramentum pænitentiæ: quæ eſt deteſtatio prioris vitæ, cum propoſito nouã inſtituendi: & hæc proprie cõuerſio dicitur, ſiue cum Deo reconciliatio, & reſtitutio in gratiam illius; quæ vt proſit, vera, & conſtans, nõ falſa, aut mutabilis eſſe debet. Hæc quo ad primam partem.

a. S. Aug. in S. Ioan. tractа. 44.
b. Magiſt. in 4. ſentent. diſt. 14.

Sequitur altera, qua dicitur: *Et efficiamini ſicut paruuli*. Quid hoc eſt fieri paruulũ? Reperimus hoc nomen in ſacris literis multipliciter accipi. Nam apud Dauidem legitur[c]: *Dimiſerunt reliquias ſuas paruulis ſuis*. Et rurſus[d]: *Allidet paruulos ſuos ad petrã*. Et alibi aliter.

c. Pſal. 16.
d. Pſal. 136.

Verùm nolumus nos in re perſpicua laborare, ſi enim originem ſermonis Dominici, & occaſionem illam reſpiciamus, vnde profecta eſt hæc ſententia Saluatoris noſtri, planè liquebit, quo ſenſu hanc vocem Dominus ipſe acceperit: ait enim Euangeliſta, quòd erat orta contentio inter diſcipulos, & acceſſerant ad Dominum petentes: *Quis eorum maior futurus eſſet in Regno cælorum*. Et tunc Dominus aduocans puerum, & vt ait S. Marcus[e]: *ἐναγκαλισάμενος αὐτὸ*, ideſt, excipiens eum in vlnas ſuas, ſtatuit in medio eorum dicens[f]: *Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum*. Et: *quicunque humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in regno cælorum*. Itaque de paruulo infante, & tenello puero hic agi, non eſt dubium.

e. S. Marc. cap. 9.
f. S. Matth. cap. 18.

Fortaſſe autem hic locus non leuem aliquibus afferet admirationem, quid ſibi velit noua hæc, & inſolita docendi ratio. Nam ſi quis noſtrum in corona nobilium, & magnorum virorum, puerum manibus complecteretur, eumq. populo produceret, exiſtimarẽt aliqui fabulam ab eo agi. Et tãquam hiſtrionem in ſcena velle eos ludicris rebus, & ioculatorio geſtu oblectare, obmurmurarentq. maximè, quòd longè hoc à Doctoris grauitate, cõcionatoriſq. authoritate abeſſet.

Verùm aliter res ſe habet; nam qui ita agit, argumentum potius præbet ſummæ difficultatis, ac grauitatis rei, de qua agitur[g]; quæ non nudis doceri verbis contenta eſt: ſed imaginem ipſam oculis auditorum ſubijci poſtulat, vt eò arctius, & tenacius illorum mentibus infigatur. Si quidem vt carmine illo traditum eſt:

g. Gran. Rhethor. Eccleſiaſt. lib. 4. cap. 20.

Segnius irritant animos demiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.

Hinc Ieremiam legimus[h], cum populo captiuitatẽ, & Vrbis Hieroſolymæ excidium pronuntiare vellet, catenas collo circundediſſe, & lagunculam quandam præſente populo cõfregiſſe. Ezechielem pariter[i] pilos abſciſſos diſperſiſſe, gladiumq; euaginaſſe. Agabum etiam Proph. de quo in Actibus Apoſtolorum, zonam manibus, pedibuſq. ſuis alligaſſe dicentem[k]: *Sic Spiritus ſanctus ait: virum cuius eſt zona hæc, ſic alligabunt in Hieruſalem Iudæi, & tradent in manibus gentium*. Hæcq. agebant illi, vt hac expreſſa rerum effigie, populorum animi magis permouerentur. Sic hodie Saluator noſter, quoniam nuda verba ad rei magnitudinem exprimendam ſatis momenti habere non videbantur, addidit paruuli iſtius complexum, quẽ diſcipulis ſuis exhibuit. Qua ex re vos quoque (Dilectiſſimi) facilè intelligere poteſtis, non vulgare hic negocium, ſed longè omnium grauiſſimum, difficillimumq. proponi.

h. Iere c. 19.
i. Ezech c. 5.
k. Act. Apoſtol. c. 21.

Attamen animaduertendum eſt, in paruulis quædam eſſe bona, quædam nõ bona. Nam Apoſtolus Paulus ait[l]: *Cum eſſem paruulus, loquebar vt paruulus, ſapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus; quando autem factus ſum vir, euacuaui quæ erant paruuli*. Et ad Epheſios ſcribens ait[m]: *vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ*. Sunt etiam quædam bona de quibus Dauid[n]: *Sapientiã præſtans paruulis*. Et S. Matthæus[o]: *Abſcondiſti hæc à*

l. 1. ad Cor. 13.
m. Ad Epheſ. 4.
n. Pſal. 18.
o. S. Matth. cap. 11.

ſapien-

ſapientibus, & reuelaſti ea paruulis.

Quapropter nunc monemur, vt non prauos, ſed candidos puerorum mores, non pueriliter, ſed prudenter æmulemur; & hoc perſpicue declarauit nobis Apoſtolus ad Corint. ſcribens [a]: *Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote.* Et Princeps Apoſtolorum [b]: *quaſi modo geniti infantes, rationabiles ſine dolo lac concupiſcite.*

a. 1. ad Cor. 14.
b. 1. Petr. 2.

Hoc ſanè nullam contineret difficultatem, cum præſertim Origenes [c], S. Chryſoſt. [d] & alij ita interpretētur: niſi illud obſtaret, quod ſupra à nobis propoſitum eſt. Diximus enim hic agi de ea parte iuſtitiæ; quæ in bono ſectādo, & virtute comparanda verſatur.

c. Tract. 7. in S. Matt.
d. Homil. 60. in S. Matt.

At verò cum in pueros virtus proprie non cadat [e], ſi naturam tantum ſpectemus: carent enim ijs, quæ ad virtutis habitum ſunt neceſſaria; & in primis electione, cuius ætas illa minimè compos eſt, vt norunt omnes. Quomodo exemplum paruuli huic ſententiæ poteſt conuenire?

e. Ariſt. Eth. lib. 6. c. 8.

Reſpondemus, non agi hic de virtutis habitu, qui conſultatione, & aſſuetudine acquiri ſolet, & propterea in puerum cadere minus poteſt: ſed de vitæ innocentia, & puritate, cuius ſimulacrum ſtatus puerorum pr̨e ſe ferre videtur.

Duæ igitur virtutes ſunt, quæ in verbo paruulorū, nobis proponuntur imitandæ.

Prima eſt cordis ſimplicitas, & innocentia, cum pueri dicantur quaſi puri: neſciunt enim decipere, nō ſtruunt dolos, non peierant, non falſum teſtimonium dicunt, non inuident, non obtrectant alijs, non cogitant malum, non theſaurizant, læſi nō meminerunt, turpes, & obſcœnas voluptates ignorant, carent malitia, & non diſcernunt inter diuitem, & pauperem.

Altera eſt, humilitas, quæ in ijs ſumma dignoſcitur; nō enim appetunt honorem, non extolluntur diuitijs, aut genere, ſibi nihil arrogant, nihil de ſe prædicant, omnem curam in parentes reijciunt, eos audiunt, & ſequuntur, & quamuis ſanguine clari, alijs ſe ſubijciunt, nec quicquam prorſus de ſe ipſis ſentiunt, aut loquuntur. Vnde Apoſtolus ad Galat. [f] *Quandiu paruulus hæres eſt, nihil differt à ſeruo, ſed ſub tutoribus, & curatoribus eſt.* Et hoc clare atteſtatur præſens Euangelium, cum ſubdit [g]: *Quicunque humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic maior erit in Regno cælorum.*

f. ad Gal. 4.
g. S. Matth. 18.

Et ſi quis quærat, cur duæ iſtæ potiſſimum virtutes à nobis exigantur, vt in cœli regiam recipiamur.

Reſpondemus; puritatis, & ſimplicitatis verbo, eam vitæ, ac morum ſanctimoniam ſignificari, quæ ad regnum cœlorum adipiſcēdum eſt neceſſaria; quæ quidē tum in corpore, tum in mente vniuſcuiuſque requiritur. In corpore, vt omnis fœditas, & carnis obſcœnitas, quæ ideo immunditia appellatur, & puritati aduerſatia eſt, à nobis longè repellatur. *Nihil enim coinquinatum*, vt ait Apoſtolus, *introibit in Regnum cælorum. Nec fornicarij Regnum Dei poſſidebunt* [h]. In mente verò, vt ei purum, mundum, ſincerumq. cor exhibeamus, non terrenis deſiderijs, aut illorum imaginibus inquinatum; hincq. *Beati mundo corde dicūtur, quoniam ipſi Deū videbūt* [i].

h. 1. ad Cor. 6.
i. S. Matth. cap. 5.

Sic etiam quod ad ſimplicitatē pertinet, dicebat Petrus Apoſtolus [k]: *Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationem, & inuidiam, & omnem detractionem.*

k. 1. Petr. 2.

Quod verò ad humilitatem pertinet, quis non ſummam illius agnoſcat neceſſitatem? Nam cum animus noſter tumore illo infectus, quē olim à Satanæ veneno hauſit, in exceſſa immoderatè aſſiduò feratur, ſublimiaq. petere inaniter conetur, fræno rationis coercendus eſt: vt vehementiſſimus hic ſuperbiæ affectus, propriæ conſcientiæ ſtimulo, ſuiq. ipſius cognitione deprimatur: Deoq. ſubiectus, ſibiq. ipſi vilis reddatur, qui veræ humilitatis affectus eſt.

Cum igitur multiplices ill̨e rationes ſupra à nobis relatæ, quibus ſe quiſque maiorem, digniorem, ac præſtantiorem alijs eſſe putat, ab hac peſtilenti ſuperbiæ

biæ radice exoritur, quæ continenter in folia, ac fructus vanitatis, ac inanis gloriæ erumpit, ac frequentius in feracibus virtutum campis exoriri ſolet: propterea non poſſumus eo vehementius vos ipſos, qui hic adeſtis, magniſq. huius ſæculi ornamentis, ac naturæ dotibus effulgetis, non admonere, vt inclufum hoc humanis viſceribus venenum cauentes, atque abhorrentes, humilitatem amplectamini, quam vniuerſa Sanctorum cohors Græcorum, & Latinorum; & inter cæteros SS. Baſil.[a] Chryſoſt.[b] Cyprianus[c], Hierony.[d] Auguſtinus[e] nõ ceſſant eximijs extollere encomijs: vt vos eorum authoritate, & exẽplo eo magis excitati, eam glorioſa Virgine illius cuſtode ac patrona intercedente obtinere ab omnipotente DEO valeatis gratia, & benignitate Domini noſtri IESV CHRISTI. Amen.

a. Cõſtit. Monaſt. c. 17. Et in ſerm. de abdicat. rerum.
b. Homil. 15. & 48. in Acta Apo. Et ad Pop. Antioch. homil. 18.
c. Serm. de Nati. Chriſti.
d. In Epitaphio Paulæ. epiſ. 27
e. Epiſt. 56.

SERMO DVODECIMVS.

Ad Aduocatos, & Patronos cauſarum.

Eia ergo Aduocata noſtra &c.
Ex Hymno B. Mariæ.

In die Natiuitatis B. Virginis.

INTER eximias, atque innumerabiles glorioſæ Virginis laudes, atque ſingularia erga humanum genus merita, cũ illud nominatim à Sancta Eccleſia prædicari ſoleat, quod eadem humani generis apud Deum aduocata nominetur, & habeatur: viſum fuit nobis hodie opportunum maxime argumentum, quo vobiſcum (ornatiſſimi Ciuitatis noſtræ Aduocati) & cauſarum Patroni, ac reliqui, qui conſilio, ac iuris ſcientia veſtra Populi huius noſtri cauſas tuemini, nonnulla ageremus, quibus munus veſtrũ poſthac alacrius ſub hoc tam inſigni cæleſtis Reginæ vexillo excoleretis, ſanctius adminiſtraretis, & fructuoſius tùm vobis, tùm alijs pariter exerceretis.

Antequam igitur rem ingrediamur, primum illud quærẽdum videtur, quomodo eam aduocatam generis humani prædicamus, cum ſcriptum ſit[a], *quòd vnus eſt mediator Dei, & hominum, Chriſtus Ieſus*. & quòd[b] aduocatum habemus in cœlis Chriſtum Saluatorem noſtrum. Nonne hinc detrahimus gloriæ Saluatoris, honoremq. illius in alium transferimus? Cauete (dilectiſſimi) ab impiis huiuſmodi vocibus, quas dæmon perpetuus ſalutis noſtræ hoſtis, per hæreticos & ſatellites ſuos infirmis mentibus inſuſurrare conatur; vt fluctibus huius ſæculi periclitantes, ab hac maris ſtella auertat, & ſecum in profundum præcipites demergat.

a. 1. Tim. 2.
b. 1. Ioan. 2.

Vetus hæc eſt Catholicæ Eccleſiæ inſtitutio, & ab ipſis Chriſtianæ Religionis primordijs perpetua temporum ſerie ad nos vſque perducta, vt Deiparam Virginem fidelium aduocatam, diuinæq. conciliatricem gratiæ profiteamur. Nam vt S. Iacob Apoſtolus in Miſſa ſua inquit[c]: *Commemorantes ſanctiſſimam, immaculatam, glorioſiſſimam, Dominam noſtram Matrem Dei, & ſemper Virginem Mariam, cum omnibus Sanctis, & iuſtis, nos ipſos, & inter nos, & omnem vitam noſtram Chriſto Deo commendemus*. S. Irenæus[d], S. Ephræm[e] eam Aduocatam diſertis verbis appellant, S. Gregorius Nazianzenus carminibus ſuis inquit[f]: *Te ſemper præſidem vitæ meæ, te tuum erga filium mihi patronam ſentiam acceptiſſimam*. S. Auguſtinus ſæpe, ſed inter

c. S. Iacob. Apoſtol. in diuina Miſſa.
d. Iren. lib. 5. aduerſ. hæreſ. c. 19.
e. S. Ephræ. ſerm. 1.
f. In carm. Chriſtus patiens.

inter cætera, in quodam ſermone confitetur[a], *quòd mundus beatam Virginem conſtituit fidei ſua obſidem apud Deum.*

a. S. Aug. ſerm. 2. de ann. Dom.

Et ne in recenſendis Sanctis Patribus, qui idem libris ſuis teſtati ſunt, Græcis, & Latinis, qui innumeri ſunt, ſim longior, ſufficiant nobis preces illæ ſanctiſſimæ, & toto Chriſtianorum orbe receptiſſimæ, ac frequentiſſimæ, quibus paſſim Epiſcopi, Sacerdotes, Clerici, Laici, viri, mulieres, pueri, & puellæ in Eccleſiis, in domibus, in vrbibus, in agris, & locorum vbique vtuntur, dicentes[b]: *Salue Regina. ad te clamamus, ad te ſuſpiramus. Eia ergo aduocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte.* Et rurſus: *Sub tuum præſidium confugimus ſancta Dei genitrix.*

b. Bellarm. tom. 3. contro. 3. li. 1. c. 15.

Nec Ideo Iniuriam nos facere diuinæ miſericordiæ dicimur, ſi ad huius opem confugiamus; Nam vt præclarè S. Bernard. ſcriptum reliquit[c]: *Homines, qui peccatores ſunt, & graui ſe peccatorum ſarcina oneratos agnoſcunt, ad Chriſti thronum interdum accedere quodammodo verentur, cæleſtemq. in eo maieſtatem quam offenderunt, reformidant, ne ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant ipſi à facie Dei*[d]; ſciunt enim non ſolam illi tribui miſericordiam, ſed tribui pariter & iudicium, cum dicat Proph.[e] *Miſericordiã, & iudicium cantabo tibi Domine.* Et alibi[f]: *Duo hæc audiui, quia tibi Domine poteſtas, & miſericordia.* Et rurſus[g]: *Iuſtitia, & pax oſculata ſunt.* Sciunt, quòd quamuis factus fuerit ille homo, vt noſtræ infirmitati, & miſeriæ compareretur, manſit tamen Deus, & peccatorum noſtrorum iudex. Vnde, *& Deus vltionũ* quãdoque vocatur[h]. Ideo internunciũ amore plenum, & timore vacuum expetunt, ac mediatorem illum, qui apud Deum plus omnibus Sãctis valeat, qui facilem nobis ad illum quamuis offenſum, acceſſum præparet; huic autem vſui nemo reperitur vtilior, nemo opportunior beatiſſima illius matre, quæ tota humanitatem, tota pietatem, tota ſuauitatem, tota ſolatium ſpirat. *Ego*, inquit, *mater pulchræ dilectionis, & ſanctæ ſpei.*

c. S. Bernar. ſer. de verb. apocalypſ.
d. Pſal. 67.
e. Pſal. 100.
f. Pſal. 61.
g. Pſal. 84.
h. Pſal. 93.

Huius ſanctiſſimę matris figuram videtur prudentiſſima illa mulier Tecuites præſignaſſe[i], quæ ita ſapienter aduocauit apud Regem Dauid pro Abſalone, vano, ſuperbo, ac fratricida, in exiliumq. ideo pulſo à Hieruſalem, vt patrem Dauid induxerit ad ignoſcendum filio, atque ad miſericordiam erga illum exercendam, atque ab exilio reuocandum.

i. 2. Reg. 14.

Sic Virgo Maria pro mundo, qui rebellis fuerat factus Deo ſuo; & propterea in exilium damnatus à cœleſti Hieruſalem, ita aduocat aſſiduò, & interpellat, vt Deum patrem placet, ac mundum conuerſum ad pænitentiam, atque ad gloriam perducat. Vnde S. Bernardus inquit[k]: *Securum habes acceſſum ad Deum ò homo, vbi mater ſtat ante filium, filius ante patrem: mater oſtendit filio pectus, & vbera: filius oſtendit patri latus, & vulnera: ibi ergo nulla poterit eſſe repulſa, vbi ſunt tot amoris inſignia.* Nonne animaduertiſtis (Chariſſimi) quàm crebra, quàm admirabilia erga languentes, erga afflictos, & grauiſsimorũ ſcelerum multitudine reos, beatæ Virginis auxilia, quotidie celebrentur? Mirari ſunt quandoque nonnulli, tam multa toto fidelium orbe illius miracula ad ſacras eius imagines prædicari, locupleribuſq. relata teſtibus comprobari. Deſinant mirari, qui in ea omnia miſerationis, & dilectionis plena, nihil aſperum, nihil durum, nihil difficile vnquã aut legerunt, aut audierunt, aut ſuſpicati ſunt[l].

k. S. Bernar. in ſer. Natiu. B. Mar.
l. Innoc. III. ſerm. 2. de aſſumpt.

Quid mirum igitur, ſi fidelium animi ita natura veluti duce affecti videntur, vt in rebus dubijs, in periculis, in anguſtijs, tam prompto, alacriq. ſtudio, ad eius auxilium accurrant? quæ omnibus benignitatis ſinum aperiat, atque vniuerſis exorabilem, & beneficentiſsimã ſe oſtendat? præſertim quod hic non dignitates, non dona Dei ſeparamus, ſed ſicuti[m] qui Sanctos laudat, Chriſtũ laudat in ſanctis, qui Sanctos inuocat, Chriſti per ſanctos auxilium inuocat, qui ſanctos adorat[n], Dei dona in ſan-

m. S. Grego. Nazianze. orat. de laudibus Athanaſii.
n. Varm. c. 58. de oratione.

ctis

Digitized by Google

ctis adorat, ſic vberius multo id fieri in eadem laudanda, inuocanda, & adoranda cenſendum eſt, ex cuius vtero proceſſit is, per quem ſancti ſunt, quotquot ſunt ſancti.

Tranſeamus ad alia; & quæramus potius, quibus illa gradibus ad tantã fuerit ſublimitatem cuecta, vt fidelium tutrix, piorum mater, Chriſtianorum aduocata conſtitueretur. præſertim cum non ſit perſonarum acceptator Deus [a], ſed ſit diues in omnes, qui inuocant nomen eius. Cur ergo illius gratia ita ſe in Virginem hanc effudit, vt de ea canat Eccleſia: *Sola ſine exemplo, placuiſti Domino Noſtro Ieſu Chriſto.*

a. *Act.* 10.

S. Chryſoſtomus [b], & S. Auguſtinus varijs in locis nos admonentes, vt præclara ſanctorum geſta, heroicaſq. illorum virtutes æmulemur, ſæpius inculcant, non aliam illos naturam ſortitos, ac noſtram; non diſſimilem nactos animam, non alium habitaſſe orbem, ijſdẽ cibis enutritos, ijſdem moribus, ac legibus inſtitutos, in eadem hominum ſocietate degiſſe; imo voluiſſe Deum, nõ per angelos, ſed per homines eius Euãgelium prædicari, peccata remitti, errorum tenebras diſpergi: vt nullum excuſationis locum negligens anima inueniret, aut ad naturæ diuerſitatem, & virium diſparem conditionem errore ſeducta confugeret. *Repoſita eſt*, inquit Apoſtolus [c], *corona iuſtitiæ, quam reddet Deus iuſtus iudex, non ſolum mihi, ſed & ijs, qui diligunt aduentum eius.*

b S. *Chryſoſ. lib.* 1. *de compunct. cord. & corpo. homi. de ſer. rep.*

c. 2. *Tim.* 4.

Et ſi mireris, vnde ergo talis, tãtuſq. Apoſtolus Paulus, s. Stephanus, s. Laurentius, s. Auguſt. s. Hieronym. s. Bernardus, s. Petronius, s. Dominicus, s. Franciſcus, & tot alij inuictiſſimi heroes noſtri emerſerunt?

Reſpondet s. Chryſoſt. [d] non vtique naturæ conditione illi præſtãtiores fuerunt, ſed voluntate; præclarum in illis fuit propoſitum, ardor immenſus, virtus eximia, mirabilis voluntas. Nam ſicuti qui ex mari aquam haurire cupiat, quo vas profundius, & capacius attulerit, eo plus aquæ ſecum comportarit: ſic ſupernorum ſitiens chariſmatum, quo alacriorem adhibuerit voluntatem, atque inflammatum magis cæleſtium rerum deſiderio animum, eo largius ijs ſentiet ſe inebriari. *Haurietis*, inquit Propheta [e], *aquas in gaudio, de fontibus Saluatoris.*

d. S. *Chryſoſ. in homil. de laud. Sancti Paul.*

e. *Iſa.* 12.

Hinc dicimus, & glorioſam Virginẽ, non immeritò ſic placuiſſe altiſſimo, totq. & tam copioſa dona præ cæteris fuiſſe promeritam, quòd eam ſingulari ſtudio obſequendi Domino inſignitam inuenerit.

Et ſi quæramus, quænam fuerint potiſſimæ illius virtutes, quæ adeò diuinã ſibi beneuolentiam deuinxerint: Non patitur tempus vt ſingulas perſequamur. Quis enim id poſſit! cum ſcriptũ de ea ſit [f]: *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſola ſupergreſſa es vniuerſas?* Perſtringemus tamen breuiter ex his vnã, atque alteram tantum, quæ ad rem noſtram præcipuè pertinere videntur; vt cum illi totius orbis patrocinium delatum fuiſſe ſciamus, vos quoque, Patroni eruditiſſimi, quorum conſilio, & prudentia ciuium noſtrorum cauſæ nituntur, intelligatis quibus vos pariter ſtudijs inſtructos eſſe oporteat, vt veſtra induſtria, veſtriq. labores æterno iudici noſtro in cælis commendentur.

f. *Prou.* 31.

Cum igitur tota aduocãdi, cauſaſq. agendi ratio, in loquendi potiſſimum munere verſetur, ſiue conſulentibus reſponſa dentur, ſiue apud iudices de iure diſceptetur; Diſcite (dilectiſſimi) à præſtantiſſima hac aduocatorum præſide, veram, cælituſq. acceptam dicendi diſciplinam. Inuenietis enim in primis, quòd cum, vt ſapiens ait [g]: *Tempus ſit loquendi, & tempus tacendi.* Et moneat s. Iacobus [h]: *Vt omnis homo velox ſit ad audiendum, tardus ad loquendum, quoniã* [i] *in multiloquio non deeſt peccatum.* Inuenietis, inquam, quàm ſapienter illa ſilentij tempora obſeruarit, cum vt ait s. Ambroſ. [k] *Loquendi parcior, legendi ſuerit ſtudioſior, conſeruans omnia* [l], *& conferens in corde ſuo*; & ideo in tota Euangelica ſerie quinquies tantum eam locutam fuiſſe legimus, magno fidelium documẽto; vt hinc intelligerent, tacẽdi potius,

g. *Eccleſ.* 3.

h. S. *Iacob. epiſt.* 1.

i. *Prou.* 10.

k. S. *Ambro. lib.* 2. *de Virg.*

l. S. *Luc. c.* 2.

Digitized by Google

potius, quàm diſſerendi ſtudium illis eſſe conſectandum. *Eſt enim lingua*, vt inquit S. Iacobus[a], *inquietũ malum, omnia perturbans*; quæ cum tanquam nauis in portu ſilentij tuta conquieſcat, non eſt inde niſi opportuno, & vrgenti tempore ſoluenda: tuncq. prouidentiæ gubernaculo, veritatis remis, & charitatis aura, vt ſalubriter poſſit appellere, dirigenda, & cum Dauide Propheta inchoandum[b]: *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis.*

a. S. Iacob. epiſt. 3.

b. Pſal. 140.

Quoniam verò, vt ait Scriptura[c]: *Homo ſapiens tacebit vſque ad tempus*; ſi quidem non ſemper tacendum eſt, quoniã aliàs nobis hanc dicendi facultatem, ſenſaq. noſtra exponendi, diuina bonitas non conceſſiſſet; ſed tantũ intempeſtiuus, ac petulans loquẽdi modus improbatur; & præſertim in aduocatis, ne procaciter, vel vociferando cauſas tueantur[d]. Ideo diſcite ab eiuſdem Virginis exemplo, quomodo non amplius hortus concluſus, ſed fauus diſtillans fuerit: vt & vos quo tempore, aut ad quem vſum hunc ſermonem exercere debeatis, planè dignoſcatis.

c. Eccl. 20.

d. c. in hoc. q. 4. Et S. Antonin. par. 3. tit. 6. c. 1.

Nam quod primum illius verborum initium nobis Euangelium tradit; Angelo ſibi nunciante parituram eſſe filiũ, qui magnus futurus eſſet, & regnaturus in æternum. Illa quamuis ingentia ſibi promitti, ac regiam offerri ſedem intelligeret; quoniam hæc tamen à ſancto eius propoſito virginitatis tuendæ aliena eſſe proſpiciebat, verebaturq. ne hic illius modeſtia, pietas, & ſanctitas læderetur. Videte quàm conſideratè, & ſolicitè in primis omnia examinauerit dicens: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Vos autem cum ſuſpicamini malas ad vos cauſas delatas eſſe, cũ pollicitationibus, magniſq. præmijs auctoritatem, conſiliumq. veſtrũ in rebus iniuſtis implorari auditis, occurrat hæc animis veſtris ſtatim reſpõſio: Quo modo fiet iſtud, quoniam iniquitatẽ non cognoſco? Quomodo ego qui iuris diſciplinam, qui Chriſtiana præcepta profiteor, qui aliorum potius fraudes propulſare debeo, aduerſus boni viri officium partes meas interponã? abſit, vt ex peritiæ meæ promptuario, quidquam nonniſi liberale, honeſtum, ac Chriſtiano viro dignũ proficiſcatur.

Hic eſt totius huius muneris ferè cardo (dilectiſſimi) vt animis veſtris fixũ, immotumq. maneat, quoduis potius perpeti, quàm vt improbam, turpemve cauſam ne cogitatione quidem ſuſcepiſſe vnquam cenſeamini[e]; ne vobis id obijciatur, quod ait Propheta[f]: *Si videbas furem, currebas cum eo, & cũ adulteris portionem tuam ponebas. Nolite*, inquit Apoſtol.[g] *communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite.*

e. S. Thom. 2. 2. q. 71. art. 3.

f. Pſal. 49.

g. ad Epheſ. cap. 5.

Secundum ſermonis Beatæ Virginis exemplum eſt, cum Angelo ſibi reſpondenti, & magnum incarnationis Dei myſterium interpretanti, dicentiq. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi &c.* ipſa quamuis antea animi pendens, agnito tamen diuino conſilio, ſtatim ceſſit illius monitis, nec rem longioribus voluit verbis protrahere, dicẽs[h]: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Quod longe ſaluberrimum nobis quoque in re noſtra documẽtum relinquit, vt quamuis antea bona fide negocium aliquod ſimus aggreſſi, cum tamen rem longe aliter ac putabamus, ſe habere deprehenderimus, cedamus ſtatim melioribus rationibus, nec rectum iudiciũ pertinaciter ſubuertere quæramus: non enim defendi debet, quod ratione inniti non poteſt[i].

h. S. Luc. 1.

i. c. cor Epiſcopi diſtin. 68. & l. vlt. non nouam C. de iudic.

Vnum hoc inter ea peccata ſolet numerari, quæ in Spiritum ſanctum dicuntur, cũ ſcilicet veritatẽ agnitam vſque adeò impugnamus, ac malitiam iuri præferre ſtudemus. Videte quid aduerſus hoc hominum genus quandoque dixerit Apoſtol.[k] *O plene omni dolo, & fallacia, fili diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, nõ deſinis ſubuertere vias Domini rectas?* Quorſum aliquãdo tot appellationes, tot prorogationes, tot documentorum, teſtiumq. repetitiones? poſtquam iuſtitiæ arcem tormentis inconcuſſam animaduer-

k. Act. 13.

a. S. Bernar. de conſider. libr. 1. ad Eugenium.

maduertiſtis? rectè inquit S. Bernard.[a] *Dies diei eructat lites, & nox nocti indicat malitiam.*

Tertium illud eſt, cum beata Virgo poſt Angelicã ſalutationem, Eliſabeth verbis cõfirmatam, fore ſcilicet, vt beata inter omnes mulieres diceretur, & adijcientem: *Beata quæ credidiſti, quoniã perficientur omnia, quæ dicta tibi ſunt à Domino*, illa non faſtu elata, cæpit ſe ipſam extollere: ſed potius ad Dominum cõuerſa, ſuam agnoſcens humilitatem, Deo omnia tribuere, eiuſq. pietati gratias agere eſt exorſa, dicens[b]: *Magnificat anima mea Dominum. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.*

b. S. Luc. 1.

Vt hinc nos pariter intelligamus, nihil eſſe quod nos, aut ingenij vbertate, aut ſcientiæ opibus, aut proſpero rerum ſucceſſu intumeſcamus: ſed quo copioſius his affluere viſi fuerimus, eo demiſſius de nobis ſentiamus, & omnia Authori ipſi, ac parenti bonorum omnium Deo accepta feramus. *Quid enim habes homo*, ait Apoſtolus[c], *quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Chriſtiani lingua, nil niſi humile, modeſtum, pium, ac verax ſonare debet. *Ad quem*, inquit Iſaias[d], *reſpiciã, niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?*

c. 1. ad Corint. 4.

d. Iſa. 66.

Quartum eſt, cum glorioſa Virgo, amiſſo aliquãdo puero, eum in templo inueniſſet ſedentem in medio doctorũ, inquit: *Fili quid feciſti nobis ſic*[e]? *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Quibus ex verbis ſummam agnoſcimus mãſuetudinem, & dexteritatem. Cum enim aliæ matres ius maternum in medium proponere, & perturbatione cõmotæ, in filios, qui ipſarum voluntati obſiſtunt, acerbius inuehi ſoleant: ipſa contra, lenioribus filium verbis affata, illi reditum in paternam domum perſuadere conata eſt, vnanimeſq. illinc mutua pietate iuncti abſceſſerunt.

e. S. Luc. 2.

Quod exemplum, quàm præclarum eſt nobis, quàm ſalutare? Non ſtatim etiam in bona cauſa, eſt nobis ad Iudices, & ad Tribunalia proſiliendum: nõ ſtatim auctoritas omnis exercenda; prius mollibus verbis aliorum animus eſt tentandus: ac fraternè, & amanter quoad eius fieri poteſt, vnuſquiſque priuatim veri, rectiq. admonendus. In hoc, bonorum patronorum prudentia, & pietas maxime elucet: vt contentiones in primis ſedare, lites præcidere, animos cõciliare, pacem inducere, omni conatu, & induſtria ſtudeant: palãq. omnibus quanta maxima poterunt diligentia reſtatum relinquant, ſe pacis, & trãquillitatis potius, quàm litium, & contentionum eſſe amatores; cum dictum ſit à Domino[f]: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*; Et Apoſt.[g] *Seruum Domini non oportet litigare, ſed manſuetũ eſſe ad omnes:* cum alioquin litigatores aliqui, dęmonũ imitatores videãtur.

f. S. Matth. cap. 5.

g. 2. ad Timoth. 2.

Vltimum eſt, cum eadem beata Virgo nuptijs præſens, vinum defeciſſe animaduerteret, nemine eam interpellãte, ſed intimis charitatis viſceribus mota, inquit, *Vinũ nõ habẽt.* quibus verbis, aliorumq. neceſſitati ſubueniẽdi ſe ſtudioſiſſimam declarauit. Vt nobis itidem ſit documento, tunc linguam exercendam, cum charitas poſtulat, cum proximi adiuuandi officium nos monet. Nemo dicat, ille me non rogauit, & quod deterius eſt, nihil inde mihi lucri, aut commodi accedit. Si pauper eſt, ſi orphanus eſt, ſi pupillus, aut vidua eſt, ſi carceribus vinctus eſt, ſi quiſquam alius aliena ope deſtitutus eſt[h]: ſatis Chriſtus pro illo petit, & interpellat; ſatis ille mercedem offert[i]; ſatis te Chriſtianum vrget officium; niſi immemor diuinę ſis legis, qua iuberis proximos charitate complecti; & æternæ ſalutis ſis oblitus, quæ pietatis munera exercentibus tantùm eſt præparata.

h. 23. q. 3. cap. oſtẽdit. et alijs cap. ſequen.

i. S. Thom. 22. q. 71. art. 4.

His igitur tam præclaris exẽplis admoniti, dilectiſſimi, ſatis poteſtis intelligere, quæ vobis poſthac ſermonis veſtri ratio, ac cauſas amplectendi, agendiq. diſciplina ſit ineũda; vt nobile hoc linguæ inſtrumentũ vobis à Deo tributum, munere ſuo fungi cenſeatur, atque in vſu ſuo retineatur. Et poſtquã vitæ veſtræ inſtitutum in cauſis aliorũ apud Magiſtratus, & Iudices quotidie agẽdis

verſati ſolet. Memineritis quęſo ſupremi illius iudicis, qui iudicaturus eſt viuos, & mortuos: ad cuius tribunal tremendum ſiſtendi omnes eſtis, & reddituri de factis proprijs rationẽ: quẽ nemo arte vlla eludere, aut calliditate ſupplantare poteſt; nam quod in ore piorũ omniũ eſſe ſolet: *Liber ſcriptus proferetur, in quo totũ cõtinetur, vnde mũdus iudicetur.*

Quòd ſi ſanctiſſimi etiã viri, qui totã ætatẽ vigilijs, ieiunijs, ac pietatis operibus traduxerunt, cogitãtes tamen nouiſſimũ illum diẽ, ac iudicij ſeueritatẽ
a. Iob c. 9. cõtremiſcebãt: *verentes*, vt ait Iob [a], *omnia opera ſua.* Quid vobis in tam lubrico ſolo, difficiliq. ſaltu timendum eſt?

Porrò, vt fœliciter vobis omnia cedãt, optatoq. laborum veſtrorũ fructu potiamini, ad clementiſſimã hanc humani generis aduocatã recurrite: Illius exempla in iuſto clientum veſtrorũ patrocinio ſuſcipiendo imitamini, in veritate dicẽda, in miſerabiliũ protectione tuenda, in Deo laborum veſtrorum ſuffragatore agnoſcendo, in controuerſijs quoad eius fieri poteſt præcidendis, ac cõponendis. Et deniq; in vniuerſum eiuſdem prudentiã, humilitatẽ, mãſuetudinem, patiẽtiã, pietatẽq. ſequimini: vt illa ſe vobis eo benigniorem, alacrioremq. aduocatam præbeat, ac cauſam veſtrã in cœli Regia apud filium ſuum perpetuo tueatur, ac eiuſdẽ cohæredes tandem efficiat, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

SERMO DECIMVS TERTIVS.

Ad diſceptantes litibus in iudicio.

Vnde bella, & lites in vobis? nonne ex concupiſcẽtijs veſtris?
S. Iacob. 4.

QVOTIENS mecum conſidero, dilectiſſimi, magnas turbationes, & incommoda, quæ ex iudicialibus controuerſijs in ciuitãtes inuehuntur, ac ſimul quàm vehementi affectu, atque animi ardore lites frequentes leuibus plerũq. ex cauſis permulti ſuſcipere, & obſtinatè in eis perſiſtere ſoleãt; Tũm etiã quid ſacræ literæ, quid Sancti Doct. de huiuſmodi litibus fugiendis ſcriptũ reliquerint: cum Saluator noſter dixerit [a]: *Si*
a. S. Matth. c. 5. *quis voluerit tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, relinque illi & palliũ.* Et rurſus, *Si quis te percuſſerit in vnã maxillam, prabe illi & alteram.* Et Apoſto-
b. 1. Cor. 6. lus [b]: *Delictum eſt in vobis*, ait, *quod iudicia habetis.* Et S. Bernardus præter alios Doctores, noſtis quàm valdè litigandi conſuetudinem damnet [c]. Non poſſum c. S. Bernar. lib. 1. de cõſid. cap. 3.
non humanæ huius miſeriæ maxime miſereri, ac vos pro meo erga vos munere, & beneuolẽtia, quo maiore poſſum animi ſtudio cohortari: vt ex his vos curarum turbinibus, atq; anxietatibus quamprimũ eximere curetis, ac rebus veſtris in poſterum, atque animi tranquillitati ſalubrius conſulatis.

Etenim ſi in primis litium iſtarũ originem inſpiciatis, inuenietis procul dubio dæmonem humani generis hoſtem vaferrimum, ſicuti exitialis illius plagæ author fuit, qua olim ſauciari parentes noſtri, poſteritatem omnem miſerabili culpæ originalis clade labefactarũ: Sic nõ deſinere varijs quotidie artibus, atque hoc ipſo præſertim litiũ inſtrumento, hneſta quadam defenſionis, & iuſtitiæ ſpecie adumbrato, conari amicitiam inter homines concutere, pacis fœdera diſſoluere, charitatẽ erga Deũ euellere, & denique hominem perdere. *Iam enim ſex millia annorũ penè complen-*

tur,

a. S. Cypria. de exhortatione marty rij in præfatione.

tur, vt air S. Ciprianus[a], *ex quo hominē diabolus impugnat. Omnia genera tentādi, & artes, atque inſidias deyciendi vſu ipſo vetuſtatis edidicit. Si imparatum inuenerit militem Chriſti, ſi rudem, ſi non ſolicitum, ac toto corde vigilantem, circumuenit neſcium, fallit incautum, decipit imperitū.* Et alibi in hūc ſenſum: *Mentitur, vt fallat; blanditur, vt noceat; ſolatur, vt perdat; bona promittit, vt mala tribuat; oſtentat pacem, vt bello perimat; vitam pollicetur, vt ſempiterna nos morte condemnet.*

b. S. Thom. in 1. part. q. 63. ar. 2.

Quoniam igitur ille odij, & inuidentiæ ſtimulis cōcitatus[b], cæpit initio hominem falſa rerum imagine deludere, rectiq. ſpecie decipere, propoſita illi meliore rerum ſuarum conditione, vt in deteriorem traheret; nunc videns negocium ſibi olim ex ſententia proceſſiſſe, ac miſerum hominē, vt cupiebat, è gratiæ & innocentię ſtatu delapſum fuiſſe, numquam deſiſtit, qua parte debiliorē arcis murum expertus eſt, eundem bellicis tormentis, & machinis quatere, vt tandem per ruinas in oppidum irrūpat. Hincq. ipſa ſpe plura lucrādi, ac meliora obrinēdi, nō ceſſar, miſeros homines, & incautos ad tribunalia perducere, ac in iudiciorū, & litium voraginē protrudere, tot ſuperiectis laboribus, ſumptibus, atque anguſtijs, vt eos in ſummam perniciē, ac deſperationē penè redigat.

Itaque peſtifer ille halitus, quo hominem inficere ſerpens perfidus olim aggreſſus fuit, ita ſe in humani generis viſcera infudit, ſic inſanus ille tumor membra omnia peruagatus eſt; vt nihil frequentius inter homines, quàm cæcū hoc maiora acquirēdi, alioſq. anteuertendi ſtudiū videas; hincq. lites, cōrentiones, hæreſes, ſchiſmata, tum bella, & Regnorū euerſiones quotidie erūpere. Vnde merito S. Iacobus ſcribit[c]. *Vnde bella, & lites in vobis? nonne ex concupiſcētijs veſtris, quæ militant in membris veſtris?* Sic olim accidit diſcipulis Chriſti antequā Spiritu ſancto eſſent confirmati. Nam cum orta olim fuit cōtentio inter eos, *quis maior eſſet in Regno Cælorū*[d]; & cum mater illa filiorū Zebedei petijt, *vt alter ſederet à dextris, alter à ſiniſtris*[e]; quo alio hæc ſpectabāt, quàm vt ijdem maiores, & clariores eſſenr alijs? quos Dominus redarguit, cum dixit: *Neſcitis quid petatis.*

c. S. Iacob. c. 4.

d. S. Luc. c. 22.

e. S. Matth. c. 20.

Hodie ſi recte conſideretis, lites quæ agitantur, cauſæ de quibus in iudicio contenditur, & quæ ferè omnia in tribunalibus certantur, eò pertinent, an huic ille ſit anteferēdus, in agri, domus vel peculij dominio, aut poſſeſſione. Quàm multa verò hoc colore iuſtiriæ, honoris, ac dignitatis ſuæ tuendę, hiſce litibus damna, periculaq. deliteſcunt?

Nam vt omittamus ea, quæ modo litium iſtarū, & cōcertationū ſemina attigimus; ex quibus tanquam radicibus nō poſſunt niſi noxiæ plantæ, ac fructus funeſti erumpere; cætera quæſo etiam quæ inde ſubſequuntur, paulo diligentius perſequamur.

Ac primum materiam ipſam, in qua labores, vigiliæ, ſolicitudines, sūptuſq. veſtri verſantur, inſpicite. Quid in iudicijs veſtris aliud, vt plurimū agitur, aut controuertitur, quàm de gleba, de pariete, de ſtillicidio, de domo mox ruitura? quòd ſi addas etiā de latifundio, & agro ampliſſimo, quid tandem aliud id erit, quàm ſordidū terræ ſolū, quod ſexcentos cōmutauit, & cōmutabit in poſterum poſſeſſores, donec ſingulos in puluerem ſuum, & limum redigat?

Media verò, quibus hęc in iudicio ſolēt exerceri, quàm ſunt dubia, quàm fallacia, & perplexa? à pelle animalis mortui, vt dicebat ille, patrimonij vires pēdere? inſtrumentum quò magis fumo, & vetuſtate conſumptū, eo plus authoritatis habere? rerum fidem à teſtibus mentiendi artificibus ſumendam eſſe? veritatem per tormenta, & quæſtiones, quæ acerbitate ſua innocentiā plerūq. opprimunt, exigendam eſſe? acta ipſa, quibus nihil ferè infirmius plerūq. eſt, iudicibus legē præſcribere? quot errata in illis, ſiue imprudentia, ſeu imperitia, vel ſocordia, aut fraude, aut quocūque alio lapſu nunc notarij ipſa cōſcribentis, nunc cauſidici eadem dictantis, interdū & iudicis perperam ea interpretantis, facile in ijs exurgunt? quicquid

vitij in ea vndecũq; irrepar, perir iuſtiſſima alioquin cauſa, clariſſimoſq. viros cum tota familia ad extremam indigne redigit egeſtarem.

O miſeros homines, ò infelicem vitæ condirionem, in quàm lubrico, fragiliq. ſolo, opum noſtrarũ ratio poſita eſt? & tamen inſani homines ad hæc quotidie tãquam ad tutiſſimã arcem confugiũt. Er quis tandem finis horũ iudiciorum? niſi vt ea, quæ ad imbecillũ hoc corpuſculũ tuendum, fragilẽq. vitã ad paucos dies producẽdam, in orbe hoc diſperſa ſunt, modo huic, modo illi adiudicẽtur.

Viciſſim verò cogitate quęſo pro veſtra prudentia, nobis litem acerrimã cũ aduerſario callidiſſimo, & nequiſſimo imminere; qui cæleſtem hęreditatẽ nobis ab æterno Patre, vt adoptaris per gratiã filijs teſtamento relictã, intercipere molitur: & tãquã ſpurios, aut abdicatos à patre filios, ſeu potius ingratos, ac rebelles, paternaq. hæreditate indignos, quærit expellere. Quid nõ ille molitur? quas nõ tentat nocẽdi vias? quid nõ ſtruit inſidiarũ, vt in hoc iudicio ſuccumbamus? ſatis ille obtinet, ſi nos non obtineamus, ſũmaq. illi victoria eſt, nos optatis caruiſſe. An deſunt illi fortaſſe accuſatores? an teſtes, an documẽta, an multiplices oĩum generũ probationes?

Videte, quàm cauſæ ſuæ bonitati, iuſtitiæq. fidat, quàm puret rem ſuam aduerſus nos in tuto eſſe: nam hæc omnia quæ nos in iudicijs noſtris magni ſolemus ad tuendum ius noſtrum æſtimare; ille vti leuia, & inutilia abijcit; ore noſtro nos vult arguere, ac cõfeſſione propria, cõſcientiæq. teſtimonio cõpræhendere: poſitiones inſtruit, quibus ſtatim cõuincamur, quę crimen prodant, noſq. ei manus illico dare cõpellant; ac quod dicebat Dominus per Proph. *Arguã te, & ſtatuã cõtra faciẽ tuam*[a]. Sic ille nos cũ furto deprehenſos, ex ore etiam noſtro vult iudicare. Nouit ille quoties alios ad mentiendũ, & peierandum induxiſti; quoties impio auxilium præbuiſti; quoties improbã cauſam prudens, ſcienſq. ſuſcepiſti; quoties litem dolo malo protraxiſti; quoties cauſã aduerſarijs prodidiſti; quoties puellæ, quę ſe fidei tuæ cõmiſerat, pudicitiã perfidus expugnaſti; quoties domum tuam perditis hominibus, luſoribus, blaſphemis, ſicarijs, & lenónibus etiam aperuiſti.

a. Pſal. 49.

Hęc omnia, & longè plura alia deteriora iam in acta relara ſunt: inſtat peremptorius ille terminus ribi ad audiendũ irretractabilem ſentẽtiã indictus; & tu miſer tremendum hoc iudiciũ, aliud agẽs, negligis; & puerorũ more, qui lapillos, & conchas, & nuces perſequuntur; totus alienis, & valdè lenibus liribus intẽtus, ad propriã hanc, inęſtimabilemq. de cæleſti hæreditate litem, ac ad tantum æternorum omnium bonorũ diſcrimen, dormitare videtis.

Equidem cũ mecũ quandoq; cogito noſtram viuendi rationẽ, & quàm leuiter tot bona nobis oblata, tantamq. cæleſtium opum amplitudinẽ negligimus; ſimulq. video in rebus tàm perſpicuis, tamq. grauibus homines adeò cęcos, ac ſtupidos deprehendi: exiſtimaturos omnes qui rectè ſapiunt, planè arbitror, digniſſimã hanc eſſe cauſam, cur officium iudicis, ad publicã vtilitatẽ imploretur.

Nam ſi leges cõmunes decernere ſolẽt curatores minoribus, prodigis, & furioſis: quoniã cũ integri non ſint iudicij, temere profundũt patrimonij ſui vires: intereſt autẽ Reipublicæ, ne quis re ſua male vtatur. Video ego regnũ cæleſte ampliſſimũ, locupletiſſimũ, ac ſempiternũ nobis ſumma Dei miſericordia oblatũ, incõſulto à nobis pręter mitti, & repudiari. Quod maius argumentũ eſſe poteſt patũ ſanæ mentis noſtræ, qui cõmoda noſtra reijcimus? Quomodo nõ indigemus curatoribus, cũ facultatibus noſtris abutamur? & quod dementiæ inditiũ eſſe ſolet, bonis noſtris renũciemus? Sumus, vt noſtis, conſcripti hæredes in teſtamento, ſumus hæredes voluntarij, ſumus inſtituti ſub cõditione, quã vocatis poteſtatiuam. Sic enim ait S. Ioan.[b]: *Quotquot autẽ receperunt eũ, dedit eis poteſtatẽ filios Dei fieri*; ob idq. ſacra ſcriptura, in qua diſertis verbis ram præclara hæreditas nobis relinquitur, noui, vel veteris teſtamenti nomine appellatur.

b. S. Ioan. c. 1.

Datum

Datum eſt & nobis tempus ad deliberandum. Tota enim hominum vita nihil aliud nos monet, quàm vt rebus nuſtris conſulamus, & deliberemus de adeunda hæreditate; obidq. poſiti ſumus in hoc mundo, vt ratione, & conſilio metiamur vires húius hæreditatis.

Nos verò ignari rerum omnium, contemnentes conditionem in teſtamento adiectam, mandataq. Dei violantes, ſtatim nos abdicamus omnibus bonis. Vtinam ſaltem ſi ſuſpecta eſt nobis hæreditas, vteremur iuris remedio, & inuentarium conficeremus bonorum omnium. Quis vnquam ea ſibi deſcribi curauit? Quàm pretioſam ſuppellectilem: quàm amplas poſſeſſiones: quot latifundia: quos auri aceruos: quantam bonorum omnium copiam deprehendiſſet? Conſulite cæleſtes illos Scribas, qui omnia fideliter tabulis ſuis conſignarunt, obſtupeſcentes vos adeo ſegnes, inerteſq. fuiſſe. Verum poſtquam nondum integrum lapſum eſt tempus deliberandi, & adeundæ hæreditatis; expergiſcimini aliquando, & noua conſilia inite, ne regnum hoc tam amplum, tam opulentum, tamq. beatum è manibus veſtris elabatur.

Multa autẽ ſunt, quæ ad lites fugiendas, & contentionem omnem euitandam mouere chriſtianũ hominem deberent, à Doctoribus varijs in locis cõmemorata [a]. Vnde & S. Auguſtinus ait: *Nihil eſſe ſimilius actibus dæmonum, quàm litigare:* dicente Apoſtolo [b]: *Oportere ſeruum Dei non litigare, ſed manſuetum eſſe, & ad omnes patientem*. Hincq. litigium inter grauia peccata, vt plurimum, connumeratur [c], ac ferè ſemper ex peccato originem trahit, vel enim naſcitur ex ſuperbia, iuxta illud Prouerb. [d] *Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt*. Vel oritur ex impatientia, iuxta illud Eccleſiaſtici [e]: *Non litiges cum homine linguato, & non inſtruas in ignem linguam eius*. Siue ex iracundia, iuxta illud Prouerb. [f] *Homo iracundus, incendit litem*. Vel tandem pullulat ex auaritia, quæ omnium malorum radix appellatur. Et hoc ipſum D. Chryſoſt. affirmat, cum inquit [g]: *Vnde putas lites in Eccleſia, inimicitias, altercationes inuicem, niſi propter auaritiam, propter inuidiam, aut propter ſuperbiam, & propter varios honores? tolle hæc, & nulla diſcordia inuenietur in Chriſtianis*.

a. S. Gregor. lib. moral. 23. par. 5. cap. 12. Gratian. in Decre. diſt. 46. in prin. § ſequitur. cum Gloſ. Et diſt 90. in princ. §. litigioſus. Et vtrobique Gloſ. et Turrecre.

b. Epiſt. 2. ad Tim. c. 2.

c. S. Thom. 2.2. q. 116. art 1. et 2.

d. Pro. c. 13.

e. Eccl. c. 8.

f. Pro. c. 26.

g. In cap. S. Matth 21. homil. 11.

Nunquid ergo Magiſtratus, Tribunalia, totamq. hanc iudicandi rationẽ damnamus? abſit: Nam ad Reſpublicas conſtituẽndas, ciuium tranquillitatem conſeruãdam, homines ab aliorum iniurijs vindicãdos, & vnumquemque in officio continendum, neceſſaria hæc eſſe nõ ignoramus. Vnde ait Salomõ [h]: *Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, fulgebũt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*.

h. Dan. 12.

Verùm hinc cupimus, dilectiſſimi, eo clarius vos diuinam clementiam, & infinitam illius erga vos miſericordiã agnoſcere. Videbat ille totam veſtram hanc operam in terrenis tantum poſſeſſiunculis adiudicandis, prædijſq. diuidendis verſari, liteſq. has omnes, quæ tot laboribus, & moleſtijs exercentur, de paupere admodum regno eſſe; propter quod Apoſtolus Corinthios monuit [i]: *Vt hæc ſecularia iudicia illis, qui in Eccleſia contemptibiliores eſſent, demandarent*. Vnde & videmus eos, qui altiore præditi ſunt ſpiritu, & ad chriſtianæ vitæ perfectionem aſpirant, hæc omnia contemnere, & tanquam impedimenta à ſe abijcere.

i. 1. Cor. c. 6.

Verùm quoniã viciſſim videbat ſublimis Dei prouidentia [k] ſublatis tribunalium iudicibus, omnem humanæ vitæ ordinem facile poſſe perturbari, & tãquam duce ab exercitu abducto, milites omnes hoſtium prædæ, & potẽtiorum improbitati exponi. Quid ergo ille egit? non humanam hanc neceſſitatem quamuis terrena tractãtem voluit deſertam eſſe; ſed gratiæ ſuæ potius munere, & beneficentia exornandã, quippe qui eos qui illam fideliter, ſapienterq. obirent, cæleſti etiam præmio dignos duxerit, dicente Propheta [l]; *Beati qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiã omni tempore*. Vt ita ex infimis rebus ſublimia, ex terrenis cæleſtia, ex caducis æterna dona caperent, & tamquam ex

k S. Io Chryſoſt hom. 6. ad pop. Antiochen.

l. Pſal. 105.

Ccc 3 luto

luto aurum colligerent, ac prudentes mercatores imitati, vilem, abiectamq. ſuppellectilem preciola purpura, margaritiſq. permutarent, modo qua decet integritate, vigilantia, fide, ac pietate hæc perſequerentur.

Quoniam verò omnia hæc ſuos habent gradus, & vt modo dicebamus, ſunt alia alijs digniora, & fructuoſiora; meminiſſe ideo oportet, dilectiſſimi, veſtra hæc munera, quæ non ſuapte natura ſublimia, & generoſa, ſed vrgente tantum hominum neceſſitate ita inſtituta, atque à Deo decorata ſunt; non ideo totos ad ſe homines aſſiduo pertrahere debere. *Sed aliud eſſe tempus*, vt ait Salomon [a], *ferendi, aliud colligendi, tempus plangendi, aut ſaltandi, tempus acquirendi, & tempus perdendi*. Sic & dignioribus rebus ſuum quoque locum eſſe reſeruãdum; nec tempus Deo ſeruiendi, terrenis litibus continenter eſſe occupandũ, nedum terram nimis amplectimur, cœlum amittamus.

a. *Eccl. c. 3.*

Sed potius homines, qui rectè ſapiunt, ita paratos eſſe oportere, vt ſi expediat, iniuriæ magis, & damna ſuſtineantur, quàm quòd lites, & controuerſiæ in iudicio ſubeantur [b]. Exemplũ fugiendæ litis, & amplectẽdæ tranquillitatis nobis ſit iuſtus Abraam, qui vt contentionem exortam inter ipſum, & Loth, ac vtriuſque Paſtores dirimeret, ſic inquit [c]: *Ne ſit iurgium inter me, & te, & inter Paſtores meos, & tuos; fratres enim ſumus: ſi ad ſiniſtram ieris, ego ad dexterã tenebo; ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam*. Quibus verbis ſatis ſignificauit res has caducas neutiquã amoris quieti, pacis tranquillitati eſſe præferẽdas, omneq. litigij genus cum proximis eſſe fugiẽdum, etiam ſi illi nobis inferiores ſint.

b. *S. Thom. 2.2. q.43. ar.8. ad 4.*

c. *Geneſ. c. 13.*

Nam vt apud S. Chryſoſt. legitur [d]: Eorum contentio magnam nobis affert ignominiam, & non illis imputãtur quæ fiunt, ſed in nos transfertur quod reprehendendum. Quid enim minus rationi conſentaneum, quàm homines, qui fratres in Chriſto ſunt, qui eandem naturam ſortiti, qui eiuſdem ſunt familiæ, qui eodem loco habitaturi ſunt, quos manſuetudinis, lenitatis, & omnis philoſophiæ Doct. eſſe oportebat, inter ſe contendant, & digladientur? Erat pax, concordia, & ſumma ſanguinis neceſſitudo inter Abraam, & Lot; Vbi tamen aucta ſunt armenta, multiplicati greges, affluxerunt diuitiæ multæ, ſtatim diſcinditur concordia. Antea erat pax, & charitatis vinculum, nunc rixa, & contentio: vbi enim meum, & tuum, illic omne litium genus, & contentionis occaſio; vbi autem hæc non ſunt, ibi ſecura verſatur pax, & concordia.

d. *S. Chryſoſ. in Geneſ. homil. 34.*

In hanc eandem ſententiam multa à S. Bernardo prolata [e] accipi poſſunt; veluti cum mirari ſe ait, quomodo religioſę ſummi Pontificis aures audire ſuſtineant tot pugnas verborum inuicem contendentium, & alia huiuſmodi, non vt ea tanquam peccata omnino damnet: ſed vt illis, ſi alia fieri poteſt ratione, prouideatur [f].

e. *S. Bernar. lib. 1. de cõſideratione c. 3.*

f. *S. Greg. in paſtor. par. 2. c. 7.*

Quod & à S. Gregorio ſtudioſe in multis teſtamentorũ, legatorum piorũ, viduarum, Monaſteriorum, aliorumq. locorum cauſis, curatum fuiſſe: vt poſtpoſito omni iudiciorum ſtrepitu, diffinirentur, & ſopirentur, variæ illius epiſtolæ teſtantur [g].

g. *Lib. 1. ep. 60. lib. 5. Epiſt. 9. & 35. lib. 7. Epiſt. 45. & 48 lib. 9. epiſt. 10.*

Quapropter illud vobis perpetuò propoſitum, ac firmum eſſe debet, lites (quoad fieri poteſt) eſſe fugiendas, contentiones omnino vitandas, ſectandam pacem, tranquillitatem, retinendamq. in primis charitatem: à qua nullo vos vel ingenti lucro, aut damno, nulla ſpe, nulla vi, aut extremi etiam periculi metu vnquam auelli, aut ſeparari oportet. Quod vobis per infinitã gratiam ſuam, miſericors Deus concedere dignetur.

SERMO

SERMO DECIMVS QVARTVS. Ad Moniales triplici voto obſtrictas.

Apertis theſauris, ſuis obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham. S. Matth. 2.

Intra Octauam Epiphaniæ.

SOLEMNIS iſta celebritas ſacræ Epiphaniæ, quam ſancta eccleſia Chriſtiano populo hoc tempore proponit, non ſolum fidelibus vniuerſis, verum ac tutum iter ad ſalutem, Magorum exemplo apte oſtendit; ſed præcipuè religioſis omnibus congruit, itavt in eam intuentes, hinc vitæ inſtitutum agnoſcāt quod peculiariter debent imitari. Quod vt clarius vos, chariſſimæ in Domino, intelligere, ſalutaremque inde fructum percipere valeatis; curabimus ſeriem ipſam ſacri Euangelii enarrantes, ea vobis in memoriam redigere, ex quibus plenius vnaquæque veſtrum an Magos verè imitetur, hodie poſſit agnoſcere, atque hanc ſolemnitatem eo hilariore mente, feruentioreque ſpiritu celebrare.

Et quoniam tria ſunt præcipue, quæ Monialis, vbi ſe Deo dedicare conſtituit, obſeruare debet. Primum antequàm profeſſionem emittat. Secundum in ipſo actu profeſſionis. Tertium poſt profeſſionem peractam. Exordiemur à prima parte, quæ eſt ante profeſſionem, vt ducibus hiſce Magis, Regibus ſapientiſſimis, vnaquæque Monialis videat, quem itineris curſum, ſeù quam vitæ rationem hi fuerint ſecuti, vt ad Dominum peruenirent.

Primum igitur legimus initium, quo Magi excitati fuerunt, vt ad Chriſtum Dominum iter arriperent, ſtellam fuiſſe, quæ ipſis in cælo apparuit; Sic Monialis ſibi debet perſuadere, principium ſuæ conuerſionis, ſi verè ad Deum conuerſa eſt, à lumine quodam interiore, atque cæleſti quadam inſpiratione deſcendiſſe, atque ideò maiores ei gratias habere, quòd nullis meritis ſuis, ſed tantum diuina benignitate, tàm excelſum fuerit donum cōſecuta. Sic ſanctus Petrus non abſimili propoſito dicebat [a]: *Virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit, in admirabile lumen ſuum.* a. 1. Petr. 2

Secundo; Magi viſa ſtella, ſtatim domo egreſſi fuerunt ad quærendum, & inueniendum Saluatorem Mundi. Sic Monialis concepta inſpiratione diuina, quæ ei dictat, mundum vt fallacem eſſe deſerendum; non eget longa cunctatione, aut multorum conſultatione [b]; ſed debet quamprimum domos, & conſanguineos relinquere, vt Dominum quærat, ac ei tota mente ſeruiat; Sicuti Apoſtoli Iacobus, & Ioannes leguntur relictis retibus ſtatim ſecuti fuiſſe Dominum [c]: ac ſanctorum multorum exemplo docemur, eos, qui cum Chriſto iungi volunt, amplius ſecularis vitæ ſolicitudine, & paternæ domus conſuetudine non detineri [d].

b. S. Th. 2. 2 q. 189. art. 10.

c. S. Matt. 4.

d. S. Th. 2. 2 q. 189. artic. 6.

Tertio; Magi inſtruere ſe ſubinde cęperunt, Vbi eſt *qui natus eſt Rex Iudæorum*? Sic monialis, licet deliberarit ſeculo renuntiare, tamen antequam Monaſterium certum deligat, in quod ſe transferat, prudenter faciet, ſi inueſtigare, ac perquirere curabit, vt inſtruatur in quo Monaſterio obſeruantia magis uigeat: quæ ſint conſtitutiones tutiores; quæ regula arctior: quæ obligationes, & alia quibus poſſit aptius, & plenius Deo ſeruire [e].

e. S. Th. 2. 2 q. 186. art. 1. & q. 189 art. 1.

Quarto; Magi obliti honorum, graduumque ſuorum, ingrediuntur paruam

domum,

Digitized by Google

domum, ac Deum infantem natum ibi inueniũt,ait enim Euangeliſta [a]: *Intrantes domum inuenerunt puerum*.

a s. Matt. 2.

Sic Monialis proponere ſibi debet, relictis conſanguineis,habitatione propria,& domo,atque alijs vitæ commodis abdicatis, ingreſſuram ſe anguſtum Monaſterium, vbi ſe totam Deo dedicet, atque humilem Chriſtum ſemper præ oculis habeat [b].

b. s. Th 2. 2. q. 186. ar. 3

Quinto;Magi vt debitum Deo cultum præbeant,deſcendunt ex equis; miſſam faciunt comitum, & ſeruorum turbam; ingrediuntur, genua flectunt; ſeq; alios prorſus ab eo, quod antea erant, oſtendunt. Sic Monialis deliberare debet,habitum exuere ſecularem; præcidere capillos; præcingere lumbos; veſtem induere rudem; omniaque ſua etiam exteriora immutare, vt arctius ſe cum Deo coniungat [c].

c. s. Th. 2. 2. q. 187. ar. 6

Hæc quod attinet ad primam partem, antequàm fiat profeſſio. Ex quibus intelligere poteſt Monialis, quid ſibi antea erat agendum, vt huic ſanctæ vocationi rectè reſponderet, ſecumque in Domino gaudere, ac ſummas bonorum etiam authori Deo gratias agere, ſi eadem præſtitit: ſin minus aut fragilitate, ſeù inconſideratione, aut alia quauis cauſa ſingulos hoſce, quibus ad perfectam vitam incedẽdum eſt, gradus, non ante mente complexa fuerit; non ideò tamen animum debebit deſpõdere, aut irritum vocationis ſuæ ſtatum cenſere; ſed diuinæ miſericordiæ firma ſpe concepta, nouum ſpiritum aſſumere:vt quæ ſequuntur ritè adimpleat, ac eo alacriore mente, plenioreque opere, ſuperius omiſſa, compenſare ſtudeat.

Nunc igitur ad ea, quæ in actu profeſſionis facienda ſunt, accedimus. In quo Magi ipſi ſatis euidens exemplum præbent Monialibus, quid ab ipſis pariter ſit præſtandum. Etenim Magi in ſignũ ſuæ ſubiectionis tria offerunt Chriſto Domino, quæ ſunt, aurum, thus, & myrrham; quæ quidem referũt tria religionis vota,quæ Monialis in actu ſolemnis profeſſionis ſuę,& Domino ſpondet, & offert. Aurum enim, vt notum eſt, reſpondet voto paupertatis; thus exprimit votum obedientiæ,cum thure ſacrificetur Deo, cui parendum eſt; myrrha declarat votum caſtitatis,cum myrrha præſeruet corpora à corruptione.

Verùm quoniam hæc ipſa trium votorum profeſſio ad perfectionem religionis neceſſaria [d] omnibus Monialibus eſt communis; nam ſingulæ eodem ritu, eadem verborum conceptione, parique obligatione tacita, vel expreſſa ſolemniter profitentur, & Deo ſe totas conſecrant; poſſent fortaſſe nonnullæ ex his quæ adſunt Moniales ſibi tacitè perſuadere,earum ſtatum in tuto eſſe,ac vano ſpiritualis ſuperbiæ flatu, circumferri, quòd Magos hæc tria offerendo,optimè eſſent tribus ſolum emiſſis religionis votis imitatæ. Attamen quia ad exemplum Magorum multa alia requiruntur, quæ mox dicemus, ipſaque profeſſio vt vera,vt ſancta,atque omni ex parte perfecta ſit, alia nonnulla poſtulat. Idcircò cum omnium religioſorum ſtatus hæc ipſa trium votorum profeſſione nitatur, intereſt maximè, hæc omnia quomodo habere ſe debeant, benè, ac clarè explicata tenere, vt eò tutius Monialis quæque, ſaluti ſuæ in Domino poſſit conſulere.

d. s. Th. 2. 2. q. 186. ar. 6 & 7. s. Antoni. par. 3. tit. 16. c. 1. §. 9

Igitur ad varias circunſtantias reſpiciendum eſt,quibus dona Magorum ſociata fuerunt, vt pariter Moniales, ſingula vota ſua cum illis circumſtantiis coniungant, vt Magos ſicut in munere oblato ſunt imitatæ: ita in præmio, & remuneratione non inferiores dici poſſint.

Primum itaque, quod obtulerunt Magi, eſt aurum: quo deſignatur votum paupertatis,quoniam aurum eſt propriè diuitum,& qui illud reiiciunt,oſtendunt cum paupertate velle ſeipſas cõiungere, ſed hoc aurum illi cum tribus circunſtantiis obtulerunt,quæ pariter voto paupertatis ſunt neceſſariæ.

Prima eſt: *Apertis theſauris ſuis*; quo ſignificatur, in voto paupertatis omnia bona mobilia, & immobilia,quæcunque illa ſint, noua, & vetera, magna,& parua, eſſe à Moniali denuntianda, profe-

renda, ac detegenda Prælatis, ita vt nihil ſibi Monialis clàm, & abſque licentia retineat, nihil vt proprium ſuum reſeruet, nihil inuito Prælato occultet: ſed apertè cuncta profiteatur, & in manibus ſuç Abbatiſſæ reponat, ac monaſterio ad communem vſum reſignet [a]; ita vt vere dicere poſſit: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te* [b].

a. c. non dicatis 12. q. 1. & c. cũ ad monaſteriũ. de ſtatu Monach.

b. S. Matt. 19

Secunda circunſtantia eſt, qua dicitur, *Obtulerunt*; quod ſignificat, prompto, libentique animo id factum fuiſſe, ac puro corde, vt Deo placerent. Nam vt in pſalmo dicitur [c]: *Omnis gloria filia Regis ab intus*. Et alibi dicitur [d]: *Holocauſta medullata offeram tibi, cum incenſo arietum, offeram tibi boues cum hircis*. Quo loco hæc tria eadem vota ſignificantur; nam *INcenſum* ibi quoque innuit votum obedientiæ; *Boues*, votum paupertatis; & *Hircis*, votum caſtitatis.

c. Pſal. 44.

d. Pſal. 65.

Sed hæc tria ſimul iunguntur illis verbis, *Holocauſta medullata offeram tibi*, vt oſtenderet hanc profeſſionẽ debere eſſe tãquàm holocauſtum medullatum, ideſt tanquam ſacrificium illud, quod totum incendebatur in honorem Dei, nulla prorſus parte reſeruata in alium vſum: nã per profeſſionem offert religioſus, & religioſa omnia bona Deo, quæ habet, & habere poteſt, cum per votũ paupertatis offerat bonũ totum, & integrũ rerum omnium exteriorum: per votum autem caſtitatis offert bonum proprij corporis, quo abrenuntiat omnibus delectationibus carnis: per votum etiam obedientiæ offert bonum animæ, quod eſt propria voluntas, cum omnibus potentijs, & habitibus animæ [e]. Et præterea hoc holocauſtũ debet eſſe medullatũ; quod ex viſceribus cordis, atque intimo animo ſeruiendi Deo proficiſcitur, ita vt obiici nequaquam illis id poſſit, quod dicebat Iſaias [f]: *Væ filij deſertores, vt faceretis conſilium, & non ex me; & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum*.

e. S. Th. 2. 2. q. 186. ar. 7

f. Iſai. c. 30.

Tertia circunſtantia eſt, *Theſauris ſuis*; quod oſtendit debere hanc oblationem tanto animi ardore fieri, vt licet res aliquas chariſſimas habuerit, nihilominus pro Chriſti amore ſe eis libenter expoliet. Nam verbum *Theſaurus* conſueuit ſignificare rẽ maxime charam; cum dici ſoleat, *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuũ*. Et quia theſaurus Græca voce appellatur aggregatio pecuniæ, ſiue opum, aut aliarum rerum pretioſarum, quæ reponitur, vt cum opus fuerit, in meliorem vſum expromatur. Sic Monialis, quæcunque antea habebat, nunc in vſum optimum, ac ſibi commodiſsimum trãſferre ſtatuit: vt ſcilicet ea Domino Saluatori dedicans, ſibi lucretur vitam ſempiternam.

Altera fuit oblatio *Incenſi*, quod reſpondet voto obedientiæ: quoniam ſicut thure ſacrificatur Deo, ſic voto obedientiæ voluntas noſtra eidem conſecratur.

Verùm hic quoque tres circunſtantiæ ſunt obſeruandæ. Prima eſt humilitas, nam Magi procidentes, thus obtulerũt. Sic Moniales cum intima animi demiſſione debent obedientiam ſuam teſtari. Secundo cum deuotione, & ſubiectione, ac pio affectu; nam ipſi adorauerunt eum. Sic Moniales obedire ſuperioribus ſuis debent, tanquam miniſtris Dei cum honore, & reuerentia, nihil repugnantes, ſed reuerenter, deuotè, ac religiosè ſe gerentes. Tertio cum alacritate, & celeritate. Nam Magi viſa ſtella ſtatim dederunt ſe itineri, progreſſi ſunt, promptèque omnia executi. Sic Monialis poſthabitis aliis impedimentis, nihil aliud quærere debet, quàm vt exequatur, quod ſibi à ſuperioribus ſuis iuſſum eſt. Nam obedientia dicitur incenſum odoriferum, quatenus per eam omnia opera bona, quæ religioſus facit, dummodo ſit in gratia Dei, etiam ſi ſint minora, valde placent Deo. Itaque alii homines ſæpe dubitare ſolent, num ea quæ faciunt, grata ſint Deo. At verò religioſus, qui in aliqua re ex obedientia verſatur, ſolutus eſt hoc dubio: ſcit enim ea item, quæ ſibi non placẽt, & quę vilia ſunt, ſi per obedientiam debito modo fiant, eſſe Deo gratiſsima [g].

g. S. Th. 2. 2. q. 186. art. 5. in reſp. ad 5.

Tertia

Tertia oblatio fuit *Myrrha*, quæ virginitatem nobis oſtendit, cum Myrrha adhibeatur ad tuẽda corpora à putrefactione; Virginitas autem omnem impuritatem arcet, templique huius integritatem tuetur. Sed hæc quoque tres requirit circumſtantias.

Prima: vt ſicut Magi delitias Regias reliquerunt, quærentes Dominum; Sic Monialis domum, luxum, menſas, & alia irritamenta carnis, & ſenſus deſerat, & ſolum Chriſtum quærat.

Secunda: Magi occaſiones quibus à cœpto itinere diuerti poſſint, declinant: atque laqueos Herodis, quibus à Chriſti obſequio retrahi, & in errorem immitti poterant, effugiunt. Sic Monialis crates, alloquutoria, verba leuia, lubricaſque alias mundi, & carnis illecebras, quibus facile ab vnione ſpirituali cum Deo per profeſſionem inita, tanquã effrænati appetitus impetum, & inuiſibilis hoſtis retia quædam, totis viribus vitare debet.

Tertia; Magi ſolitudinem amplectuntur, intrant domum, lætantur congreſſu pueri, & Matris eius; Sic Monialis debet ſolitudinem quærere, ibi libenter morari, mortificationem diligere, dare ſe orationi, & colloquia frequenter miſcere cum puero, & ſuauiſſima Matre illius.

Sequitur tertius actus, qui poſt profeſſionem celebratam attenditur: cuius mirificum exemplum Magi Monialibus præbuerunt, vt ſciant quid ipſæ quoque poſtea debeant præcipuè obſeruare. Nam Euangelium ait, Magos poſt oblata Chriſto Domino munera, non amplius cum Herode cõgreſſos eſſe, nec cum eo colloquia habuiſſe; *Sed* inquit [a]: *Per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam*: Sic Monialis facta profeſſione, & Deo conſecrata, conſtanter ſibi proponere debet, poſthac aliam prorſus viam ſequi, nec ſibi amplius commercia cum hominibus ſæculi, mundique delitijs retinenda eſſe; ſed diuerſas prorſus cogitationes, colloquia, actiones, deſideria, ac familiaritates inſtituendas eſſe: vt ſe non verbis tantùm, ſed re ipſa, & quotidianis operibus declaret ſeculo iam renũtiaſſe, ac in Chriſti Domini familiam tranſijſſe.

a. 1. Matt. 2.

Verùm ſupereſt aliud nouiſſimo loco memorandum, quo omiſſo cætera parui eſſent momenti. Hoc enim ſibi perſuadere debet monialis, niſi ipſa ſit in gratia Dei, parum agere; licet ſe ipſam offerat, & profeſſionem emittat. non enim omnia munera, quæ Deo offeruntur, ideò illi ſunt grata, & accepta; ſed neceſſe eſt, vt is qui illa offert, non inuiſus & odioſus ſit Deo. Cuius rei clarum exemplum habemus in duobus fratribus Abel, & Cain, quorum vterque munera Deo obtulit; & tamen legitur [b], quòd Deus *reſpexit ad Abel, & munera eius; ad Caim autem, & ad munera eius non reſpexit*. Hincque apud Iſaiam legitur [c]: *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum? plenus ſum, incenſum abominatio eſt mihi, Neomenias, & kalendas veſtras odiuit anima mea*. Quapropter ſacræ literæ cum de noſtris operibus loquuntur, admonent nos, vt curemus ea Deo accepta, & grata eſſe. Sic in quadam oratione Quadrageſimæ ait ſancta Eccleſia: *Tunc nobis proderunt ſuſcepta ieiunia, ſi tuæ ſint placita pietati*. Et in pſal. [d] *Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes, & holocauſta*. Et in Epiſtola ad Romanos ait Apoſtolus [e]: *Obſecro vos, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiã viuentem, ſanctam, Deo placentem*.

b. Geneſ. 4.
c. Iſaia. 1.
d. Pſal. 50.
e. Rom. 12.

Quid igitur dicent Moniales nobis faciendum erit? Nempè vt ad Deum toto corde conuerſæ, agnoſcatis gratiam ſingularem, quæ vobis ab illo collata eſt; quòd vos nihil tale merentes, à mundi laqueis, carnis illecebris, ac dæmonis magna ex parte inſidijs exemerit: atque in ſacrum illud Monaſterium munitum diuinis officijs, exercitijs ſpiritualibus, diſciplinis, ieiunijs, obſeruantiis, conſtitutionibus, ſilentio, ſolitudine, orationibus, vitæ communione, ſancta charitate, atque omnium

nium ſpiritualium diuitiarum abundantia adſciuerit, adeo vt dici poſſit verè [a]: *Turris fortitudinis à facie inimici*. & Moniales intra clauſtra veſtra receptæ dicere poſsint: *hæc eſt generatio quærentium Dominum*; cum, vt ait Doctor quidam Eccleſiaſticus, ſi qua in hoc mundo imago Paradiſi poteſt exprimi, ea nuſpiam aptiùs, quàm in Monaſterio, vbi regularis obſeruantia cuſtoditur, ſoleat referri.

a Pſal. 60.

Quapropter Monialis, prætet ea quæ dicta ſunt; intuens habitum, quo ſe induit, myſteriis refertum, cingulum quo præcincta, capillos qui ſibi præciſi, nomen quod mutatum, & cætera, quibus ſe abdicauit, vt expeditius ſeruiat Domino, debet pet ſingulos dies benedicere Domino, dicens cum Propheta [b]: *Dirupiſti Domine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini inuocabo*. Quinimò ſi magnitudinem diuinæ erga ſe gratiæ meditetur, animaduertet plus Dominum erga ſe, quàm erga Magos beneficum fuiſſe: cum ab illis non niſi res materiales, & terrenas, aurum, thus, & myrrham acceperit: at Moniales inſpirarit, vt non ſolum bona temporalia, ſed & corpus ipſum, ac voluntatem plenè ei ſubiecerint. Nam vt ſcribebat Sanctus Auguſtinus in epiſtola ad Armentarium, & Paulinam [c]: *Nec ideò te veniſſe pœniteat, immò gaude iam tibi ſic non licere, quod cum tuo detrimento licuiſſet; fœlix eſt neceſſitas, quæ ad meliora compellit*.

b Pſal. 115

c S. Aug. ep. 45 tom. 2.

Quare ſicut cum eccleſia conſecratur, ſolet quotannis eodem die anniuerſaria ſolemnitas Dedicationis celebrari; Sic Monialis quo die profeſsionem ſuam emiſit, ac templum corporis ſui Domino dedicauit, deberet ſingulis annis, licet obligationis vinculo non obſtringatur, illius memoriam recolere, nouas ei gratias agendo, ac confeſsionem generalem illius anni repetendo, præcedente ieiunio, aliiſque piis precibus, quibus ſe per totam illam hebdomadam plus ſolito colligeret, ac diuinam ſibi gratiam, & opem conciliare ſtuderet. Hoc ita faciens, atque profeſsionem ſuam, tanquàm eximium Dei donum agnoſcens, quo ad virtutem, & perfectionem perueniatur: probabiliter exiſtimari poterit, ſi eadem in ſancto propoſito perſeuerat, Deum qui diues eſt in miſericordia, & ſalutis humanæ cupidus, maxime gratam, & acceptam illius profeſsionē habiturum; quotidieque magis ſuam illi gratiam, & ſpiritum largiturum Amen.

SERMO

SERMO DECIMVS QVINTVS.

Ad diuerſorum ordinum ſtatus ſimul collectos.

Martha Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima, porrò vnum eſt neceſſarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.
S. Luc. c. 10.

In die Aſſumptionis B. Virginis.

CIRCVMFVSA hæc veſtra Dilectiſſimi, ante oculos noſtros tot inſignium virorum frequentia, adeoque multiplex diuerſorum ordinum, qui hic adſtant, gradus, variaque inter eos viuendi inſtituta, nos admonent: vt quid hodie præſentis Euangelij occaſione, de varijs humanæ vitæ officiis à Chriſto Domino noſtro maxime probatum fuerit, ex Sanctorum Patrum Græcorum, Latinorumque ſententia, ea quæ ad rem veſtram pertinent, breuiter diſſeramus. Nam cum duæ eſſent ſorores, quæ Dominum noſtrum hoſpitio ſuſceperunt: Martha, quæ circa frequens illius miniſterium verſabatur: Maria, quæ tota audiendo verbo Dei erat intenta; eumque in hac operum,& officiorum diſſimilitudine, vtraque ſe operam ſuam melius fortaſſe collocare exiſtimaret, nec inter ſe ambæ ſatis conuenirent; tum reſpondit Dominus [a]: *Martha Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima, porrò vnum eſt neceſſarium; Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

a.S.Luc.10.

Ex quibus verbis, cum de multiplici viuendi hominum inſtituto, diſſerendi argumentum Doctores colligere ſoleāt, nos antequam ea, quæ vniuſcuiuſque veſtrum vtilitati, chariſsimi, congruere poſsint, ingrediamur: primum de vera verborum iſtorum, ac contextus Euangelici intelligentia, vnde hæc tractatio deſumi ſolet, nonnulla breuiter diſſeremus.

Fortaſſe enim hæretici aliqui, qui Chriſtianis operibus, ſanctiſque exercitationibus præter modum inſenſi ſunt, prauo otio prorſus dediti, ex hoc Domini noſtri ſermone, propugnaculum aliquod ſumere audebunt, ad euertendos omnes labores, vigilias, diſciplinas, atque humanas penè vniuerſas operationes; ſic dicentes: Ecce erant hæ duæ ſorores Martha, & Maria; Martha in miniſtrando Domino occupabatur; Maria interiorem fidem ſequebatur: *audiebat enim verbum Domini.*

In hac officiorum diſsimilitudine hodie Saluator noſter tanquam iudex conſiſtens, improbat inanem Marthæ ſolicitudinem, quę operum fiducia oitebatur, Mariæque inſtituto ſubſcribit, quæ ſedens, & conquieſcens, verbo Dei hærebat: oſtendens ſcilicet totam iuſtificationis rationem, non operoſis negociis, ſed fidei doctrina contineri; hocque illud vnum eſſe, quod ſolum nobis ad ſalutem ſit neceſſarium.

Verùm non opus eſt multis immorari in ram nefaria, doloſaque commentatione refellenda; nam legenti ſacras literas, nihil frequentius in oculos incurrit, quàm opera ad ſalutem eſſe neceſſaria. S. Matth. [b]: *Voca operarios, redde illis mercedem.* Et Apoſtolus [c]: *Satagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* Et Symbolum Athanaſii:

b.S.Matth. cap. 20.
c. 2. Petr. 1.

Athanaſij: *Qui bona egerunt, ibunt in reſurrectionem vitæ: qui verò mala, in ignem æternum.* Sed hoc omiſſo, ex eiuſdem Euangelij noſtri verbis, eorum nequitiã arguamus, & ſuperbum Goliath mucrone proprio confodiamus.

a. S. Luc. 10. Quid ait Euangelium [a]? *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Inquiunt ipſi, de fide hic agi. Nos reſpondemus non ad fidem, ſed ad charitatem hæc verba pertinere [b]. Nam fides, & ſpes in cæleſti patria deficiunt. *Charitas autem nunquam excidit*, vt ait Apoſtolus [c]; quod & teſtimonio Saluatoris alibi confirmatur; qui loquens de hac ipſa Maria, inquit [d]: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

b. S. Thom. 2. 2. q. 18. art. 2.

c. 1. Cor. 13.

d. S. Luc. c. 7

Itaque, aut de charitate hoc loco eſt ſermo, aut de fide non nuda, qualem hæretici iactant, ſed quæ per dilectionem operatur; ſiquidem nec remiſſionem peccatorum, nec iuſtificationem aſſequimur, niſi concurrat fides, ſpes, & charitas, vt Tridentino Conc. traditum fuit [e].

e. Seſſ. 6. c. 7.

Amplius, ſi vitam ipſius Magdalenæ intueamur, euidentiſſimum erit, eam non otioſa fide, ſed ſummis laboribus, ſanctiſſimiſq. operibus, ætatis ſuę ſpatia traduxiſſe. Nam ſiue initium cõuerſionis illius, ſiue progreſſum, ſiue exitum vitæ reſpiciamus, animaduertemus eam continẽter hanc vitæ rationem amplexam fuiſſe [f]. In conuerſione admiramur illius pænitentiam, lachrymarum imbres, vnguenti effuſionem, ſeculi abiectionem, ſummamq. carnis afflictionẽ; nobilem fœminã videmus peccati aculeos ſentiẽtem, in publicum difectis criminibus prodeuntem, nihil probra, nihil aliorum maledicta verentem, delitias omnes ſpernentem, humi ſtratã, ac pedibus Saluatoris prouolutã, proprijs capillis illius pedes, nouo in omnẽ poſteritatem exẽplo, abſterſiſſe: cuius pietatis ardore permotum Saluatorẽ dixiſſe legimus [g]: *Bonum opus in me operata eſt.* Poſthæc eandem legimus [h], facultates ſuas in miniſterium Domini cõtuliſſe [i], illum ad crucem, mortẽq. & monumentum etiam, ſectatam fuiſſe. Poſt obitum

f. S. Luc. c. 7.

g. S. Matth. c. 26.

h. S. Luc. c. 8

i. S. Ioan. c. 19. & 20.

verò illius, ſe in ſolitudinem apud Maſſiliam recepiſſe, ibi perpetuò panem lachrymarum comediſſe, calicẽ afflictionis potauiſſe, inſomnes noctes multas egiſſe: ac perpetua carnis ſuæ maceratione, vitiorumq. deteſtatione, corporis ſui ſacrificiũ Domino obtuliſſe, vt multa alia prætereamus, quæ ab Epiſcopo Roffenſi, in libello, *Quòd vna tantum ſit Magdalena*, præclarè collecta, & ex receptis apud Maſſilienſes hiſtorijs, nobis relicta fuere.

Aggredimur nunc aliã explicationẽ, in quã cõuenire omnes ferè ſolent tum Græci, tũ Latini Authores [k]. Theophilact. S. Ambroſius, S. Auguſt. Euſebius Emiſſ. S. Greg. Ven. Beda. S. Anſelmus, S. Bernardus, & alij. Interpretantur hi *Maria optimam partẽ elegit*, id eſt, optimã vitæ rationem, atq; optimum opus amplexa eſt, quod ſeſe ad audiendum verbum Dei totã applicuerit. Aiunt enim hoc duarum ſororum exemplo, exprimi nobis duplicem humanæ vitæ typum, & imaginem: quarum altera actiua, altera cõtemplatiua nuncupatur: ac Dominũ quidem cõtemplatiuã, quæ fuit Mariæ, actiuæ, quæ fuit Marthæ, prætuliſſe.

k. S. Ambro. Theophilactus, Beda in Cõment. ad cap. 10. S. Luc. S. Greg. hom. 14. in Ezec. S. Anſelmus homil. vnica. ſuper ijs verbis. S. Bernard. ſerm. 3. de aſſumpt. S. Auguſtin. de verbis Domini ſermo. 26. & 27.

Verùm nos ſicuti quędam ex his vera planè eſſe, & ab omnibus probata aſſerimus, ſic quædam etiam clariore explicatione omnino indigere affirmamus. Nã quòd duæ tantum ſint humanæ vitæ ſpecies, propriè inter ſe diſtinctæ, videlicet actiua, & contemplatiua, quibus deinde innumera alia hominum inſtituta ſubijciantur, ita vt cætera omnia ad hæc duo tanquã præcipua capita redigãtur, hoc ſcimus à B. Thoma, quem cęteri ſequuntur, euidenter probatũ fuiſſe [l]; ſicut & illud pariter receptũ eſt, cõtemplatiuam vitam actiuæ per ſe oppoſitam, illi planè præſtare [m].

l. S. Thom. 2. 2. q. 179. art. 1. et 2.

m. S. Tho. 2. 2. q. 182. art. 1. et 2.

Cæterum quòd hæc contemplatiua abſolutè cæteris omnibus vitæ generibus emineat, atq; omnium ſit præſtãtiſſima, hoc nequaquã ſolet approbari: ſi quidẽ illud vitæ genus omniũ præſtãtiſſimũ eſſe dicitur, quod ex vtraq; actione ſcilicet, & cõtemplatione cõpoſitum eſt, cum totum prętantius ſuis partibus

eſſe cēſeatur. Nec ideo hanc tertiā eſſe ſpeciem vitæ ab alijs diuerſam cōtēdimus, ſed dicimus vnā eſſe [a], quę duplicē illā vitā, tanquā duas partes permixtas continet; partimq. in actione, partim in contemplatione ſe exercet, viceſq. ſuas alternat: & vbi maior neceſſitas, charitaſq. feruentior poſtulauerit, in eam ſtatim ſe partem, ſiue actiuā, ſiue cōtemplatiuam effundit. Hoc optimum dicimus eſſe vitæ inſtitutum, quod forte olim nobis adumbratum fuit in veteri teſtamento, exemplo illius Aioth, qui in libris Iudicum [b] memoratur fuiſſe ambidexter, ita vt ſe vtraque manu, in omnem actionem æquè exerceret.

a. a. niſi. de renunc.

b. Iud. c. 3.

Quæ quidem ſententia fuit grauiſſimorum Patrum [c] appellātium hoc mixtum vitæ genus, illudq. præclariſſimū, atque inter alia omnia eminētiſſimum, quod ſequutus eſt Saluator noſter, in quo eluxit abſolutiſſimū, perfectiſſimūq. vitæ exēplar [d]: ſequuta eſt Beata Virgo, *audiens verbū Dei, & conferens in corde ſuo*, eadēq. laboribus nullis, aut vitæ incommodis parcēs: ſequuti ſūt ſancti Prophetæ veteres, Moyſes, qui tabernaculū modo ingredicbatur, modo egredicbatur: ſequuti ſunt Dauid, Samuel, Eliſeus, & alij: ſequuti ſunt Apoſtoli Petrus, Paulus, & reliqui: ſequuti ſunt Martyres, & Cōfeſſores, Epiſcopi, qui in Epiſcopali munere, hoc inſtitutum profitentur.

c. S. Tho. 2. 2. q. 188. art. 6. Innoc. ij. c. niſi de renūc. Et c. licet. de regular. S. Antonin. Archiepiſ. in 4. par. tit. 30. c. 4. §. 2. 3. Caiet. 2. 2. q. 182. ar. 1. Caſſ. Catal. glor. mundi in vlt. par. conſid. 33.

d. S. Thom. in 3. q. 40. art. 1.

Quapropter cum Dominus dixit, *Maria optimam partem elegit*, magno myſterio videtur verbum illud *Partem* protuliſſe; vt ſcilicet intelligeremus, partē cum parte, nō partem cum toto cōferri: quaſi dicat, contemplatiua Mariæ præfertur actioni Matthæ, ſed nō ideò hæc contemplatiua, in vniuerſum omnibus alijs eſt anteferenda; quā ſententiam [e] S. Bernardus, & latius Caietanus perſequutus eſt.

e. S. Bernar. ſerm. 3. de Aſſumpt. Mariæ. Et Caiet. 2. 2. q. 182. art. 1.

Cæterū quoniā dubitāt adhuc aliqui an hic verus, propriuſq. Domini noſtri ſenſus fuerit, cum nequaquā admittant eum de vita contemplatiua, ſed de vita ſpirituali Mariæ intellexiſſe, cōſiderando illius lacrymas, pænitentiā, & tā alia multa, quæ in illius vita leguntur: Nolumus nos in præſenti hoc pluribus perſequi, ſed ad ea potius nos trāſferre, quæ viuēdi vniuſcuiuſque veſtrum inſtituto longe fructuoſiora ſunt futura. Siquidē cum diuina prouidentia omnium cōmoditati, atque vtilitati mirè proſpexerit, varia eis laborum, operum, diſciplinarum, atq; officiorum genera proponēs; quibus ſi quiſque vt decet, defungatur, debitū diligentiæ ſuæ fructū, ac præmiū cōſequetur: ea tamen eſt humanæ naturæ imbecillitas, immodicuſq. amor ſui; vt nō deſint, qui modum tenere neſcientes, nunc aliena damnant vitæ munia, nunc eadē nimis affectāt, nunc proprijs plus æquo tribuunt, nunc etiam eadem omnibus alijs volunt anteferre.

Quid verò dicit Saluator noſter? *Porrò vnum eſt neceſſarium*; Quod antequā quale id ſit, & quomodo à nobis confectandum, vſq. implendum cognoſcamus, prius de varijs vitæ ſtudijs, quæ homines interdū decipiunt, nōnulla agenda eſſe cenſuimus.

Nam in primis ſunt aliqui, qui turbātur erga plurima, nec vnquam in eodem vitæ ſtatu cōquieſcunt, vitæq. mutationem ex qualibet leui cauſa libēter arripiunt, & ſtare loco neſciunt: ita vt Ethnicus ille miratus ſit, quidnā eſſet, quod nemo ſua contentus ſorte viuat, laudet diuerſa ſequentes.

Verùm ad hoc quid reſpondet Paulus Apoſtolus [f]? *Vnuſquiſque in vocatione, qua vocatus eſt, in ea permaneat: Seruus vocatus es? non ſit tibi cura: qui enim in Domino vocatus eſt ſeruus, libertus eſt Domini*; Quam quidem ſententiam idem Apoſtolus ſæpè repetit, admonens ſingulos, vt maneant in vocatione ſua.

f. 1. Cor. 7.

Quod Sanctus Chryſoſtomus inter cæteros, vt magna incōmoda oſtenderet, quæ ex officiorum mutatione in Eccleſia oriuntur, ſic inquit [g]: *Non vides in oſſium tranſpoſitionibus, quæ caſu, vel incommodo quopiam contingunt, quando legitimum tranſgreſſa locum, alium occupare cæperint, quo pacto totū corpus lædant, mortemq. ſæpe numero adſerant?* Nō ſatis eſt, membrū eſſe vnitū corpori, niſi propriū locum

g. S. Chryſ. ad Ephe. 4. hom. 11.

locum obtineat, nec enim ſpiritum à capite, ſeu cerebro poteſt accipere, ſi loco ceſſerit: ſic in corpore myſtico Eccleſiæ accidit, vbi quis in aliorum munera vult irrepere; nam quantum in ipſo eſt, diuinum ordinem peruertit, & Eccleſiaſtici corporis ſymmetriam diſcindit, quod conſeruari debuit, vt inquit Apoſtolus, συναρμολογούμενον καὶ συμβιβαζόμενον, id eſt, compactum & connexum, vt communis verſio ait. Eſt mirum hoc dæmonis artificium, falſis homines illudere imaginibus, meliorumque expectatione bonorum eos ex arce conſtantiæ deijcere; nihil magis ille odit, quàm conſcientiæ pacem, ac tranquillitatem; quam cũ muneris cuiuſque ſui functione videt comparari, tum ille nouis molitur mentem cogitationibus aſſiduo implicare; ac ſacerdotibus, coniugij bona; magiſtratibus, aulicam vitam; patribus familias, ruris tranquillitatem; doctoribus, cœnobiorum commoda; militibus, mercatorum opes; alijs alia immittit, vt nuſquam conſiſtamus, ſemper fluctuemus, omnique vento ſicut paruuli circumferamur.

a. Ad Epheſ. 4.

b. Io. Caſſ. collat. 1. c. 7.

Alij ſunt, qui in arrepto à ſe vitæ inſtituto ſic ſibi blandiuntur, adeò ſe efferũt, vt ſolos ſe ſapere, qui eum curſum ſunt ingreſſi: cæteros qui ea non pergunt, à via quodammodo deflexiſſe putent: & ſicut artifices merces ſuas magnis ſolẽt præconijs extollere, & aliis anteferre; ſic ipſi iudicium ſuum aliorum profeſſioni ſuperbè nimis anteponunt. Hoc morbo olim Corinthios laboraſſe teſtatur Apoſtolus [c], qui cum ingenii opibus, & ſapientiæ nomine florerent, ſic his ſtudiorum ornamentis cœperunt intumeſcere, vt in varias veluti factiones diſiecti, nemo alteri concederet, ſed quiſque ſibi primas vindicaret.

c. 1. Cor. 13. S. Chryſoſt. in proœm. ad Cor.

Quem errorẽ, & reliquis quoque, qui literarum ſtudia conſectantur, quoniam commune ferè eſſe, & Apoſtolus ipſe [d], & poſt eum Authores alii tradiderunt [e]; Non eſt id mihi conſilii, vt eorum quemquam, qui hic adſunt, hoc nomine perſtringam; quorum & prudentia, & modeſtia ſatis ſpectata eſt; ſed ab aliis tradita, & multis fortaſſe non inutilia perſequimur.

d. 1. Cor. 8.

e. S. Auguſt. lib. 2. de doctrin. Chriſtiana c. 18 & ſeq. S. Bernard. ſerm. 36. in Cant.

Nam ſi quis, exempli cauſa, in Iuriſcõſultorum libros incidat, animaduertet, eos ſic ſe in iuris prudentia laudibus effundentes, vt cum eorum diſciplina nihil putent conferendum; cum per eam & hominum commercia retineri, & inde mundi totius adminiſtrationem pendere prædicent. Medici verò, nihil humano generi eorum facultate vtilius datum eſſe clamant; quippe qua corpus hoc noſtrum, quo tanquam organo ad Deum colendum, cæleſtemque eius gratiam hauriendam vtimur, conſeruatur. Philoſophi, hæc omnia tanquam vilia, & caduca aſpernantur, nihilque ſublimius, aut excellentius ea diſciplina profitentur, quæ à terrenis his rebus abducta, in altiſſimarum, cæleſtiumque rerum contemplatione verſatur. Oratores autem, ſicuti Theſauri abſconditi nullus eſt vſus, ſic niſi ornatè, copioſèque eloquendi facultas accedat, cætera prorſus inania, ſterilia que eſſe putant.

Nam quid de Theologis dicemus? qui ſibi tanquam cum Deo verſantibus, eiuſque arcana penetrantibus, ſcientiarum omnium ſceptrum deberi contendunt. Ita dum ſuum cuiq; pulchrum videtur, eademq; philautia pariter omnes inuoluit, omnes cæcis ignorantię, atque arrogantiæ fluctibus labimur. Ad hæc autem quid dicit Apoſtolus [f]? *Si quis ſe exiſtimat ſcire aliquid, non dum cognouit quẽadmodum oporteat eum ſcire*; & alibi [g]; *Semper diſcentes, & nunquam ad veritatis ſcientiam peruenientes.*

f. 1. Cor. 8.

g. 2. Tim. 3.

Idem quoque in vitæ inſtitutis ſuſcipiendis, plerumque accidere videmus; vt ſibi quiſque quod magis accommodatum viſum fuerit, id ſolùm vt præſtantiſſimum iactet, cætera pro nihilo ducat. Quot ſunt, qui cum legerint, cælorum regnum in Euangelio [h] iis deferri, qui ſitientibus potum, eſurientibus cibũ præbuerint, & proximos fuerint charitate complexi? Apoſtolum etiam tàm ſæpè nos ad patientiã, labores, pericula, aliorumq; ſolicitudinẽ excitantem, non ſibi perſuaſum habeant, hanc omnibus tu-

h. S. Matth. 25.

tiorem, certioremque ad ſalutem viam eſſe, quæ in aſſidua pietatis exercitatione verſatur?

Alij contra, cum videant Dominũ noſtrum, in præſenti Euangelio clarè reſpõdentem; Mariam, quæ ad pedes eius orando, flendo, meditandoque iacebat, optimam partem elegiſſe; non ſtatim exiſtiment, fugam ſæculi, ſolitudinis ſilentium, ac contemplationis quietem, longe omniũ Deo ipſi eſſe acceptiſſimã?

Verùm quid Dominus in hac tàm moltiplici varietate, fragilique hominum iudicio pronuntiat? *Vnum eſt neceſſariũ*[a]. Quid verò hoc vnum eſt? Nos omiſſis varijs antiquorum[b], de huius vocabuli proprietate, diſtinctione, ac ſignificationib⁹, & id tantum quod ad rem noſtram pertinet, perſequentes; dicimus id nunc vnũ à Saluatore noſtro appellari, quod omnibus eſt neceſſarium, ſi beari eſſe, ac perpetua frui felicitate exoptamus. Itaque hoc, quod ſummum bonum eſt, atque homini neceſſarium ad ſalutem, vnum vocatur duplici ratione. Primo propter finem, qui homini propoſitus eſſe debet, qui vnus tantùm eſt. Secundo propter medium illud, & inſtrumentum, quo ad finem perueniendum eſt, quod & ipſum vnum omninò eſt.

a. S. Luc. 10

b. S. Aug. contra Maximianũ lib. 1 non longe à principio. S. Dionyſ. Areop. lib. 1 de diu. nom c. 13. S. Th. part. 1. q. 11. artic. 3. & 4.

Incipiamus à fine: Dicimus, finem Chriſtiani hominis eſſe vnũ tantùm, qui Deus ipſe eſt, vt eo fruamur, & cum illo coniungamur[c]. *Vnam*, inquit Dauid, *petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.*

c. Pſal. 26.

Cur verò hoc nomen, *Vnum*, Deo potius, quàm alijs quibuslibet rebus tribuatur; & quòd optima omnium ſit gubernatio, quæ fit per vnum, cum latè, & ſubtiliter a B. Thoma fuerit declaratum[d], nõ eſt, quod hic repetatur. Certum quidem eſt, id quod nobis vnicum eſſe debet, non aliunde quàm ab vno Deo pendere oportere: alioquin qui aliud quid præter Deum quærit, ille non vnum, ſed plura conſectari dicitur.

d. S. Th. p. 1. q. 11. art. 3. & 4. & q. 103. art. 3 in corp.

Meminiſtis quod olim Salomon dixit: *Scribendi plures libros, nullus eſt finis.* Cur hoc? Nunquid exiſtimatis, Authores[e] eos damnari, qui multa volumina cõſcripſerunt? minime certè. Sed vt ait S. Hieron.[f] *plures illi libros ſcribere dicuntur, qui non eundem ſpectant finem.* Quatuor fuerunt Euangeliſtæ, & tamen non ſunt plures libri; quia idem argumentum, idem author, idem finis. *Nolite*, inquit s. Iacobus[g], *fieri plures Magiſtri*, eos intelligens, qui diuerſa docent, nec conuenientia in fide catholica, ac Dei gloria. Propterea hoc vnũ maximè nobis in ſingulis rebus exquirendum, & expetẽdum eſt: quis finis nos ad vitam degendam perducat: an vt ſeruiamus mũdo: an vt ambitioni ſtudeamus: an vt inanem nobis gloriam captemus, & popularem auram conciliemus: an vt opes, & luxum cumulemus: & quis tandem verè noſter ſit finis, antèquam rem aggrediamur, accuratiſſimè excutiamus: nec nos ipſos decipiamus. Nam Saluatoris ore hodie pronuntiatũ eſt, vnum hoc eſſe neceſſarium: quo ſublato, omnem humani operis ſtructuram concidere, expectandum eſt.

e. 10. Gerſon. li. de laud. ſcrip. 11. conſiderat.

f. S. Hier. in Eccl. c. 12.

g. Iacob. 3.

Non negamus perueniendi ad hoc vnum, ſuos poſſe gradus eſſe diſpoſitos: & finem, vt vocant, ſub fine dari: alterum proximum, alterum remotiorẽ, ſed præcipuum. Verùm cauete quæſo, ne quis ſe ipſum fallat: niſi enim alter hic finis propinquior alteri illi vltimo ſubſeruiat, atque ab eo prorſus pendeat, nihil agis, omnemque laborem, & operam ludis. Et propterea, ſi libros legis; ſi clientibus operam tuam nauas; ſi cauſas in foro agis; ſi publicè literarũ ſtudia profiteris; ſi medendis corporibus operam tuã impendis; ſi conſulentibus das reſpõſa; ſi familiam tuã vtiliter gubernas, nec tamen in hoc vnum præcipua mẽte intendis; ò fruſtra ſuſceptos labores, ò inanes curas, ò ridicula hominum cõſilia, ò miſeranda ædificia, quæ cum architecto ipſo concident, & eum in æternam perniciem obruent.

Cum igitur Xpiani hominis finis, hoc vno contineatur: proximum illud eſt, vt cognoſcamus mediũ quoq; illud, per quod tanquàm curriculum eſt incedẽdum, vt metã ipſã feliciter attingamus. Hoc verò

& vnum

& vnum dici poteſt quod in diuinorum mandatorum obſeruatione ſitum eſt, cum ſcriptum ſit: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Ea enim quamuis multiplicia ſint; quoniam tamen omnia ſibi mutuo ſunt connexa, atque in vna dilectione, & charitate defixa; propterea vnum tantum præceptum, ſubindèque vnum tantùm inſtrumentum, ad ſalutem obtinendam appellari poſſunt [a]. Idcirco ſaluaror dicebat: *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Et Apoſtolus memorans præcepta legis: *Non adulterabis: non occides: non furtum facies, & cætera: in hoc vno,* ait, *inſtauratur: diliges proximum tuum.* Hincque S. Auguſt [b] inquit: *Charitas dicitur vnum, quia facit vnũ.* Vnde credentium dicitur anima vna, & cor vnum: & populus vnus: & Ciuitas vna, quæ iure, ordineque ſociata eſt.

a. S. Thom. 1. 2. q. 90. S. Ioann. 15. S. Paul. ad Ro. 13.

b. Aug. lib. 2 de Ord. ca. 18. & Pſal. 62 prope finem.

Accedit & alia ratio, cur legis præcepta, quæ obſeruanda ſunt, ſi ſummi boni cõpotes eſſe volumus, vnum eſſe dicantur; quoniam ſcilicet omnia nobis tamquàm totum quiddam integrum plenè, perfectèq. implẽda ſunt; *qui enim in vno offendit*, vt notum eſt, *fit omnium reus.* Nam vniformis vt ait s. Baſil. [c] debet eſſe Chriſtiani hominis vita, vt tãquam harmonia diuerſis quidem vocibus, in vnum tamen coeuntibus, ſibi conſtet; & lingua cum moribus conſentiat: iuſtitia cum caſtitate: liberalitas cum ſobrietate: veritas cum manſuetudine: pietas cum innocentia congruat. Qualis domi, talis foris, cum vxore, cum liberis, cum maioribus, æqualibus, cum ignobilioribus, idem ſemper, & ſimul incedat, dicente Apoſtolo [d]: *Deo per omnia placentes in omni opere bono fructificantes.*

c. s. Baſil. Regul. fuſius diſputa. Reſponſ. 20.

d. Coloſſ. c. 1.

Hoc eſt igitur vnum, quod eſt neceſſarium, vt omnia impleas præcepta: vt nil in vita tua diſſonum ſit: totus tibi ipſe, & vbique reſpondeas: nam [e], *modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Vnde Apoſtolorum Princeps monuit [f]: *Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei: ſi quis miniſtrat, tanquam ex virtute, quam adminiſtrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus.*

e. Ad Gala. 5.

f. 1. Petr. 4.

Verùm, vt paucioribus omnia, quæ à nobis dicta ſunt, contrahamus: ac medium, & finem ſimul copulemus: ac vno verbo quid ſit, hoc vnũ, explicemus: Dicimus hoc illud vnum eſſe, vt nos diuinę voluntati omnino pareamus: nam vt ait Apoſtolus [g]: *qui adhæret Deo, vnus ſpiritus efficitur cum illo.*

g. 1. Cor. 6.

Tunc ergo aſſequemur hoc vnum, cũ Deo nos ſubiiciemus, & illi res noſtras omnes committemus, dicentes cum Propheta [h]: *Nonne Deo ſubiecta erit anima mea? ab ipſo enim ſalutare meum.*

h. Pſal. 61.

Quare ſi vult ipſe nos pauperes eſſe, & ignobiles, eſſe velimus nos quoque idipſum: ſi vult nos orbari filiis, libenter & id velimus, dicentes: *Beneplacita tua fac Domine.* Hoc veræ amicitiæ, & charitatis ratio exigit, vt vnum ex duobus conglutinetur. Vnde ſcriptum eſt: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Non eſt difficile iis, qui ſana ſunt mente hoc aſſequi: nam & qui bene cernunt, & clarè perſpiciunt, illi vnum vbique vident; At qui infirma ſunt acie, ſicuti ebrii, illi duplicia intuentur, & res geminatas. Cur id? conſulite medicæ artis peritos: dicunt illi [i]: cum humor cryſtallinus oculorum, ſurſum & deorſum adducitur, tunc radii oculorum in diuerſa rapiuntur, & res geminatæ ſe iis obiiciunt: vt vbi obtutus defixus eſt in rem certam, tunc vnum tantum cernitur.

i. Galen. lib. 4. de cauſis ſympt. 2

Nos igitur vnum tantum intenta mentis acie contemplemur; & ab incertis huius mundi rebus internos animi oculos auertamus, & ad ſolum Deum eos conuertamus: ita quamuis res creatæ multæ, & diuerſę ſint, tanquam vno tamen medio ad beatitudinem aſſequendam nobis inſeruient; nam qui intellectum, & uoluntatem in ſolum Deum cõiicit, non ad exteriora diſtrahitur, nec in illis aliud intuetur, uel diligit, quàm Deum, ad quem cognoſcendum, & amãdum illa dicunt [k]. *Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.*

k. ad Rom. 1.

Nunc ꝙ ego uos extremo loco, Viri

celeberrimi, & filij amantiſſimi, monere volo, illud eſt; vt memineritis nos breui quo ad corpus attinet, vnum omnes futuros: ſiquidem vniuerſi vitam cum morte ſumus commutaturi, & in puluerem, ac cinerem erimus redigendi; cuius vnius rei memoria, quantum ad vitia, quæ animum in varias partes diſtrahunt, effugienda conferat, ſatis intellexit ille, qui dixit: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.*

Quod verò ad mentē ſpectat (vt ſcilicet ad vnum, qui Deus eſt, & intelligendo & diligendo tendat) rogemus glorioſam hanc virginem, quæ actiuam, & contemplatiuam vitam eſt perfectiſſimè amplexata, & quæ hodie etiam aſſumpta eſt in cælum; vt diſſoluta ab huius corporis vinculis anima, ad cælum omnes conſcendamus: & poſt nouiſſimos dies, in vltimo vniuerſali iudicio, quando omnes vna reſurgemus, & in vno loco collecti, ab vno iudice, in vno, eodemque tribunali actionum noſtrarum rationem ſumus reddituri, vnam, & eandem ſententiam obtineamus, vna luce, & vna felicitate, quæ in ſola Dei viſione conſiſtit, perpetuo cum eadem feliciſſima Virgine, animo & corpore iunctim perfruamur gratia, & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt Dominus dominantium, & viuit ac regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

DE EPISCOPIS
BONONIENSIS ECCLESIÆ.

COLLECTOR. POST illa omnia, quæ hactenus in hoc opere collecta ſunt, ad Eccleſiæ Bononienſis adminiſtrationem pertinentia, Catalogum hunc tanquam corollarium placuit adijcere; vt lector in hac ampliſſima eccleſia, clariſſimam, antiquiſſimamque Epiſcoporum ſucceſſionem agnoſcens, inter quos, alij ad ſummum Pontificatum euecti ſunt, alij etiam Sanctorum, & Beatorum numero adſcripti, perpetuum fidei ſanctæ cultum in ipſa floruiſſe intelligeret. Quapropter Illuſtriſſimus D. Cardinalis Archiepiſcopus, non ſolum curauit à Carolo Sigonio noſtrorum temporum hiſtorico celeberrimo, vitas omnium Epiſcoporum Bononiæ magna diligentia conquiſitas, atque ex ipſis vetuſtatis, & obliuionis tenebris erutas, ordine deſcribi, ac typis edi; ſed etiam in aula Palatij Archiepiſcopalis ſeriem huiuſmodi depictam, omnium oculis proponi: ex cuius crebra recordatione, & quotidiano aſpectu, tum Clerus, populuſque omnis, ad paſtorum ſuorum ſanctè, & præclarè geſta imitanda inflammaretur; tum etiam ſucceſſores Præſules ad ſalutaris æmulationis ſtudium acrius excitarentur.

CATALOGVS

CATALOGVS EPISCOPORVM ECCLESIAE BONONIENSIS,

Ex Hiſtoriis Caroli Sigonij excerptus.

An. Chriſti.

S. ZAMA, qui anno Chriſti 270. primus à S. Dionyſio Pontifice ordinatus Bononiam venit, ac ſede in ſuburbio poſita fidem Chriſti propagare contendit. Is Confeſſor mortuus eſt, ſepultus ibi vbi conſedit, id eſt ad ædem, quæ poſtea fuit S. Felicis. Dies eius notatur in Kalendario IX. Kalendas Februarias. 270

S. Fauſtinianus ſecundus Epiſcopus circa annum 313. is eccleſiam poſt perſecutionem Diocltiani grauiter afflictam reparauit. Dies eius celebratur IIII. kalen. Febr. Vtriuſque adhuc extat ſepulchrum ad S. Felicem. Corpora horũ Epiſcoporũ S. Zamæ, & S. Fauſtiniani tranſlata fuerũt in Metropolitanam Eccleſiam, ac ſub maiori Altari recondita die 4. Maij 1586. à Gabr. Palæoto Card. Archiepiſcopo. 313

S. Baſilius Epiſcopus circa annum 350. Hic aut inchoauit, aut inchoatam perfecit baſilicam Sanctorum Petri, & Pauli extra vrbem in platea, quæ nunc S. Stephani dicitur. mortuus VIII. Idus Mart. 350

Euſebius Epiſcopus circa annum 370. is ſummus auctor velandarum virginum fuit. Cum s. Ambroſio corpora ſanctorũ Vitalis, & Agricolæ Chriſtianis incognita reperit. Cum eodem ſynodo Aquileienſi interfuit, atque in eo ſententiam dixit. mortuus circa annum 400. 370

S. Felix Mediolanenſis, diaconus, & diſcipulus s. Ambroſij. is anno 424. à Ioanne Imp. monaſterium s. Mariæ in monte Palenſi accepit, qui nunc mons Oualus dicitur. mortuus anno 429. ſepultus in æde s. Felicis. dies celebratur pridie Nonas Decembris. 400

S. PETRONIVS Conſtantinopolitanus, Epiſcopus anno 430. is vrbem eccleſiis, & monaſteriis, eccleſias reliquiis ſanctis ornauit. Bononienſem eccleſiam reformauit. Protector ciuitatis aſcitus. Sepultus eſt in æde s. Stephani à ſe condita. Dies eius celebratur III. Nonas Octobris. 430

S. Paternianus Epiſcopus circa annum 450. Sepultus eſt in æde s. Felicis. Dies eius celebratur IIII. Idus Iulias. 450

S. Tertullianus Epiſcopus circa annum 470. is relliquias ss. Vitalis, & Agricolæ Namatio Aruernorum Epiſcopo poſtulanti conceſsit. Sepultus eſt in æde s. Felicis. Dies celebratur v. kalen. Maias. 470

S. Iocundus Epiſcopus circa annum 485. Sepultus eſt in æde s. Felicis. Dies celebratur XVIII. Kal. Decembris. 485

Laurentius Epiſcopus anno 501. interfuit duabus ſynodis Romanis contra Laurentiũ Pontificem ſchiſmaticum, Symmacho Pontifice ſedente. 501

S. Theodorus Epiſcopus circa annum 530. Sepultus eſt in æde s. Felicis. Dies celebratur v. Nonas Maij. 530

N. N. N. Epiſcopi deſiderantur.

Luminoſus Epiſcopus circa annum 640. interfuit ſynodo Romanæ cõtra hæreticos Monothelitas s. Martino Pontifice. 640

Victor Epiſcopus circa annum 675. interfuit Concilio Lateranenſi aduerſus Monothelitas, Agathone Pontefice. 675

N. N. Epiſcopi deſiderantur.

Petrus

Petrus circa annum 770. is à Carolo Magno rege priuilegium accepit,& anno 780 iuſſu eius cauſſam de oratoriis eccleſiæ Regienſis cognouit. 770

N. N. N. Epiſcopi deſiderantur.

Joannes Epiſcopus circa annum 860. is poſt annum 872 iuſſu Ioannis VIII Pontificis cauſſam inter epiſcopos Veroneſem, & Tridentinum cognouit. 860

N. Epiſcopus deſideratur. Hoc tempore Hungari Baſilicam ss. Petri & Pauli extra vrbem poſitam,& monaſterio s. Stephani cohærentem incenderunt; & Baſilica altera s. Petri in media vrbe condita eſt.

Joannes Rauennas Epiſcopus,antequam conſecraretur, anno 909 Archiepiſcopus Rauennas, & mox Pontifex maximus factus eſt. 909

N.N. Epiſcopi deſiderantur.

Albertus Epiſcopus circa annum 960. anno 973 ſynodo Rauennati prædia ſua ab Epiſcopo Parmenſi poſſeſſa recuperauit. 960

Clemens Epiſcopus circa annum 990. Canonicos multis prædiis donauit. 990

Frugerius Epiſcopus circa annum 1015. corpora ss. Vitalis, & Agricolæ anno 1019 in Confeſsionem s. Io. Baptiſtæ,quæ eſt pars templi s. Stephani,tranſtulit. 1015

Adelfredus Epiſcopus circa annum 1042. multa prædia Canonicis,quos ad quinquaginta numerum redegerat, dedit: & multa illis priuilegia à Victore II Pontifice impetrauit. 1042

Lambertus Epiſcopus poſt annum 1060. Adelfredi conceſsiones per Alexandrum II Pōtificem confirmauit, & à Gregorio VII Pont. confirmationem priuilegiorum Agapeti,Pelagij,Gregorij Dialogi, & Formoſi Pontificum accepit. 1060

Sigifridus Germanus,anno 1074. cum Gibertum antipapam conſecraſſet, à Gregorio VII Pont. excommunicatus eſt. 1074

Bernardus anno 1083 Epiſcopus. Confeſsionem ædis s. Luciæ Ruffeni conſecrauit. obijt anno 1104. 1083

Victor Canonicus reg. s. Io. in monte,ciuis Bonon. anno 1104. iuſſu Paſchalis II Pont. abbates in parœcia ſua epiſcopalia officia ſibi vindicantes coercuit: & ab eodem confirmationem priuilegij Gregorij VII accepit. 1129 depoſuit. 1104

Henricus à Fracta, ciuis Bonon. Epiſcopus anno 1130. Is 1141 pridie Nonas Octobris inuenit corpus s. Petronij incognitum ciuitati in æde s. Stephani. Et à Lucio II Pont. confirmationem priuilegij Paſchalis II accepit. 1145 obiit. 1130

Gerardus Canonicus regularis s. Ioannis in monte, ciuis Bonon. Epiſcopus an. 1145. obtinuit confirmationem priuilegij Lucij ab Eugenio III Pontifice: & ab Anaſtaſio IIII in emphyteoſim accepit omnes fundos, quos eccleſia Rom. in comitatu Bononienſi poſsidebat. & 1161 depoſuit. 1145

Ioannes Canon. reg. s. Io. in monte, ciuis Bonon. an. 1161. Confirmationem priuilegij Anaſtaſij ab Alexandro III obtinuit: & Baſilicam s. Petri incendio conſumptam inſtaurauit. Item aliis priuilegiis ab Alexandro ornatus eſt. 1188 obiit. 1161

Gerardus Giſla,ſiue Giſella,Canon. reg. s. Io. in monte, ciuis Bonon. anno 1188. Is titulum Principis ſacri Imperij ab Henrico V. Imper. accepit, quo etiam nunc Epiſcopus vtitur; & à Cæleſtino III Pont. multis priuilegiis ornatus anno 1198 obiit. 1188

Gerardus Areoſtus ciuis Bonon. anno 1198. Conceſsiones Adelfredi,& Lamberti Epiſcoporum confirmauit: & Canonicis exactionem decimarum ſuarum conceſsit. 1213 depoſuit. 1198

Henricus Conſolimæus ciuis Brixianus, Canon. reg. s. Victoris,Epiſcopus anno 1213. cum Pretore ciuitatis de iuriſdictione contendit: & priuilegium à Friderico II Imper. obtinuit,de iuriſdictione in caſtris ſuis exercenda:& pro decimis, quas exigebat à Ciuitate,caſtra duo Centum, & Plebem accepit. Monachos Humiliatos, Fratres Prædicatores,& Fr. Minores in vrbem accepit. 1241 obiit. 1213

Octauianus Vbaldinus Florentinus Epiſcopus anno 1241. arbiter pacis à ciuibus eſt adactus. inde anno 1244 adhuc electus depoſuit, in numerum Cardinalium cooptatus. 1241

B. Fr. Iacobus Boncambius ordin. prædicar. ciuis Bonon. Epiſcopus 1244. multa in Epiſcopio ædificauit. Fratres pœnitentiæ Ieſu Chriſti ad portam s. Mammæ recipit. Regiſtrum Communis confectum probauit. obiit 1260. 1244

Octauianus Vbaldinus Cardinalis Epiſcopus an. 1260. Fratres eremitanos ad s. Iacobū, & Carmelitas ad s. Martinum,& Seruitas in Burgo s. Petrouij collocauit. obiit 1295. 1260

Sclatta Vbaldinus, Octauiani iunioris frater, Epiſcopus 1295. Fratribus Seruitis mona ſterium s. Anſani dedit. anno 1299. obijt. 1295

Fr. Ioannes Sabellus Romanus ord. præd. an. 1299. Epiſcopus. monaſterium s. Helenæ fratribus Seruitis dedit. an. 1302. obijt. 1299

Hubertus Placentinus Epiſcopus anno 1303. Fratres Armenios ad portam s. Mammæ recepit. Conſtitutiones eccleſiæ s. Mariæ maioris ſcripſit. 1322. obiit. 1303

Arnaldus Acariſins, ciuis Bonon. anno 1322. Epiſcopus. monaſterium virginum prope s. Thomam in via maiori conditum probauit. anno 1330. ad aliam eccleſiam translatus eſt. 1322

Stephanus Agonettus Narbonenſis Epiſcopus anno 1330. an. 1332. moritur. 1330

Lambertus de Podietto Gallus 1332. Epiſcopus. quatuor monaſteria flagrantia infamia ſuſtulit. 1334. abdicauit. 1332

Albertus, ſiue Bertrandus Acciaiolus Florentinus Epiſcopus an. 1334. Carthuſienſes extra portam Pratelli collocauit. 1338. ad aliam eccleſiam translatus eſt. 1334

Beltraminus Parauicinus Mediolanenſis Epiſcopus an. 1339. Fratres Seruitas in via maiori locauit, vbi nunc ſunt, exactis virginibus, quę ab Arnoldo Epiſcopo ibi locatæ fuerant, quia petulanter viuebant. 1353. obijt. 1339

Ioannes de Naſo Galeratenſis Mediolanenſis diœceſis Epiſcopus an. 1353. eccleſiam nouam Carthuſienſium conſecrauit. 1361. Centi obiit. 1353

Aimericus Chatti Gallus anno 1361. Epiſcopus. an. 1365. confirmationem priuilegiorũ Friderici II. à Carolo IIII. Imp. obtinuit. 1374. obiit. 1361

Bernardus anno 1372. Epiſcopus. Conſtitutiones eccleſiæ ſynodales compoſuit. 1378. obijt. 1372

Philippus Caraffa Neapolitanus eccleſiæ Bonon. archidiaconus an. 1378. fit Epiſcopus, inde Card. presb. tt. s. Martini in montibus. Caput s. Dominici vna cum Priore ex arca extraxit, & tabernaculo condidit. 1389. obiit. 1378

Bartholemæus Raymundus ciuis Bonon. & abbas s. Felicis Epiſcopus 1392. Baſilicam ſancti Petri, & Sacrarium refecit, & eleemoſynam pauperibus dandam inſtituit. 1406. obijt. 1392

Antonius Corrarius patricius Venetus, & Card. electus. anno 1407. propter ſchiſma Gregorij XII. Pontificis patrui ſui non inijt. 1412. depoſuit. 1407

Ioannes abbas s. Proculi, ciuis Bonon. Epiſcopus 1412. an. 1415. Concilio Conſtantienſi inter Commiſſarios affuit. 1417. obijt. 1412

B. Fr. Nicolaus Albergatus, ciuis Bonon. Prior Carthuſiæ Epiſcopus anno 1417. ſingularis homo ſanctitatis. Iudæos ſignum ſerre coegit, & vſuras eorum coercuit. Canonicos s. Mariæ Rhenanæ, & s. Saluatoris cum Canonicis s. Ambroſij Eugubini iunxit. Imaginem Deiparæ virginis à s. Luca depictam religionis cauſa in vrbem detulit. 1443. obiit Cardinalis s. Crucis vocatus. Eodem ſedente Bartholomæus Zambeccarius abbas s. Bartholi, ciuis Bononienſis anno 1428. à populo tantum lectus eccleſiæ præfuit, ac poſt annum ſe abdicauit. 1417

Nicolaus prior Canonicorum Lateranenſium Romæ Epiſcopus 1443. eodem anno in itinere obijt. 1443

Thomas Sergianenſis 1445. Epiſcopus. inde Cardinalis, inde Pont. anno 1447. Nicolaus V. eſt dictus. 1445

Ioannes de Podio, ciuis Bonon. & Canonicus eccleſiæ, Epiſcopus 1447. ſactus, & mortuus. 1447

Philippus Calandrinus Nicolai V. Pontificis frater vterinus Epiſcopus 1448. inde Cardinalis Monaſterium Sororum Corporis Chriſti inſtitutum probauit; & eccleſiam s. Mariæ de Charitate fratribus tertij ordinis s. Franciſci dedit. 1476. obiit. 1448

Franciſcus Gonzaga, Ludouici Marchionis Mantuæ filius Card. Bpiſcopus fit 1476. eo probante Eremitani ad portam Caſtellionis, & monachi eremitæ s. Hieronymi ad s. Barbatianum ſedes poſuerunt; & populus ædem s. Mariæ in Galeria condidit. 1483. Legatus Bononiæ obiit. 1476

Iulianus à Ruuere Sauonenſis Card. Xyſti Pont. nepos, Epiſcopus fit 1483. & Legatus Bononiæ, porticum amplam ante Baſilicam s. Petri conſtruxit. 1502. depoſuit. & mox pontiſex factus eſt, & Iulius II. vocatus. 1483

Io. Stephanus Ferrerius Vercellenſis 1502. Epiſcopus. inde Card. Paridi Craſſo Ca- 1502
nonico Bononienſi auctor fuit, vt librum de cæremoniis Cardinalium, & Epiſcopo-
rum in ſuis diœceſibus ſcriberet. Montem Pietatis erectum probauit, qui eſt ſub
Scholis, eccleſiam s. Georgij fratribus Seruitis dedit. 1510. obijt. 1510

Franciſcus Alidoſius Card. Bononiæ Legatus anno 1510. obiit 1511. 1511

Achilles Craſſus, ciuis Bonon. Card. Epiſcopus 1511. Teſtudinem baſilicæ refecit, & au-
lam Epiſcopij, & conſtitutiones s. Mariæ maioris confirmauit. 1523. obiit.

Laurentius Campegius, ciuis Bonon. Epiſcopus Feltrinus, Card. Epiſcopus Bonon. 1523
factus eſt anno 1523. Sorores s. Marthæ, & s. Bernardini ad Puliolas collocauit.
1539. obijt.

Alexander Campegius Laur. filius anno 1539. Epiſcopus ſucceſsit. concilium Triden- 1539
tinum in ædes ſuas admiſit. Clericos regulares Societatis Ieſu, & fratres Capucci-
nos accepit. 1554. Cardinalis obiit.

Ioannes Campegius Alexandri patruelis, Epiſcopus anno 1554. meretrices conuerſas 1554
in monaſterium contulit. Pueros mendicantes ad s. Gregorium collocauit. Confir-
mationem priuilegiorum Epiſcopi à Iulio III. Pont. obtinuit, eccleſiam s. Blaſij fra-
tribus Eremitanis dedit. 1563. obijt.

Rainutius Farneſius Pauli III. Pont. nepos presb. Card. Epiſcopus factus eſt an. 1565. 1565
ac donata eccleſia eodem anno obiit.

Gabriel Palæotus ciuis Bononienſis, abſoluto Concilio Tridentino, cui Rotæ Auditor 1566
interfuerat, à Pio IIII. Cardinalis creatus an. 1565. A Pio V. Epiſcopus Bononiæ
anno 1566. A Gregorio XIII. erecta in Metropolim eccleſia Bononienſi, Archiepiſco-
pus an. 1582. A Sixto V. anno 1589. inter ſex ſeniores Cardinales, ex veteri S.R.E.
inſtituto, ſummo Pontifici aſsiſtentes adſcitus. viuit adhuc.

CATALOGVS SANCTORVM ET BEATORVM,

Qui aut ciues, aut Epiſcopi Bononienſes fuerunt, quorum memoria circiter annos infra notatos deſcribitur.

MARTYRES.

301 S. Agæus, S. Hermes, S. Caius } martyres ſub Maximiano Imperatore.

301 S. Vitalis, S. Agr.cola } martyres ſub Maximiano.

301 S. Proculus martyr ſub Maximiano, non, vt vulgo fertur, ſub Iuſtino Imp. aut Theodorico Rege. meminit enim eius S. Paulinus Nolanus, qui vixit ante annum 400. Chriſti.

CONFESSORES.

270 S. Zama Epiſcopus Bononienſis.
313 s. Fauſtinianus Epiſcopus Bononienſis.
350 s. Baſilius Epiſcopus Bononienſis.
400 s. Felix Epiſcopus Bononienſis.
430 s. Petronius Epiſc. & Protector Bonon.
433 s. Iuliana vidua, in eccleſia s. Stephani.
451 s. Paternianus Epiſcopus Bononienſis.
470 s. Tertullianus Epiſcopus Bononienſis.
485 s. Iocundus Epiſcopus Bononienſis.
530 s. Theodorus Epiſcopus Bononienſis.
1026 s. Bononius abbas Leocedi, apud Vercellas.
1159 s. Guarinus Card. Canon. regularis.
1267 s. Pariſius Monachus Camaldulenſis.

BEATI.

1260 B. Iacobus Boncambius, Epiſcopus Bonon. ord. præd.
1335 B. Bartholemæus, ord. præd. Archiepiſcopus Armeniæ.
1340 B. Guido de Spathis, ord. s. Franciſci.
1398 B. Fr. Io. de Lana, ord. erem. s. Aug.
1443 B. Nicolaus Albergatus, Card. & Epiſcopus Bonon.
1444 B. Stephanus inſtaurator religionis Canonicorum s. Saluatoris.
1445 B. Bartholomæus Beroaldus, ord. Ieſuatorum.
1468 B. Coradinus Areoſtus, ord. præd.
1471 B. Marcus Elephantutius, ord. s. Franciſci de ob er. ſepul. Placentiæ.
1474 B. Eganus de Biancis, ord. Ieſuatorum.
1480 B. Ludouicus Morbiolus.
1494 B. Ioannes conuerſus, ord. præd.
.. .. B. Gregorius conuerſus, ord. præd.
.. .. B. Antonius à Cruce, ord. præd.

BEATAE.

1223 B. Diana de Andalois, ord. præd. prima abbatiſſa s. Agnetis.
1333 B. Ymelda de Lambertinis, ex Martyrologio monialium s. Mariæ Magd.
1463 B. Catherina de Nigris, ord. s. Claræ prima abbatiſſa monaſt. corp. Chriſti.
1476 B. Ioanna de Lambertinis, ord. s. Claræ, in monaſt. corp. Chriſti.
1482 B. Paula de Mezzauacchis, ord. s. Claræ in monaſt. corp. Chriſti.
1520 B. Helena de Oleo, in eccleſia canon. regul. s. Ioan. in monte.
1533 B. Apollonia ſoror tertij ord. s. Franciſci, in eccleſia Frattum Annuntiatiatæ.

FINIS.

VA1 152664

Digitized by Google

INDEX
PRAECIPVARVM RERVM ET VERBORVM
QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

ABIMELECH dictum par.1.pag.51.col.1.
Abraham exemplum eſt fugiendi lites. par. 7. pag. 578. col. 2.
Abſolutionis pœnitentium ritus. par.3. pag.113. col.1.
Ἀδιαφόρως nullas eſſe actiones in ſingularibus. par. 1.pag.11.col.2.
Academiam Bonon. quis inſtituit.part.7.pag.542. col. 2. Vide Gymnaſium.
Acclamationes in fine Synodi diœceſ. haberi ſolitæ. par.4.pag.212.col.1.
Actiones Epiſcopi ad eum ipſum ſpectantes. part. 1. pag.55.col.2.
Actiones hominum quædam ad Deum pertinent, quædam ad proximum, quædam ad eos ipſos. par.1.pag.55.col. 1.
Actiones quando ſunt bonæ, aut malæ. par.1.pag. 11.col. 2.
Actiones relatiuæ ab vno fieri non poſſunt. par. 1. pag. 23. col. 2.
Actiua, & contēplatiua vita.par.3.pag.185.col. 1.
Actiuam, & contemplatiuam vitā perfectiſſime eſt amplexata B.Maria Virgo.par.7.pa.586.col.1.
Actus ſunt, qui homines ſaluant, aut damnant. par. 1. pag. 28. col. 1.
Actuum bonitas duplex; moralis, & meritoria. par.1.pag.28.col. 2.
Adminiſtratio poteſtatis ordinis facilior eſt, quàm iuriſdictionis. par.1.pag.52.col.1.& 2.
Admonitionum ſunt diuerſæ rationes. par. 1. pag. 26.col.1.& 2.
Adrianus voluptatem cœpit ex colloquio cum hominibus etiam infimis.par.1.pag. 69.col. 2.
Aduentus Chriſti non fuit ſimpliciter neceſſarius, ſed conuenientiſſimus.par.1.pag.14. col. 2.
Aduentus tempore, quæ præcipuè à concionatoribus tractanda. part.2.pag.53.col.1.
Aduocata noſtra dicitur Beata Virgo Maria. part. 7.pag.569.col. 1.
Aduocatæ noſtræ Beatæ Mariæ figura fuit Thecuites. par.7.pag.570.col.2.
Aduocati quid ſequi, & cauere debeant exemplo Beatæ Mariæ Virginis.par.7.pag. 569. 570. 571.&c.
Aegritudo ex duplici fonte oritur. par.7.pag.541. col. 1.
Aegrotos Pariſiis in æde ſacra ſolent denunciare curiones. par.1.pag.63.col. 2.
Aegyptiorum ſcientia Moyſes eruditus. par.7.pag. 555.col. 2.
Affirmatiua promiſſio refertur ad congruum tempus.par.1.pag.70.col.1.
Agēs, & finis eſt idem ſpecie.par.7.pag.544.col. 1.
S. Agricolæ reliquiarum tranſlatio. par. 4. pag. 276.
Aioth adumbrabat vitā mixtā.par.7.pa.586.col.1.
Alexandrina ſchola. part. 7. pag. 538. col.2.
Alphonſi Aragoniæ dictum. part. 7. pag. 533. col. 2.
Altarium priuilegiatorum decreta ex Prouinciali Concilio. par.4. pag.232. col. 2.
Ambitionis egregius artifex Cotta, vt ſcribit Cicero. par. 1.pag.55.col.1.
Ambitus olim multatus. par.7.pag.532. col. 1.
Angelus abſque ratiocinatione res apprehendit, & apprehenſis immobiliter hæret. part.1. pag. 71. col.1.
Angliæ laus.par.5.pag.406. col.2.
Angli hoſpitio benignè excipiendi. par.5. pag.406. col. 2.
Ἀνάργυροι Medici dicti ſunt SS. Coſma, & Damianus.par.7.pag. 551. col.1.
Anima rationalis, eſt naturaliter quodammodo capax gratiæ. part. 1. pag.6. col.1.
Anima ratione prædita, eſt finis proximus humani corporis.par.7.pag.544.col.1.
Animis præeſſe eſt laborioſiſſimum. par.1.pag.33. col. 1.
Animalia bruta nonnulla habent ſenſus exteriores perfectiores homine, non interiores. par.7. pag. 544. col. 1.
Animantia omnia habent inſtinctus ad tuenda ſe ipſa. part. 1.pag. 4. col.1.
Animantibus cæteris homo tactu præſtat. part. 7. pag.544.col.1.
Animus hominis mutabilis eſt ipſius arbitratu. par. 1.pag.33.col. 1.
Annus Sanctus, & annus Iubilei cur ita vocetur. par.4.pag.328.col.1. vide Literæ.& Iubilę°.
Apoſtolus conſtitui voluit contemptibiles ad ſecu-

ſaria iudicia componenda.part. 1.pag.54.col. 1.
Apoſtoli ſequuti ſunt mixtæ vitæ genus.par.7.pag. 586.col. 1.
Appellationes non admittuntur niſi à diſſinitiua, vel diſſinitiuæ vim habente.par.4.pag.268.col.2.
Appetitiuæ potentiæ obiectum eſt bonum. part. 1, pag. 49. col. 1.
Arbitrij liberi vſu, cooperante gratia, homo poteſt ſe à Diabolo eripere. par.1.pag.41.col. 1. & 2.
Archiepiſcopales ædes Bonon. à fundamentis partim ædificatæ, partim ampliatæ. part. 6. pag. 482.col. 2.
Archiepiſcopatum Toletanum recuſauit Ioannes Hurtado.par.1.pag 29.col. 1.
Archipresbyter vnuſquiſque duplicem perſonam refert par.7.pag.518.col. 2.
Archiuum conſtituendum in Archiepiſcopali Palatio. par.4.pag.270.col.1.
Argumenta ſecularium præſumentium de ſeſe. par. 7.pag 568.col.2.
Ariuetas dictos eſſe populorum præſides, & virginum cuſtodes Epiſcopos.part.1. pag. 56.col.2.
Artes quædam inter ſe ſubordinatæ ſunt par.1.pag. 11.col. 1.
Articuli Examinis pro Confeſſarijs.par.3.pag.108 col. 1. & 2.
Attributa Sanctiſſimæ Trinitati, poſſe, ſcire, & velle. par. 4. pag. 284. col. 1.
Attritionis quæ ſit vis. par. 3 pag.123.col.1.
Auctoris eiuſdem eſt tribuere formam rei, & facultates eam conſeruandi. par.1.pag.64.col.2.
Auditus vocatur ſenſus diſciplinæ. par.7.pag.557. col. 2.
S. Auguſtinus deplorat, quòd nimium ſtuduerit ſecularibus diſciplinis. par.7.pag. 556.col. 1.
S. Auguſtinus fleuit tempore ordinationis ſuæ.part. 1.pag.29.col. 1.
Auguſti dictum.part.1. pag.69.col. 2.
Aureola Doctorum.part.7.pag. 541.col. 2.
Aureola triplex.par.7.pag.541.col.2.
Aureolam non omnes Doctores conſequuntur. par. 7.pag.541.col.2.

B

Babilonij, & Iberi non vtebantur medicina. par.7.pag.548.col.1.
Baptiſmum adminiſtrandi ritus. part. 3. pag. 86. col. 1.
Baptiſteria noua inſtituta in diœceſi Bononiæ. part. 3.pag. 85.
Baricelli munus.par.6.pag.444.col.2.
Beatitudo increata ſolius Dei eſt propria.par.1.pag. 39.col. 1.
Beatitudinem homo per virtutum merita poteſt adipiſci.par.1.pag.39.col.1.
Beatitudinem vt homo conſequatur, indiget ſupernaturalibus auxilijs par.1.pag.13. col.1.
Beatus nemo naſcitur.par. 1.pag.39.col.1.
Beatum quæ faciunt hominem opera, non indifferentia, ſed bona eſſe oportet. par.1. pag. 28. col.2.
Beneficentiæ laus in præcipuè fulgeat in Epiſcopo. par.1.pag.51.col. 1.
S. Bernardus ait ſpiritum internum facere onus exonerans.par.1.pag.81.col. 1.
Bibliopolis præſcribuntur regulæ. part. 2.pag. 37. col. 1. Vide Edictum.
Bibliotheca apud S. Sophiam Conſtantinopoli. par.1. pag.75.col.1.
Bibliotheca Epiſcopi clericis præſertim pauperibus pateat.par.1.pag.74.col.2.
Bibliotheca Epiſcopi cum ſuo bibliothecario, & conſtitutionibus extruatur.par.1.pag.74. col.2.
Bibliothecæ Epiſcopi vtilitas, & commendatio. par. 1.pag.15.col.1.
Bibliothecam extruere ad orientem, refertam libris præcipuè theologiæ, & iuris pontificij Epiſcopus debet. par. 1.pag. 74. col. 2.
Bibliothecam Hieroſolimis fecit Alexander Epiſcopus. par. 1.pag.75.col.1.
Blaſphemia caſtigãda per Bullam Pij Quinti. par.2. pag. 77. col. 1.
Bona Archiepiſcopalia ab Oeconomis curanda. par. 6.pag.482.col. 1.
Bona Eccleſiaſtica cur relicta ſacerdotibus. par.7. pag. 529.col. 2.
Bona opera fieri ſaluator præcipit in exemplum.par. 1.pag.51.col.1.
Bona quædam cæleſtia voluit Deus, vt per certas perſonas, & cauſas conferrentur. part.1.pag.10. colum. 1.
Bona ſua coronat Deus, cum noſtra remunerat opera. par.1.pag.41.col.2.
Bona temporalia quomodo poſſunt etiam poſt mortem prodeſſe. par.1.pag.75.col. 2.
Bona teſtamento quibus ſunt relinquenda. part. 1. pag.73. col. 2.
Bona teſtamento relinquuntur præcipuè intuitu futuræ vitæ.par.1.pag.75. col. 2.
Bonitas actionum duplex; moralis, & meritoria. par.1.pag.28. col. 2.
Bonitas triplex; moralis, naturalis, ſpiritualis.par. 7.pag.553. col.2.
Bonum hominis triplex.part.7. pag. 526. col. 2.
Bonum ex integra cauſa conſtat. part. 1. pag. 32. col. 1.
Bonum quanto communius, eò fructuoſius. part.7. pag. 517.colum. 2.
Bonorum tria ſunt genera.par.2.pag.66.col.1.
Bonos vix putat alios vulgus, quàm beneficos. par. 1.pag.51. col.1.
Bononiæ inſtituitur Academia à Theodoſio, S. Petronij precibus par.7.pag.542. col. 2.
Bononiæ laus par. 5.pag. 396.& 422.col. 1.
Bononiæ numerus locorum piorum magnus. part.4. pag.298. col. 2.
Bononiæ ſcholæ quadraginta de doctrina Chriſtiana. par.2.pag.7.col. 2.
Bononiæ ſexcenti, & amplius miniſtri ſunt doctrinæ Chriſtianæ par.2.pag.7.col.2.

Bononienſis

Bononienſis Eccleſiæ Epiſcoporum Catalogus. part. 7. pag. 591.
Bononienſis populi fides commendatur. part. 2. pag. 5.
Bononienſium ciuium Epiſcoporum nomina. par. 4. pag. 294. col. 1. Vide Literæ.
Bononienſium ciuium, & Epiſcoporum, qui fuerunt Beati, aut Santi Catalogus. part. 7. pag. 595.
Bononienſium Epiſcoporum vitæ, deſcriptæ à Carolo Sigonio. par. 7. pag. 590.
Breuiora reddit omnia ordo, & ratio, & modus. par. 1. pag. 65. col. 2.
Bulla Cœnæ Domini. par. 3. pag. 110. col. 2. Vide Summarium.
Bullæ Pauli III. Summarium de ſocietate corporis Chriſti. par. 3. pag. 125. col. 1.

C

CAballerij, ſeu baricelli munus. part. 6. pag. 443. col. 2.
Cælum primum mobile mouet inferiores. part. 1. pag. 8. col. 1.
Cælorum regnum nihil inquinatum ingreditur. par. 1. pag. 73. col. 2.
Cærimoniæ diuiſæ in quatuor capita. part. 5. pag. 394. colum. 1. Vide Congregatio. & Inſtructio.
Cæremonijs ſacris præfecti Bononiæ inſtituti. par. 3. pag. 124.
Cæremonialis liber Rom. breui edendus. par. 4. pag. 227. col. 2.
Calamitates incidere propter peccata. part. 5. pag. 422. & 426. col. 1.
Calamitatum noſtrarum deſcriptio. par. 5. pag. 421. colum. 1.
Calamitatum remedia, ſunt ſancta ſacramenta. par. 5. pag. 424. col. 1.
Canonici doctores, aut licentiati ſaltem ex dimidia parte ſint, ex Concilio Tridentino. part. 1. pag. 68. col. 2.
Canonici, & capitulum ſunt vnum veluti corpus, cuius Epiſcopus eſt caput. part. 1. pag. 68. col. 1. & 2. Vide in verbo Epiſcopi.
Canonici ſecularibus, & clericis cæteris præcellere debent. part. 7. pag. 514. col. 1.
Canonici ſunt Senatus Eccleſiæ, & membra Epiſcopi. par. 7. pag. 513. col. 1.
Canonicorum examen. part. 4. pag. 250. colum. 2.
Canonicorum gratiæ. part. 7. pag. 512. col. 1.
Canonicorum variæ functiones. part. 7. pag. 514. colum. 2.
Canonicalium ædium fabricæ cura. part. 6. pag. 483. col. 1.
Capella maior Bononiæ à fundamentis erecta part. 6. pag. 292. col. 1.
Capellani monialium licentia. par. 6. pag. 475. co. 1. Vide Formulæ licentiarum.
Carcere detenti quomodo iuuandi. par. 5. pag. 428. Vide Congregatio. Vicarius. & Cuſtodes.
Card. Montaltus dum legationis munere Bononiæ perfungeretur, infirmorum Congregationi annuos cenſus attribuit. par. 5. pag. 419.
Cardinalis Palæotus infirmorum congregationi annuos redditus aſsignauit. par. 5. pag. 419.
Card. tit. S. Praxedis literarum tenor. part. 4. pag. 289. col. 1.
Card. tit. S. Praxedis virtus. par. 4. pag. 288. col. 2. & 293. col. 1.
Caroli Sigonij laus. part. 7. pag. 590.
Caroli Sigonij liber de Epiſcopis Bononienſibus. par. 4. pag. 291. col. 1.
Caſsiani exemplum de vita ruſticorum. par. 2. pag. 43. col. 2.
Caſus Archiepiſcopales Bononiæ reſeruati. part. 3. pag. 111. col. 2.
Caſus conſcientiæ. par. 3. pag. 115. Vide Congregatio.
Caſus conſcientiæ examinandi ſunt, & congregationes habendæ. par. 1. pag. 53. col. 1.
Caſuum conſcientiæ liber Reuerendi Patris Ludouici Luſitani. par. 3. pag. 116.
Catalogus Epiſcoporum Eccleſiæ Bononienſis. part. 7. pag. 591. col.
Catalogus Sanctorum, & Beatorum, qui fuerunt aut Epiſcopi, aut ciues Bononienſes. part. 7. pag. 595.
Cathecumini iuuandi Congregatio. part. 5. pag. 412.
Cathedralis Eccleſiæ Bononienſis pars ſubterranea, extructa, & ornata. par. 4. pag. 282. col. 2.
Cathedrali Eccleſiæ Bononiæ ſeruientium clericorum conditiones. par. 3. pag. 148. col. 1.
S. Catherinæ Senenſis exempla, opportuna ſunt monialibus. part. 2. pag. 49. col. 2.
Cauponæ præfecti munus. part. 6. pag. 468. colum. 2.
Cauponis familia quomodo inſtituenda. part. 6. pag. 469. col. 1.
Cauſæ excuſantes à reſidentia. part. 4. pag. 240. col. 2.
Cauſæ fori Epiſcopalis. part. 4. pag. 268. colum. 1. Vide Forum.
Cauſæ ſecundæ non mutant Dei diſpoſitionem, ſed implent. par. 7. pag. 546. col. 2.
Cauſæ mouentes ad euitandas lites. part. 5. pag. 577. col. 1.
Cauſæ nequeunt gignere potiores effectus, quàm ipſæ ſunt. par. 1. pag. 9. col. 1.
Cauſarum pauperum decreta. par. 6. pag. 443. colum. 1.
Cauſarum quinque ſunt genera, complectentia ſummam difficultatum, quæ accidunt in adminiſtratione Epiſcopali. par. 1. pag. 20. col. 2.
Cauſas morborum ſæpè eſſe peccata. par. 7. pag. 511. colum. 2.
Cautio de pronunciando recte Pater noſter, Aue

Maria . par. 2. pag. 32. col. 1.

Cautio, vt curati bene viſitent infirmos. part. 3. pag. 172. col. 1.

Charitas, an ſit virtus maxima Epiſcopi. part. 1. pag. 48. col. 2.

Charitas eſt fundamentum, & finis, & forma virtutum . par. 1. pag. 48. col. 2.

Charitas non eſt potiſſimum medium Epiſcopalis functionis. par. 1. pag. 48. col. 2.

Charitas ſola eſt iuſti ponderis moneta. part. 1. pag. 28. col. 2.

Charitatis commendatio. part. 1. pagina 48. colum. 2.

Charitatis congregationi Bononiæ Archiepiſcopus præeſt, & etiam ſæpius conuocat. part. 5. pagina 428.

Charitate, & zelo multi præſtant, qui tamen ad regendos populos non ſunt admodum idonei. par. 1. pag. 48. col. 2.

Chriſmatis ſacramentum. par. 3. pag. 96. Vide Inſtructio. Indictio. & Formulæ.

Chriſtus alijs hæredibus cohæres aſcribendus eſt teſtamento. par. 1. pag. 76. col. 1.

Chriſtus authorem ſe præbuit ſalutis, doctorem, & medicum. par. 1. pag. 15. col. 1. & 2.

Chriſtus habuit poteſtatem excellentiæ. part. 1. pag. 17. col. 2.

Chriſtus medicus appellatur. part. 7. pag. 548, col. 2.

Chriſtus rigore iuſtitiæ liberauit nos. part. 1. pag. 15. col. 1.

Chriſtus ſequutus eſt mixtum vitæ genus. par. 7. pag. 586. col.

Chriſtus ſolus proprie inuentus eſt iuſtus. part. 7. pag. 529. col. 1.

Chriſtus venit miniſtrare, non miniſtrari. part. 1. pag. 42. col. 2.

Chriſtus venit non initio, nec medio tempore, ſed maximè congruo. parte 1. pagina 14. columna 2.

Chriſtus venit, vt tum remedium afferret, tum exemplum præberet. par. 1. pag. 15. col. 2.

Chriſtum in Euangelica lege pontificale officium geſſiſſe, & continua ſucceſſione duraturum reliquiſſe. par. 1. pag. 16. col. 2.

Chriſtiana documenta pro hoſpitibus, ſeu cauponis. par. 6. pag. 467. col. 2.

Chriſtiani omnes quomodo ſint ſacerdotes. part. 7. pag. 527. col. 1.

Ciuilia, & religioſa officia, in veteri lege fuerunt ordinata. par. 1. pag. 17. col. 1.

Claudicare vno, vel vtroque pede, idem eſt quoad finem. par. 7. pa. 566. col. 1.

Clauſtra monialium ingredi quibus liceat. part. 6. pag. 474.

Clementis VIII. Indulgentia plenaria pro tranſlatione Reliquiarum. part. 5. pag. 305. colum. 1.

Clericus interpretetur nomen tuum, & nitatur eſſe, quod dicitur. part. 1. pag. 57. col. 2.

Clerici bonorum Ecclesiaſticorum vſuarij, non domini dicuntur. par. 1. pag. 77. col. 1.

Clerici dicuntur, qui ordinem recipiunt. par. 1. pag. 18. col. 1.

Clerici dicuntur, vtpote in ſortem Domini vocati, part. 1. pag. 18. col. 1.

Clerici vocatio. par. 7. pag. 502. col. 1.

Clericorum Eccleſiæ Cathedralis conditiones. part. 3. pag. 148. col. 1.

Clericali habitu, familia Præſulum vti debet. par. 1. pag. 30. col. 2.

Climachi exemplum de vita ruſticorum. par. 2. pag. 44. col. 1.

Climachi exempla. parte 3. pagina 198. columna 1.

Codrus, & Curtius, & Decij, mortui pro patriæ ſalute. part. 7. pag. 524. col. 2.

Cœnæ Domini Bulla. parte 3. pagina 110. colum. 2.

Cognitio, & dilectio ſunt duo pedes, quibus ad Deum accedimus. parte 7. pagina 566. columna 1.

Cognitio rerum eſt triplex. parte 2. pag. 67. colum. 2.

Cognitio ſui declaratur. part. 2. pagina 61. colum. 1.

Collectorum munus cur inſtitutum. part. 1. pag. 74. col. 1.

Collegio Anglorum Rhemenſi, eleemoſyna collecta Bononiæ. part. 5. pag. 406. col. 2.

Coloni Monialium licentia. part. 6. pag. 477. colum. 2.

Comparatio medici ſpiritualis, & corporalis. part. 7. pag. 550. col. 1.

Compoſita, vel mixta vita, eſt pretioſiſſima. part. 7. pag. 585. col. 1.

Conatu maiore qui operatur, magis ad dona gratiæ diſponitur. par. 2. pag. 82. col. 2.

Concilium Prouinciale Bononiæ primum. part. 4. pag. 217. colum. 1. Vide Synodus. & Diœceſis.

Concilium Tridentinum multorum oculos aperuit. par. 7. pag. 552. col. 1.

Concilij celebrandi ratio. parte 4. pagina 235. colum. 2.

Concionatores ſanctimonialium de quibus monentur. part. 2. pagina 49. Vide Prædicatio.

Concluſiones à principijs proficiſcuntur. par. 1. pag. 41. col. 1.

Concubinatus. Decretum prouincialis Concilij de eo. par. 4. pag. 274.

Concupiſcentia quæ eſt appetitiui ſenſus præcipua portio, gignit prauas affectiones, & peccata. par. 1. pag. 8. col. 2.

Concurſus examen. par. 4. pag. 246. col. 1. Vide Inquiſitio.

Conditio perſonarum, quæ rei præficiuntur, indicare ſolet eius grauitatem. parte 1. pagina 13. colum. 2.

Confeſſarij

Confeſſarij conditiones. par. 3. pag. 108. colum. 1. Vide Articulus. & Examen.

Confeſſarij monialium licentia. part. 6. pag. 474. colum. 1.

Confeſſarijs deputatis pro Iubilæo, quædam animaduertenda. part. 4. pag. 337. col. 2.

Conſanguinei non ſunt augendi ex reditibus Eccleſiæ. part. 1. pag. 30. col. 1.

Confitendi modus editus Bononiæ part. 4. pagina 337. col. 1.

Confirmationis ſacramentum in locis remotioribus miniſtrandum eſt. par. 1. pag. 53. col. 1.

Confirmationis ſacramentum tractatur. part. 3. pag. 96. Vide Chriſma. Inſtructio. & Formula.

Congregatio Charitatis pro ijs, qui ſunt in carcere. par. 5. pag. 428.

Congregatio infirmorum inſtituta Bononiæ. par. 2. pag. 54. col. 2.

Congregatio Oeconomiæ menſæ Archiepiſcopalis. par. 6. pag. 481.

Congregatio pro eleemoſynis. par. 5. pag. 405.

Congregatio pro rebus hoſpitalium. part. 5. pagina 346.

Congregatio reformationis de fabricerijs. par. 6. pagina 472.

Congregatio reformationis, de quibus tractare ſolet. par. 6. pag. 453.

Congregatio reformationis ſpectans ad Sanctimoniales. par. 6. pag. 474.

Congregationis Concilij Tridentini ordo, circa hoſpitalia. par. 5. pag. 403. col. 2.

Congregationis miſericordiæ erecta in periculo peſtis, indictio. par. 5. pag. 426. col. 2.

Congregationem pro cæremonijs ſæpius infra annum habet Illuſtriſſimus Archiepiſcopus. part. 5. pag. 393.

Congregationes caſuum conſcientiæ habendæ. par. 3. pag. 115.

Congregationes duæ doctrinæ Chriſtianæ inſtitutæ: vna virorum, altera fœminarum. par. 2. pag. 7. col. 1.

Congregationes extraordinariæ. parte 5. pagina 420.

Congregationum numerus pro rebus Tribunalis Archiepiſcopatus Bononiæ. part. 6. pag. 437. colum. 1.

Congregationum vtilitas. parte 7. pagina 518. colum. 1.

Conſanguineorum mollitiem grauiter interdicit Concil. Trid. par. 1. pag. 78. col. 1.

Conſanguineorum nimia cura, in teſtamentis reprobatur. par. 1. pag. 77. col. 1.

Conſilium, quod Ietbro dedit Moyſi. part. 1. pag. 54. col. 1.

Conſilij capiendi fructus. parte 6. pagina. 432. colum. 2.

Conſilijs, & præceptis conſtat doctrina Euangelica. par. 7. pag. 566. col. 2.

Conſtantinus in Concilio Niceno, vltimo loco ſedit poſt Epiſcopos. parte 1. pagina 13. columna prima.

Conſtitutiones fori, & Curiæ Archiepiſcopalis Bononiæ. part. 6. pag. 431. col. 1.

Contemplatiuam vitam, abſolutè non eſſe præſtantiſſimam. par. 7. pag. 581. col. 2.

Contentus ſua ſorte nemo eſt. parte 7. pagina 586. colum. 2.

Contritionis definitio, & neceſſitas. part. 3. pag. 119. col. 1.

Contritionis veræ, & non veræ ſigna. part. 3. pag. 122. col. 1.

Conuenientia noſtro ſtatui, verè propria dicenda. par. 1. pag. 42. col. 2.

Conuerſio bona in adultis debet proficiſci ab intellectu, & voluntate. parte 7. pagina 566. colum. 1.

Conuerſio includens auerſionem. parte 7. pag. 565. colum. 2.

Conuerſio quid ſit. par. 7. pag. 565. col. 2.

Conuerſionis duo termini ſunt; à quo, & ad quem. par. 7. pag. 565. col. 2.

Conuertitæ. Decretum Concilij prouincialis de eis. par. 4. pag. 265. col. 2.

Corporis Chriſti ſocietates erectæ Bononiæ. part. 3. pag. 124.

SS. Coſma, & Damianus ἀνάργυροι dicti ſunt. part. 7. pag. 551. col. 1.

Crates ſanctimonialium non adeundæ ſine licentia part. 6. pag. 474.

Culpa non poteſt cadere in Deum. part. 1. pag. 36. colum. 1.

Cultus duplex, internus, & externus. part. 6. pag. 460. colum. 1.

Cultus ſanctarum Reliquiarum, qualis. par. 4. pag. 290. col. 1.

Cupiditate, & Venere maxime collabi Rempub. par. 7. pag. 532. col. 2.

Curati quomodo viſitabunt infirmos. part. 3. pagina 172. col. 1. Vide Cautio.

Curatis animaduertenda, pro Iubilæo conſequendo. par. 4. pag. 340. col. 1.

Curatores quibuſdam leges decernunt. part. 1. pag. 5. col. 2. & pag. 576. col. 2.

Curioſus eſt populus, in rebus domus Epiſcopi perſcrutandis. par. 1. pag. 74. col. 1.

Curioſitatis vitium, quid complectatur. part. 1. pag. 42. col. 2.

Curioſitatis vitium redarguitur. part. 2. pagina 59. col. 2.

Cuſtodis carcerum munus, parte 6. pagina 443. col. 2.

D

DAmianus refert exemplum de S. Ruffino, contra violatores feſti. par. 6. pag. 462. col. 1.

Decij, pro patriæ ſalute appetunt mortem. parte 7. pag. 524. col. 2.

Defectus numerantur, qui impediunt ab Ordinatione. par. 3. pag. 144. col. 1.

Defunctorum animas, quomodo poſſimus adiuuare. par. 3. pag. 193. col. 2.

Dæmones à ſcientia nomen habent. par. 7. pag. 537. colum. 2.

Denunciationis Ordinandorum formula. part. 3. pag. 143. colum. 2.

Deuotio lætitiam gignit, reddentem omnia aduerſa facilia. par. 1. pag. 80. col. 2.

Deus æquè delectatur voluntate, ac ipſo opere, ſiquis præpediatur. par. 1. pag. 41. col. 2.

Deus cuique rei dat neceſſaria, ad ſuum munus exequendum. par. 1. pag. 38. col. 2.

Deus dat gratiam vniuerſis, quæ ſufficit. par. 1. pag. 38. colum. 2.

Deus dat Magiſtratus, pro meritis populi. par. 1. pag. 6. col. 1.

Deus Epiſcopo elargitur omnia, quæ eſſentialem perfectionem attingunt illius ordinis. parte prima. pag. 70. col. 1.

Deus Epiſcopum coronat pro deſiderijs, quando per eum non ſtetit. par. 1. pag. 40. col. 1.

Deus ignoſcit deficientibus officio ſuo, modo petant veniam. par. 1. pag. 39. col. 2.

Deus non poteſt peccare. parte 1. pagina 36. colum. 1.

Deus nunquam deeſt diligentiam debitam adhibentibus. par. 1. pag. 39. col. 2.

Deus ſinit res creatas agere curſus ſuos. parte prima. pag. 70. colum. 1.

Deus vnicuique dedit ſecundum propriam virtutem. par. 1. pag. 82. col. 2.

Dei miniſtri omnibus exemplo eſſe debent. part. 1. pag. 76. col. 2.

Dei miniſtros tantùm excellere merito, quantùm gradu, oportet. par. 1. pag. 76. col. 2.

Dei prouidentia omnia complectitur. part. 1. pag. 3. colum. 2.

Dei viſionem, quamuis ſuperet naturam hominis, eſſe tamen proprium noſtrum finem. part. 1. pag. 9. colum. 1.

Deo conuenit vnius appellatio. part. 7. pag. 588. colum. 1.

Diabolus ſpirat vehementius in fine. par. 1. pag. 72. colum. 1.

Diaconorum præcipuum munus olim quid fuit. part. 1. pag. 63. col. 1.

Dialecticæ Chriſti vnus eſt locus, ab operibus. par. 7. pag. 560. col. 1.

Dictum pictoris cuiuſdam de altero pictore religioſo. par. 1. pag. 81. col. 2.

Dies hominis, & dies Dei qui ſint. part. 7. pag. 528. colum. 2.

Dignitates eccleſiaſticæ, ad quid inſtitutæ. par. 4. pagina 249. col. 1.

Dignus, & indignus, & non dignus, in quo differant. par. 3. pag. 138. col. 2.

Dilectio, & cognitio, ſunt duo pedes, quibus ad Deum tendimus. par. 7. pag. 566. col. 1.

Diligentia eſt vita omnium officiorum, & artium. par. 1. pag. 57. col. 2.

Diligentia plurima homo in initio vti ſolet. part. 1. pag. 72. col. 1.

Diligentiæ commendatio. par. 1. pag. 57. col. 1.

Diligentiæ exempla. par. 1. pag. 57. col. 2.

Dimiſſoriales literæ, pro peregrinis Ordinandis Bonon. par. 3. pag. 146. col. 1.

Diœceſanæ Synodi indictio. part. 4. pag. 203. col. 1. Vide Edictum. Formula. Indictio. & Synodus.

Diſcendi ratio duplex: vel per ſe ipſum inueniendo, vel ab alijs diſcendo. par. 7. pag. 559. col. 2.

Diſciplina. De ea libri ſcripti. part. 7. pag. 554. & 557. col. 2.

Diſciplina morum non generatim, ſed ſigillatim expoſcit tractari. par. 1. pag. 49. col. 1.

Diſciplina refertur ad aliud. par. 7. pag. 547. col. 2.

Diſciplinæ nomen latè patet. part. 7. pag. 554. col. 2.

Diſciplinæ nomen multipliciter ſumitur. part. 7. pag. 557. col. 2.

Diſponere male de bonis in morte, quandoque non niſi ab incredulitate proficiſcitur. part. 1. pag. 77. colum. 1.

Diſpoſitionem Dei, cauſæ ſecundæ non mutant, ſed implent. par. 7. pag. 546. col. 2.

Diuinorum officiorum decreta in Prouinc. Concilio. par. 4. pag. 224. col. 1.

Docilitas cum vigilantia ſit coniuncta. part. 1. pag. 70. col. 1.

Doctores omnes non conſequuntur aureolam. par. 7. pag. 541. col. 1.

Doctorum aureola. par. 7. pag. 541. col. 2.

Doctorum ſtatus periculoſus. par. 7. pag. 537. colum. 2.

Doctrina cœleſtis à ſolo Prælato potiſſimum petenda. part. 1. pag. 12. col. 1.

Doctrina Euangelica conſtat conſilijs, & præceptis. par. 7. pag. 566. col. 2.

Doctrinæ Chriſtianæ maioris. pars prima. par. 2. pag. 15. colu. 2.

Doctrinæ Chriſtianæ maioris, pars ſecunda. part. 2. pag. 19. colum. 2.

Doctrinæ Chriſtianæ ſcholæ quomodo commendari ſolent. par. 2. pag. 29. col. 2. Vide Magiſter. Patres familias. & Ordo.

Doctrinæ nouitas fugienda. parte 7. pagina 541. colum. 1.

Dogma Witcleffi damnatum contra Gymnaſia. par. 7. pag. 539. col. 2.

Domicilium Epiſcopi ſi ita fabricetur, vt diſtincta habeat loca exercendis Epiſcopalibus officijs, commoditatem, & dignitatem afferre. part. 1. pag. 74. col. 2.

Domus eſt triplex. parte prima. pagina 78. columna prima.
Domus ſuæ diſponere, apud Iſaiam tripliciter interpretatur. par. 1. pag. 78. col. 1.
Dominicæ diei inſtitutio. parte 6. pagina 460. columna 1.
Dona cum augentur, augentur eorum rationes. par. 1. pag. 136. colum. 1.
Dona Dei ſupernaturalia, & infuſa, maiorem vim habent, quàm inclinationes naturales. par. 1. pag. 82. col. 1.

E

EBrij duplicia intuentur. parte ſeptima. pagina 589. col. 2.
Eccleſiæ cuiuſuis rerum neceſſariarum ſummarium. par. 6. pag. 493. col. 2.
Eccleſiæ diſpoſitio dicitur ordinatiſſima ad varietatem graduum. parte prima. pagina 18. columna prima.
Eccleſiæ in vniuerſum ſuffragatur vnctio ſpiritus ſancti, non autem ſingulis ſeorſum. par. 1. pag. 70. col. 1.
Eccleſiæ legitimi miniſtri, qui ſint habendi. par. 1. pag. 17. col. 2.
Eccleſiæ militantis varietas iuriſdictionis eſt, inſtar triumphantis hierarchiæ. parte prima. pag. 18. colum. 2.
Eccleſiæ omnia munia obire vnus non potuit. par. 1. pag. 18. colum. 1.
Eccleſiæ omnia officia, ad conſecrationem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ reſpiciunt. parte 1. pagina 18. columna prima.
Eccleſiarum fines ſunt diſtincti multis ab hinc annis. par. 1. pag. 19. col. 2.
Eccleſiaſticus corrigit quæ impediunt, aut retardant cæleſtem felicitatem. parte 1. pagina 11. columna ſecunda.
Eccleſiaſticus eſt dirigens, politicus ſubminiſtrans. par. 1. pag. 11. colum. 1.
Eccleſiaſticus laborat, vt populus ſit purus tum culpis grauibus, tum leuibus. parte prima. pagina 11. colum. 2.
Eccleſiaſtici ob characterem, & alia, ſunt aptiores ad ſpiritualia munera. parte prima. pagina 10. colum. 1.
Eccleſiaſtici reditus, cur fuerint Epiſcopo permiſſi. par. 1. pag. 27. col. 1.
Eccleſiaſtici reditus, ſunt inſtrumentum aliquando noxium. par. 1. pag. 27. col. 1.
Eccleſiaſtica bona non alienanda. Decretum Prouinciale. par. 4. pag. 278. col. 2.
Eccleſiaſticorum, & ſæcularium graduum in vno corpore comparatio. parte prima. pagina 19. colum. 1.
Eccleſiaſticos fructus, ad propinquos per teſtamenta Præſulum transferri, deplorandum eſt. par. 1. pagina 77. columna ſecunda.
Eccleſiaſticis fructibus onus ſemper annexum eſt, vt in pios vſus, non in profanos diſtribuantur. par. 1. pag. 77. colum. 2.
Edictum de Hoſpitalibus. parte 5. pagina 396. colum. 1.
Edictum de libris prohibitis. parte ſecunda. pag. 70. colum. 1.
Edictum de translatione plurimarum Reliquiarum. par. 4. pag. 305. col. 2.
Edictum de ſacris Ordinationibus. par. 3. pag. 142. colum. 1.
Edictum pertinens ad Bibliopolas, & Typographos. par. 2. pag. 73. col. 2.
Edictum Pij V. contra blaſphemos. part. 2. pag. 77. colum. 1.
Edictum pro celebratione Synodi diœceſanæ. par. 4. pag. 203. col. 2.
Eleemoſyna. Decretum Prouincialis concilij de eleemoſynis. par. 4. pag. 233. col. 1.
Eleemoſynæ collectæ Bonon. pro collegio Anglorum Rhemenſi. par. 5. pag. 406. col. 1.
Eleemoſyna, ſeu beneficentiæ commendatio. par. 1. pag. 51. col. 1.
Eleemoſynæ ſtudium ita eſt Epiſcopo annexum, vt celebratio horarum canonicarum. par. 1. pag. 52. colum. 1.
Eleemoſynæ vis pro defunctis. par. 3. pag. 194. col. 2.
Eleemoſynas varijs modis diſtribuit Archiepiſcopus Bononiæ. par. 6 pag. 486. col. 2.
S. Eliſabeth Reginæ Vngariæ exemplum. par. 2. pag. 52. col. 1.
Epiſcopus adiutus complurium oculis, & auribus, poteſt omnibus locis proſpicere. parte prima. pagina 63. col. 1.
Epiſcopus aggrediatur prius magis neceſſaria. parte 1. pag. 67. col. 1.
Epiſcopus an poſſit præſtare ſolicitudinem, quæ requiritur. par. 1. pag. 62. col. 2.
Epiſcopus aſſumitur ad laborum, & difficultatum faſtigium. parte prima. pagina 72. col. 1.
Epiſcopus auctoritatem quærere debet non varijs ornamentis, ſed vitæ meritis. parte prima. pag. 484. colum. 2.
Epiſcopus carere debet vitijs, tum grauibus, tum leuibus. par. 1. pag. 73. col. 2.
Epiſcopus contraxit duplex coniugium cum Eccleſia. par. 1. pag. 43. col. 1.
Epiſcopus commoda ſua ſequens, non intrat per verum oſtium. parte prima pagina 45. colum. 1.
Epiſcopus creatur ſapiens nemo læto animo. par. 1. pag. 34. col. 2.
Epiſcopus curabit extinguere Canonicorum diſſidia. par. 1. pag. 68. col. 2.
Epiſcopus debet adhibere orationis præſidium, vt medium, non vt finem. parte prima. pagina. 50. columna prima.

Epiſcopus

Digitized by Google

Epiſcopus debet eſſe affabilis, cum dignitate alloquendo, & audiendo. parte prima. pagina 69. columna prima.
Epiſcopus debet eſſe balſamum aromatizans. par. 1. pag. 22. col. 1.
Epiſcopus debet eſſe canonice vocatus. par. 1. pag. 42. colum. 2.
Epiſcopus debet eſſe exemplum fidelium, & forma gregis. par. 1. pag. 22. col. 2.
Epiſcopus debet eſſe ornatus omnibus virtutibus, quas Apoſtolus requirit. parte 1. pagina 22. colum. 1.
Epiſcopus debet extruere Bibliothecem libris refertam. parte 1. pagina ſeptima. columna ſecunda. Vide Bibliotheca.
Epiſcopus debet fieri omnia omnibus. par. 1. pag. 47. columna 1.
Epiſcopus debet habere Oeconomos. par. 1. pag. 30. colum. 1.
Epiſcopus debet habere poteſtatem ordinis, & iuriſdictionis. par. 1. pag. 22. col. 2.
Epiſcopus debet habere zelum animarum. par. 1. pag. 22. col. 1.
Epiſcopus debet omnium virtutum officinam in pectore habere. parte prima. pagina 46. columna ſecunda.
Epiſcopus debet Moyſis exemplo traducere populum de tenebris Aegypti, ad cæleſtem terram promiſſionis. par. 1. pag. 44. col. 1.
Epiſcopus defectus ſui populi ſcire debet. parte 1. pag. 23. colum. 1.
Epiſcopus deſignet certas horas ſuo auditorio. par. 1. pag. 69. col. 2.
Epiſcopus dicitur Angelus, cuſtos, dux, præco, ſal terræ, lucerna, paſtor, medicus, miles armatus. par. 1. pag. 21. col. 1.
Epiſcopus diſtribuere fructus eccleſiaſticos in vſus eis præſcriptos, iuſtitiæ potius, quàm charitatis vinculo aſtringitur. parte prima. pagina 51. columna 2.
Epiſcopus doctrina, & exemplo omnes ſubditos perficere debet. parte prima. pagina 23. columna prima.
Epiſcopus Epheſinus in Apocalypſi monetur de ſpiritu Epiſcopali. parte prima, pagina 80. columna ſeconda.
Epiſcopus eſt adiutor Papæ, in partem ſolicitudinis vocatus. par. 1. pag. 19. col. 2.
Epiſcopus eſt inſtar oculorum. parte prima. pag. 58. colum. 1.
Epiſcopus, & paſtor animarum noſtrarum eſt Chriſtus. par. 1. pag. 42. col. 2.
Epiſcopus externis auxilijs cur indigeat. par. 1. pag. 70. colum. 1.
Epiſcopus faciles aditus ad ſe eſſe patiatur, etiam in cubiculo, par. 1. pag. 69. col. 1.
Epiſcopus Gratianopolitanus Vgo, populi proteruitatem precibus ſuperans, fructuoſe Eccleſiam moderatus eſt. parte prima. pagina 40. colum. 2.
Epiſcopus in quo præcipue laborare debet. parte 1. pagina 56. colum. 1.
Epiſcopus nemini omnino deeſſe debet. parte prima. pagina 32. col. 2.
Epiſcopus non eſt dominus ad arbitrium bonorum Eccleſiaſticorum. parte prima. pagina 27. columna 2.
Epiſcopus omnes virtutes conuenientes in vnum habere debet. parte prima. pagina 48. columna prima.
Epiſcopus omnia ſtudia ad finem tamquam ſagittarius tela intendat. parte prima. pagina 45. columna 1.
Epiſcopus omnibus hominibus debitor eſt. parte prima. pag. 46. col. 2.
Epiſcopus perfectionis ſtatum merito profitetur. parte 1. pag. 50. col. 2.
Epiſcopus propter Eccleſiam eſt inuentus, non Eccleſia propter Epiſcopum. parte prima. pagina 42. colum. 2.
Epiſcopus quæcumque fere præcipit, eadem exequi debet. par. 1. pag. 23. col. 2.
Epiſcopus. Quædam generatim ab Epiſcopo conſideranda. par. 1. pag. 41. col. 1.
Epiſcopus quænam media ſequi debet. par. 1. pag. 45. col. 1.
Epiſcopus renunciaturus, quomodo deliberare debet. par. 1. pag. 37. col. 2.
Epiſcopus res domeſticas cum moderatione debet adminiſtrare. par. 1. pag. 74. col. 1.
Epiſcopus ſi vocatus non ſit canonice, longius vix progredi poteſt. par. 1. pag. 42. col. 2.
Epiſcopus ſui ſimilis ſemper vbique deprehendi debet. par. 1. pag. 73. col. 2.
Epiſcopus teſtando, quibus poteſt, & debet conſulere. part. 1. pag. 77. col. 1.
Epiſcopus timere debet periculum vanæ laudis. par. 1. pag. 31. col. 1.
Epiſcopus transferre ſe non poteſt, inconſulto ſummo Pontifice. par. 1. pag. 37. col. 2.
Epiſcopus varijs nominibus appellatur. part. 1. pag. 21. col. 1.
Epiſcopus, vt reſpondeat nomini, totus vigilare, & ſuperintendere debet, parte 1. pagina 58. colum. 1.
Epiſcopi actiones ad ſe ipſum ſpectantes. par. 1. pag. 55. colum. 2.
Epiſcopi alia eſt ratio, quàm ſecularis viri, circa eleemoſynas. par. 1. pag. 51. col. 2.
Epiſcopi aliud eſt vitæ genus, aliud Anachoritæ, vel Monachi. par. 1. pag. 50. col. 2.
Epiſcopi animus recreatur theſauro magno ſanctorum Patrum. par. 1. pag. 72. col. 2.
Epiſcopi, appellati quidam Magiſtratus in Attica, & India. parte prima. pagina 56. columna ſecunda.
Epiſcopi apud Perſas oculi Regis dicti ſunt. part. 1. pag. 56.

Digitized by Google

pag. 56. colum. 2.

Epiſcopi arguuntur, qui moribundi, de carne, & ſanguine plus, quã de animæ ſuæ quiete cogitant. parte 1. pag. 76. col. 1. & 2.

Epiſcopi ars eſt architectonica. parte prima pag. 12. colum. 2.

Epiſcopi auctoritatem maiorem eſſe, quàm ſimplicium ſacerdotum, oſtendunt eius veſtes, & ornamenta. par. 1. pag. 18. col. 1.

Epiſcopi auxilio Dei omnia præſtare poſſunt. par. 1. pag. 80. col. 1.

Epiſcopi axiomata propria. parte prima, pagina 42. columna 1.

Epiſcopi boni conatus ſæpe oppugnantur. par. 1. pag. 32. col. 1.

Epiſcopi carnis, & ſanguinis plus, quàm animæ ſuæ curam habentes, redarguuntur. par. 1. pag. 76. col. 1. & 2.

Epiſcopi coadiutores ſunt Canonici. par. 1. pag. 68. col. 2.

Epiſcopi complures aliàs boni, conſanguineorum teneritudine perditè labuntur. parte prima pagina 77. colum. 2.

Epiſcopi conſecratio, eſt ſpiritualis coniugij celebratio. par. 1. pag. 24. col. 1.

Epiſcopi conſiliarij à iure ſunt Canonici. par. 1. pag. 68. col. 2.

Epiſcopi conſiliarij, alij tributj a iure, alij ſponte electi. par. 1. pag. 68. col. 1.

Epiſcopi contemplatiua vita ſæpe ex amoris proprij radice emergit. par. 1. pag. 50. col. 2.

Epiſcopi corporis cura ex medicorum diſciplina ſeruari debet, parte prima, pagina 64. columna ſecunda.

Epiſcopi cuiuſdam præclarum exemplum. par. 1. pag. 60. col. 1.

Epiſcopi deficientes circa medium eleemosynæ, quantum peccant. par. 1. pag. 52. col. 1.

Epiſcopi difficultates à propinquis. par. 1. pag. 29. col. 2.

Epiſcopi difficultates prouenientes à cauſa efficiente, par. 1. pag. 20. col. 2.

Epiſcopi difficultates à cauſa finali, par. 1. pag. 33. colum. 1.

Epiſcopi difficultates à cauſa formali. par. 1. pag. 31. colum. 1.

Epiſcopi difficultates à cauſa inſtrumentali. par. 1. pag. 25. col. 1.

Epiſcopi difficultates à cauſa materiali. par. 1. pag. 28. colum. 1.

Epiſcopi difficultates proponuntur, vt fiat Epiſcopus cautior, non vt terreatur. par. 1. pag. 38. colum. 1.

Epiſcopi domeſticos, oportet eſſe integros. par. 1. pag. 21. colum. 2.

Epiſcopi domus, debet eſſe exemplo omnibus. par. 1. pagina 21. columna ſecunda.

Epiſcopi domus, debet eſſe tamquam promptuarium virtutum. par. 1. pag. 30. col. 2.

Epiſcopi, eſt purgare, illuminare, & perficere populum. par. 1. pag. 59. col. 1.

Epiſcopi finis proximus, qualis ſit. par. 1. pag. 43. colum. 2.

Epiſcopi, fructus Eccleſiæ, vt patrimonium Chriſti obtinent. par. 1. pag. 77. col. 2.

Epiſcopi gerunt vices Apoſtolorum. par. 1. pag. 64. colum. 2.

Epiſcopi illa virtus eſt præſtantior, cuius crebrior eſt vſus. par. 1. pag. 52. col. 1.

Epiſcopi inſtituti ſunt, vt luce ſcientiæ, tenebras pellant. par. 1. pag. 49. colum. 2.

Epiſcopi inſtrumenta neceſſaria, agendi, & dicendi. par. 1. pag. 25. col. 1.

Epiſcopi iuriſdictio in inferiores ſuos, nullis eſt finibus circumſepta. parte prima, pagina 19. columna 2.

Epiſcopi maxima virtus, an ſit charitas. par. 1. pag. 48. colum. 2.

Epiſcopi maxima virtus, an ſit ſcientia. parte prima. pag. 49. colum. 2.

Epiſcopi maxima virtus, an ſit præſidium orationis. par. 1. pag. 49. colum. 2.

Epiſcopi maxima virtus, quæ ſit habenda par. 1. pag. 48. col. 2.

Epiſcopi media varia examinantur. parte prima. pagina. 45. colum. 2.

Epiſcopi mens debet eſſe veluti publicum horreum, & inſtitoris officina. parte prima. pagina 22. columna 1.

Epiſcopi mens, non poteſt eſſe omnibus nota, niſi longo vſu. parte prima. pagina 25. columna ſecunda.

Epiſcopi mercenarij qui ſint. parte prima. pagina 44. colum. 2.

Epiſcopi munus, an præcipuè conſiſtat in laboribus aſſiduis corporis, & luſtrandis omnium ordinum domicilijs. par. 1. pag. 55. col. 1.

Epiſcopi muneri, ſolicitudines intima ratione ſunt coniunctæ. par. 1. pag. 43. colum. 1.

Epiſcopi monentur, ne differant vſque ad horam mortis diſtribuere bona. parte prima. pagina 78. columna 2.

Epiſcopi neceſſariæ virtutes. parte prima. pagina 47. colum. 2.

Epiſcopi negocia duplicia; ad inſtantiam partis, & exurgentia ex officio. parte prima. pagina 60. columna prima.

Epiſcopi nomen à gentilibus attributum eſt varijs vitæ inſtitutis. parte prima. pagina. 3. columna prima.

Epiſcopi nomen apud Plutarchum, & Sophoclem quid ſignificet. parte prima. pagina 56. columna prima.

Epiſcopi nomen apud Romanos, quomodo ſumptum. parte prima pagina 56. columna ſeconda.

Epiſcopi nomen comprehendit paſcendi, & vigilandi cu-

di cu-

di curam. par. 1. pag. 56. col. 2.
Epiſcopi nomen quid ſignificet. par. 1. pag. 3. col. 1. & pag. 56. col. 1. & 2.
Epiſcopi nomine quomodo vtitur Arcadius Iuriſconſultus. par. 1. pag. 3. col. 1.
Epiſcopi nomine, quo pacto vtitur Cicero. par. 1. pag. 3. colum. 1.
Epiſcopi officium eſt, auellere vitia, & virtutes inſerere. par. 1. pag. 31. col. 2.
Epiſcopi officium eſt inſtar nauis omnium onera portantis. par. 1. pag. 43. col. 1.
Epiſcopi olim quæſita ex bonis Eccleſiæ quouis titulo, in alios non poterant transferre, ſed Eccleſiæ cedebant. par. 1. pag. 77. col. 2.
Epiſcopi perſonæ præcipua negotia. par. 1. pag. 60. colum. 1.
Epiſcopi præcipuus ſcopus quis ſit. par. 1. pag. 50. col. 1.
Epiſcopi præcipua opera, an in mortificatione ſit poſita. par. 1. pag. 50. colum. 1.
Epiſcopi præcipuum, an ſit munus prædicationis. part. 1. pag. 53. col. 2.
Epiſcopi præcipuum, non eſſe officium viſitationis. par. 1. pag. 53. col. 2.
Epiſcopi præcipuum officium, eſt vigilantia. par. 1. pag. 56. col. 2.
Epiſcopi redditus quomodo ſunt expendendi. par. 1. pag. 51. colum. 2.
Epiſcopi ſimulachrum, & nudum nomen quidam referunt. par. 1. pag. 53. col. 2.
Epiſcopi ſuppellex, & victus, qualis eſſe debet. par. 1. pag. 21. col. 2.
Epiſcopi, ſunt lux mundi. par. 1. pag. 49. colum. 2.
Epiſcopi Vaurenſis commendatio. par. 1. pag. 63. colum. 2.
Epiſcopi Vicario, quæ negotia committi ſolent. par. 1. pag. 60. col. 2.
Epiſcopi vigilantia accurata, nullatenus prætermittenda eſt. par. 1. pag. 41. colum. 1.
Epiſcopi vigilantia erga ſe ipſum. par. 1. pag. 73. colum. 1.
Epiſcopi vigilantia habenda circa tempus mortis. part. 1. pag. 75. col. 1.
Epiſcopi vigilantia in teſtamento. par. 1. pag. 77. col. 1. & 2.
Epiſcopi virtutes propriæ quædam. par. 1. pag. 22. colum. 2.
Epiſcopo conuenit cura animarum, vt particulari agenti. par. 1. pag. 19. colum. 2.
Epiſcopo cur non Deus dedit facultates naturales ad ſuum finem aſſequendum, vt dedit cæteris animantibus. par. 1. pag. 40. col. 1.
Epiſcopo Deus elargitur omnia, quæ eſſentialem perfectionem attingunt illius ordinis. par. 1. pag. 70.
Epiſcopo methodus certa non poteſt præſcribi, qua ſit progrediendum. par. 1. pag. 46. col. 1.
Epiſcopo non ſufficere ſcriptionem ſermonis paſtoralis. par. 1. pag. 25. colum. 2.
Epiſcopo tribuitur nominatim, præeſſe in ſolicitudine. par. 1. pag. 57. col. 1.
Epiſcopum conferentem fructus Eccleſiæ in vſus præſcriptos mirantur omnes. nunc, cum tamen iure officij ad id teneatur. par. 1. pag. 51. colum. 2.
Epiſcopum contemplationi intendere, neglectis actionibus, dicitur eſſe tentare Deum. par. 1. pag. 50. colum. 2.
Epiſcopum non ſatis eſt, eſſe probum in vita priuata. par. 1. pag. 33. col. 2.
Epiſcopum oportet bonos eccleſiaſticis prouentibus augere, malos per Vicarium coercere. par. 1. pag. 55. col. 2.
Epiſcopum oportet eligere illa præ cæteris gerenda, quæ neceſſitate, aut vtilitate alijs præſtant. par. 1. pag. 67. col. 1.
Epiſcopum oportet habere affectum paternum, & ſpiritum quendam internum, ſeu feruorem, quem ſpiritum Epiſcopalem vocamus. par. 1. pag. 80. colum. 1.
Epiſcoporum Bononien. Catalogus. part. 7. pag. 591.
Epiſcoporum Bon. ſeries depicta in aula palatij Archiepiſcopalis. par. 7. pag. 590.
Epiſcoporum difficultates omnes recenſere, nihil aliud eſt, quàm maris altitudinem metiri. par. 1. pag. 20. col. 2.
Epiſcoporum non deeſſe exempla, qui feliciter Epiſcopalem ſemitam tranſegerunt. par. 1. pag. 79. col. 2.
Epiſcoporum excuſationes. par. 1. pag. 35. colum. 2.
Epiſcoporum origo, & ſucceſſio. parte 1. pag. 17. colum. 2.
Epiſcoporum perpetua ſucceſſio ex quibus ſcripturis deducitur. par. 1. pag. 17. col. 2.
Epiſcoporum quorumdam excuſatio, quod ad Epiſcopale munus vocati fuerunt. par. 1. pag. 35. colum. 2.
Epiſcoporum ſine curis paſtoralibus viuentium conditiones tanguntur. par. 1. pag. 60. col. 2.
Epiſcoporum ſtatum, qui ſummæ eſt perfectionis, exigere non commune aliquid, ſed vt pro dignitate illius functio exerceatur. par. 1. pag. 82. colum. 1.
Epiſcoporum verum exemplar Carolus Card. Borromeus. par. 1. pag. 60. col. 1.
Epiſcopis Deus promiſit per Iſaiam; Ponam vniuerſos filios tuos doctos à domino. par. 1. pag. 64. col. 2.
Epiſcopis dictum eſt, quòd vnctio eius docebit vos de omnibus. par. 1. pag. 65. col. 1.
Epiſcopis omnibus etiam minorum Eccleſiarum eſt neceſſaria ſolicitudo interior bene nutriendi gregem. par. 1. pag. 58. col. 2.
Epiſcopis prohibentur aucupia, venationes, & ſpectacula.

Digitized by Google

ſtacula. par. 1.pag.73.col.2.
Epiſcopos dictos eſſe populorum præſides ἀρμοστάς, & cuſtodes virginum.par.1.pag.56. col.2.
Epiſcopos non multos ſaluos fieri,ſcripſit S. Chryſoſtomus. par.1. pag.60.col.2.
Epiſcopos quoſdam geſtire ſuo officio ſatisfacere, & tamen fateri ſe non duci ſpiritu, & feruore huius adminiſtrationis. par.1. pag.81.col.1.
Epiſcopale officium aliquos male capeſſere, non animo perſeuerandi, ſed vt gradum ad ampliora. par.1.pag.44.col. 1. & 2.
Epiſcopale officium olim quodammodo præfigurabatur. par.1.pag.14.col.2.
Epiſcopale officium partim ad Præſulem, partim ad ſubditos refertur. par.1.pag.14.col. 2.
Epiſcopale munus eſt iucundum,ſi perſunctoriè exerceatur; laborioſum, ſi fideliter. par.1. pag. 60. col.1. & 2.
Epiſcopale munus, quodammodo fuiſſe mandatum Patriarchis, prophetis, ſacerdotibus, & alijs. par. 1. pag. 14. col.1.
Epiſcopale pectus, & animus niſi adſit; virtutum theſaurum,& vigilantiam non ſatis eſſe. par.1. pag. 81.colum.1.
Epiſcopalis adminiſtratio, eſt ars artium.par.1.pag. 43.colum. 1.
Epiſcopalis auctoritas maior ſacerdotali. par. 1.pag. 18.colum. 1.
Epiſcopalis ordo primum obtinet locum, in auxilijs ſupernaturalibus neceſſarijs. par. 1. pag. 13. colum.1.
Epiſcopalis poteſtas eſt duplex. par. 1. pag. 18. colum.2.
Epiſcopalis ſublimitas ſic præſtat regiæ, vt anima corpori, vt aurum plumbo, vt ſpiritus carni, & diuina humanis. par.1 pag. 12. col. 2.
Epiſcopalis adminiſtrationis cura,quo ordine facienda.par.1. pag. 66. col. 2.
Epiſcopalis anima, & vera forma,eſt ſpiritus internus. par.1.pag.81.col.2.
Epiſcopalis functionis potiſſimum medium non eſt charitas.par.1. pag.48. col. 2.
Epiſcopalis iuriſdictionis poteſtas, quàm latè pateat. par.1.pag.23.col.1.
Epiſcopalis menſæ redditus, loco dotis, ad onera matrimonij, eccleſijs aſſignari. part.1. pag. 51. colum. 2.
Epiſcopalis muneris difficultates poſſe ſuperari. par. 1. pag.38. col.2.
Epiſcopalis muneris dignitas.par.1.pag.61.col.1.
Epiſcopalis muneris principia, eſſe communia omnibus Epiſcopis.par.1.pag.3.col.1.
Epiſcopalis officij inſtitutio.par.1.pag.13.col.1.
Epiſcopalis officij magnitudini nulla par virtus, atque induſtria inueniri poteſt. par.1.pag. 38. colum. 1.
Epiſcopalis officij perfungendi gratia, Chriſtus deſcendit in terram.par.1. pag. 42. col. 2.
Epiſcopalis officij rationes non ad ſpeciem deſcribi, ſed ſincere. par.1. pag.79.colum.1.
Epiſcopalis officij ſumma quæ ſit. par. 1. pag. 14. colum. 1.
Epiſcopalis ordinis poteſtas duas habet partes, vnam ſacerdotio communem, alteram Epiſcopo propriam. par.1.pag. 22.col.2.
Epiſcopalis poteſtatis finis eſt conſecratio, & oblatio Eucbariſtiæ. part.1.pag.18.col. 1.
Epiſcopalis ſpiritus neceſſitas. part. 1. pag. 79.colum. 1.
Epiſcopalis ſpiritus niſi adſit, numquam veros Epiſcopales fructus poſſe expectari. part. 1.pag.80. colum. 2.
Epiſcopalis ſpiritus, ſiue propenſio interior, an ſit in hominis poteſtate. part. 1. pag. 81. colum. 2.
Epiſcopalis ſpiritus vtilitas, & commendatio. par. 1.pag. 80.col. 2.
Epiſcopalis vigilantiæ præſidia.par.1.pag.65.col.1.
Epiſcopalis viſitationis fructus. part. 1. pag. 53. colum. 2.
Epiſcopales redditus, officij bene gerendi cauſa aſſignatos fuiſſe. par.1.pag.43.col. 1.
Epiſcopales virtutes partim ſunt conſilij, partim præcepti. par.1.pag.48.col. 2.
Epiſcopalia munera qui intermittit, ſpecie pietatis errat. par. 1.pag. 67.col. 2.
Epiſcopalibus functionibus, gratia diuina acquiritur. par.1.pag.42.col. 1.
Epiſcopatus, non ſuæ, ſed populi vtilitatis cauſa eſſe inſtitutos. par.1.pag.42.col.2.
Epiſcopatus, plurimi Sancti ſuſceperunt inuiti. par. 1. pag. 29. col.1.
Epiſcopatum alio conſilio, quàm Diuini honoris, & paſcendæ plebis qui ſuſcipiunt, non dicuntur ſuſcipere ex Dei ſpiritus motione, tametſi ad illum ſint legitime vocati. part. 1.pag. 44. colum. 2.
Epiſcopatum appeteret nemo, ſi ſciret quid ageret. par.1.pag.34.col.2.
Epiſcopium Cicero appellat phaſelum. part. 1. pag. 56.col. 2.
Epiſcopia Cæſar, & Liuius vocant nauigia ſpeculatoria. par.1.pag.56. col.2.
Eraſiſtrophus damnauit mixturas medicamentorum. par.7.pag.548.col.1.
Euangelica doctrina conſtat conſilijs, & præceptis. par. 7.pag. 566 col. 2.
Euangelica parabola de centum ouibus. par.1. pag. 32. col. 2.
Euangelicum ſalem, eſſe feruorem Epiſcopi. part. 1. pag.81. col.1.
Eucbariſtiæ ſacramentum tractatur. part. 3. pag. 124. Vide Ritus.
Eucbariſtiam τελετὴν τελετῶν appellat S. Dionyſius. part. 1. pag. 18. colum.1.
Εὐφυΐαν, ideſt, bonitatem naturæ maximè prodeſſe ad quæcumque opera. part. 3. pag. 82. colum. 1.
Examen, & inquiſitio Canonicorum. par. 4. pag. 350. col. 2.

Examinis

Examinis per concurſum decreta Prouincialis Concilij. par.4.pag.246.colum. 1.
Examinis articuli pro Confeſſarijs. par.3.pag.108. colum.1. Vide Inſtructio. & Forma.
Excellentiæ poteſtas fuit in Chriſto. par. 1.pag.17. col. 2.
Excuſatio de populi proteruia diluitur. par. 1. pag. 37.col.1.
Excuſatio Epiſcopi de tædio, & moleſtijs ſine fructu proſternitur.par. 1. pag.37. col.1.
Excuſatio importunitatis factæ ab amicis, non prodeſt Epiſcopo imperito.par. 1. pag.36. col.1.
Excuſatio, quòd impeditur Epiſcopus à Magiſtratibus.par.1.pag.36.col.2.
Excuſatio Saulis non profuit ipſi. par. 1. pag. 36. colum.1.
Exempla de punitione violantium feſta. par.6.pag. 461. colum. 1.
Exempla funeribus nobilium propria. par. 3. pag. 197.col.1.
Exempla ſanctorum Eccleſias ſuas omnibus alijs teſtamento præferentium. par. 1. pag. 77. col.2.
Exempla ſanctorum quærentium Reliquias. par. 4. pag.290.col.1.
Exempla ſex funeralium monitionum. par. 3. pag. 192.col.1.
Exercitationes pro diebus feſtis, & alijs. par.6.pag. 455. col.1.
Exhæredant quidam ſe ipſos, vt propinquos hæredes faciant.par.1.pag.77.col.1.
Exploratorum induſtriam apud multos in vſu eſſe. par.1.pag.69.col.2.
Extremæ vnctionis ſacramentum. par.3.pag.174. colum.1.
Ezechielis animalia plena oculis, indicant attentionem. par. 1. pag.57.col.1.

F

F*Abricerios reformandi Congregatio.par.6.pag. 472.*
Factoris ruralis licentia accedendi ad crates Monialium. par.6.pag.476.col.2.
Factoris vrbani licentia accedendi ad crates Monialium.par.6.pag.478.col.1.
Familiam innocentem Epiſcopus facere debet. par. 1.pag.21.col.2.
Famulorum licentia accedendi ad crates Monialiũ. par.6.pag.475.col.2. Vide Formulæ licẽtiar.
S. Fauſtiniani corporis translatio. par.4.pag.291.
Felicitas dicitur ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus.par.1.pag.38.col.2.
Felicitas non eſt huius vitæ terminis definita. par.1. pag. 38. col. 2.
Felicitatis veræ compos eſt homo. par. 1. pag. 38. colum. 2.
Ferrum vt magnete, ſic quidam honore ducuntur. par.1.pag.35.col.2.
Feſtorum, quæ obſeruantur Bonon. index. par. 6. pag. 456. colum. 1.
Feſtorum inſtituendorum finis. par. 6. pag. 45. colum.1. Vide Exercitationes. Nundinæ. Literæ. Inſtructio. & Exemplum.
Fides. De ea tractat Concilium Prouinciale. par. 4. pag. 219.
Fides nuda, vel otioſa non iuſtificat.par.7.pag.581. colum. 1.
Fidei profeſſionis forma, ex Bulla Pij. 4. par. 2. pag. 6. col. 1.
Fidei profeſſionem qui debeant emittere. par.2.pag. 5. colum. 1. & 2.
Fidem ſolam neceſſariam eſſe ad ſalutem dicunt hæretici. par.7.pag.584. col.2.
Figura Beatæ Mariæ aduocatæ noſtræ fuit Thecuites. par.7.pag.570. col.2.
Filius hominis quid ſignificet. par.2.pag. 59. col. 2.
Finis appellatus eſt cauſa cauſarum.par.1. pag. 33. colum. 1.
Finis cuiuſque artis eſt certus. par.1.pag.45.col.2.
Finis duplex; communis, & proprius. par. 1.pag. 44. colum. 1.
Finis duplex; practicus, & ſpeculatiuus. par. 1. pag.13.col.1.
Finis duplex; proximus, & remotus. par. 7. pag. 588. col. 2.
Finis Epiſcopalis officij. par.1.pag.43. col. 2.
Finis Epiſcopalis poteſtatis eſt Euchariſtiæ conſecratio, & oblatio.par.1.pag.18.col.1.
Finis, & agens ſunt idem ſpecie. pag. 544. col.1.
Finis, & caput omnium ordinum, eſt ſacerdotium. part.1.pag.18.col.1.
Finis gubernationis, eſt pax.par.1.pag.7.col. 2.
Finis hominis, vires naturæ ſuperat, ſaltem quoad modum operandi. par.1. pag.39. col.1.
Finis, inſtrumenta, & media in artibus ſunt incerta. par.1. pag.45.col.2.
Finis in vnaquaque arte eſt certus. par.1. pag.45. colum. 2.
Finis medici, eſt ſanare. par.1.pag.45.col.2.
Finis Naucleri, eſt appellere ad portum.par.1.pag. 45.colu.2.
Finis operis, & operantis in Epiſcopali munere non debet differre.par.1.pag.44. col.1.
Finis Oratoris, eſt perſuadere. par.1. pag.45.col.2.
Finis poteſtatis ciuilis eſt felicitas huius vitæ. par. 1.pag.9. col.1.
Finis practicus, & naturalis hominis, eſt conuictus tranquillus, adeptus per virtutes morales. par.1. pag.13.col.1.
Finis præcipuè in opere reſpicitur.par.7. pag. 544. colum. 1.
Finis proprius Epiſcopi, qualis ſit. par. 1. pag. 44. colum. 1.
Finis proprius, eſt medium, reſpectu finis communis. par.1.pag.44.col.1.
Finis propter ſe ipſum principaliter quæritur. par. 1. pag.44. colum.2.
Finis proximus humani corporis, eſt animæ ratione præditæ operatio.par.7.pag.544. col. 1.

Digitized by Google

Finis quodammodo duplex conſtitutus eſt homini conſtanti anima, & corpore. par.1.pag.13.col.1.
Finis ſpeculatiuus conſiſtit in fruitione Dei.par. 1. pag. 13. col.1.
Finis ſui rationem, non norunt animalia bruta.par. 1.pag.41.col.1.
Finis, & forma virtutum, eſt charitas. par. 1.pag. 48. col.2.
Fini Chriſtiani populi, non ſufficere ſacularem poteſtatem. par.1.pag.9. col. 1.
Fini æterno adipiſcendo, vnicuique ſuum munus congruens aſſignauit Deus.par. 1. pag. 42. col. 1.
Fini, & medijs reſpondere debent inſtrumenta agentis.par. 1. pag. 13. col. 1.
Finem æternum oſtendere per actus hierarchicos, eſt Prælati. par. 1. pag. 12. colum. 1.
Finem artis non eſſe in artificis poteſtate. par. 1. pag. 33. colum. 2.
Finem charitatis reſpiciens ſolicitudo laudanda, quãuis agitet mentem. par. 1. pag. 63. col. 1.
Finem cum medijs proportionem habere oportet. par. 1. pag. 9. colum. 2.
Finem reſpicere debet Epiſcopus in omnibus ſtudijs. par. 1. pag. 45. col. 1.
Finem ſequuntur homines, qui ſuperat naturam, nempe viſionem Dei. par. 1. pag. 9. col. 1.
Finem vt ſuum conſequantur, omnia ſunt creata. par. 1. pag. 5. col. 1.
Fine, ſapiens, & inſipiens maximè differunt. par. 1. pag. 43. col. 2.
Fœminæ. De fœminis male nuptis decretum Prouinciale. par.4.pag.263.col.1.
Forma deſcribendi matrimonia in libro Parochi. par. 3. pag. 160. col. 1.
Forma edicti de examine per concurſum par.4. pag. 247. col. 1.
Forma examinis faciendi, & inquiſitionis. par. 4. pag. 249.
Forma iuramẽti notariorum.par.4.pag. 242. col. 2.
Forma Synodi trium dierum. par.4.pag.211.col.1.
Forma veri paſtoris cum zelo, ac ſolicitudine debet eſſe coniuncta.par.1.pag.53. col.2.
Formam, quam accepit materia retinet.par. 1. pag. 33 col. 1.
Formula admiſſionis in Congregatione Oratorij. par. 5.pag.385.col. 1.
Formula breuis inſtructionis prædicatorum in diœceſi Bononiæ, cum profecturi capiunt benedictionem ab Archiepiſcopo. part. 2.pag.56. col.1.
Formula denuntiationis eorum, qui ſunt Ordinandi. par.3.pag.143. col.2.
Formula edicti de proceſſione ante Sacram Ordinationem par. 3. pag. 149. col.2.
Formula edicti in examine Ordinandorum. par. 3. pag. 146. col. 1.
Formula exercitiorum in Oratorio Bonon. par. 3. pag.391.col.1.
Formula iuramenti intrantium clauſtra monialiũ. par. 6. pag. 478. colum. 2.
Formula licentiæ dandæ Concionatoribus diœceſis. parte 2. pagina 57 columna. 1.
Formula licentiæ pro Collectoribus eleemoſynarum. par.5.pag. 411. col. 1.
Formula literarum ad Curatos, cum concionatores in eorum loca mittuntur. par.2.pag.57.col.2.
Formula literarum ad Parochos diœceſis, circa confirmationis ſacramentum. par.3.pag. 100. col.1.
Formula literarum de Synodi diœceſanæ celebratione. par. 4.pag.202.col. 1.
Formula matrimonij denuntiandi. par.3.pag.158. colum. 1.
Formula teſtimonij à Curato perhibendi de Concionatore. par. 2. pag. 57.col.1.
Formula teſtimonij Parochi de pauperibus parochiæ. par. 5. pag.411.colum. 2.
Formula vitæ Conuictorum Seminarij. par. 5. pag. 358. col.1.
Formulæ licentiarum accedendi ad crates Sanctimonialium. par. 6. pag. 474. col. 1.
Formulæ licentiorum circa cibos Quadrageſimales. par.6.pag.467.col.1.
Formulæ variæ literarum teſtimonialium. par. 3. pag. 145. col. 1.
Formulæ quarumdam obſeruationum pro Prædicatoribus, ſpecialiter tempore Aduentus Domini, & Quadrageſimæ. par. 2.pag. 53. col. 1.
Forum interius prælato eſt conceſſum. par. 1. pag. 12. colum. 2.
Fori Epiſcopalis cauſæ. par. 4. pag.268.col.1.
S. Franciſci dictum. par. 2. pag.68. col. 2.
S. Franciſci exemplum.pag.62. col. 1. & par. 6.pag. 461. col. 2.
Fraternitatum inſtitutio eſt bona. par.7. pag. 517. colum. 2.
Fugere, quàm graue ſit peccatum Paſtoris. par.7. pag. 523. colum. 2.
Functiones præſtandæ ab Ordinandis in Eccleſijs aſſignatis. par.3.pag. 149. colum. 1.
Functiones variæ Canonicorum. par. 7. pag. 514. colum. 1.
Funeralium monitionum exempla. par. 3.pag. 192. colum. 1.
Funera. Breue Gregorij XIII. confirmans pragmaticam funeralium. par.3.pag.183.col.2.
Funeralium Ordo in diœceſi Bonon. par.3. pag.186. colum. 1.
Funeribus nobilium proprio exempla. par. 3. pag. 197. col. 1. Vide Libellus. Pragmatica. & Sermo.

G

GEneralis nulla regula videtur appoſitè omnia ſingularia mẽbro cõplecti. par. 1. pag. 46. col. 1.
Gentilium libris plus æquo quòd ſe dederit, S. Hieronymus corripitur. par.7.pag.555. col. 2.
Gentilium literas Chriſtianis interdicit Iulianus Apoſtata. par.7.pag.538. col.2.
Gentilium ſapientia differt à Chriſtiana, principio, medio, & fine.par.7.pag.560.col.2.
Genus humanum vitijs, & miſerijs multipliciter inquinauit

quinauit originale peccatum. parte 1.pagina 46. colum. 1.

Gigantum arma induere non conuenit homini exiguæ ſtaturæ. par.1.pag.33.col.2.

Gradu quantum excellunt miniſtri Dei,tantum oportet merito excellere. par.1.pag.76.col.2.

Græcorum poetarum teſtimonijs vtitur S. Paulus. par.7.pag. 555.col.2.

Gratia Dei, & feruor Epiſcopalis reddunt officium Epiſcopi facile. par.1.pag.39.col.2.

Gratia Dei facit idoneas,vbi ſola natura deficit. par. 1.pag.39.col.1.

Gratia Dei vires dedit ad gloriam æternam ex miſericardia. par.1.pag.41.col.2.

Gratia diuina acquiritur per Epiſcopales functiones. par.1.pag.42.col.1.

Gratiæ capax eſt naturaliter quodammodo anima rationali. par.1.pag.6.col.1.

Gratiæ Dei efficacia. parte 7.pag. 525.col.2.

Gratiæ quæ ſunt, perficiunt naturam, non inuertunt. par.1.pag.70.col.1.

Gratiam Deus dat vniuerſis, quæ ſufficit. parte 1. pag.38.cal.2.

Gratuitis homo expoliatur ex peccato, & vulneratur in naturalibus. par.1.pag.39.col.1.

Gratus, & non odioſus debet eſſe,qui affert munera. par. 7. pag.582. col.2.

Grauitas rei iudicari ſolet à conditione perſonarum, quæ illi præficiuntur. par.1.pag.13.col.2.

S. Gregorij miraculum,de Miſſa pro defunctis.par.3. pag.194. col. 2.

Gregorius Papa XIII. ſtatuit Romæ fieri preces pro defunctis. par.4.pag.324.col.1.

Greg. Papæ XIII. Breue, confirmans pragmaticam funeralium. par.3.pag.183.col.2.

Greg. Papæ XIII. Indulgentia pro oratione publica Bononiæ. par.4.pag.317.col.2.

Gubernatio temporalis Principis,vt ſic,non dirigitur ad finem cæleſtem. par.1.pag.9. col.1.

Gubernatio vnius eſt optima. par. 7. pagina 588. colum. 1.

Gubernatione alterius, humana indiget natura. par. 1. pag. 3. colum.2.

Gula, multorum morborum cauſa. par. 7. pag. 544. colum. 2.

Gymnaſium publicum Bononiæ inſtitutum à Theodoſio Imperatore, procurante Sancto Petronio. par.7.pag. 542.col.2.

Gymnaſia, Dæman appellat ſeminaria ſuorum filiorum.par.7.pag.539.col.2.

Gymnaſia impugnat dogma Vuitcleffi. par.7.pag. 539. col.2.

Gymnaſia Pontificum legibus conſeruata.par.7.pag. 539.colum. 2.

Gymnaſiorum, & ſcholarum inſtitutio. par.7.pag. 520.col.1.

Gymnaſiorum fructus. parte ſeptima.pagina 538. columna ſecunda.

H

HAbitus virtutum moralium poſſe comparari induſtria. par.1.pag.46.col.2.

Hæretici bonis operibus præter modum infeſti. par 7. pag. 584.col.2.

Hæretici fidem ſolam aiunt neceſſariam eſſe ad ſalutem. par.7.pag.585.cal.1.

Hæretici vanitate ſcientiæ ſeducti. par. 7.pag.537. colum. 2.

Hæretici vtroque pede cognitionis, & dilectionis claudicant. par.7.pag.566.col.1.

Heli bonus erat, tamen quòd conniueret ſceleribus filiorum, probatus Deo non eſt. parte 1.pag. 21. colum. 2.

Hierarchiæ cæleſtis imaginem refert eccleſiaſtica. par. 1 pag.18.1ol.2.

Hierarchiæ triumphantis inſtar eſt varietas iuriſdictionis eccleſiæ militantis. parte 1.pagina 18. colum. 2.

S. Hieronymus corripitur, quòd plus æquo ſtuduerit libris Gentilium.par.7.pag. 555.col.2.

Hippocratis iuramentum. par. 7. pag.550.col.1.

Holocauſtum medullatum quomodo offertur. par.7. pag.581 col.1.

Homo ad beatitudinem ſupernaturalibus indiget auxilijs. par.1.pag.13.col.1.

Homa creatus,vt in ſocietate viueret,ob quatuor cauſas. par.1.pag.4.col. 1.

Homo dicitur microcoſmos. parte 7. pagina 544. colum. 1.

Homo duplex eſt. parte 2.pag. 66.col. 2.

Homa duplicem habet facultatem, intellectus, & voluntatis. par.7.pag. 519.col. 2.

Homo dupliciter conſideratur. par. 7. pagina 559. colum. 1.

Homa eſt animal maxime varium. parte 1. pag.66. colum. 2.

Homo eſt compos felicitatis veræ. part. 1.pag. 38. colum. 2.

Hamo eſt conditus dominus cæterarum rerum. par. 1.pag. 38. colum. 2.

Homo, & ſol generant hominem. par. 1. pag. 19. colum. 2.

Homo ex duabus ſubſtantijs eſt compoſitus. part.1. pag.9.col.1.

Homo ex peccato expoliatur gratuitis, & vulneratur in naturalibus. par.1.pag. 39. col.2.

Homo habet natura propenſionem ad virtutem. par. 1.pag.6.col.1.

Homo habet ſenſus interiores perfectiores animalibus,nan exteriores. par.7. pag. 544.

Homo plurima initio vti ſolet vigilantia. par.1.pag. 72. col. 1.

Homo poteſt capeſſere cælum in omni ordine,& ſtatu vitæ. par.1. pag. 33.col.2.

Hamo quòd vſu liberi arbitrij, cooperante gratia potuit ſe à Diabolo eripere, iuſtitia fuit. par.1.pag. 41. cal. 1.

Homo rationem, mentem, & arbitrium habet. par. 1.pag. 41. col.1.

Homo

Homo tactum habet præſtantiorem alijs animantibus. par. 7. pag. 544. col. 1.
Hominis bonum triplex. par. 7. pag. 526. col. 2.
Hominis compoſitio ab aliquibus reprehenſa. par. 7. pag. 543. col. 2.
Hominis finis vires naturæ ſuperat, ſaltem quoad modum operandi. par. 1. pag. 39. col. 1.
Hominis liberatio, Dei iuſtitiam, & miſericordiam oſtendit. par. 1. pag. 41. col. 2.
Hominis miſeria, ex originali peccato manat. par. 7. pag. 558. col. 2.
Hominis naſcentis miſeria. par. 7. pag. 558. col. 1.
Homini cur melius ſit aliena ope egere, quàm ſi per ſe potuiſſet. par. 1. pag. 40. col. 1.
Homini ex anima, & corpore conſtanti, duplex quodammodo finis conſtitutus eſt. par. 1. pag. 13. colum. 1.
Homini, quòd Deus per gratiam vires dedit ad gloriam æternam, miſericordia fuit. par. 1. pag. 41. colum. 2.
Homini miſerabiliter lapſo Deus cæleſte auxilium obtulit. par. 1. pag. 41. col. 1.
Homines decipiuntur ſpecie recti. par. 1. pag. 35. colum. 2.
Homines indigent auxilijs mutuis. par. 1. pag. 4. colum. 1.
Homines non tam imperitia pereunt, quàm malitia. par. 1. pag. 49. col. 2.
Hominum vniuerſitatem egere cura optimatum. par. 1. pag. 4. col. 1.
Hominum vniuerſum genus infecit labes primorum parentum. par. 1. pag. 14. col. 1.
Honorum affectu quidam homines magis, quàm ferrum magnete, ducuntur. parte 1. pagina 35. colum. 2.
Hoſpitale Mendicantium Bononiæ inſigne. par. 5. pag. 405.
Hoſpitalia. De hoſpitalibus congregatio. par. 5. pag. 396. Vide Edictum.
Hoſpitalitas Deo grata. parte ſexta. pagina 467. colum. 2.
Hoſpites quomodo excipiendi ab Oeconomis in Archiepiſcopali palatio. par. 6. pag. 486. col. 1.
Hoſpites quomodo excipiendi à cauponibus. par. 6. pag. 470. col. 2.
Hoſpitiorum Chriſtiana documenta. parte 6. pag. 467. col. 2.
Hoſtias ſpirituales, ſimpliciter loquendo, meliores eſſe corporeis. par. 7. pag. 528. col. 1.
Humilitas: cohors SS. Patrum laudantium humilitatem. par. 7. pag. 569. colu. 2.
Humilitatem aduocati diſcant à Beata Virgine. par. 7. pag. 573. col. 1.
Hybernis, & Scotis, qui pro fide exulant, Archiepiſcopales ædes ſemper patent. par. 6. pag. 486. colum. 2.
Hydriæ ſex in Cana Galileæ, quid ſignificent. par. 3. pag. 165. col. 1.

I

IAcob exemplo, paſtores vigilare debent. par. 1. pag. 71. col. 2.
Iberi, & Babilonij non vtebantur medicina. par. 7. pag. 548. col. 1.
Idolum, malus paſtor. par. 2. pag. 67. col. 1.
Ieiunij quadrageſimæ edictū. par. 6. pag. 463. col. 1.
Ieremias vidit virgam vigilantem. par. 1. pag. 57. colum. 1.
Ietbro conſilium, quod dedit Moyſi. par. 1. pag. 54. colum. 1.
Ignorantia, plurima mala gignit. par. 1. pag. 49. colum. 2.
Imago rei oculis ſubiecta, plus mouet, quàm verba. par. 7. pag. 567.
Imagines ſacræ. Decretum Prouinciale de illis. par. 4. pag. 230. col. 2.
Imaginum ſanctarum liber. par. 4. pag. 310.
Imitationis exempla, non ab vno ſunt haurienda. par. 1. pag. 47. col. 1.
Imperatorem iudicandi poteſtatem habent ſacerdotes. par. 1. pag. 13. col. 1.
Impreſſoribus quid iniungitur circa libros prohibitos. par. 4. pag. 223. col. 2.
Inclinatio naturalis magnam habet vim in actionibus. par. 1. pag. 82. col. 1.
Index feſtorum, quæ obſeruantur Bononiæ. par. 6. pag. 456. colum. 1.
Index omnium Reliquiarum ſanctarum, quæ ad metropolitanam eccleſiam fuerunt tranſlatæ. par. 4. pag. 307. col. 2.
Index quinque librorum de ſacris Imaginibus. par. 4. pag. 310.
Index capitum, quæ in prima parte operis continentur. par. 1. pag. 1.
Index rerum, quæ in ſecunda parte operis continentur. par. 2. pag. 2.
Index rerum, quæ in tertia parte continentur. par. 3. pag. 84.
Index rerum, quæ in quarta parte continentur. par. 4. pag. 201.
Index rerum, quæ in quinta parte continentur. par. 5. pag. 347.
Index rerum, quæ in ſexta parte continentur. par. 6. pag. 430.
Index ſermonum, qui in ſeptima parte continentur. pag. 7. pag. 501.
Indictio adminiſtrationis ſacramenti confirmationis. par. 3. pag. 96. col. 1.
Indictio orationis in periculo peſtilentiæ. par. 5. pag. 425. col. 2.
Indictio poſtremæ proceſſionis pro ſancto Iubilæo. par. 4. pag. 343. col. 2.
Indictio Synodi diœceſanæ. par. 4. pag. 203. col. 1.
Indulgentia Gregorij XIII. ad publicas orationes inſtitutas Bononiæ. par. 4. pag. 317. col. 2.
Indulgentia Plenaria Clementis VIII. in ſanctarū Reliquiarum tranſlatione. par. 4. pag. 305. col. 1.
Indulgentia plenaria Sixti V. in tranſlatione Reli-

quiarum SS. Zamæ, & Fauſtiniani. par. 4. pag. 292. colum. 1.

Indulgentia pro mulieribus, quæ ornant ſacellum ſanctiſſimæ Communionis in metropolitana Bononiæ. par. 3. pag. 136. col. 1.

Indulgentiæ. Decretum de ijs in Prouinciali Concilio. par. 4. pag. 231. col. 1.

Indulgentiæ Pontificum conceſſæ fraternitati Sancti nominis Dei. par. 2. pag. 79. col. 1.

Indulgentiam concedit Illuſtriſſimus Archiepiſcopus. par. 4. pag. 325. col. 2.

Indulgentiarum uis pro defunctis par. 3. pag. 194. colum. 1.

Inferiora pendere à ſuperioribus. par. 1. pag. 5. col. 1.

Infirmariorum congregatio. par. 5. pag. 419.

Infirmariorum congregationi annuos redditus aſſignauit Illuſtriſſimus Cardinalis Archiepiſcopus. par. 5. pag. 419.

Infirmariorum congregationi annuos cenſus attribuit Illuſtriſſimus Cardinalis Montaltus legatus Bononiæ. par. 5. pag. 419.

Infirmitates eſſe vtiles. par. 7. pag. 546.

Inquiſitio in examine ad dignitates. par. 4. pag. 249. col. 2.

Inquiſitionis officij reformatio. par. 2. pag. 71. col. 2.

Inſtitutio matrimonij. par. 3. pag. 167. col. 1.

Inſtructio ad deputatos examini Ordinandorum. part. 3. pag. 146.

Inſtructio ad Parochos, de adminiſtranda extrema vnctione. par. 3. pag. 174. col. 1.

Inſtructio ad parochos, de feſto ſanctificando. par. 6. pag. 459. col. 2.

Inſtructio ad parochos, de rebus pertinentibus ad Chriſma. par. 3. pag. 97. col. 2.

Inſtructio ad parochos, de ſacramento Matrimonij. par. 3. pag. 155. col. 1.

Inſtructio ad parochos, de ſacris Ordinationibus. par. 3. pag. 143. col. 1.

Inſtructio, de ſacramento Baptiſmi. par. 3. pag. 85. colum. 1.

Inſtructio, & literæ commendatitiæ clericis peregrinantibus ad Vrbem ſanctam. par. 4. pag. 329. colum. 2.

Inſtructio, pro concionatoribus infra diœceſim Bononiæ. par. 2. pag. 34. col. 1.

Inſtructio, pro Iubilæo conſequendo. par. 5. pag. 337. colum. 1.

Inſtructio, pro meditatione myſteriorum Paſſionis par. 4 pag. 337. col. 2.

Inſtructio, pro meditatione myſteriorum Roſarij. Domini Ieſu Chriſti. par. 4. pag. 337. col. 1.

Inſtructio, pro Præfectis ſacrarum cæremoniarum. par. 5. pag. 394. col. 1.

Inſtructio, pro Præfectis ſcrutinij Synodalis. par. 4. pag. 217. col. 1.

Inſtructio quoad Epiſcopos in adminiſtratione hoſpitalium iuſſu Congregationis Concilij Tridentini. par. 5. pag. 403. col. 2.

Inſtrumentum debet eſſe aptum materiæ, ad quam adhibetur. par. 1. pag. 26. col. 2.

Inſtrumenta agentis debent habere proportionem cum medijs, & fine. part. 1. pag. 13. col. 2.

Inſtrumenta aliquando in ipſo actu mutari. par. 1. pag. 27. col 1.

Inſtrumenta niſi ſint accommodata, omnis perit labor. par. 1. pag. 24. col. 2.

Inſtrumenta præſulis remotiora, quæ ſint, & quàm debilia. par. 1. pag. 26. col. 1. & 2.

Inſtrumentorum duplex genus; proximum, & remotum. par. 1. pag. 24. col. 2.

Inſtrumentorum vim multa impediunt. par. 1. pag. 26. col. 2.

Integritas vitæ eſt, perpetuum quoddam prædicandi genus. par. 1. pag. 50. col. 2.

Intellectus, & voluntas, in adultis debent concurrere in conuerſionem bonam. par. 7. pag. 566. colum. 1.

Intellectus hominis tamquam tabula raſa. par. 7. pag. 558. col. 1.

Intellectus, & voluntatis facultatem habet homo. par. 7. pag. 519. col. 1.

Intellectum practicum, vt ſubeſt appetitui recto, quomodo dirigit prudentia. par. 1. pag. 49. col. 1.

Inuentarium rerum Eccleſiæ faciendum. par. 4. pag. 273. col. 1.

Inuocatio, & veneratio Sanctorum. par. 4. pag. 228. col. 1.

Ioannes Hurtado Archiepiſcopatum Toletanum declinauit. par. 1. pag. 29. col. 1. & 2.

Iob in conſpectum prodeunte, omnes ſuos geſtus componebat. par. 1. pag. 73. col. 2.

Iouinianus abrogauit nefarium Iuliani decretum. par. 7. pag. 539. col. 1.

Irregularitates referuntur. par. 3. pag. 144. col. 1. Vide Defectus.

Iſaiæ dictum, Diſpone domui tuæ, tripliciter interpretatur. par. 1. pag. 78. col. 1.

Iubilæi anno, quis ordo ſeruatus. par. 4. pag. 326. Vide Annus Sanctus. & Literæ.

Iubilæi breue Gregorij XIII. conceſſi Bononiæ. par. 4. pag. 334. col. 1.

Iubilæum conſequuturi, quid animaduertere debent. par. 4. pag. 335. col. 1.

Iudæi. Summarium conſtitutionum de illis. par. 2. pag. 75. col. 1.

Iudas, quamuis fuit electus ad Apoſtolicum Collegium, non tamen excuſatur. par. 1. pag. 36. colum. 1.

Iudicari ab hominibus non poſſunt ſacerdotes. par. 1. pag. 13. col. 1.

Iudicis arbitrio, quò pauciora relinquunt leges, eò meliores ſunt. par. 1. pag. 7. col. 1.

Iudicis fori Archiepiſcopalis Bononiæ partes. par. 6. pag. 438. col. 1. Vide Conſtitutiones fori.

Iudices delegandi. Decretum Prouincialis Concilij de illis. par. 4. pag. 271. col. 2.

Iulianus Apoſtata Chriſtianis interdixit literis gentilium. par. 7. pag. 538. col. 2.

Iuramentum Hippocratis. parte 7. pagina 550, columna. 1.

Iuramenti

Digitized by Google

Iuramenti intrantium clauſtra monialium ſormulæ. par.6. pag.478. col.2.
Iuriſdictionis,& ordinis poteſtas in Epiſcopo.par.1. pag. 18. col.2.
Iuriſdictionis poteſtas, reſpicit corpus myſticum fidelium.par.1.pag. 18.col. 2.
Iuriſdictionis poteſtas, eſt magis neceſſaria populis. par. 1. pag. 52. col. 2.
Iuriſdictionis poteſtas, eſt periculoſior. par. 1. pag. 52. colum. 2.
Iuriſdictionis poteſtatis adminiſtratio difficilior eſt, quàm ordo. par.1. pag.52.col.2.
Iuriſdictionis poteſtate poteſtas ordinis eſt preſtantior ex ſuo genere. par.1. pag.52. col.1.
Iuriſprudentiæ Lius. par.7.pag.587.col.2.
Iuſtitia exigit poſtponi, ea quæ ſunt arbitrij ijs, quæ ſunt obligationis. par. 1. pag.67. col.2.
Iuſtitia fuit, quòd homo vſu liberi arbitrij, cooperante Dei gratia, potuit ſe ex Diabolò poteſtate eripere. par.1.pag. 41.col.1.
Iuſtitia originali labefactata calcitrarunt mens, & ſenſus. par. 1. pag.5. col. 1.
Iuſtitiæ Chriſtianæ duæ ſunt partes. par. 7. pag. 522. col.1.
Iuſtitiæ rigore Chriſtus liberauit nos.par.1.pag.15. colum. 1.
Iuſtitiam, & miſericordiam Dei oſtendit hominis liberatio. par. 1. pag. 41.col.1.

L

LAchrymandum eſſe pro peccatis, par. 3. pag. 196.colum. 2.
Lætandum potius, quàm dolendum ob mortem.par. 3.pag. 192.col.2.
Laici, & clerici, ſunt duo genera Chriſtianorum. par. 7. pag.511. col. 2.
Laici. immiſcentes ſe ſpiritualibus actibus, caſtigati à Deo. par.7. pag. 535. col.2.
Legatorum piorum prouiſor deputatus Bononiæ. par.6 pag.497. col.2.
Lex diuina eſt certa regula. par.1.pag.12.col.1.
Legem diuinam interpretari, Prælati proprium eſt munus. par.1. pag.12.col.1.
Legem, mutum eſſe magiſtratum.par.1.pag.7.col.2
Leges, ad regendum non ſufficere. par. 1. pag. 6. colum. 2.
Leges non poſſunt omnia comprehendere. par. 1. pag. 7. col. 1.
Leges parum proſunt, niſi Magiſtratus eas exequuntur. par. 1. pag. 7.col. 1.
Leges, quo pauciora relinquunt arbitrio Iudicis, eò meliores ſunt. par.1.pag.7. col.1.
Legum moderatio, magiſtratuum æquitati eſt permittenda.par.1. pag 7. col.2.
Leonidæ Epigramma. par.1.pag. 56. col.2.
Libellus de matrimonio ad vſum Parochorum. par. 3.pag. 162.
Libellus de modo confitendi. par. 6. pag.469.col.1.
Libellus de ſuperſtitionibus. parte 2. pagina 40. columna 1.
Libellus pertinens ad ſacras Ordinationes. par. 3. pag 143.col. 1.
Libellus precum editus, de tranſlatione SS. Zamæ, & Fauſtiniani. par.4. pag.301. col.2.
Libellus precum editus in tranſlatione plurimarum SS. Reliquiarum. par.4.pag.307.col.1.
Libellus ſermonum funeralium ad vſum Parochorum. par.3.pag.191.
Libellum ſibi porrigi, quaſi elephanto ſtipem, dixit Octauianus. par.1. pag. 69. col. 2.
Libelli editi Bononiæ.
De oratione 40. horarum.
De myſterijs Roſarij.
De modo confitendi.
Inſtructio pro Iubilæo conſequendo.
De ſtationibus.
Exercitat. pro diebus feſtis, & alijs.
Remedia contra peccata.
Meditationes ante, & poſt ſacram Communionem.
Inſtructio pro meditatione Paſsionis Domini,
Et his ſimilia. par.4 pag.337.col.1.& 2.
Liber cæremonialis Roman. breui edendus. par.4. pag. 227.col.2.
Libri editi de miſſa, ad vſum ſacerdotum Bononiæ. par. 3. pag. 125.
Libri, quos habere debent confratres Congregationis Oratorij. par. 5. pag. 390. col. 1.
Librorum, qui ad rem faciunt compoſitio, eſt quædam prædicatio. par.1.pag. 60.col.2.
Librorum gentilium vſus non omnibus permiſſus. par. 7. pag.555.col.2.
Librorum prohibitorum edictum. par.2. pag. 70. colum. 1.
Libros imprimendi regulæ in Concilio Prouinciali. par.4. pag. 223. col.2.
Licentiæ forma pro Confeſſarijs. par. 3. pag. 114. col. 1.& 2.
Licentiarum formulæ, pro ingredientibus clauſtra Monialium. parte 6.pagina 477.colum. 1. & 2. Vide Formula.
Linguæ vſus, à bonis aduocatis eſt maximè curandus. par.7.pag.572.col.1.
Literæ ad Parochos de ſanctificatione feſtorum. par. 6. pag. 459. col.2.
Literæ commendatitiæ pro laicis peregrinantibus ad Vrbem ſanctam. par.4.pag.330.col.2.
Literæ communes ad Epiſcopos Bononienſes, quibus inuitantur ad ſacram tranſlationem Reliquiarum, & eorum nomina. par.4.pag.293.col.2.
Literæ communes ad Parochos tempore viſitationis. par.6.pag.489. col.1.
Literæ dimiſſoriales pro peregrinis ordinandis Bononiæ. par.3.pag.146.col.1.
Literæ paſtorales de multarum ſacrarum Reliquiarum tranſlationibus. par.4. pag.294. col.1.
Literæ paſtorales de Iubilæo in anno ſancto. par.4. pag. 326.col.1.

Literæ paſtorales de translatione SS. Reliquiarum Vitalis & Agricolæ. par. 4. pag. 276. col. 1.
Literæ paſtorales in periculo peſtilentiæ. par. 4. pag. 421. col. 1.
Literæ paſtorales in promulgatione Breuis Greg. XIII. pro oratione veſpertina. par. 4. pag. 320. colum. 1.
Literæ teſtimoniales Parochi pro Ordinandis. par. 3. pag. 144. col. 2.
Literarum tenor Cardinalis Sanctæ Praxedis. par. 4. pag. 289. col. 1.
Lites fugiendi exemplum eſt Abrahem. par. 7. pag. 578. colum. 2.
Litium origo. par. 7. pag. 575. col. 1.
Litigandi conſuetuda reprobatur. par. 7. pag. 574. col. 1. & 2.
Loca pia multa Bononiæ par. 4. pag. 298. colum. 2. Vide Eleemoſyna.
Locatio. Decretum Prouincial. Concilij, de locationibus rerum Eccleſiæ. par. 4. pag. 273. col. 1.
Locationis prædiorum Archiepiſcopalium cura. par. 6. pag. 483. col. 2.
Locrenſium lex. par. 2. pag. 60. col. 1.
Lupus multiplex. par. 7. pag. 524. col. 1.

M

Magiſtratus debet ſpectare Prælatũ, quaſi cynoſurã eccleſiaſticam. par. 1. pag. 12. col. 2.
Magiſtratum, legem eſſe loquentẽ. par. 1. p. 7. col. 2.
Magiſtratus, & adiutores Dei ſunt, & ſecundæ cauſæ. par. 3. pag. 133. col. 1.
Magiſtratus inſtituti ſunt, ad populorum vtilitatem. par. 7. pag. 532. col. 1.
Magiſtratus, niſi exequantur, leges parùm proſunt. par. 1. pag. 7. col. 1.
Magiſtratus politicus Eccleſiaſtica ſeruit. par. 7. pag. 531. col. 1.
Magiſtratus pro meritis populi Deus dat. par. 1. pag. 6. col. 1.
Magiſtratus quomodo ſeſe gerant in conſultationibus. par. 7. pag. 533. col. 2.
Magiſtratuum æquitati, moderatio legum eſt permittenda. par. 1. pag. 7. col. 1.
Magiſtratuum duo præcipui ordines Bonon. par. 7. pag. 531. col. 1.
Magiſtratuum ope, niſi ſuſtentaretur populus, facilè rueret. par. 1. pag. 5. col. 2.
Magiſtratuum ſecularium vtilitates multæ. par. 1. pag. 7. col. 1.
Magiſtratibus normam Prælatus debet ſtatuere. par. 1. pag. 12. col. 2.
Magiſtri ſcholarum doctrinæ Chriſtianæ, quomodo accendant pueros ad virtutem. par. 2. pag. 25. colum. 1.
Magnanimus debet eſſe piger, & otioſus, quomodo intellexit Philaſophus par. 1. pag. 63. col. 1.
Magorum ſanctorum, & Monialium callatio. par. 7. pag. 579. col. 1.
Magorum tria munera, referunt tria vota Monialium. par. 7. pag. 580. col. 1.
Maiora minoribus eſſe anteponenda. par. 1. pag. 67. col. 1.
Maioribus rebus, quod dandum eſſet tempus, ne transferatur ad minora. par. 1. pag. 67. col. 1.
Mala oriuntur ex ſingulis defectibus. par. 1. pag. 32. col. 1.
Male nuptis prouidetur. par. 4. pag. 267. colum. 1. Vide Fœminæ.
Malitia potius, quàm imperitia homines pereunt. par. 1. pag. 49. col. 2.
Mandata Dei multiplicia, poſſunt dici vnum. pag. 7. pag. 589. col. 1.
Manus eſt organum organorum. par. 7. pag. 544. colum. 1.
Beata Maria Virgo actiuam, & contemplatiuam vitam perfectiſſimè eſt amplexata. par. 7. pag. 586. colum. 1.
Beata Maria Virgo dicitur aduocata noſtra à ſanctis Patribus. par. 7. pag. 569. col. 2.
Beata Maria Virgo docet aduocatas, quid ſequi, & cauere debeant. par. 7. pag. 569. col. 1.
Beata Maria Virgo quinquies tantùm loquuta fuiſſe legitur. par. 7. pag. 571. col. 2.
Beatæ Mariæ aduocatæ noſtræ figura, fuit Thecuites. par. 7. pag. 570. col. 2.
Mariæ Magdalenæ vita, breuiter explicata. par. 7. pag. 585. col. 1.
S. Martini interceſſione quidam liberatur à tremore membrorum. par. 6. pag. 461. col. 1.
Materia formam, quam accipit, retinet. par. 1. pag. 33. col. 1.
Materia prudentiæ ſunt ſingularia contingentia. par. 1. pag. 68. col. 1.
Materialis cauſæ qualitas in regendo. par. 1. pag. 29. col. 2.
Matrimonium cum timore Dei eſſe ineundum. par. 3. pag. 163. col. 2.
Matrimonium. Nonnulla animaduertenda à mulieribus circa matrimoniũ. par. 3. pag. 160. col. 2.
Matrimonium cur ſacramentum magnum dicitur. par. 3. pag. 167. col. 2.
Matrimonij abuſus repræhenduntur. par. 3. pag. 162. col. 1.
Matrimonij dignitas, & inſtitutio. par. 3. pag. 167. colum. 1.
Matrimonij quàm ſit arctum vinculum. par. 3. pag. 171. col. 1.
Matrimonij ritè cantrahendi cauſæ. par. 3. pag. 165. colum. 1.
Matrimonij ſacramentum tractatur. par. 3. pag. 155. Vide Inſtructio. Formula. Libellus. Monitiones.
Matrimonij tria bona. par. 7. pag. 506. col. 1.
S. Maurilij exemplum de pœna feſti violati. par. 6. pag. 461. col. 1.
Media ium ſine proportionem habere oportet. par. 1. pag. 9. col. 2.
Media eligit prudentia, vigilantia exequitur. par. 1. pag. 64. col. 1.
Media ſingularia omnia, nulla regula generali, &

ſeria

..certa appoſitè cōplecti poſſe. par.1.pag.46.col.1.
Mediatores dicuntur ſacerdotes.par.7.p.529.col.2.
Medicamentorum alia perfecta, alia imperfecta. par.1.pag.9.col. 2.
Medicamētorum mixturas damnauit Eraſiſtrophus. par.7.pag.548.col. 1.
Medicinæ laus. par.7.pag.587.col.1.
Medicinæ vſum damnans Anabaptiſtæ. par.7.pag. 542.col.2.
Medicinam exercentium Sanctorum exempla.par. 7.pag.548.col.2.
Medicinam laudant viri Sancti. parte 7.pag.548. colum. 2.
Medicina non ſunt vſi Romani, annos 600. part. 7. pag.548.col.1.
Medicina non vtebantur Babylonij, & Iberi.par.7. pag.548.col.1.
Medicina nunquàm vſa eſt Sancta Agatha.part.7. pag.547.col. 1.
Medicus appellatur Christus. par.7.pag.548.col.1.
Medici officium quod ſit. par.1.pag.35. colum.2.
Medici præcepta ſpernens, ſe interimit. parte 1.pag. 15.col. 1.
Medici ſpiritualis, & corporalis comparatio. part. 7. pag. 550. col. 1.
Medici quid animaduertere debent, circa cibos Quadrageſimales. par.6.pag.464.col.2.
Meditationem orationis S. Valerius Epiſcopus ſibi reſeruauit; multa alia Vincentio Diacono permiſit. part.1.pag.49. col. 2.
Medullatum holocauſtum quomodo offertur.part.7. pag.581.col.1.
Meliora quæ ſunt ex genere, prius amplectenda. part.1.pag.68. col. 1.
Meretricibus proſpicitur. Vide Concubinatus. par.4.pag.275.col.2.
Metamorphoſis voluntatis plurima ſunt. part. 1. pag.33. col.1.
Methodus Ioannis Polanchi, ad iuuandum morituros, Bononiæ editus.par.3.pag.174.col.2.
Microcoſmos dicitur homo.par.7.pag.544.col.1.
Miniſtri Dei exemplo omnibus eſſe debent.par.1.pagina 76.col.2.
Miniſtri Eccleſiæ legitimi, qui ſint habendi. part. 1. pag.17.col.1.& 2.
Miniſtros Dei deuotione anteſtare cæteris oportet, quanto anteſtant dignitate. part. 1. pagina 76 colum.2.
Miniſtros Dei tantum excellere oportet meritis, quantum gradu. par.1.pag.76.col.2.
Miracula de virtute Miſſæ pro defunctis ex Sancto Gregorio. par.3.pag.194. col. 2.
Miſeria hominis ex originali peccato manat. part.7. pag.558.col.2.
Miſeria hominis naſcentis. par. 7. pag. 558. col.1.
Miſericordia fuit, quod Deus homini per gratiam vires dedit ad gloriam æternam. par. 1.pag.41. colum. 2.
Miſericordiam Dei, & iuſtitiam liberatio hominis oſtendit. par.1.pag.41.col.1.
Miſericordiæ Congregatio Bononiæ erecta. part. 5. pag.426.col.2.
Miſſas frequenter celebrare debent Canonici. part. 4 pag.225.col.1. Vide Libri. Miracula.
Mixta vel compoſita vita, eſt præſtantiſſima. par.7. pag.575.col.1.
Mixtum vitæ genus, ſequuta eſt Beata Maria Virgo. part.7.pag.586.col.1.
Mixtum vitæ genus, ſequutus eſt Christus. part. 7. pag.536.col.1.
Mobilium bonorum Archiepiſcopalium cura.part. 6.pag.484.col. 2.
Modus confitendi impreſſus Bononiæ. par.4. pagina 537.col.1.
Modus facilis, & vtilis ad ſacros Codices legendos. par.5.pag.392.col.1.
Modus ſeruandus in oratione quadraginta horarum, Bononiæ impreſſus.par.6.pag.437.col.2.
Mollis, & diſſolutus in opere, diſſipat illud. parte 1.pag.81.col.1.
Monaſterium eſt imago Paradiſi. par.7.pag. 583. colum.1.
Monialis nihil proprium ſibi reſeruare debet.par.7. pag.581. col.2.
Moniales quid obſeruent, pro Iubilæo conſequendo. par. 4.pag.339.col.1. Vide Ratio.
Moniales. Decretum Concilij Prouincialis de eis. part.4.pag.258.col.1.
Monialium bona viſitantibus, quid animaduertendum.part.6.pag.480. col.1.
Monialium deputati circa bona temporalia, quid animaduertere debent. par.6.pag.478. col.2.
Monialium obedientia debet habere ſuas circunſtantias par.7.pag. 581.col.2.
Monitiones de Matrimonio. parte 5. pagina 162. colum.1.
Monitiones pro Concionatoribus apud ſanctimoniales, cum exemplo Sanctæ Catherinæ Senenſis: par.2.pag.49.col.1.
Monſtri genus eſt, melius alijs velle, quàm ſibi.part. 1.pag.77.col. 1.
Morbi cognitio anteire curationem debet.par.1.pagina 23.col. 1.
Morbi ex duplici fonte oriuntur. part. 7. pag. 545. colum.1.
Morbi olim diuini vocati ſunt. par.7.pag.545. colum.2.
Morborum cauſas, quandoque eſſe peccata. part. 7. pag.551.col.2.
Morborum multorum cauſa, eſt gula. par. 7. pagina 544.colum.2.
Mores regentis, quales eſſe debent. part. 1. pagina 48.col.1.
Morum diſciplina non generatim, ſed ſigillatim expoſcit tractari.par.1.pag.49.col.1.
Moralis, & meritoria bonitas actuum. part.1.pag. 28.col.1.
Moralium virtutum habitum, poſſe comparari induſtria par.1.pag.46.col.2.
Mors eſt de ratione Martyrij.par.7.pag. 523.col.1.

Mors,

Digitized by Google

Mors, quibus eſt timenda. par. 5. pag. 425. col. 1.
Mortem dolere non debemus. par. 3. pagina 129. colum. 2.
Mortuos qui lugent, quomodo excuſantur. par. 3. pagina 192. col. 1.
Moyſes cum Deo tractare ſolitus fuit. par. 1. pag. 49. colum. 2.
Moyſes ſcientia Aegyptiorum eruditus. par. 7. pag. 555. col. 2.
Moyſis recuſatio oneris, non eum defendit poſtea delinquentem. par. 1. pag. 36. col. 1.
Moyſi quod conſilium dedit Iethro. part. 1. pag. 54. colum. 1.
Moyſem, & prophetas, & ſacerdotes paſtoris munus habuiſſe. par. 1. pag. 16. col. 2.
Mulier eſt laqueus. par. 1. pag. 29. col. 2.
Mulier generoſa, eſt quaſi nauis inſtitoris. part. 1. pag 43. col. 1.
Multitudo omnis, eſt particeps vnitatis. part. 1. pag. 8. colum. 1.
Mundus principaliter regitur pontificia, & regali poteſtate. par. 1. pag. 12. col. 2.
Munera offerens, debet eſſe gratus. part. 7. pag. 582. col. 2.
Myſteria cur tremenda à Sanctis patribus appellentur. part. 1. pagina 25. col. 1.

N

NAſcentis hominis miſeria. part. 7. pag. 558. colum. 1.
Natura non excellebant Sancti alijs hominibus, ſed præſtantia voluntatis. par. 7. pag. 571. col. 1.
Natura ſola vbi deficit gratia Dei facit idoneos. par. 1. pag. 39. col. 1.
Naturæ, & gratiæ dona quomodo differunt. par. 7. pag. 511. col. 2.
Naturæ vires ſuperat finis hominis, ſaltem quoad modum agendi. par. 1. pag. 39. col. 1.
Naturam humanam indigere alterius gubernatione. par. 1. pag. 3. col. 2.
Naturam nouercam aliqui vocauerunt. par. 7. pagina 558. col. 1.
Naturaliter homo habet propenſionem ad virtutem part. 1. pag. 6. col. 1.
Naturaliter quodammodo anima rationalis, eſt capax gratiæ. par. 1. pag. 6. col. 1.
Naturalibus in bonis vulneratur homo, & gratuitis expoliatur. par. 1. pag. 39. col. 1.
Naucleri finis, eſt appellere ad portum. part. 1. pag. 45. col. 2.
Neceſſaria ad ſuum munus exequendum, Deus dat vnicuique. par. 1. pag. 38. col. 2.
Neceſſitas felix, quæ ad meliora compellit. part. 7. pag. 583. col. 2.
Neceſsitas ſpiritus Epiſcopalis. par. 1. pag. 80. col. 2.
Negatiua præcepta arctius cogunt, quàm affirmatiua. par. 7. pag. 566. col. 2.
Negotia communia, ſingularibus anteponenda. par. 1. pag. 67. col. 1.
Nemo debet diſtineri occupationibus, ad ſe vllo pacto non pertinentibus. par. 1. pag. 42. col. 1.
Nemo naſcitur beatus. par. 1. pag. 39. col. 1.
Nemo ſolus ſibi ſufficit. par. 1. pag. 4. col. 2.
Nemo ſua ſorte contentus. par. 7. pag. 586. col. 2.
Nicæno in Concilio Conſtantinus vltimo loco ſedit poſt Epiſcopos. par. 1. pag. 13. col. 1.
Nomen quod infanti imponendum. part. 3. pagina 86. col. 2.
Nominis Dei Societas, Bononiæ erecta. part. 1. pag. 78. col. 2. Vide Statuta. Indulgentia.
Nomina Dei, non ſunt ſynonima. par. 1. pag. 21. colum. 1.
Normam Magiſtratibus ſtatuere debet Prælatus. par. 1. pag. 12. col. 2.
Notarij fori Archiepiſcopalis partes. part. 5. pag. 439. col. 2.
Notarijs quædam præſcribuntur in Prouinciali Concilio. par. 4. pag. 269. col. 2. Vide Forma iuramenti.
Nouitas doctrinæ fugienda. par. 7. pag. 541. col. 1.
Nundinæ prohibitæ in feſtis per Bullam Pij Quinti. par. 6. pag. 458. col. 1. & 2. Vide Subſcriptio.
Nundinarum Bononiæ Catalogus. par. 6. pag. 457. colum. 1.

O

OBedientia monialium debet habere ſuas circunſtantias. pag. 581. col. 2.
Obedientia præcipitur, victima conſulitur. par. 2. pagina 67. col. 2.
Obedientiam eſſe meliorem, quàm victimam, quid ſignificet. par. 1. pag. 67. col. 2.
Odioſius eſſe non debet, qui offert munera, ſed gratus. par. 7. pag. 582. col. 2.
Oeconomiæ libri, & ſyngrapha. par. 6. pag. 485. col. 1. & 2.
Oeconomi. Bona Archiepiſcopalia ab eis curanda. par. 6. pag. 482. col. 1.
Oeconomi, diſpenſatores ſunt vocati. par. 1. pag. 74. colum. 1.
Oeconomi officium quouſque extenditur. par. 6. pag. 482. colum. 2.
Oeconomi quatuor Bononiæ. par. 1. pag. 30. col. 1.
Oeconomorum inſtitutum liberat Epiſcopum, ab omni ſuſpicione auaritiæ, & pecuniam male erogandi. par. 1. pag. 74. col. 1.
Oeconomorum inſtitutum vindicat Eccleſiam ab exactione Collectorum. par. 1. pag. 74. col. 1.
Oeconomorum officium. par. 1. pag. 44. col. 1.
Oeconomos debet habere Epiſcopus. par. 1. pag. 30. colum. 1.
Officium Vicarij foranei. par. 6. pag. 497. col. 2.
Officij ſubditorum ſumma eſt libenter parere. part. 1. pag. 17. col. 1.
Officiorum diuinorum decreta in Prouinciali Concilio. par. 4. pag. 224. col. 1.
Officia, & ſtudia vitæ, varia eſſe. part. 7. pag. 586. colum. 2.

Officia inter diuerſa, vnum præcellere neceſſe eſt. par.1.pag. 19.col. 1.
Officioſa verba, vulgari ſenſu quomodo copiuntur. par.1.pag. 54.col. 2.
Opus quodcunque tria debet habere. part. 7.pagina 528.col.2.
Opera, ad ſalutem eſſe neceßaria. part.7.pag. 584. col. 2.
Opera bona Saluator præcepit fieri in exemplum. par.1.pag.55. col. 1.
Opera, quæ beatum faciunt hominem, non indifferen-tia, ſed bona eſſe oportet. part. 1.pag.28.col.2.
Opera, quæ conceduntur in feſtis. par.6.pag.454.colum.2.
Operibus bonis præter modum infenſi ſunt hæretici. par.7.pag.584.col.2.
Oratio communis in Septuageſima inſtituta. part.4. pag.324.col.2.
Oratio indicta Bonon. peſtilentiæ periculo imminente. par.4.pag.425.col. 2.
Orationis commendatio par.1.pag.49.col.2.
Orationis communis maior eſt efficacia. part. 4. pag. 320.col.1.
Orationis meditationem ſibi reſeruauit Sanctus Valerius Fpiſcopus. par.1.pag.49.col.2.
Orationis præſidium adhiberi debet ab Epiſcopo, vt medium, non vt finis. par.1.pag.50.col.1.
Orationis pro defunctis efficacia. part. 3. pag. 194. colum.2.
Orationis veſpertinæ inſtitutio in communi, per Breue Greg. XIII. part.4.pag.319. col.1.
Orationem Saluator noſter ita colebat, vt alia neceſſaria non prætermitteret. par.1.pag.50.col.1.
Orationum quadraginta horarum libelli editi Bononiæ. par.4. pag.318.col.1. Vide Libellus.
Orationum ſanctarum Bononiæ inſtitutarum ſumma. par.4.pag.316. Vide Indulgentia.
Oratoriæ artis laus. par.7.pag.587. col.2.
Oratoris finis, eſt perſuadere. par. 1. pagina 45.colum.2.
Oratorium in Archiepiſcopali Palatio pro ſacris Reliquijs extructum. par.4.pag.304. col. 1.
Oratorij Bonon. exercitia. par.5.pag.391.col.1.
Oratorij Congregatio in metropolitana Bonon. inſtituta. par.5.pag. 383.
Oratorij viſitatio, quomodo facienda. part. 6. pagina 496. col.2.
Ordo colatur, rebus præeat. porte 1.pagina 68. colum. 1.
Ordo funeralium in diœceſi Bonon. part. 3. pagina 186. col. 1.
Ordo pro fraternitate Bonon. peregrinante Romam. par.4.pag.331.col.1.
Ordo pro maritandis pauperibus puellis. par. 5.pag. 407.col.2.
Ordo ſacer, eſt inſtar coniugij. par.7. pagina 506.colum. 1.
Ordo ſeruandus à Parochis in doctrina Chriſtiana edocenda. par. 1.pag.31.col. 1.
Ordo ſeruandus in diœceſi, cum adminiſtratur confirmationis Sacramentum. parte 3.pagino 100. colum. 1.
Ordo ſeruari ſolitus ab Illuſtriſsimo Cardinali Archiepiſcopo in Synodo diœceſana vnius, vel duorum, & aut trium dierum. part. 4. pag. 205. col.1.& pag. 210.col. 1. & pag.211.col.1.
Ordo ſeruatus in translatione ſanctarum Reliquiarum Vitalis, & Agricolæ. part. 4. pag. 280. colum. 1.
Ordo vniuerſitatis plus nitet ex varietate rerum. part.1. pag.4.col.2.
Ordinis character, facit eccleſiaſticos aptiores ad ſpiritualia. par.1.pag.10. col. 1.
Ordinis poteſtas, eſt præſtantior ex genere ſuo, poteſtate iuriſdictionis. part. 1. pag. 52. columna. 1. & 2.
Ordinis ſacramentum dicitur, quod ordine certo diſpenſetur. par.1.pag.17. col.2.
Ordinem vitæ peruertere non oportet. part. 7. pag. 587. col. 1.
Ordinationes. De ijs edictum. par. 3. pagina 142. colum. 1.
Ordines duo præcipui Magiſtratuum Bonon. par.7. pag. 531. col. 1.
Organum organorum, eſt manus. part.7. pag. 544. colum. 2.
Origenes fuit de ſchola Alexandrina. port. 7. pag. 538.colum.2.
Originale peccatum multipliciter inquinauit humanum genus vitijs, & miſerijs. part. 1. pag. 46. colum.1.
Originali ex peccato hominis miſeria manat. part.7. pag. 558.col.2.
Originali iuſtitia labefactata, calcitrarunt mens, & ſenſus. par.1.pag. 5.col. 1.
Otium eſt tacitum quoddam venenum. part. 5. pag. 57. col. 2.
Otium redarguitur. par.7.pag.507. col. 2.
Otioſi verbi ratio eſt reddenda. par.1. pag.66.col.1.

P

PAcis bonum reſpondet dono ſapientiæ. part. 7. pag. 534.col.1.
Pantenus fuit de ſchola Alexandrina. part. 7. pag. 538.col. 2.
Popæ conuenit cura onimarum, vt vniuerſali agenti, Epiſcopo autẽ, vt particulari. par.1.p.19.co.2.
Paphnutio Abbati tres artifices præpoſiti ſunt à Deo. par.2.pag.44.col.1.
Parabola de Zizanijs, non vigilantes paſtores arguit. part. 1.pag.62.col.1.
Parabola ouis perditæ, ſed recuperatæ. part. 1. pag. 61.colum.1.
Paradiſi imago, eſt monaſterium. par.7.p.583.co.1.
Parochus prædicationis officium non poteſt exercere, aut mandare tanquam actum propriæ ordinationis ſuæ. par.5.pag.20.col.1.
Parochus, quid ſuper obſeruatione Quadrageſimæ, animaduertere debet. par.6.pag.465. col.1.
Parochi, adiutores tantùm ſunt Epiſcoporum. part. 1. pag. 19. col. 2.

Digitized by Google

Parochi quo pacto debent edocere doctrinam chriſtianom. par.2.pag.31. col. 1. Vide Ordo.
Parochi quos libros habere debent . par.6.pag.497. colum. 1.
Parochorum inſtructio circa ſacramentum extremæ vnctionis. par. 3.pag. 174.col. 1.
Parochis animaduertenda in periculo peſtis. par.5. pag.427. col.2.
Parochis dantur communes literæ tempore viſitationis.par.6.pag. 489. col.1.
Parochis multa facere non licet.par. 1.pagina 20. colum. 1.
Paruulus multipliciter dicitur . par.7.pagina 567. colum.1.
Paſtorale officium ſemper fuiſſe adumbratum ab exordio mundi. par.1.pag.16.col. 1.
Paſtorales literæ in tranſlatione reliquiarum SS. Vitalis , & Agricolæ. par.4.pagina 276.colum.1. Vide Literæ.
Pater noſter, rectè pronunciari debet. par.2.pag.32. colum. 1. Vide Cautio.
Patresfamilias monentur pro vſu doctrinæ chriſtianæ. par.2.pag.28.col.1.
Patrum Sanctorum cohors laudantium humilitatem. par. 7. pag.569.col.2.
S. Paulus Græcorum poetarum teſtimonijs vtitur. par.7.pag.555.col.2.
Pauperes duodecim cibat , & eis inſeruit Illuſtriſsimus Archiepiſcopus . par.4.pag.300.col.2.
Pauperes. In eorum cauſis ,quid agendum . part.6. pag.443.col.1.
Pauperum Bononiæ triplex genus.part. 5.pag.419.
Pauperum querelæ quomodo mitigandæ. par.2.pagina 42.col. 1.
Peccatum originale multipliciter inquinauit humanum genus vitijs , & miſerijs . part. 1. pag. 46. colum. 1.
Peccati fomes manet poſt baptiſmum . part. 1 . pag. 31.col.2.
Pede vno , vel vtroque claudicare , idem eſt quoad fidem. par.7.pag. 566.col. 1.
Pede vtroque cognitionis , & dilectionis claudicant heretici. par.7.pag.566.col.1.
Pedes duo , quibus ad Deum accedimus , ſunt cognitio , & dilectio . par.7.pag.566.col.1.
Pedo aliquando mendum, ſæpius autem fiſtula.par. 1.pag. 26.col.2.
Peregrinorum ordinandorum Bononiæ literæ dimiſſoriales.par.3.pag.146.col.1.
Pericula,& labores arduis rebus ſe adiungunt.part. 1.pag.20.col.1.
Pericula,quæ improuiſo inceſſunt, exiſtunt grauiora , vt ait S.Gregorius.par.1.pag.38.col.2.
Perſeuerantia virtus inter duo extrema conſtituta eſt . par.1.pag.72.col. 2.
Perſeuerantiæ congregatio primum Bononiæ inſtituta.par.5.pag. 364.col.1. Vide Congregatio. Statutum.
Perſeuerantiam eſſe neruos victoriæ Chriſtianæ. part.1.pag.71.col.2.
Peſtilentia in periculo congregatio inſtituta. par.5. pag.420.col.1. Vide Congregatio.
S. Petronillæ exemplum. par.7.pag.547.col.1.
S. Petronius impetrauit à Theodoſio , quod Bononiæ fieret Academia.par.7.pag.542.col.2.
Philautia omnes inuoluit.part.7.pag.587.col.2.
S. Philaſtri exemplum de violatione feſtorum. par. 6.pag. 462.col.1.
Philoſophiæ laus. part. 7.pag.587.col.2.
Pictoris cuiuſdam dictum de altero pictore religioſo. par.1.pag.8[illegible].col. 2.
Piorum legatorum prouiſor deputatus Bononiæ. par.6.pag. 497.col.2.
Podagro curata inedia. par.7.pag.545.col.1.
Pœna aliquando manet poſt culpam dimiſſam.part. 4.pag.327.col. 2.
Pœnæ pecuniariæ,quibus locis aſſignari poſſunt. pa. 6.pag. 436.col.1.
Pœnis pecuniarijs,& mulctis prouidetur.par.4.pag. 270.col. 2.
Pœnitentia lapſis ita neceſſaria eſt,vt nondum regeneratis baptiſmus.par.7.pag. 566.col. 2.
Pœnitentiæ deſcriptio. par.7.pag. 567.col.1.
Pœnitentiæ dilatæ periculum.par.5.pag. 328.co. 2.
Pœnitentiæ efficacia. par.5.pag. 327.col.1.& 2.
Pœnitentiæ ſacramentum tractatur.par.3.pag.107. Vide Ritus.
Pœnitentiariorum Metropolitanæ Eccleſiæ Bononienſis partes.par.3.pag.113.col.2.
Politicus diſſimulat,& fert leuiora peccata. part.1. pag. 11.col.1.
Politicus eccleſiaſtico ſeruit.par.1.pag.11. col.1.
Politicus eſt vt ſubminiſtrans,eccleſiaſticus vt dirigens.par.1.pag. 11.col. 1.
Politicus nihil aliud exequi debet,quàm vt populus ſit aptus ad ſuſcipiendam formam quam Eccleſiaſticus præſtituit ad vitam æternam,part.1.pag. 12.col.1.
Politicus ornare populum bonis moribus ſtudet in finem practicum, quæ eſt felicitas politica.par.1. pag.11.col.2.
Pontificia , & Regali poteſtate principaliter mundus regitur.par.1.pag.12.col. 2.
Populus facile rueret,niſi Magiſtratuum ope ſuſtentaretur.par.1.pag.5.col.2.
Populus in veteri lege in duos ordines fuit diſtributus,officiorum ciuilium,& religioſorum. part. 1. pag. 17. col.1.
Populi ſubiectio ſub Prælatis, habet multas vtilitates.par.1.pag.6.col. 1.
Populi aliqui magis victus neceſsitate, quàm diuini verbi inopia laborant.par.1.pag.49.col.2.
Poſſe dicimur nos id,quod per alios poſſumus . part. 1.pag. 39. col. 2.
Potentiæ appetitiuæ obiectum,eſt bonum.par.1.pag. 49.col.1.
Poteſtas duplex eſt; temporalis , & ſpiritualis.par. 1. pag. 10. col. 1.
Poteſtas excellentiæ in Chriſto . part. 1. pag. 17. columna 2.

Poteſtas

Digitized by Google

Poteſtas iuriſdictionis eſt magis neceſſaria populis. par. 1. pag. 52. col. 2.

Poteſtas iuriſdictionis eſt periculoſior. part. 1. pag. 52. col. 2.

Poteſtas ſecularis eſt ſubminiſtrans Eccleſiaſticæ. par. 1. pag. 11. col. 1.

Poteſtatem ſecularem non ſufficere chriſtiano populo, ad ſuum finem aſſequendum. par. 1. pag. 9. co. 1.

Præbenda theologalis, & pœnitentiaria eſt inſtituenda. par. 1. pag. 53. col. 1.

Præceptum de feſtorum denunciatione. par. 6. pag. 456. col. 2.

Præcepta negantis, arctius cogunt. par. 7. pag. 566. colum. 2.

Præceptorum diuinorum obſeruationis medium, in duas partes diuiditur; declinare à malo, & facere bonum. par. 1. pag. 46. col. 1.

Prædicatio verbi Dei quomodo tractanda. part. 2. pag. 33. col. 2. Vide Formulæ, vide Inſtructio.

Prædicatio: In prædicatione verbi Dei triplex difficultas verſari ſolet, intellectus, ſermonis, & auditoris. par. 1. pag. 20. col. 1.

Prædicationes in Septuageſima fiunt Bononiæ. part. 4. pag. 326. col. 1. & 2.

Prædicatoris Monialium licentia. par. 6. pag. 475. colum. 1. Vide Formulæ licentiarum.

Prædiorum Archiepiſcopalium locatio quomodo fiat. par. 6. pagina 483. colum. 2. Vide Locatio.

Præfecti cæremoniarum admonentur de quibuſdam. par. 5. pag. 394. col. 1. Vide Inſtructio.

Præfecti familiæ Archiepiſcopalis munus. part. 6. pag. 487. col. 2.

Pragmatica funeralium Bononiæ edita, part. 3. pag. pag. 180. col. 2.

Precarij tantum ſucceſſores ſumus rerum, quibus hic fruimur. par. 1. pag. 76. col. 1.

Preces dicendæ in proceſſione pro Iubilæo. par. 4. pagina 342. col. 1.

Preces dicendæ in proceſſione Synodali diœceſana. par. 4. pag. 204. col. 2. Vide Libellus.

Presbyteri, Angeli, & Dij vocantur. part. 1. pag. 18. col. 2.

Presbyteri omnes ſunt pares poteſtate conſecrandi, & offerendi Euchariſtiam. par. 1. pag. 18. col. 2.

Presbyterium cum choro ædificatum. part. 6. pag. 482. col. 2.

Primogeniti gerebant officium ſacerdotum. part. 1. pag. 14. col. 1.

Primogeniti prærogatiua portionis duplicatæ fruebantur par. 1. pag. 14. col. 1.

Princeps cenſetur virtute cæteris anteire. part. 4. pag. 8. col. 2.

Princeps potentiarum eſt ratio vna. part. 1. pag. 8. colum. 1.

Princeps vnus ſi bonus eſt, multorum etiam conſilio vtitur. par. 1. pag. 8. col. 1.

Principis temporalis gubernatio, vt ſic, non dirigitur ad finem cæleſtem. par. 1. pag. 9. col. 2.

Principia ſunt, vnde concluſiones proficiſcuntur. par. 1. pag. 42. col. 1.

Proceſsio in tranſlatione plurimarum ſanctarum Reliquiarum. par. 4. pag. 305. col. 2. Vide Edictum.

Proceſsio pro Iubilæo quomodo fiat. par. 4. pag. 342. col. 2. Vide Indictio. Iubilæus. Preces.

Proceſsionis anni Iubilæi ordo, depictus in atrio Metropolitanæ Eccleſiæ Bononiæ. part. 4. pag. 344.

Procuratorum vrbanorum, & ruralium Archiepiſcopi officium. par. 6. pag. 486. col. 2.

Procuratoribus decernuntur quædam in Concilio Prouinciali. par. 4. pag. 269. col. 2.

Progreſſum non faciens in via domini, regreditur. par. 1. pag. 72. col. 2.

Promiſsio affirmatiua, refertur ad congruum tempus. part. 1. pag. 70. col. 1.

Prophetæ ſequuti ſunt vitæ mixtæ genus. part. 7. pag. 586. col. 1.

Protoplaſti culpa, quæ mala intulit. par. 1. pag. 5. colum. 2.

Prouerbia, & vulgaria dicta.

Accipi plena manu. par. 1. pag. 54. col. 1.

Alius ſapere. ſibi ipſi deſipere. par. 1. pag. 73. colum. 1.

A pelle animalis mortui, patrimonij vires pendere. par. 7. pag. 575. col. 2.

Aurum ſe putantes tenere, carbones eſſe deprehendunt. par. 1. pag. 66. col. 2.

Cauſas libenter captat, qui vult diſcedere ab amico. par. 1. pag. 37. col. 2.

Duplum, quam alij vident, qui literas didicerunt. part. 1. pag. 49. col. 2.

Inter Scyllam, & Charybdim par. 1. pag. 32. col. 1

Medicina ſumma eſt, non vti medicina. part. 7. pag. 548. col. 1.

Oculus Domini impinguat equum. part. 1. pag. 53. col. 2.

Patere legem, quã ipſe tuleris. par. 1. pa. 25. co. 2.

Plures occidit gula, quàm gladius. part. 7. pag. 544. col. 2.

Plus vident oculi, quàm oculus. par. 4. pag. 6. co. 2.

Quod caret alterna requie, durabile non eſt. par. 1. pag. 72. col. 2.

Sapientia in exitu canitur. par. 1. pag. 76. col. 1.

Sponte currentibus calcaria addere. part. 7. pag. 562. col. 2.

Suum cuique pulchrum. par. 7. pag. 187. col. 2.

Prouidentia Dei omnia complectitur. part. 1. pag. 3. col. 2.

Prouidentia Dei varios vitæ ſtatus hominibus aſſignauit, ad æternam ſalutem conſequendam. part. 1. pag. 41. col. 2.

Prouinciale Concilium Bononienſe primum. par. 4. pag. 217.

Prouincialis Concilij capita conſtitutionum. part. 4. pag. 218. col. 1. & 2.

Digitized by Google

Prouincialis Concilij conſtitutiones circa ſidem. par. 4.pag.219.col.1.

Prouincialis Synodus ſutura Bononienſis indicatur. par.4.pag.234.col.1. Vide Synodus. Concilium.

Prouiſio contra nundinas in feſtis. par.6.pag.457. colum. 1.

Proximum quænam actiones reſpiciunt.part.1.pag. 55.col. 2.

Prudentia,agenda præcipuè reſpicit, quatenus veri ſatis rationem continent. part. 1. pag. 49. colum. 1.

Prudentia dirigit intellectum practicum, vt ſubeſt appetitui recto. par.1.pag.49. col.1.

Prudentia eligit media, vigilantia exequitur. par. 1.pag.64.col.1.

Prudentia eſt generalis, & vniuerſalis virtus. par. 1.pag.64.col. 1.

Prudentia non conſiderat præcipue agenda, vt rationem boni habent. par.1.pag.49.col.1.

Prudentia non ducit appetendi vim per fines bonarum artium. par.1.pag.49.col.1.

Prudentia non ſufficit,ad exequendum omnia. part. 1.pag.49. col.1.

Prudentiæ materia,ſunt contingentia ſingularia.parte 1.pag.68. col. 1.

Prudentiæ partes. par.1.pag.49.col.1.

Prudentiam cum reſpiciat ſolicitudo,debet eſſe cum ratione coniuncta. par.1.pag.62.col.2.

Puellarum in monaſterio educandarum decreta in Concilio Prouinciali Bononiæ. par. 4. pag. 266. colum. 2.

Puerorum virtutes. par.7.pag.568.col.1.

Purgatorij pœnas eſſe graues. par.4. pag.323.columna 1.

Q

QVadrageſimalis ieiunij edictum. part. 6. pag. 463.col. 1. Vide Formulæ.

Quadrageſimalibus ſuper cibis deputatis, quid animaduertant circa licentias. part. 6. pag. 464. colum.1.

Quadrageſimalibus ſuper cibis, quid Medicis animaduertendum. par.6.pag.464. col. 2.

Quadraginta horarum oratio de die tantùm. part.6. pag.464.col.1.

Quarteria,ſeù regiones quatuor Ciuitatis Bononiæ. par.3.pag.96. col. 1.

Querelæ pauperum quomodo mitigandæ. part. 2. pag.42.col.1.

Quinquaginta viri appellantur Senatores Bononiæ. part.7.pag.531.col.2.

Quinquies tantùm loquuta legitur Beata Virgo.par. 7.pag.571.col. 2.

R

RAtio adhibita in eleemoſina collecta pro Anglis. par.5.pag.407.col. 1.

Ratio ſeruanda à Monialibus pro Sancto Iubilæo. par. 4.pag.339.col.1.

Rationes ad mitigandum querelas pauperum. par.2. pag.42. col.1.

Ratiocinatoris officium. par.6.pag.487.col.2.

Recreatione Epiſcopis non aliter vtendum, quàm ad corporis vires meliores acquirendas. par.1.pag. 66.col.2.

Reditus epiſcopales, officij bene gerendi cauſa aſſignatos fuiſſe. par.1.pag.43.col.1.

Reformatio abuſuum, qui orti ſunt in funeralibus poſt pragmaticam. par.3.pag.184.col.2.

Reformatio pro cauſis ſacri officij Inquiſitionis.par.2. pag. 71.col. 2.

Reges multis oculis vident, & multis auribus audiunt. par. 1.pag. 8.

Regiones quatuor Bononiæ, ſeu quarteria. par. 3. pag. 96.col.1.

Regulæ adminiſtrandi hoſpitalia in diœc. Bononiæ par. 5. pag. 399. col. 1.

Regulæ clericorum Metropolitanæ Eccleſiæ Bonon. par. 5. pag. 362. col. 1.

Regulæ conuictorum Seminarij. parte 5. pag. 360. colum. 1.

Regulæ generales de foro Archiepiſcopali Bononiæ. par. 6.pag.431.col.1.

Regulæ ſocietatis Corporis Chriſti. par.3. pag. 126. colum. 1.

Regularum Oeconomiæ Archiep.menſæ ſumma.par. 6. pag. 485.col. 1.

Rei cuique ſuum tempus eſt. par. 1. pag.70. col.2.

Relatiuæ actiones, ab vno fieri non poſſunt. par. 1. pag.23. col. 2.

Religio eſt virtus homini propria. part. 3. pag. 157. colum. 2.

Reliquiæ Sanctorum. par. 4. pagin. 229. colum.1. Vide Cultus. Exemplum. Index. Libellus. Literæ. Ordo. Translatio.

Remedia contra peccata. parte 4. pagina 337.col.1. Vide Libellus.

Rempublicam duobus maximè collabi:Venere,& cupiditate. par.7.pag.532.col.2.

Renouatio hominis quomodo fiat. parte 3.pag. 94. colum. 2.

Reſeruatio caſuum. par. 3.pag.cx1. colum.2. Vide Caſus.

Reſidens in quibus poteſt delinquere. par. 1. pag. 53. colum. 1.

Reſidentia corporalis actionibus vacua reprobatur. par. 1. pag. 53. col.1.

Reſidentia eſt tanquàm baſis adminiſtrationis paſtoralis. par. 1.pag. 53.col.1.

Reſidentia non eſt præcipuum officium, & ſumma totius rei. par. 1.pag. 53.col.1.

Reſidentiæ neceſſitas. par.1. pag.53. col.1.

Reſidentiam non faciens ſine præſcriptis à Sancto Concilio cauſis,ſponſum eccleſiæ ſe non eſſe oſtendit. par. 1.pag.53.col.1.

Reſponſio generis non ſatisfacit, vbi de ſpecie agitur. par.1.pag.64.col.1.

Ritus

Ritus abſoluendi pœnitentem. par.3.pagina 113.colum. 1.
Ritus adhibendus in adminiſtranda extrema vnctione. part. 3. pagina.177.col. 2.
Ritus adminiſtrandi ſacramentum Baptiſmi. part.3. pag.90.col.1.
Ritus adminiſtrandi ſanctam Eucharistiam in Eccleſia. part. 3. pag.126. col. 1.
Romani, 600. annos non ſunt vſi medicina. part. 7. pag.548.col.1.
Roſarium . part.4.pag. 337. colum. 2. Vide Inſtructio.
Ruſticorum vitæ commendatio . par.2. pag. 43.colum.2.
Ruſticorum vitæ exempla ad eius commendationem.par.2.pag.45. colum.2.

S

SAcellani Canonicorum Eccleſiæ Metropolit.Bonon.officium.par.7. pag.575.col.1.
Sacelli extructi in Metropolit. Eccleſia deſcriptio . par.4.pag.304.col.1.& 2.
Sacerdotes debent ſanctitate alijs antecellere. par.7. pag.530. col. 2.
Sacerdotes dicuntur mediatores . par. 7. pag. 529. colum. 2.
Sacerdotes habent poteſtatem iudicandi de Imperatore.par.1.pag.13. colum.1.
Sacerdotes non poſſunt ab hominibus iudicari. part. 1.pag.13. colum.1.
Sacerdotes quomodo ſint omnes chriſtiani. par.7.pagina 527.colum. 1.
Sacerdotis munus. par.7.pagina.525. col.2.
Sacerdotis munera non ſunt conceſſa Angelis. part. 1. pag.22.col. 2.
Sacerdotum officium gerebant primogeniti in lege naturæ. part.1.pag.14.col.1.
Sacerdotibus cur ſint bona Eccleſiaſtica relicta.par. 7.pag. 529.col.2.
Sacerdotium eſt caput , & finis omnium ordinum. par.1. pag.18. col.1.
Sacramentum ordinis dicitur , quod ordine certo diſpenſetur.par.1 pag.17. col.2.
Sacramenta magna quæ appellantur. par.3. pagina 167.col. 2.
Sacramenta omnia à Chriſto inſtituta , & quando . par.3.pag.169. col. 1.
Sacramenta ſunt remedia calamitatum. part.5.pag. 424. col. 1.
Sacrificij oblatio,eſt de iure naturæ.par.7.pag.526. colum. 1.
Sacrificia quadam ſemper fuiſſe per fidem mediatoris expiantia peccatum.par. 1 .pag.16.col.1.
Sacrificiorum tria genera.par.7.pag. 526. col.2.
Salomonis tres domus.par.4.pag.151.col. 2.
Saluiani epiſcopi Maſſilienſis laus. par. 1.pag.71. col. 2.
Samuel quid ſignificauerit dicens,melior eſt obedientis,quàm victima. par.1.pag.67.col. 2.
Sancti . Decreta Prouincialis Concilij de eorum veneratione , inuocatione , & reliquijs.par.4.pag. 228.& 29.
Sancti excellebant alijs hominibus præſtantia voluntatis , non naturæ . parte 7. pagina 571. colum. 1.
Sancti viri laudant medicinam . parte 7. pag. 548. colum. 2.
Sanctorum , & beatorum , qui fuerunt ciues , aut Epiſcopi Bononiæ catalogus. par.7.pag.595.
Sanctorum exempla , qui exercuerunt medicinam . par. 7. pag. 548.col.2.
Sanctorum exempla quærentium Reliquias ſanctas. par. 4. pag. 290.col. 1.
Sanctos qui laudant , Chriſtum laudant in ipſis . par. 7. pag. 570. col. 2.
Sanctimonialium concionatorum monitiones.par.2. pag. 49.col. 1.
Sanctimoniales reformandi congregatio.par.6.pag. 474.
Sapiens , & inſipiens maximè differunt fine. par.1 . pag.43. col.2.
Sapientia duplex eſt : vera , & falsa. par. 7. pag. 534. col. 2.
Sapientia duplex: Gentilium , & Chriſtianorum . par. 7. pag. 560. col.2.
Sapientia Gentilium diſcrepat à Chriſtiana principio , medio , & fine . parte 7. pagina 560. colum. 2.
Sarræ , & Thobiæ exemplum. par. 3. pag. 171. colum. 2.
Saulis excuſatio ,ipſi non profuit , par. 1. pag. 36. col. 1.
Schola Alexandrina celebris.parte 7. pagina. 538. colum. 2.
Schola clericorum metropolitanæ Eccleſiæ Bononienſis. par. 5. pag. 362.
Scholæ doctrinæ Chriſtianæ quomodo commendari ſolent. par.2. pag.29.col.2. Vide Doctrina. Magiſter .
Scholarum, & Gymnaſiorum inſtitutio. par.7.pag. 520. col. 1.
Sciendi varius eſt ſcopus , & finis. par. 7.pag.556. colum. 2.
Scientia facti , & iuris. parte 7. pagina 559. colum. 1.
Scientia naturaliter ſuauis homini.par.7 pag.537. colum. 1.
Scientiæ abuſus nocet. parte 7.pagina 555. columna ſecunda .
Scientiæ vanitate hæretici ducti . par.7. pag. 537. colum. 2.
Scientiam Aegiptiorum Moyſes habuit.par.7.pag. 555. colum. 2.
Scotis in Archiepiſcopalibus ædibus prouiſa eſt hoſpitalitas. par.6.pag.486. col.2.
Scrutinium in Synodo Diœceſana. par. quarta. pagina 213.
Scrutinium quomodo faciendum. par.4. pag.252. colum. 2.

Digitized by Google

Scrutinij Synodalis inſtructio pro præfectis. part. 4. pag. 217. col. 1.
Secundis cauſis cur Deus voluit gubernare mundum. par. 1. pag. 6. col. 1.
Seminarij collegium conuictorum Bononiæ inſtitutum par. 5. pag. 358.
Seminarij decreta in Prouinciali Concilio. part. 4. pag. 255. col. 1.
Seminarij fabrica curanda. parte 6. pagina 483. colum. 2.
Seminarij Bononiæ regulæ. part. 5. pagina 348. colum. 1.
Senatores Bonon. appellantur quinquaginta viri. par. 7. pag. 531. col. 2.
Senatus Eccleſiæ ſunt Canonici. parte 7. pag. 513. colum. 1.
Senſus diſciplinæ vocatur auditus. par. 3. pag. 157. colum. 2.
Senſus exteriores, non interiores habent nonnulla animalia perfectiores homine. part. 7. pag. 544. colum. 1.
Septuageſimæ tempore prædicationes fiunt Bononiæ. par. 4. pag. 326. col. 1. & 2.
Septuageſimæ temporis ritus, eiuſque ratio. part. 4. pag. 324. col. 2.
Sermo cur homini datus ſit. parte 1. pagina 4. colum. 2.
Sermo ad aduocatos, & patronos cauſarum part. 7. pag. 569.
Sermo ad Canonicos, & Capitulum Metropolitanæ Eccleſiæ. par. 7. pag. 508.
Sermo ad Clerum vniuerſum Bonon. part. 7. pagina 502.
Sermo ad diſceptantes litibus in iudicio. part. 7. pagina 574.
Sermo ad diuerſorum ordinum ſtatus ſimul collectos. par. 7. pag. 584.
Sermo ad Doctores, & publicos Gymnaſii lectores. par. 7. pag. 536.
Sermo ad generalem congregationem Archipresbyterorum diœceſis Bononiæ. parte 7. pagina 516.
Sermo ad Medicæ artis profeſſores. par. 7. pag. 542.
Sermo ad Moniales triplici voto obſtrictas. part. 7. pag. 579.
Sermo ad Optimates, & Primarios Vrbis Bononiæ viros. part. 7. pag. 563.
Sermo ad Parochos Ciuitatis Bononiæ. par. 7. pagina 522.
Sermo ad Præsbyteros non curatos de Sacro Miſſæ celebrando. par. 7. pag. 525.
Sermo ad ſcholares Academiæ Bononiæ. par. 7. pagina 551.
Sermo ad Senatores, & Magiſtratus, qui adminiſtrant Rempublicam. parte 7. pagina 531.
Sermo ad ſocietatem ſtudioſorum perſeuerantiæ. parte 7. pag. 557.
Sermo de Reliquijs translatis è Mediolano. part. 4. pag. 287. col. 1.
Sermo de Sacramento Baptiſmi. parte 2. pagin. 92. col. 2.
Sermo de Sacramento Confirmationis. par. 3 pagina 101. col. 2.
Sermo de Sacramento Euchariſtiæ. part. 3. pag. 137. colum. 1.
Sermo de Sacramento Ordinis. part. 3. pagina 151. colum. 1.
Sermo de Sacramento Pœnitentiæ. part. 3. pagina 118. col. 2.
Sermo in feſto Sanctiſsimæ Trinitatis. part. 4. pag. 283. col. 2.
Sermo Pontificalis in die S. Petri. part. 2. pag. 58. colum. 1.
Sermo Pontificalis in die S. Petronij. part. 2. pag. 64. col. 2.
Sermonum funeralium libellus. parte 3. pagina 191.
Serpentem propè dormire, nulla eſt ſecuritas. par. 1. pag. 27. col. 1.
Sigonij laus. par. 7. pag. 590.
Sigonij liber de Epiſcopis Bonon. part. 4. pag. 294. colum. 1.
S. Simeonis Stylitæ corpus Antiochiæ pro muro habitum. par. 4 pag. 290. col. 1.

Similitudo ducta.

Ab ægro obediente, vel non obediente medico. par. 1. pag. 15. col. 1.
Ab Aethiope, ex Aethiope nato. part. 1. pag. 5. col. 2.
Ab agricola qui agrum ſterilem excolere vult. par. 7 pag. 565. col. 1.
Ab agricola poſt fructus laborum perceptos tandem exultante. par. 1. pag. 70. col. 2.
Ab alas non habente, & volare nitente. part. 1. pag. 36. col. 2.
Ab ambulante in pendulo par. 1. pag. 23. col. 2.
Ab ape decerpente à floribus fauum, & mel. par. 7. pag. 555. col. 2.
Ab aqua viua par. 7. pag. 554. col. 1.
Ab arbore Syluestri inſita. par. 1. pag. 80. col. 2.
Ab arcu, qui non ſemper ſuſtinetur contentus. par. 1. pag. 70. col. 2.
Ab armamentis Principum. part. 1. pag. 75. colum. 1.
Ab artifice merces ſuas laudante. part. 7. pag. 587. col. 1.
Ab aſpiciente amplum mare. part. 1. pagina 20. col. 2.
Ab aula Principum. par. 7. pag. 563. col. 1.
A circumſpiciente è vertice montis. part. 1. pag. 65. col. 1.
A coniugio corporeo prolem propagante part. 1. pag. 7. colum. 1.
A corporis varijs officijs par. 1. pag 18. col. 1.
A diſtinguente gemmas in theſauro regio. par. 1. pag. 47. col. 2.

A Duce

A Duce caſtrum expugnante.par.7.pag. 537.colum. 1.
A Duce imperante artibus inferioribus . part.1. pag.12.col.1.
A Duce non benè arcem propugnante.par.1.pagina 34.col. 1.
Ab exercitu ſine Duce.par.7.pag.577.col.2.
A ferro ignito.par.1.pag.39.col.1.& 2.
A fidibus canente.par.1.pag.63.col.2.
A fructu non ſine flore apparente. par.7.pagina 555.col. 1.
A gubernante nauem . par.1.pag.11.col.1.
Ab harmonia.par.7.pag.589.col.1.
Ab homine, & ſole concurrentibus ad generationem.par.1.pag.19. col.2.
Ab Horologio.par.1.pag.23.col.1.
Ab igne corpora frigida calefaciente . part.1.pagina 47.col. 1.
Ab igne,qui ſuffocatur in ligno viridi.par.7.pagina 544.col.2.
Ab ingredientibus iter arduum.par.7.pag.553. colum.1.
A lembo remiſſa manu ſtatim retro labente.par. 1.pag.59.col.1.& 2.
A literis,quæ ſunt media ad philoſophiam . part. 1.pag.11.col.1.
A medicamentis perfectis , & imperfectis.part. 1.pag.9. col.2.
A medicina , quæ ex ſua natura nullam affert vtilitatem.par.7.pag. 541.col.1.
A medico temperante medicinam , & aſſiſtente ægroto.par.1.pag.15.col.1.
A membris luxatis.par.7.pag.506. col.1.
A mercatore permutante vilia pretioſis. part. 7. pag.578.col.1.
A mercatore poſt labores quieſcente.part.1.pag. 70.col. 2.
A milite ignauo.par.1.par.43.col.1.
A morbo diuturno. par.1.pag.71.col.1.
A naufragis , qui dum merguntur aquis , tabulam comprehendunt . part. 1. pagina 35. columna 2.
Ab oculo in capite poſito . parte 1. pagina 58. colum. 1.
Ab Oeconomo Regiæ domus . par. 1. pagina 28. colum. 2.
Ab opifice cognoſcente inſtrumenta artis ſuæ . par.1.pag.47.col. 2.
A pædagogo diſcipulos examinante. part.1.pag. 59.colum. 2.
A Palatio Principis.par.1.pag.74.col.2.
A parante res ad fabricam, vel militiam , ſed iis non vtente.par.7.pag.560.col.1.
A patre cupiente augeri virtutes filiorum.part. 1.pag.72.col.1.
A patrefamilias in leuioribus rebus operam ſuam conterente.par.1.pag.67.col.2.
A pictore, & ſtatuario. par.1.pag.31. col.2.
A pyratis adorientibus naues onuſtas . part. 1. pag.72.colum.1.
A reſpiciente cynoſuram,ſeu pixidem marinam par.1.pag.61.col.2.
A rore.par.1.pag.47.col.1.
A ſaltante , & canente ad ſonum citharæ.par.7. pag.561.col.2.
A ſerra ad ſecandum idonea.par.7.pagina 544. colum.1.
A ſtatuario inepto.par.1.pag.26.col.2.
A theriaca , quæ ex vipera conficitur. par.7.pagina 540.col.1.
A theſauro abſcondito . parte 7.pagina 587.colum.2.
A trophæo erigi ſolito,ob partam victoriam.part. 7.pag.541. col.2.
A turre tamquam ſpecula in vrbe. part.1. pag. pag.58.col.1.
A varietate morborum . parte 1. pagina 46.columna 1.
A vaſe , quo hauritur aqua . parte 7. pag. 571. colum.1.
A veneno pauxillo vas magnum corrumpente . part.1.pag.21.col. 2.
A venis diſpenſantibus alimenta corpori.part. 1. pag.19.col.1.
A vento cæcia , qui ad ſe nubes contrahit,& aliis cœli partibus ſerenitatem parit.par.1.pag.43. colum. 1.
A victore pacem perpetuam retinente . part. 1. pag.71.col.2.
A vinea torrente , aut grandine afflicta. part.1. pag.36.col.2.

Socialis vita multos diu continere non poſſet, niſi aliquis omnibus præſideret . part.1.pag.5.col.1.
Societatis Corporis Chriſti erectio. par.3. pag. 125. col.1. Vide Summarium.
Societate gaudet homo ob quatuor cauſas.part.1.pagina. 4.col.1.
Sodalitatis S. Nominis Dei ſtatuta.part.2. pag.78. colum. 1.
Solicitudo quamuis agitet mentem , quia ad finem charitatis dirigitur, eſt laudanda. par.1.pag.63. columna 1.
Solitudo Africæ , Ponti , & Alpium. part.1.pag. 58.col. 2.
Species omnes morborum non ſunt cognitæ. part. 7. pag.542.col.1.
Spiritus Epiſcopalis niſi adſit , nunquam veros Epiſcopales fructus poſſe expectari . parte.1. pagina 80.col. 2.
Spiritus Epiſcopalis quid ſit. parte 1. pagina 89. colum. 2.
Spiritus Epiſcopalis neceſſitas. parte 1, pagina 80. colum.2.
Spiritus Epiſcopalis vtilitas , & commendatio. part. 1. pag.80. col.2.
Spiritus internus, eſt velut omnia , & vera forma Epiſcopalis.par.1.pag.81. col.2.
Spiritus internus, & ardens conatus, ſuauiores reddit labores.par.1.pag.82.col.1.

Spiritus internus facit onus exonerans.part.1.pag. 81.colum.1.
Spiritus Sanctus conanti ſedulo ſemper opitulatur. par.1.pag.82.col.2.
Spiritus Sancti vnctio ſuffragatur Eccleſiæ in vniuerſum, non autem ſingulis ſeorſum. part.1.pag. 70.colum.1.
Spirituales hoſtias, ſimpliciter loquendo, meliores eſſe corporeis.par.7.pag.528.col.1.
Statuta Congregationis perſeuerantiæ ſcripta à Carlo Sigonio. par.6.pag. 364. col.1.
Statuta ſodalitatis Sanctiſsimi nominis Dei erectæ Bonon.par.2.pag.28. col.1.
Studia, & officia vitæ, varia eſſe.part.7.pag. 586. colum.2.
Subditorum officij ſumma eſt parere libenter.par.1. pag.17.colum.1.
Subſtantijs ex duabus eſt homo compoſitus. part. 1. pag.9.col.2.
S. Sulpitij Bituricenſis exemplum violationis feſtorum caſtigatæ. part.6.pag.461.col.1.
Summa præcipuarum rerum fori Archiepiſcopalis. par.6 pag.430.
Summa prouiſionum pro fabricerijs laicis Eccleſiæ Bonon. par 6.pag.472.col.1.
Summa regularum Societatis Corporis Chriſti erectæ Bononiæ.par.3 pag.126.col.1.
Summarium Bullæ in Cœna Domini anno 1593. par.3.pag.110.col.2.
Summarium conſtitutionum Apoſtolicarum circa Iudæos. par. 2.pag.75.col.1.
Summarium Pauli III. de erectione Societatis Corporis Chriſti. par.3.pag.125.col. 1.
Summarium regularum Congregationis Catechumeni. par.5.pag.413.col.1.
Summarium regularum Oeconomiæ Archiepiſcopalis Menſæ. par.6.pag.481.col.1.
Summarium rerum in viſitatione fieri ſolitarum.parte 6.pag.489.col.1.
Summarium rerum pertinentium ad miniſtros viſitationis. par.6.pag.492.col.2.
Summarium rerum. quæ ad Eccleſias, earum cultum, atque ornamenta pertinent. part. 4. pagina 200.
Summarium ſtatutorum congregationis infirmariorum. par.5.pag.419. col. 1.
Superſtitiones circa funera in diœceſi ſublatæ.par.3. pag.190.col.2.
Superſtitiones ruſticorum damnantur.par.2.pagina 39.colum.2.
Syndici Menſæ Archiepiſcopalis munus.par.6.pag. 487. col. 1.
Syngrapha, & libri Oeconomiæ. part.6.pag. 485. col.1.& 2.
Synodus diœceſana. Edictum pro eius celebratione. par.4.pag.203.col.2.
Synodus Diœceſana de quibus tractare debet. par.4. pag.237. col.1.
Synodi Diœceſanæ ordo ponitur. parte 4. pagina 202.
Synodi Diœceſanæ vnius diei forma. part. 4. pagina 206. col.1.
Synodi duorum dierum ordo parte 4. pag. 210. colum.1.
Synodi trium dierum norma. par. 4.pag.211.co.1; Vide Acclamationes.

T

TActum habet homo præſtantiorem cæteris animantibus. par.7.pag 544.col. 1.
Taxa mercedis Caballerij, & executorum, & cuſtodis carcerum.par.6.pag.451. col.1.
Taxa mercedis fori Eccleſ. Bonon. in ciuilibus. part. 6.pag.449.col.2.
Taxa mercedum fori Eccleſ Bonon. in criminalibus. par.6.pag.446. col. 1.
τελειῶν τελετῶν S. Dionyſius appellat Euchariſtiam. par.1.pag. 18. col.1.
Tempus exacte partiri non norunt multi.par.1.pag. 65.col.2.
Tempus, quod maioribus rebus dandum eſſet, ne transferatur ad minora.par.1.pag.67. col. 1.
Tempus ſatis longum vnicuique eſt ſi bene collocetur.par.1.pag.66.col.2.
Tempus ſuum cuique rei eſt. par. 1.pag.70. col.1.
Tempore in dispertiendo conſulitur ſucceſſoribus Epiſcopis. par.1.pag.66.col.2.
Tempore mortis vigilantia Epiſcopi maximè eſt habenda.par.1.pag.75.col.1.
Tempore nihil pretioſius.par.1.pag.67.col.1.
Temporalia bona quomodo poſſunt etiam poſt mortem prodeſſe.par.1.pag.75.col.2.
Teſtamentum. Exemplum ſanctorum præferentium Eccleſias ſuas omnibus alijs in teſtamento. part. 1.pag.77.col.2.
Teſtamento bona quibus ſunt relinquenda. part. 1. pag.75.col 2.
Teſtamento bona relinquuntur præcipue intuitu futuræ vitæ. par.1.pag.75. col.2.
Teſtamento Chriſtus alijs hæredibus cohæres aſcribendus eſt.par.1.pag.76.col. 1.
Teſtamento introduci repente eos, qui nunquam introducti fuerunt in affectum, reprehendit Saluianus Epiſcopus.par.1.pag.76.col.2.
Teſtamentis præſulum fructus eccleſiaſticos ad propinquos transferri deplorandum eſt. par.1.pag. 77.col.2.
Teſtandi facultas, qua ſententia a Summo Pontifice concedi ſolet.par.1.pag.78.col.1.
Teſtando quibus poteſt, & debet conſulere Epiſcopus.par.1.pag.78.col.1.
Teſtimonij formula danda a Parocho de pauperibus Parochiæ.par.5.pag.411.col.2. Vide Formula.
Teſtimoniales literæ Parochi pro Ordinandis. par. 3.pag. 144.col.2.
Thecuites fuit figura Beatæ Mariæ Virginis aduocatæ noſtræ. par.7.pag.570.col.2.
Theodoſius inſtituit Bononiæ Academiam impe-
trante

Digitized by Google

trante S. Petronio. par.7.pag.542. colum. 2.

Theologalis lectio habenda eſt. par. 1. pag. 53. colum. 1.

Theologalis præbenda eſt inſtituenda. par. 1. pag. 53. col. 1.

Theologiæ laus. par. 7. pag. 587. col. 2.

Theologiæ libris præſertim, & iuris pontificij bibliothecam instructam habere Epiſcopum; maxime referre. par. 1. pag. 74. col. 2.

S. Thomæ Cantuarienſis exemplum. par. 7. pag. 547. col. 1.

Timoris vitium cur frequentius eſt, quàm audaciæ. par. 7. pag. 524. col. 1.

Titus Imperator vltro adhortatus eſt alios ad petendum pro vt vellent. par. 1. pag. 69. col. 2.

Tobiæ, & Sarræ hiſtoria de nuptijs. par. 3. pag. 165. colum. 2.

Translatio SS. Reliquiarum, eſt actio inſignis eccleſiaſtica. par. 4. pag. 276.

Translatio prima SS. Reliquiarum Vitalis, & Agricolæ. par. 4. pag. 276.

Translatio ſecunda Reliquiarum ex Mediolano delatarum. par. 4. pag. 286.

Translatio tertia SS. Zamæ, & Fauſtiniani. par. 4. pag. 291.

Translatio quarta plurimarum Reliquiarum. par. 4. pag. 304. Vide Reliquiæ. Edictum. Libellus. Index.

Translationis Sanctorum Zamæ, & Fauſtiniani edictum. par. 4 pag. 299. col. 1.

Tribunalis Archiep. Bononiæ reformatio. par. 6. pag. 436. col. 1.

Tribunalis reformationi, multæ congregationes inſtitutæ. par. 6. pag. 437. col. 1.

Tridentinum Concilium grauiter interdicit mollitiem erga conſanguineos. par. 1. pag. 78. col. 1.

Tridentinum Concilium multorum oculos aperuit. par. 7. pag. 552. col. 1.

Tridentinum Concilium optauit Canonicos doctores, aut licentiatos ſaltem ex dimidia parte eſſe. par. 1. pag. 68. col. 2.

Trinitatis attributa tria: Poſſe: ſcire: & Velle. par. 4. pag. 284. col. 1. Vide attributa.

Typographis prouidetur per edictum. par. 3. pag. 73. col. 2. Vide. Edictum.

V

S. V*Alerius Epiſcopus multa permiſit Vincentio Diacono.* par. 1. pag. 49. col. 2.

Vaurenſis Epiſcopi commendatio. par. 1. pag. 63. colum. 2.

Venerationis ſanctorum decreta in prouinciali Concilio. par. 4. pag. 228. col. 1.

Venere, & cupiditate maximè collabi Rempub. par. 7. pagina 532. col. 2.

Vgo Epiſcopus Gratianopolitanus populi proternia precibus ſuperans, fructuoſe eccleſiam ſuam moderatus eſt. parte 1. pagina 40. colum. 2.

Vicarij Foranei officium. parte ſexta. pagina 497. columna 2.

Vicarij generalis mores. parte ſexta. pagina 432. colum. 1. & 2.

Vicarij munus de recluſis in carcere. par. 6. pag. 435. colum. 1.

Vicarij opera coercere malos Epiſcopum oportet, bonos eccleſiaſticis prouentibus augere. parte 1. pag. 55. col. 2.

Vicarij partes in cauſis ciuilibus. par. 6. pag. 433. colum. 1.

Vicarij partes in cauſis criminalibus. par. 6. pag. 434. colum. 1.

Vicarij ſæpe vocantur ad dignitates eccleſiaſticas. par. 1. pag. 54. col. 2.

Vicario Epiſcopi, quæ negotia committi ſolent. par. 1. pag. 60. col. 2.

Vicaria in bono non eſt ſita adminiſtrationis Epiſcopalis ſumma. par. 1. pag. 54. col. 1.

Vicarium ſuum, ſanctum Petrum, & ſucceſſores eius reliquit Chriſtus. par. 1. pag. 19. col. 1.

Vicariorum generalium Illuſtriſsimi Archiepiſcopi Catalogus. par. 6. pag. 431.

Vicariorum officium defenditur. par. 1. pag. 54. colum. 2.

Victima conſulitur, præcipitur obedientia. parte 1. pag. 67. col. 2.

Victima meliorem eſſe obedientiam, quo ſenſu Samuel dixit. par. 1. pag. 67. col. 2.

Victoriam debet præcedere certamen. par. 1. pag. 37. colum. 2.

Vigilantia accurata Epiſcopi nullatenus prætermittenda. par. 1. pag. 41. col. 1.

Vigilantia an ſit neceſſaria in omnibus Eccleſijs minoribus. par. 1. pag. 58. col. 2.

Vigilantia appellatur ars artiũ. par. 1. pa. 71. col. 1.

Vigilantia contemplationem rerum ad agendum excitat. par. 1. pag. 61. col. 2.

Vigilantia deſignatur gruibus de nocte excubias habentibus. par. 1. pag. 57. col. 1.

Vigilantia. Docilitas ſit cum vigilantia coniuncta. par. 1. pag. 70. col. 1.

Vigilantia Epiſcopalis nullum in hac vita terminum agnoſcit. par. 1. pag. 71. col. 1.

Vigilantia Epiſcopi communicatione cum alijs fructuoſior redditur. par. 1. pag. 68. col. 1.

Vigilantia Epiſcoporum in teſtando. par. 1. pag. 77. colum. 2.

Vigilantia erga ſe ipſum. parte 1. pagina 73. columna prima.

Vigilantia eſt Epiſcopi præcipuum officium. par. 1. pag. 56. colum. 2.

Vigilantia eſt munienda externis auxilijs. parte 1. pag. 65. colum. 1.

Vigilantia excitat actiones aliarum virtutum. par. 1. pag. 63. col. 2.

Vigilantia exequitur, media prudentia eligit. par. 1. pag. 64. col. 1.

Vigilantia exercetur potius agendo, quàm meditando. par. 7. pag. 61. col. 2.

Vigilantia externis auxilijs munienda eſt. parte 1. pag. 65. col. 1.

Vigi-

Digitized by Google

Vigilantia habenda præcipuè circa tempus mortis. par. 1. pag. 75. col. 1.
Vigilantia idem eſt cum ſolicitudine. par. 1. pag. 62. colum. 1.
Vigilantia in agendo potius, quàm in meditando poſita eſt. par. 1. pag. 61. col. 2.
Vigilantia in executione commendatur exemplis. par. 1. pag. 64. col. 1.
Vigilantia non vtentes paſtores, arguit parabola de Zizanijs. par. 1. pag. 62. col. 1.
Vigilantia potiſſima officij Epiſcopalis eſt pars. par. 1. pag. 61. col. 2.
Vigilantia promouetur ex vita, & geſtis Sanctorum patrum. par. 1. pag. 6. col. 2.
Vigilantia ſit coniuncta cum docilitate. par. 1. pag. 70. col. 1.
Vigilantia vocatur ſuperintendentia. par. 1. pag. 63. col. 2.
Vigilantiæ commendatiò ex ſanctis authoribus. par. 1. pag. 62. col. 1.
Vigilantiæ commendatio ex ſcripturis ſacris. par. 1. pag. 57. col. 1.
Vigilantiæ Epiſcopalis præſidia. par. 1. pag. 64. colum. 2.
Vigilantiæ externa auxilia reſpiciunt res, vel perſonas, vel ſunt mixta. par. 1. pag. 65. col. 1.
Vigilantiæ laus. par. 1. pag. 70. col. 2.
Vigilantiæ ſtudium nunquam eſt intermittendum. par. 1. pag. 79. col. 1.
Vigilantiam oculo, in Principis ſceptro pingebant Aegyptij. par. 1. pag. 57. col. 1.
Vigilantiam oſtendebant Icones in veſtibulis ſacris effictì. par. 1. pag. 57. col. 1.
Vigilantiam ſignificant Ezechielis animantia oculis plena. par. 1. pag. 62. col. 1.
Vigilare debent paſtores nocte ipſa exemplo Iacob. par. 1. pag. 71. col. 1.
Vigilare totus, & ſuperintendere debet Epiſcopus, vt reſpondeat nomini. par. 1. pag. 58. col. 1.
Vinea quotuplex ſit. par. 3. pag. 151. col. 2.
Vires quod ſuperat, non eſt tenendum. par. 1. pag. 33. col. 2.
Virgam vigilantem vidit Hieremias. par. 1. pag. 57. col. 1.
Virginitatem myrrha refert. par. 7. pagina 582. colum. 1.
Virtus Epiſcopi maxima, quæ ſit habenda. parte 1. pag. 48. col. 2.
Virtus generalis, & vniuerſalis eſt prudentia. par. 1. pag. 64. col. 1.
Virtus illa Epiſcopi eſt præſtantior, cuius crebrior eſt vſus. par. 1. pag. 52. col. 1.
Virtus moralis, & intellectualis, inter duo extrema ponitur. par. 1. pag. 32. col. 1.
Virtus nulla, atque induſtria par magnitudini officij Epiſcopalis inueniri poteſt. par. 1. pag. 38. colum. 1.
Virtutis callem eſſe arduum, & illius limites tueri eſſe difficile. par. 1. pag. 71. col. 2.
Virtutis ſpecie vitia fallunt. par. 1. pag. 25. col. 2.
Virtutes cælorum aſſiſtunt conſecrationibus. par. 1. pag. 25. col. 1.
Virtutes Epiſcopales partim præcepti, partim conſilij ſunt. par. 1. pag 48. col. 1.
Virtutes in Epiſcopo neceſſariæ. par. 1. pag. 47. colum. 2.
Virtutes omnes in Epiſcopo conuenire in vnum debent. par. 1. pag. 48. col. 1.
Virtutes propriæ quædam Epiſcopi. par. 1. pag. 22. colum. 1.
Virtutes quaſdam naturales ſuo modo aliqui dixerunt. part. 1. pag. 82. col. 1.
Virtutes quot complexus ſit Chriſtus nomine paſtoris. par. 1. pag. 43. col. 2.
Virtutum fundamentum, & finis, & forma eſt charitas. par. 1. pag. 48. col. 2.
Virtutum meritis homo poteſt beatitudinem adipiſci. par. 1. pag. 39. col. 1.
Virtutum moralium habitus poſſe comparari induſtria. par. 1. pag. 46. col. 2.
Virtutibus exornare populum, quàm ſit difficile. par. 1. pag. 32. col. 2.
Viſitatio bonorum Monialium, quomodo facienda. par. 6. pag. 480. col. 1.
Viſitatio infirmorum, vt à curatis bene fiat. par. 3. pag. 172. colum. 1. Vide Cautio.
Viſitatio ipſa Illuſtriſſimi Archiepiſcopi. par. 6. pag. 401. col. 2.
Viſitatio Oratorij. par. 6. pag. 496. col. 2.
Viſitationis decreta in Prouinciali Concilio. par. 4. pag. 243. col. 1. & 2.
Viſitationis Epiſcopalis fructus. par. 1. pagina 53. colum. 2.
Viſitationis negocium tractatur. par. 6. pag. 482. cum ſequent.
Viſitationis rerum ſummarium. par. 6. pag. 489. colum. 1.
Viſitationis generalis auctoritas. parte ſexta. pag. 489.
Vita breuis, ars longa, iudicium difficile. parte 7. pag. 549. col. 1.
Vita compoſita, vel mixta, eſt præſtantiſſima. par. 7. pag. 585. col. 1.
Vita duplex; actiua, & contemplatiua. par. 7. pag. 585. col. 2.
Vita hominis eſt ſocialis, quatuor ob cauſas. par. 1. pag. 4. colum. 1.
Vita hominis, quomodo breuior, aut longior fieri dicitur. par. 7. pag. 546. col. 1.
Vita Mariæ Magdalenæ breuiter explicata. par. 7. pag. 585. col. 1.
Vita omnium officiorum, & artium in diligentia conſiſtit. par. 1. pag. 57. col. 2.
Vita omnium rerum chariſſima. parte 7. pag. 523. colum. 1.
Vita ſocialis multos diu continere non poſſet, niſi aliquis omnibus præſideret. parte 1. pagina 5. colum. 1.
Vitæ integritas, eſt perpetuum quoddam prædicandi genus. par. 1. pag. 50. col. 2.

Vitæ

Digitized by Google

Vitæ patrum referuntur in exemplum ruſticorum. par.2.pag.44. col.1.
S. Vitalis Reliquiarum tranſlatio . par.4.pag.276.
Vitium in eminenti loco quamuis leue, ſacile inficit. par.1.pag.21.col. 2.
Vnitas ordinis , vel aggregationis . par.1. pag. 7. colum. 2.
Vnitatis eſt particeps omnis multitudo. par.1.pag. 8.colum.1.
Vnitatem commendant apum , & gruum exempla. par. 1. pag.7. col.2.
Vnitatem vnus per ſe facit. par.1.pag.7.col 2.
Vnus. Ab vno non ſunt ſumenda imitationis exempla ex ſententia B. Antonij. par. 1. pag. 47. colum. 1.
Vnus non poteſt facere relatiuas actiones. par. 1. pag. 23. col. 2.
Vnus non potuit omnia munia Eccleſiæ obire. par. 1. pag.18. col 1.
Vnus Princeps ſi bonus eſt, conſilio multorum vtitur. par. 1. pag.8.col.1.
Vna ratio eſt princeps potentiarum. par. 1. pag. 8. colum. 1.
Vnum cor cætera membra mouet. par. 1. pagina 8. colum. 1.
Vnum eſt elementum præpollens in mixtis. par. 1. pag. 8. col. 1.
Vnum eſt neceſſarium, quid ſibi vult in euangelio. par.7.pag. 588. col. 1.
Vnum poſſunt dici præcepta Dei, et ſi multiplicia. par. 7. pag. 589. col. 1.
Vnum præcellere neceſſe eſt inter officia diuerſa. par.1 pag.19.col.1.
Vnum vel plures regendi comparatio. par.1.pag. 28.col.2.
Vnius appellatio Deo conuenit. par.7.pa.588.c.1.
Vnius gubernatio eſt optima . par.1.pag.7.col.2.
Vnionis eccleſiarum decreta in Concil. Prouinc. par.4.pag.253.col.1. & 2.
Vocatio clerici quænam ſit. par.7. pag.502. col. 2.
Vocatio multiplex. par.7.pag.505. col.1.
Voluntas ne miraculis quidem poteſt neceſſario duci. par.1.pag. 27.col.1.
Voluntas nullis vinculis poteſt aſtringi. par.1.pag. 26. col. 2.
Voluntatis, non naturæ præſtantia, Sancti excellebant alijs hominibus. par. 7. pag. 571. col. 1.
Voluntarijs anteferenda ſunt neceſſaria ex genere. par. 1. pag.67. col.2.
Vota tria Monialium referuntur per tria munera Magorum. par. 7 pag.580. col. 1.
Wiclefſi dogma contra Gymnaſia par.7.pa.539. colum. 2.

X

XEnodochium. Vide Hoſpitale.
Xenophontis dictum. par.1.pag.8.col.2.

Z

S. ZAma quando Bonon. aduenit. par.4. pag. 295.col.2.
S. Zamæ & reliquorum Epiſcoporum Bononiæ memoria. par.7.pag. 591.
S. Zamæ reliquiarum tranſlatio. par.4. pag.291.
Zelum animarum Epiſcopus debet habere. par. 1. pag. 22. col. 1.
Zelum, & charitatem quidam Epiſcopi habent, ſed non ſecundum ſcientiam. par. 1. pag.67. col.2.
Zelo, & charitate multi præſtant, qui tamen ad regendos populos non ſunt admodum idonei. par.1.pag.48. col.2.
Zizaniarum parabola, non vigilantes paſtores arguit. par.1.pag.62. col.1.

F I N I S.

Regiſtrum

✠ a b c d e f g. A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z, Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.
Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg.

Omnes ſunt Terniones, præter ✠ Quintern. & Ff, Ggg, Duern.

Apud Iulium Burchionium, & Ioannem Angelum Ruffinellum.
Romæ, Excudebat Aloyſius Zanettus.
M. D. LXXXIIII.

VA1 1527664

Digitized by Google

Digitized by Google

174
5
14

Digitized by Google